
Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/sanctuariumseuvi01momb

The Institute of Mediaeval Studies
LIBRARY
Toronto, Ontario

BONINUS MOMBRITIUS

SANCTUARIUM

SEU

VITAE SANCTORUM

NOVAM HANC EDITIONEM

CURAVERUNT DUO

MONACHI SOLESMENSES

TOMUS PRIMUS

PARISIIS

APUD ALBERTUM FONTEMOING, EDITOREM

4, VIA LE GOFF, 4

M . CM . X

SANCTUARIUM

SEU

VITAE SANCTORUM

TOMUS PRIMUS

IMPRIMATUR

† Fr. Paulus Delatte,

Abbas S. Petri de Solesmis.

Quarr Abbey, die 11 Martii 1909.

BONINUS MOMBRITIUS

SANCTUARIUM

SEU

VITAE SANCTORUM

NOVAM HANC EDITIONEM

CURAVERUNT DUO

MONACHI SOLESMENSES

TOMUS PRIMUS

PARISIIS

APUD ALBERTUM FONTEMOING, EDITOREM

4, VIA LE GOFF, 4

M . CM . X

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
10 ELMSLEY PLACE
TORONTO 5, CANADA.

OCT 3 1 1931

953

DILECTO PATRI

DOMNO PAULO DELATTE

ABBATI SOLESMENSI

DICAVERUNT

FILII AMANTISSIMI

PRAEFATIO

Ante annum 1480 [1], Mediolani, *Sanctuarium* suum seu *Vitas Sanctorum* typis mandabat Boninus Mombritius, vir eruditione clarus et inter litteratos præstantissimus, primus omnium in « colligendis ex diversis codicibus » edendisque Passionibus et Vitis Sanctorum viam aperiens, quam postmodum ingressi sunt, ut præcipuos tantum memorem, vv. cll. Aloysius Lipomanus (*Sanctorum priscorum Patrum Vitæ,* Venetiis, 1551-1560), Laurentius Surius (*De probatis Sanctorum historiis*, Coloniis, 1570-1575), Heribertus Rosweydus (*Vitæ Patrum,* Antverpiæ, 1615), Iohannes Bollandus, in nondum absoluto prægrandi opere *Acta Sanctorum,* cuius tomus primus Antverpiæ prodiit anno 1643, ac demum Theodoricus Ruinart noster (*Acta primorum martyrum sincera,* Parisiis, 1689).

Prioris huius *Sanctuarii* editionis pauca nimis exemplaria prodiisse licet coniicere, siquidem labente sæculo decimo septimo, vix iam poterat liber ille, nec sine magnis sumptibus, comparari, uti nonnulla declarant testimonia [2], e quibus apparet non minus rara quam penes eruditos exoptata fuisse, tunc temporis, Mombritiana volumina. Idem docent pro tempore subsecuto A. Fabricii et I. A. Saxii verba in sequenti articulo recitanda [3]. Nostra vero ætate quanti fiat apud multos vetus illa textuum collectio, quantumve utilis probetur, imo et necessaria, iis præsertim qui rei hagiographicæ critice instituendæ operam navant,

[1] De anno editionis Mombritianæ vide infra, p. xxv, quæ notat Saxius.

[2] Duo damus quæ præ manibus occurrunt. Dominus Le Tellier, Remensis archiepiscopus, in litteris ad Ioh. Mabillon directis, ita sciscitatur : « De Versailles, ce 20 juillet 1685... Si vous pouvez trouver encore un Mombrin, je serais bien aise que vous me l'achetiez; on dit qu'il y en a encore un à Milan... » (B. N. Paris., mss. français, n° 17680, p. 123.) Et ipse Mabillon ad doctum virum Ant. Magliabechi Ducis Tusciæ bibliothecarium scribens, sic ait : « Paris, ce 6 décembre 1686... J'oubliais à parler du R. P. Abbé des Anges, auquel je présente mes très humbles respects. S'il avait voulu s'accommoder de son Mombritius, je lui aurais envoyé en échange la Bible de Le Jay en blanc, qui est en huit volumes, dont j'aurais payé le port jusqu'à Lyon. » (Valery, *Correspondance inédite de Mabillon et de Montfaucon avec l'Italie,* Paris, 1847, I, p. 355 et dernière.)

[3] Pag. xiv, xvi et xxv.

BQX
8211
.M7
V.1

quantum denique sit desiderata ac eruditorum votis expetita, vix aliquis, credo, nescit. Ipsi eam pernecessariam experti sumus quando, paucis abhinc annis, varias Passionum martyrum recensiones lustrantes, fontes perquirebamus mediævorum martyrologorum, ad concinnandum opus quod feliciter edidit optimus frater et collega noster H. Quentin, *Les martyrologes historiques du moyen âge*[1] : siquidem in hac indagatione sæpissime contigit nec unam nec alteram recentiorum editionum bene vero solam Mombritianam fontem expetitum præbere. Hæc causa fuit cur de edendo iterum *Sanctuario* auctor laudatus cœperit cogitare[2].

Verum unde tantum libro Mombritiano pretium? Unde vivax illa et minime senescens auctoritas? Duplici, ni fallor, de causa. Prior est quam modo innuimus, nempe : non paucos apud Mombritium textus proferri quos frustra in cæteris quæreres, quippe quos nullus in posterum edendos curavit : sed neque spes affulget eos hisce temporibus fore edendos. Libet hos textus breviter indicare.

Primo loco ponantur libelli de sanctis seu de rebus de quibus ne verbum quidem alibi tangitur, quarumque nulla prorsus in editis, si breviatæ quædam demantur narratiunculæ, præter Mombritianam exstat historia. Hi sunt : *Passio S. Chrysogoni*, *Vita S. Eustorgii Mediolanensis episcopi*, *Passio Scæ Febroniæ virginis*, *Historia translationis SS. Fructuosi, Augurii et Eulogii*, *Gesta SS. Apostolorum Petri et Pauli apud Antiochiam*, *Passio S. Phocæ episcopi Sinopis in Ponto*, *Vita S. Prosdocimi Patavini episcopi*, *Passio SS. Romani et Barulæ*, *Gesta S. Silvestri papæ*, *Passio S. Terentiani Tudertini episcopi*, *Passio S. Thereni martyris Bostrensis;* quibus addi debet *Passio S. Hyacinthi martyris in portu Romano* a Surio revera edita, sed, ut assolet, « stylo nonnihil immutato et expolito ». Sequuntur textus alii, agentes de sanctis quorum quidem alibi editæ leguntur historiæ, sed plane diversæ, sive quæ non solo stylo sed et rebus ipsis a Mombritiana lectione plus minusve separantur : *Vita S. Agapeti papæ I*, *Passio S. Alexandri martyris Bergomensis*, *Vita et translationes S. Augustini*, *Vita et Passio S. Barnabæ apostoli*, *Passio SS. Bibianæ, Dafrosæ, etc.*, *Passio SS. Abundii et Carpophori*, *Passio Scæ Catharinæ virginis Alexandrinæ*, *Vita Scæ Catharinæ virginis Senensis*, *Vita Scæ Claræ virginis*, *Passio Scæ Columbæ virginis Senonensis*, *Passio S. Desiderii Viennensis episcopi*, *Vita S. Dominici*, *Passio SS. Donati Aretini episcopi et Hilariani monachi*, *Passio sanctorum Eleutherii et Antiæ*, *Passio Scæ Euphemiæ*, *Passio SS. Faustæ et Evilasii*, *Passio SS. Hadriani et aliorum Nicomediensium martyrum*,

[1] Paris, 1908, in-8°, pag. XIV-715.

[2] Ipse huic editioni præparandæ haud parum adlaboravit, sed et eidem conficiendæ iam manum admoverat, quando, non minimo quidem operis damno, ex improviso ad potiora vocatus est.

Passio S. Hippolyti presbyteri Romani, Passio S. Iacobi fratris Domini, Passio S. Iacobi Intercisi, Exaltatio seu Reversio sanctæ Crucis, Vita SS. Iulii presbyteri et Iuliani diaconi, Laudatio S. Lucæ evangelistæ, Passio SS. Luciæ et Geminiani, Passio S. Mammetis, Vita Scæ Marthæ, Passio S. Mennæ Ægyptii, martyris in Phrygia, Passio SS. Nazarii et Celsi, Passio S. Nicomedis presbyteri Romani, Passio Scæ Reparatæ virginis, Passio S. Saturnini martyris Calaritani, Vita S. Thomæ Aquinatis, Vita et miracula S. Thomæ martyris, Cantuariensis archiepiscopi, Passio SS. Viti, Modesti et Crescentiæ. Ultimo denique loco notentur Passiones et Vitæ a cæteris passim editis sola verborum recensione dissimiles : *Passio S. Babylæ Antiocheni episcopi, Passio Scæ Barbaræ, Passio SS. Cantii, Cantiani et Cantianillæ, Passio S. Christophori, Miracula S. Clementis papæ, Conversio S. Cypriani Antiocheni eiusque Passio cum Sca Iustina virgine, Passio SS. Eugeniæ, Prothi et Hyacinthi, Vita Scæ Euphrosynæ, Passio S. Eupli diaconi Catanensis, Passio SS. Fidei, Spei et Charitatis earumque matris Sapientiæ, Passio SS. Iohannis et Pauli, Passio S. Genesii mimi, Vita S. Germani Autissiodorensis episcopi, Passio S. Laurentii, Passio S. Pancratii, Passio S. Pantaleonis, Passio Scæ Præxedis, Passio Scæ Pudentianæ, Passio SS. Vitalis et Agricolæ, Passio SS. Vitalis et Valeriæ,* ac demum *Vita S. Zenonis Veronensis episcopi.*

Hæc satis superque esse ad novam editionem rite probandam nemo negabit. Verum non ex ea solum, uberi plane, textuum sibi propriissimorum copia, Mombritii volumina commendantur. Alia est, et quidem potior, causa cur *Sanctuarium* magni fiat in æstimatione doctorum, scilicet : quod vir iste, litterarum peritissimus, poesis cultor, eloquentiæ magister, nequaquam hagiographicos textus artis rhetoricæ legibus tractandos duxerit, neque Sanctorum « historias » exculto calamo conficiendas aut expoliendas esse putaverit, sed genuinos eorum Vitas et martyrum Passiones e manuscriptis codicibus, nedum fideliter, sed et summa cum scrupulositate decerpserit; atque proinde, non verborum expolitor, non historiarum piarum confictor, sed verus, ut ait quidam[1], textuum editor exsistat. Hac de re si quis ambigat, adeat textus eosque vel cursim revolvat, vetustas præsertim et incultas martyrum percurrat Passiones : ibi lectionum summa varietas, verborum scriptio diversissima, orthographia nulla, ars nulla, lex aut regula nulla; non orationis compositio, non elegantia, non ornamentum, sed sermo incultus, stylus corruptus, mutilus et in multis emendandus. Neque putet aliquis hæc omnia non esse nisi typographorum menda, cum non una sit ea quam diximus textuum Mombritianorum conditio : etenim si sanctorum recentioris ætatis Vitas lustraveris, statim cognosces stylum

[1] J. Van den Gheyn, art. *Acta martyrum,* apud A. Vacant, *Dictionnaire de Théologie catholique,* I, col. 330.

bene ordinatum, correctum, integrum, nævo carentem. Inde cuique legenti fit perspicuum se non unius scriptoris librum, neque diversorum scripta ab uno litterato emendata aut expolita præ manibus habuisse, bene vero genuinas ac sinceras antiquorum codicum lectiones, omnibus verbis a viro probo, calamo fideli descriptas [1].

Si quæramus nunc ex quo fonte seu ex quibus codicibus suas Sanctorum historias Mombritius hauserit, res manet in hunc diem prorsus incerta. De his tacent auctores, si unum excipias Dominicum Macrum, in suo *Hierolexicon*, ad vocem *Birrus*. Hic, verbum faciens de birro quem, ut in *Actis* legitur, sanctus Cyprianus exuit dum mox feriendus spiculatorem exspectaret, ita scribit : « Mombritianus, qui *ex antiquo Passionario in pergameno manuscripto, in archivio Lateranensi conservato*, Acta sanctorum descripserat, et tempore Sixti IV typis mandaverat, sic de S. Cypriano habet : ... » Eo freti indicio contulimus tabulas *Sanctuarii* cum *Catalogo codicum hagiographicorum archivi Capituli S. Iohannis in Laterano*, quem nuper edidit A. Poncelet Bollandista [2], in specie vero cum codicibus A. 80 (al. C.) et A. 81 (al. D). Sed minime his codicibus usus est Mombritius. Etenim, etsi prima fronte cum *Sanctuario* haud parum concordes videantur, tamen, quoties in *Catalogo* aliquæ notantur descriptorum codicum lectiones, probantur isti a Mombritianis codicibus discrepare.

Ignotos igitur, seu etiam, res dolenda, forsan ex toto deperditos, codices a Mombritio exscriptos fateri necesse est. Et inde non parva debetur huic optimo viro gratitudo, qui dum textus genuinos aliunde incognitos ad nos transmisit, illos et a perpetua iactura servavit : hinc etiam non minime crescit *Sanctuarii* nostri pretium, quod deperditorum codicum locum tenens, pro ipsis iure haberi iam non tantum possit sed et debeat.

In edendo *Sanctuario* hoc unice intendimus : ut textum ipsissimum Mombritii quam fidelissime redderemus. Sic decebat edi librum singularem, pretiosum, ætate perantiquum, qui codicum vices obtinet. Ideo non tantum omnes archetypi lectiones, sed et graphicas illius quaslibet proprietates, ut fieri potuit, servavimus; vocum scriptiones variatissimas et scribarum errata, litterularum formas, textus dispositionem et interpunctionem retinuimus. Ipsa typographorum menda (seu, ut accuratius loquar, quæcumque istius generis maculæ visa sunt) minime

[1] Una est hac de re eruditorum sententia, de quibus audiatur solus Ioh. Bollandus, in sua *Præfatione generali in Vitas Sanctorum* : « Boninus Mombritius Mediolanensis duo ingentia volumina edidit, quibus Acta Sanctorum complexus est, ut ea in manuscriptis codicibus reperit, ita fideliter ut ne menda quidem scriptionis correxerit, quæ minus iucundam lectionem reddere solent... *Act. SS., Ian.* I, XXI.

[2] *Catalogus codicum hagiographicorum latinorum bibliothecarum Romanarum præterquam Vaticanæ*, pp. 49-79.

putavimus corrigenda, sed ea parvulæ crucis signo notantes sedulo exscripsimus. Breviationes resolvimus. Quoniam vero minime concordant paginæ huius editionis cum paginis archetypi, has indicavimus duplici signo || et |, quorum prius finem alicuius paginæ archetypi, alterum finem columnæ prioris cuiusque paginæ designat.

Utrique tomo *Sanctuarii* præfixæ sunt tabulæ, imperfectæ quidem et minus recte digestæ : eas tamen, ne quid operi Mombritiano desit, nequaquam duximus omittendas, præsertim cum quales quales nonnihil utilitatis habere possint : pleniores tamen et accuratiores indices ad calcem utriusque voluminis prudens lector adibit. Tabulis Mombritianis numeri foliorum inserti sunt qui ad marginem foliorum ipsorum minime comparent : ibi eos supplevimus ex Sociorum Bollandianorum *Bibliotheca hagiographica latina*, unde fit librum nostrum huic optimo repertorio, magna omnium utilitate aptari. Hos numeros inveniet lector in summitate paginarum, intra uncinos romano charactere impressos.

Neque fore satis visum est si, criticorum et philologorum causa, textum Mombritianum accuratissime redderemus. Fatendum sane est codices ab auctore exscriptos non fuisse omnes optimæ notæ, textusque non paucos luxatos, mancos aut mendis variis refertos, vix aut aliquando nullo modo intelligi posse. Censuimus igitur correctiones nonnullas esse adhibendas, ne opus nimis informe aut obscurum ederemus, tædiumque non minimum lectoribus qui editiones alias præ manibus facile habituri non sunt afferremus. Inde apparatus ad calcem utriusque voluminis appositus, ubi lectiones non paucas ex variis documentis tum editis tum manuscriptis congessimus, ad textum emendandum, aut supplendum, aut etiam aliquo modo illustrandum. Qua de re lectorem monitum velim haudquaquam aliquid criticæ editionis nos attemptare voluisse, sed hoc unum intendisse, scilicet : ut textum quampluribus utilem exhiberemus.

Textui denique Mombritiano historica quædam de eius auctore præposuimus. Parum etenim plerumque nota sunt vita et opera Bonini Mombritii, quin imo et permultis etiam litteratis, prorsus inaudita. Ideo utile fore visum est pauca hic ac eruditionem lectoris ponere testimonia, variis ex auctoribus deprompta, unde viri huius optimi, docti, ætate sua clarissimi, vita et scripta necnon alia opera quibus, in docendis præsertim litteris et excudendis libris plurimum adlaboravit, si non pro viri merito, tamen quoad fieri potuit, innotescant.

Quarr Abbey, die 6 Ianuarii 1909.

Fr. A. Brunet O. S. B.

DE VITA ET OPERIBUS BONINI MOMBRITII SELECTA TESTIMONIA

I

Ex Casimiri Oudini *Commentario de Scriptoribus Ecclesiæ antiquis illorumque scriptis*[1].

Boninus Mombritius Mediolanensis hoc eodem tempore 1460, sub typographiæ nascentis initium floruisse creditur . Hanc ipsi ætatem assignare videtur doctissimus vir Antonius Faurus, Doctor Sorbonicus, et Caroli Mauritii Tellerii in Archiepiscopatu Remensi Vicarius generalis, in Catalogo bibliothecæ Tellerianæ, qui anno 1643 typis regiis in-fol. Parisiis impressus est ... In hoc autem Catalogo, p. 243, inter Scriptores Historiæ Ecclesiasticæ in-folio, Antonius Faurus Boninum Mombritium proxime velut synchronum Petro de Natalibus eadem tempestate viventi subiicit, cuius extat *Catalogus Sanctorum et gestorum eorundem ex diversis voluminibus collectus, et anno 1482 absolutus,* sæpe variis in locis impressus. Cum igitur hoc tempore floreret et de Sanctis scriberet et colligeret Petrus de Natalibus Equilinus episcopus : ita sed iudicio solidiori laboreque maiori fecisse Boninus Mombritius videtur, multosque annos in colligendis et conquirendis *Sanctorum Actis* post annum 1460 insumpsisse, quo typographia in usum litteratorum venit, ut ingentia duo volumina orbi offerret . Inscribuntur : *Vitæ et Acta Sanctorum collecta et edita per Boninum Mombritium Mediolanensem* . Vetus editio 2 voll. in-folio. Cum autem absque nota temporis et loci hæc impressa sint, hinc sub nascentis typographiæ initium Mediolani uel alibi prodiisse inter annum 1470 et 1480 viri harum rerum eruditi coniiciunt . De hac collectione insigni mentionem honorificam facit Ioannes Bollandus Societatis Iesu, in Præfatione generali ad *Vitas Sanctorum,* cap. I, paragr. 5, pag. 21, his verbis : « Boninus Mombritius Mediolanensis duo ... » Multa quoque alia opuscula composuisse legitur, quæ adhuc manuscripta in bibliothecis extant . In Philippi Labbei *Bibliotheca Nova mss. librorum* sive *Specimen antiquarum lectionum græcarum, latinarum et gallicarum,* Parisiis in-4, anno 1653, apud Ioannem Henault, ex mss. codicibus Regiæ Galliarum Bibliothecæ potissimum collecta, ibidem in *Supplemento VIII,* quo *Analecta quædam* ex Catalogo mss. codicum qui continentur in secunda parte seu xysto Bibliothecæ Regiæ[2], et in fasciculis

[1] Lipsiæ, 1722, tom. III, col. 2659.

[2] Ph. Labbeus, in dictæ *Bibliothecæ novæ* supplementis VII, VIII et IX, edidit catalogum codicum manuscriptorum qui in *Catalogo Bibliothecæ Regiæ,* a fratribus Petro et Iacobo Dupuy anno 1645 confecto, reperiebantur. Codices hic ab Oudino designatis : 669, 1058 et 1502, fuerant olim Bibliothecæ Ducum Mediolanensium, quam Ludovicus XII rex Galliæ, anno 1499 vel 1500, ex Italia asportaverat (cf. L. Delisle, *Le cabinet des manuscrits de la Bibliothèque Impériale,* tom. I, pp. 125, 127 et 136). Codices 669 et 1502 signantur hodie 8131 et 8377, in *Catalogo mss. latinorum* Bibliothecæ Nationalis Parisiensis. Codex 1058

librorum nondum compactis, pag. 319, codice DCLXIX : *Bonini Mombritii Mediolanensis de varietate fortunæ ad Galeatium Sfortiam Mediolani Ducem*. Ibidem, pag. 325, codice MLVIII : *Bonini Mombritii Bucolica ad Galeatium Mariam Vicecomitem*. Ibidem, pag. 333, codice MDII : *Bonini Mombritii Poema de Nuptiis Tristani Vicecomitis*. Hæc de manuscriptis nondum editis rescire licuit latentibus in Regia Galliarum Bibliotheca. Vixit autem usque ad annum 1496 Mombritius, quo edendum procuravit *Glossarium Papiæ Grammaticum*, quod perfectum Venetiis in fol. anno dicto MCCCCXCVI, die 19 mensis Aprilis. Cuius rei fidem facit Carolus du Fresne, Dominus du Cange[1] in Præfatione ad *Glossarium mediæ et infimæ latinitatis*, paragrapho 44, pag. 36.

II

Ex Ioh. Alberti Fabricii *Bibliotheca latina mediæ et infimæ ætatis*[2].

Boninus Mombritius, patricius Mediolanensis præclaram operam posuit, sub tempora nascentis typographiæ, in publicandis bonis scriptis : sed quæ editiones rarissime hodie reperiuntur. Sunt illa : *Chronica Eusebii, Hieronymi, Prosperi et Matthæi Palmerii* usque ad annum 1448, Mediolani, 1475, folio ; *Scriptores historiæ Augustæ*, 1475, folio ; *Papiæ Glossarium*, 1476, 12 Decembr., folio ; *Sanctuarium seu Vitæ Sanctorum* collectæ ex codicibus manuscriptis et dedicatæ Cicho Simonetæ, Ducum Mediolanensium Secretario, duobus in-fol. voluminibus, sine anni nota. Valuit idem Mombritius carmine, nam non modo editionibus suis epigrammata quædam breviaque carmina præmisit, sed etiam carmine heroico scripsit libros sex *de Passione Dominica*, quos respiciens Daumius, p. 28 Epistolæ ad Reinesium[3] : *Mombritium de Passione Domini quem habeo, novi inventu esse rarissimum*. Prodiit Lipsiæ, 1499, in-4°. *Hesiodi Theogoniam*, latinis expressam versibus, et Borsio Estensi primo Ferrariensium Duci dicatam, editamque in quibusdam Hesiodi editionibus Basileæ et Lipsiæ, memorat Gyraldus, lib. I, *De poetis sui temporis*[4], p. 28. De priore opere Iulius Cæsar Scaliger, in hypercritico, pag. 729 : *Mombritius generosioribus utitur dicendi legibus : et quum multa admittit, constat sibi tamen, neque deiicitur de animi commotione*. Eiusdem inedita apud Labbeum, laudata in Bibliotheca nova manuscriptorum, p. 319, *De varietate fortunæ* ad Galeatium Sfortiam, Mediolani Ducem, et p. 325, *Bucolica* ad Galeatium Mariam Vicecomitem, et p. 333, *de nuptiis Tristani Vicecomitis*.

in *Catalogo manuscriptorum Bibliothecæ Regiæ* anno 1682 exarato, qui *Catalogum* anni 1645 absumpsit, iam non comparet (cf. H. Omont, *Concordance des numéros anciens et des numéros actuels des manuscrits latins de la Bibliothèque Nationale*, pp. 173 et 181).

[1] « Prostat vero eius [h. e. Papiæ] Glossarium typis editum cura Bonini Mombritii, cuius sunt Vitarum Sanctorum duo volumina, Venetiis, anno MCCCCXCVI, mense Aprilis XIX. » Hæc Ducangius, quem apprime refellit Saxius infra recitandus, tum quoad annum locumve editionis dicti libri, tum quoad tempus decessus Mombritii.

[2] Hamburgi, 1736, tom. V, p. 257 ; 2ª edit., Florentiæ, 1858, tom. V, p. 82.

[3] Christianus Daumius (1612-1687), rector gymnasii Cygnæensis (Zwickau) in Saxonia, inter alia epistolas multas scripsit quæ duobus tomis editæ sunt. Prior Dresdæ prodiit : *Chr. Daumii epistolæ latinæ ad Iohannem Fridericum Heckelium, editæ a Iohanne Andrea Gleich*, 1697, in-4 ; alter Chemnitii : *Chr. Daumii epistolæ philologico-criticæ ad claros viros D. Andream Bosium, etc.* 1709, in-8.

[4] Lilius Gregorius Giraldus, *De poetis nostri temporis Dialogi*, Basileæ, 1580.

III

Ex Ios. Antonii Saxii, Bibliothecæ Ambrosianæ præfecti, *Historia literario-typographica Mediolanensi*[1].

Inter ceteros illius ævi literatos viros floruit Mediolani Boninus Mombritius, civis noster, multis in lucem editis libris tum insignium auctorum, tum suo marte elucubratis, apud omnes celebris dignusque ut peculiaris eiusdem hic memoria inseratur . Inter nobiles familias Mediolanenses Mombritiam seu Mombretam recenset Morigia[2], virque patricius a scriptoribus qui de illo meminere appellatur ; attamen generis nobilitati par domestica suppellex non fuit, ut infra videbimus . In urbe Ferrariæ ediscendis litteris operam dedit, teste Ferrante Borsetto in Historia Ferrariensis Gymnasii[3], eumque vivido mentis acumine nitidaque facundia præditum fuisse luculento testimonio evincunt scripta, quæ tum soluta, tum stricta numeris oratione, ad nos pervenere ; quin imo græcis literis apprime eruditum ea quæ inferius proferam abunde docebunt . Quocirca merita illum laude quamplures cumulavere scriptores, Bergomas[4], Gesnerus[5], Frisius[6], Sixtus Senensis[7], Picinellus[8] aliique. Ego quæ ex impressis per ea tempora codicibus epistolisque, utpote minus obviis, collegi ad illustrandum eiusdem vitam, pro suscepto instituto evulgabo.

Primus qui mihi occurrerit Mombritii labor est liber *Summularum Pauli Veneti*, quem hoc anno Mediolani edidit Christophorus Valdarfer, adnexo in calce Epigrammate non invenusto, in quo Boninus Venetos cives invitat ad grates typographo nostro reddendas, quod perrarum hoc opus conterranei sui, facile parandum prima hac editione reddiderit :

Quid ratio possit logices arguta probandi
Dogmata, de Veneto littore, Paule, doces .
Pone tuam sed nil prodesse legibus artem
Scis : quia perraros constat undique libros .
Hæc Christophorus germanis vidit ab oris
Valdarfer, impressum reddidit ære librum,
Reddidit innumeros, et quos emisse pusillo
Iam licet argenti, summula parva sat est.
Quales Teutonico, quales agis Adria grates,
Cuius fit Paulus plurimus arte tuus !

Per Boninum Mombritium.
Anno Incarnationis Domini MCCCCLXXIIII, etc.
Mediolani impressum .

[1] Apud Phil. Argelatum, *Bibliotheca Scriptorum Mediolanensium*, Mediolani, 1745, in-fol., I, col. CXLVI-CLIII.

[2] In Indice Nobil. famil., post Historiam Mediol. (*n. Saxii*). Paulus Morigia (falso Societati Iesu vulgo addictus, Iesuata enim fuit non Iesuita, cf. C. Sommervogel, *Bibliothèque de la Compagnie de Jésus*, V, col. 1323), edidit Venetiis, anno 1592, volumen cui titulus : *Storia dell' antichità di Milano*, in-4. Post eius mortem prodiit volumen alter : *La nobiltà di Milano o sia Chiese, Papi, Imperadori ed altri uomini famosi di Milano*, Milano, 1619, in-8.

[3] Parte II, pag. 298 (*Saxius*).

[4] Iacobus Bergomensis, *Supplementum Chronicarum*, Venetiis, 1483, in-folio.

[5] Conradus Gesnerus, *Bibliotheca universalis, seu Catalogus omnium scriptorum, locupletissima, tribus linguis latina, græca et hebraica, etc.*, Tiguri, 1545, in-folio.

[6] Ioh. Iacobus Frisius Gesneri *Bibliothecam, primum in epitomen redactam et locupletatam, deinde recognitam et in duplum auctam per Iosiam Simlerum* (Tiguri 1574), *iam vero postremo... amplificatam* edidit, Tiguri, 1583, in-folio, cf. p. 123.

[7] Sixtus Senensis, Ordinis Prædicatorum, *Bibliotheca sancta*, Venetiis, 1566.

[8] Philippus Picinellus, *Atheneo dei letterati Milanesi*, Milano, 1640, in-4.

De hoc Paulo qui Augustinianus monachus fuit, obiitque anno MCCCCXXIX, vide Iosephum Pamphilum in Chronicis, plura in illius encomium proferentem.

Antequam hasce Summulas Pauli Veneti in lucem proferret Mombritius, fortasse hoc eodem anno, ediderat *Solinum*, *de Mirabilibus mundi*, sed nullo adiecto anni, loci aut typographi indicio. Id enim erui clare crediderim ex eiusdem Epigrammate in fronte impresso, in quo *primum hunc diligentiæ suæ laborem* appellat. Cum igitur liber proxime relatus Pauli Veneti certa temporis nota signetur, posterius edi a Mombritio debuit. Servat *Solini* codicem Ambrosiana Bibliotheca, primaque in pagina legitur carmen quo dicatur hoc opus *Reverendo in Christo Patri et Domino Antonio Trivulcio Iuris Pontificii Doctori clarissimo ac Divi Antonii Commendatori optime merito*. Fuit is subinde ad Comensem infulam promotus ac demum Cardinalium collegio ab Alexandro VI adscriptus, eiusque res præclarissime gestas summa cum laude enarrat Oldoinus[1]. Insigne suæ pietatis monumentum in urbe Mediolanensi reliquit, sacram nempe S. Antonio ædem ab ipso conditam, ut testatur inscriptio ab eodem Oldoino relata[2]; quamvis veteris illius templi vix aliquod nunc vestigium occurrat, cum inducti in illud atque in adiectum cœnobium a S. Carolo Borromæo Theatini clerici regulares, qui adhuc ibidem degunt, egregiis virtutum exemplis et animarum proventu florentes, alterum excitaverint magnificentia omni elegantiaque exornatum. Qua in re corrigendus est Oldoinus, qui a memorato Trivulcio datam Theatinis ecclesiam S. Antonii ab ipso erectam refert, cum anno MDVIII ille obierit, multo antea quam nobilissimus hic Ordo sub Clemente VII exordia desumeret. Sequitur Epigramma :

Accipe primitias nostri, vir summe, laboris
Et disces parvo maxima sæpe dari.
Quid nostræ possint his experiere novales
Frugibus; expectes iam meliora velim.

Et sane graviora postmodum aggressus, summo labore ac studio *Vitas Sanctorum* alphabetico ordine digestas ac depromptas ex antiquissimis manuscriptis concinnavit, quæ duobus magnis voluminibus comprehensæ, hagiographis omnibus ad ecclesiasticam illustrandam historiam subsidio non modico fuere, atque etiam præsenti ætate insignium Bibliothecarum rarius pretium faciunt. *Eusebii* quoque *Chronica* a S. Hieronymo in latinum translata atque aucta, una cum Prosperi Aquitanici additamentis et Matthæi Palmerii Florentini supplemento ex illius libro *De temporibus* decerpto, usque ad annum MCCCCXLVIII, Mediolanensibus typis excusa, publici iuris fecit, huiusque editionis præclaram mentionem inseruit Venetis Ephemeridibus[3] auctor additamentorum ad Vossium, asserens tanta existimatione apud eruditos haberi ut eiusdem exemplaria tanquam præcipua ac perrara librariæ suppellectilis ornamenta ostendantur. Cetera quæ in instruendis edendisque alienis operibus præstitit Mombritius, in decursu huius historiæ suis annis designabuntur.

Publico in gymnasio delectum eum fuisse ad informandam eloquentiæ præceptis Mediolanensem iuventutem colligo ex funebri oratione quam Ludovicus Sangallus artis primariæ in amplissima Ticinensi Academia publicus interpres habuit in obitu *consummatissimi I. U. D. Petri Crassi;* in ea enim de iuvenilibus defuncti illius viri studiis loquens, ait : « Inter æquales et condiscipulos suos qui eo tempore sub disertissimis romanæ linguæ professoribus Francisco Philelpho, *Mombritio*, Cola Montano, Gabriele Pavero Fontana, et denique Francisco Puteolano merebant, palmarium abstulisse. » Hinc autem etiam tempus suscepti publici magisterii non obscure innotescit ; cum enim statim post Philelphum recenseatur, eidem successisse credi potest anno MCCCCLXXXI, quo Florentiam ille profectus itinere atque ætate confe-

[1] *Vitæ Pontificum*, tom. III, col. 197 (*Sa*). Augustinus Oldoinus S. I., biographus Perusinus, opus Alph. Ciacconii, *Vitæ et res gestæ Pontificum Romanorum et S. R. E. cardinalium*, primus Romæ, 1618, duobus tomis typis Vaticanis editum, *notis uberrimis* ditavit et *ad quatuor tomos produxit*, Romæ, 1677, in-folio.

[2] Ibidem (*Sanctus*). Cf. op. cit., col. 198.

[3] Tom. X, pag. 446 (*Sarius*).

ctus interiit; nec parva eiusdem gloria est, quod tam facundi et celebris viri subsellium proxime occupaverit . Certe inter disertissimos eloquentiæ interpretes, quibus Mediolanum tunc affluebat, connumeratum iam vidimus .

Petrus Candidus Decembrius vir celeberrimi nominis, latinaque ac græca eruditione præstantissimus, ut eius opera tum edita tum manuscripta testantur, ad Boninum Mombritium plures epistolas dedit, quæ manuscriptæ in Ambrosiana Bibliotheca asservantur . Ex iis autem elucet quanta opinione doctrinæ ac veneratione erga ipsum teneretur, cui labores calami sui, ut ab ipso emendarentur, committere non dubitabat; sic enim in prima Bonino inscripta epistola ipsum alloquitur : « Pergratum est mihi quod tam diligenter a nobis scripta in dies annotes, quod nihil inemendatum transire sinas etc. » In altera vero ad eundem hæc habet : « Magno tui teneor desiderio, Bonine mi, et cupio scire quid agas etc. utcumque nihil nisi virtute dignum te agere certe scio; sic enim eruditus es, sic a puero institutus, ut nihil nisi pium, nisi sanctum, nisi memoria et laude dignum possis cogitare etc. Perfeci nuper Vitam Beati Ambrosii, quam prius emendatam, ut videas mittam Reverendo Primicerio nostro, cui inscripta est, ut et tu inspicias, et mei memor sis, qui te unice diligo, Bonine mi, et a te diutius amari cupio . Vale . Ferrariæ, secundo Martii MCCCCLXVIII . » Huius epistolæ fragmentum eo libentius transcripsi, quod in eadem enunciatum opus Decembrii videam, nempe Vitam S. Ambrosii ab ipso conditam, quam in elencho operum eiusdem minime recensuit Lazarus Augustinus Cotta [1]. Primicerius autem de quo hic loquitur Decembrius, erat Franciscus de la Cruce Ordinarius ecclesiæ Metropolitanæ, et a Republica Mediolanensi anno MCCCCXLVIII ad *Lecturam extraordinariam Decretorum* designatus, stipendio CC florenorum, ut iam adnotavit Ioh. Sitonus de Scotia, antiquitatis peritissimus, in calce libri *De medicis Mediolanensibus,* a Bartholomæo Curtio [2] italice editi . Ad eundem Primicerium biennio ante epistolam dederat Decembrius, quæ tota circa Vitam S. Ambrosii a se conscribendam versatur, sicque incipit : « Reverende Pater . Vidi partem earum scripturarum quas optabam, et præ omnibus aperte deprehendo circa libros CLXX editos fuisse a B. Ambrosio, hymnos circa XXXVI, præfationes CLXXIV vel circa, quæ omnia breviter annotanda sunt, cum de studiis agetur etc. Deus mihi, ut spero, erit adiutor Confessoris sui laudes describenti. Qui primus Vitam eiusdem ad Augustinum misit, ut ex præfatione constat, rudis admodum mihi visus est, non stylo solum, sed ordine dicendi etc. Ecclesiastica historia aliquanto clarior et ornatior est in referendo, licet non multa contineat, utcumque profutura est . De miraculis vero explicandis, ad quem certius convertar ignoro etc. Si quid igitur aliunde sperare possimus, rogo cogitetis . Nascentur enim quotidie in corde vestro nova, nec etiam ipse defatigabor in quærendo, dum tempus suppetet; est quippe non paucorum dierum opus, si cum dignitate, et veritate, et Doctorum testimonio fieri debet. Remitto libellos duos ex vestris non ulterius necessarios, uni ex quibus in fine addidi præfationem olim per me editam Genuæ, in celebri Missa B. Ambrosii; item explicationem eius characteris de quo dubitare videmini, laudes relaturus et gratias paternitati vestræ de muneribus vestris cum licuerit, cui me commendo semper . Ex Laribus, III Novemb. MCCCCLXVI . » Vitam hanc cui elaborandæ duos ad minus annos impendisse Decembrium ex memoratis epistolis patet, una cum Primicerii scripturis deperditam esse iure conqueri possumus ac lugere .

Sed iam ad Mombritium redeo . Præter humaniores literas, latinam poesim coluit ac præcipue adamauit, relatus ideo inter claros illius sæculi vates a Lilio Gregorio Giraldo [3], et *poeta optimus* a Decembrio in memoratis epistolis appellatus. Nonnulla eiusdem poemata publicam lucem uidere : plura inedita esse, teste Labbeo [4], servat Bibliotheca Parisiensis, non secus ac Vaticana aliæque. De iis tantum quæ Ambrosiana custodit sermonem instituam . Extat non parvæ molis volumen a Mombritio

[1] *Museo Novarese,* pag. 252 (*Saxius*).

[2] Fol. 281 (*Saxius*).

[3] *De Poet*[*is*] *Dial*[*ogi*], p. fol. mihi 388 (*ita Saxius*).

[4] *Supplementum* 8 *Bibliothecæ manuscriptorum,* fol. 319, 325, 333 (*Saxius*). Designat auctor *Bibliothecam novam mss. librorum, sive Specimen antiquarum lectionum, etc.,* Paris, 1653, de qua supra.

elucubratum, quod duodecim carminum heroicorum libros complectitur, et *Momidos* inscribitur. Momum enim inducit denudantem ac carpentem vitia mulierum, laudibus subinde summis eas exornans quæ pudicitia et virtutibus præstant; qua in re se primum fuisse ait qui in hanc arenam descenderit, scribens paulo post initium :

Iam cœptum pergamus iter, laudemque bonarum,
Crimina cantemus totiens carpenda nocentum.
De maribus condunt non pauca volumina multi,
Vix est qui sexum velit intemptare minorem;
Primus ego, haud metuens, indico nocentibus arma,
Arma choros quæ sunt semper tutanda pudicos.

Cælibem vitam a Mombritio ductam, ea qui in huius poematis exordio scribit abunde testantur; hoc enim obiicit sibi :

Dic age, sed qualis, cum nullos passus amores
Virginibus debere nihil Venerique solebas?

Dicavit auctor opus suum Bonæ Sfortiæ, Galeatii Mariæ Mediolani Ducis uxori, eamque ab eximia virtute commendat, sicuti etiam Blancam Mariam, Francisci I Sfortiæ coniugem, eiusdem socrum, sub finem libri IX plurimum laudat, vitaque iam functam innuit. Hinc vero tempus eruitur quo elaboratum est hoc opus; cum enim Blancam Mariam vivis ereptam memoret, Galeatium vero adhuc viventem alloquatur, compertum fit, post annum sexagesimum octavum illius sæculi, quo Blanca obiit, et [ante] septuagesimum sextum, quo Galeaz Maria occisus fuit, esse conscriptum absolutumque.

Geminum item epithalamium latino carmine a Mombritio conditum servat Ambrosiana Bibliotheca, alterum in nuptiis Sfortiæ II cum Antonia Vermia, filia Ludovici seu Aloysii Vermii stirpe, clientelis, rebusque inclyte gestis ea ætate clarissimi; alterum in Tristani Vicecomitis connubiali celebritate acta Mediolani, cum Beatricem Estensem, Borsi Mutinæ Ducis sororem, in uxorem duxit. Uterque ex hisce principibus viris patrem habuerat Franciscum I Sfortiam Vicecomitem, Mediolani Ducem; primus vero Comitum *Sfortiarum de Burgo novo* progeniem instituit, secundus nobiles magistratus in patria gessit, Senatui quoque Mediolanensi adscriptus post Galeatii Mariæ violentam mortem, sed cito e vivis decessit, Beatrice Estensi vidua relicta. Quo anno nuptialia hæc carmina ediderit auctor, designari facile nequit. Factas Antoniæ Vermiæ nuptias eo tempore quo Aloysius pater, Placentia a Francisco I Sfortia occupata, in eiusdem partes concessit, Corius enarrat sub annum MCCCCXLVIII; sed easdem celebratas cum Franciscus I Sfortia *factus Ligurum monarcha* foret poeta noster canit, adeoque post annum MCCCCL. Extant apud Vermensem familiam, adhuc in hac urbe summo splendore florentem, publicæ tabulæ dotis exsolutæ Francisco Sfortiæ Duci Mediolani V Kal. Octobris anni MCCCCLI, in quibus Sfortia II Antoniæ maritus nuncupatur; quocirca paulo ante celebratas has nuptias secure statuere possumus. Non ita facile decernere licet de aliis initis cum Tristano Vicecomite, cui deponsatam quidem fuisse a Borso Estensi Beatricem sororem, peculiari mandato expedito anno MCCCCLIV, testatur Cl. Muratorius in secundo volumine *Antiquitatum Estensium*[1], sed annum quo Mediolanum ducta sit ad sponsum Tristanum minime adnotauit. Verum, cum inter opera Francisci Philelphi legatur oratio nuptialis ab ipso habita Ferrariæ VIII Idus Apriles, anno MCCCCLV, in celebratione nuptiarum Beatricis Estensis et Tristani Sfortiæ, per Lancellotum Mainum avunculum procuratorem, dubitari nequit quin hoc anno in urbem nostram advenerit. Certe splendida insignique pompa exceptam fuisse a Francisco Mediolani Duce, refert eleganti carminum descriptione Mombritius, qui tamen in utroque hoc poemate cognomen suum aliter scribit, *Boninum Montebretum* se appellans, nempe a loco in Insubribus non incelebri, in quo domum atque agros hereditario iure stirps sua possidebat, unde etiam cognomen accepit *de Montebretto*, et contractius *Mombritii* seu *Mombretti*.

[1] Fol. 213 [*Saxius*].

Græcæ etiam linguæ peritia instructissimum fuisse docet *Hesiodi Theogonia* hexametris versibus in latinum traducta, quæ typis impressa iamdiu prodiit in lucem . Alterum in Ambrosianæ Bibliothecæ scriniis huius rei monumentum latet, *Grammatica* nempe *græca* a Constantino Lascare[1] edita, quam Mombritius industri carmine lati[n]o donavit, dicavitque nobilissimæ puellæ Hippolytæ Sfortiæ vicecomiti, Capuæ Calabriæque Dominæ . Fuit hæc primogenita Francisci I Sfortiæ Ducis Mediolani, qui eam vix decennem, anno MCCCCLV, in uxorem spopondit Alphonso Aragonio, Ferdinandi filio, Duci Calabriæ, ad Neapolitanum regnum demum evecto . Interim in aula patris Hippolyta educabatur, una cum fratre Galeatio Maria, præclaræ indolis ingeniique specimen præbens in liberalibus studiis, sub præceptoribus e longinquo accitis ad eam latinis græcisque literis informandam . Est mihi domi codex in pergamena conscriptus, minioque et auro exornatus, qui Grammaticæ et Rhetoricæ præcepta a Baldo Martorello Picentino, facili et expedita methodo exposita complectitur, ut ipso docente excelsa hæc virgo eloquentiam edisceret . Tanta autem ingenii pernicitate literarium hoc stadium percurrit Hippolyta, ut de matris suæ, principis ac matronæ lectissimæ, virtutibus panegyricam orationem elucubraverit, et vix pubertatis fines egressa coram Pio II Pontifice Maximo Mantuæ degente peroraverit, admirantibus Cardinalium cœtu et ipso summo pastore, qui temperare non potuit quin ex tempore in has laudes erumperet : « Habuisti, dilecta filia, coram nobis orationem elegantem, tersam et magno oratore dignam . Admiramur te, ingenium et uirtutem tuam . Gaudeat mater tua præsens et pater tuus absens, qui te talem genuere parentes . Quod nos tantopere supra verum laudas, tuæ parentumque tuorum benivolentiæ ascribimus . Quod parentes ipsos parce laudasti tuæ modestiæ attribuimus . Quod autem nobis devoti sint, devotioni eorum nos et hi Venerabiles fratres nostri Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales semper respondebimus, et eam omni favore et benivolentia prosequemur . Tibi uero Deus benedicat, et nos benedicimus tibi . » Omnia hæc in Ambrosianæ Bibliothecæ codicibus manuscripta leguntur . De græci etiam idiomatis studio ab hac illustri puella suscepto testis est Mombritius, qui in nuncupatoria metrica epistola hæc habet :

Me modo sed quis iter cœptum pervadere iussit,
Atque novum sulcare nova mare compulit Argo?
Mens tua gymnasio græco quæ sæpe laborat,
Mentis et ingenuæ vires, ardorque colendi
Palladis antiquas venerandum nomen Athenas .

Imo profugum Constantinum Lascarim ab urbe Constantinopolis, sub Turcica tyrannide tunc gementis, exceptum fuisse a Francisco Sfortia patre, ac Mediolani detentum, ut filiæ votis obsecundaret, in decursu epistolæ narrat Mombritius, inquiens in hac urbe elaboratam a Lascare græcam grammaticam, atque Hippolytæ ab ipso fuisse dicatam . En Mombritii de hoc celebri uiro loquentis uerba :

Hic erat, Hippolyta, quem tu licet inscia quondam
Optabas; iustis faverunt sydera votis .
Huius apud te sunt primi commenta laboris,
Qui te adeo dignam vidit cui iure dicaret
Primitias, cuius vestigia pulchra secutus
Hoc ego, si pateris, te nunc donabo libello .
Quem neque si graium dici, nec forte latinum,
Virgo, putes, lingua tamen est confectus utraque .

Ex hoc postremo carmine manifestum fit hoc opus a Mombritio fuisse dicatum ante annum MCCCCLXV, quo Hippolyta ad maritum Alphonsum Calabriæ Ducem tra-

[1] De Constantino Lascare plurimum disseruit Saxius, col. CLXXX et seqq., ubi eius breve refert elogium a Mombritio conscriptum :

Te dedit ut nobis præceptor, Iuppiter, esses
Duxque novæ fieres ad græca volumina gentis.
Te duce consuluit sit ut his Academia terris,
Ne foret Actæo quo cederet Insuber orbi.

ducta est; virgo enim ab ipso appellatur, eamque adhuc Mediolani commorantem alloquitur.

Ceterum, licet Boninus noster nobili e stirpe prodiisset, ut docent publicæ tabulæ in Archivo nobilissimæ Archinteæ familiæ, quæ antiquos Mombritiæ domus agros possidet; attamen, communi quodam poetarum fato, cum egestate luctari debuit, ut ipsemet fatetur in *Dialogo* Musæ cum auctore, quem præmisit libello *Grammaticæ proxime relatæ*. Musa enim ita ad eum fatur :

Fama ferax et honestus honos maioraque cervis
Nomina, nominibus sæcla nec æqua tuis.
Sperandum est, veniet multo cum fœnore merces,
Perfer; habet qui scit, præmia, multa pati.

At ille repondet :

Fama ferax? dixisse ferox te, Diva, decebat,
Quæ mihi dat curas, quæ mihi demit opes.
Ecquis honos nobis per te memoratur honestus?
Non honor est nulla qui stipe fit, sed onus.
Quid prodest mea si cervos et sæcula vincant
Nomina, resque domi sit nimis arcta meæ?
Speravi, sperando gravis percussit egestas.
Spe sine perdo nihil, spe duce sumo nihil.

Neque tantum rei domesticæ inopia laborasse Mombritium, sed etiam fortunæ adversantis insolentia sæpius exagitatum, deiectumque in extremam pene oblivionem colligo ex epistola, quam Ascaleon Vallis præfixit *Bonini Mombritii poetæ Mediolanensis Trenodiæ, in funere Illustrissimi qu. D. D. Galeaz Mariæ Sfortiæ*, dum primo illam ederet typis Alexandri Minutiani, anno MDIV. In ea namque hæc habet : « Inspectum aliquando leviter Mombritii libellum forte proximis diebus retractavi. Varie, dum fuit in manibus, affectus sum. Ingenio curaque operis delectabar, recordatione autem eius vitæ fortunæque præcipue commovebar. Vir enim omnino piissimus et excultissimus, in omni fere vita perpetuis fortunæ plagis oblisus est. Ex quo quasi stupeo quanam mente illa poemata conciperet, quæ et Momidos libros duodecim, et Dominicæ Passionis sex, et de Fortuna decem absolvit. Quos si ocio abundans insignius exacturus fuit, doleo iusta illum ingenii æstimatione apud posteros carere. Sed hic me monuit cogitatio nondum ab iniuriis fortunæ tutum esse optimi vatis honorem, nam ut fœtum aliquem ea invita procreauit, sic eadem urgente non adeo difficile est aboleri. Fortasse enim hoc unum, quod asservabam, exemplar supererat. Quocirca (quod possem) ei subvenire animum induxi; plures enim sane casus effugiet, quo plura diversis in locis condita fuerint exemplaria, etc. »

Quo anno e vivis decesserit nemo hactenus, quem viderim, indicavit. Ducangius in præfatione *Glossarii mediæ et infimæ latinitatis*[1] censuit ad annum usque MCCCCXCVI vitam a Mombritio productam : ait enim illius cura tunc editum fuisse Venetiis *Papiæ Vocabularium*, sed citra verum; ignoravit enim vir doctissimus primam editionem huius Vocabularii quam, viginti ante Venetam annis, Mediolani Mombritius instruxit, suo in fronte impresso epigrammate ac nomine. Idem epigramma et nomen recudit typographus Venetus, ut videre licet in exemplari adhuc superstite in Bibliotheca Ambrosiana; inde vero error profluxit Ducangii, existimantis eam, quam antiquiorem putabat huius libri editionem, fuisse Venetiis a Mombritio curatam. Itaque, si coniecturis agenda res sit, censerem huius viri obitum statui posse anno octuagesimo secundo sæculi XV; id enim suadere videtur tum adventus in hanc urbem Georgii Merulæ, quem e Veneta urbe illo anno accersivit Ludovicus Sfortia Dux Mediolani, ut in publico gymnasio latinas græcasque literas doceret, superiore anno easdem profitente Mombritio Philelphi successore, ut superius innuimus; tum silentium in historiis librisque editis, non amplius Mombritii

[1] Num. XLIV novæ editionis, 1733 (*Saxius*); cf. ed. Didot, Paris, 1840, I, pag. 28.

nomen referentibus post illum annum, quæ omnia indicio esse possunt, calamitatibus et literariis laboribus consumptum eo tempore vivere desiisse .

IV

Ex Ios. A. Saxii *Catalogo Librorum*[1] *Mediolani editorum sæculo XV,* Historiæ literario-typographicæ annexo .

[1]. *Historiæ Augustæ Scriptores sex*[2], *Ælius Spartianus, Iulius Capitolinus, Ælius Lampridius, Vulcatius Gallicanus, Trebellius Pollio et Flavius Vopiscus, Mediolani,* 1465.

De Augustæ Historiæ scriptoribus fuse agit Albertus Fabritius in Bibliotheca latina, tom. I, pag. 546 et seqq. et tom. III, in Supplemento, pag. 85, edit. Hamburgi anni 1722, ubi tradit geminam Mediolanensem huius codicis impressionem, alteram anni 1465 et alteram decennio post, curatam fuisse a duobus literatis viris *Bonaccursio Pisano* et *Bonino Mombritio* . Claudius Salmasius in præfatione ad Commentarios suos in Historiam Augustam, describens hanc primam editionem Mediolanensem, ait ignotum sibi esse quis primus Auctores eiusdem in unum collegerit; quod certe ignorare non potuisset, si Mombritii seu Bonaccursii Pisani nomina uidisset, quibus adscribitur gemina hæc editio, ut refert Fabritius . Verisimile tamen est in ms. codice quo usi fuere memorati Mombritius et Bonaccursius, prædicta opera, aliorum cura, iam simul coaluisse, adeoque Salmasium loquutum fuisse non de curatoribus editionis, sed de primo auctore qui dispersa veterum Scriptorum monumenta in unum corpus redegerit.

[2]. *Pauli Veneti Summulæ*[3] *seu Logicæ Institutiones, in-4, per Christophorum Waldarfer, Mediolani,* 1474.

Caractere gothico, satis nitido, sine titulis, numeris paginarum, indice, etc. In calce legitur epigramma a Bonino Mombritio compactum, atque a me relatum in Historia literaria, ad hunc annum, in quo Christophorus Waldarfer typographus nominatur . Chronica nota subsequitur : *Anno Incarnationis Domini MCDLXXIV , die vero decima quarta mensis Decembris Mediolani impressum ...*

[3]. *Historiæ Augustæ Scriptores*[4], *in folio, per Philippum Lavaniam, Mediolani,* 1475 .

Caractere optimo, sine titulis, indice, etc. Præcedit epistola Bonaccursii Pisani ad magnificum Equitem auratum Cicchum Simonetam, quam dedimus fol. CCCCLVI . Sequitur Vita Svetonii ex Domitio Calderino, Xicco Polentone, cum Ausonii carminibus, etc. In calce : *Historiæ duodecim Cæsarum, Mediolani impressum per Magistrum Philippum de Lavagnia MCDLXXV, die XX Iulii ...*

[4]. *Papiæ Vocabularium*[5], *in folio magno, per Dominicum de Vespolate, Mediolani,* 1476 .

Extat in Chartusia Papiensi, caractere nitidissimo et optima charta. Præcedit epi-

[1] Cf. *Bibliotheca Scriptorum Mediolanensium,* I, DLIX-DCVIII.
[2] *Ibid.,* pag. DLIX et n. (a).
[3] *Ibid.,* pag. DLXI et n. (f).
[4] *Ibid.,* pag. DLXII et n. (q).
[5] *Ibid.,* pag. DLXV et n. (f).

stola Papiæ ad filios. Legitur etiam elegia quam Boninus Mombritius ad lectorem dirigit :

Quæris grammatico librorum quanta supellex
Sit satis? impensa quam sibi nemo paret .
Scire iuvat, nummi sed abest pulcherrimus orbis :
Est opus argento, qui didicisse velit :
Pro Iove tempus erit, visum sternentur ad aurum,
Et nummis homines oscula thusque dabunt;
Templaque constituent, ut sancta pecunia numen
Præcipuosque inter gaudeat esse deos .
Illa sed heu! tamquam lucem indignata, per umbras
Errat, et inducto vix tenet ora die .
Mens illi penitus terris excedere; quorsum
Effugiet? quæris . Nescio, sed fugiet .
Vel Iovis ætherii superas concedet ad arces,
Vel Iovis inferni tertia regna petet.
Nobiscum dum vivat adhuc, abituraque nondum,
Sarcinulas plena colligat illa fuga .
Inclyta si nequeant centuse volumina cogi,
Nec picturatos detur habere libros,
Non est quin saltem tenui tibi nummus in ære
Palleat, impressos, hoc age, carpe libros;
Quem vix transcriptum librarius asse dedisset,
Impressum, modicus sit tibi nummus, emes .
Qualia quæ Papiæ licet alta volumina cernis,
Confer : opus pretio dignius esse putes .
Dignius et tanto, quanto magis utile constet,
Vir minus est, cui non commodus ille venit .
Sive sacros Canones, sive civica tradere iura
Quis velit, hoc medio discere multa potest .
Multa vel hinc petitis medicam qui quæritis artem,
Quique fit orator, quique poesin amet .
Gratam materiam rerumque vocabula late
Exhibet, exhibitis non minus ordo placet, etc.

In calce : *Impressum Mediolani per Dominicum de Vespola, anno Domini MCCCCLXXVI, die XII mensis Decembris.*

V

Ex eiusdem Ios. A. Saxii *Catalogo Librorum*[1] *qui Mediolani sæculo XV impressi fuere, absque anni aut typographi aut loci nota .*

[1]. *Eusebii Chronicon*[2], *in-4 magno, per Philippum Lavaniam, sine loco et anno .*

Extat in Bibliotheca Ambrosiana, caractere romano nitidissimo, et ampla margine, absque numeris paginarum, etc. Curavit hanc editionem *Boninus Mombritius,* civis Mediolanensis, nobilitatis sanguinis clarus; ideoque dubitari nequit peractam fuisse in hac metropoli . Typographum indicavit ipsemet Mombritius in suo epigrammate, fronti huius codicis affixo, in hæc uerba :

Historias quicumque suo cum tempore quæris,
Hoc tibi non amplo codice, lector, habes .
Condidit *Eusebius* tecumque, *Hieronyme, Prosper;*
Matthæi pars est ultima *Palmerii* .

[1] *Bibliotheca Scriptorum Mediolanensium*, I, DCVIII-DCXV.
[2] *Ibid*., pag. DCVIII et n. (h).

Omnibus ut pateant, tabulis impressis ahenis
Utile *Lavania* gente *Philippus* opus;
Hactenus hoc toto rarum fuit orbe volumen,
Quod vix qui ferret tædia scriptor erat .
Nunc ope *Lavaniæ* numerosa volumina nostri,
Ære perexiguo qualibet urbe legunt .

Sequuntur alia duo epigrammata, a Mombritio pariter conscripta .

Qui cupit annosi prius abdita tempora mundi
Noscere : transcriptos hos emat ære libros .
Non calamo speret volucri, non condere penna,
Plurima qui temptet menda patere solet,
Seu sibi præscriptam servet non linea sedem,
Sive sua reges a statione cadant .
Semper in his eadem facies idemque libellis
Stat tenor, et proprios continet ordo locos .

Alterum.

Quidquid ab exortu mundique recentibus horis,
Pene sub hos gestum creditur esse dies .
Codicis ex huius certa ratione videbis;
Et stipe non multa, multa notanda feres .

Circa annum MCDLXXV editum fuisse celeberrimum hoc opus, vulgarior opinio est, cum Philippus Lavania nonnisi anno MCDLXXIII cœperit Mediolani libros excudere, ut in Prolegomenis docui, et inter primas Mombritii typographicas curas editio ista recenseatur .

[2]. *Bonini Mombritii*[1] *ad Sanctissimum D. D. Sixtum IV, Summum Pontificem, de Dominica Passione libri quinque, in-4, per Antonium Zarotum, sine anno .*

Extat in Bibliotheca Ambrosiana, caractere quadrato, nitido, absque numeris paginarum, etc. In calce : *Opus impressum Mediolani per Antonium Zarotum Parmensem* . Præcedit auctoris epigramma ad Sixtum IV :

Alter ab Insubribus liber, Optime Maxime præsul,
Te petit, hoc etiam pignus amoris habe .
Tu Franciscus eras, sacræ mirabile nomen
Ante crucis; vestis et crucis instar erat .
Nunc autem Petri cum sis successor et hæres,
Isque sui ligno more pependit heri,
Cur est quod timeam pendentem scribere Christum
Et cruce confixum multa nefanda pati?
Dedecus hæc olim, solisque latronibus apta,
Nunc regum mediis frontibus extat honos .
Ex hac nostra salus, veterisque redemptio culpæ,
Ex hac ad cæli sydera terra patet .
Annue, meque iube susceptum pergere munus;
Propositam Domini iam cano, Sixte, crucem .

Provecta iam ætate confectum fuisse hoc opus a Mombritio, docet initium latini Poematis, in hæc carmina :

Qui nimis absumpsi primos iuveniliter annos,
Et Cyrrham et Musas et vana vocabula, Phœbum
Inducens semper, nec iis aliquando quietus,
Omnia christicolæ forte inconcessa peregi;

[1] *Ibid.*, pag. DCIX et n. (i).

Sero commonitus studia in contraria volvor,
Meque mihi invideo; iuvat ad meliora redire,
Et iusto Musas odio Phæbumque loquacem
Sectari, tutoque illis indicere bellum, etc.

Quodnam esset opus illud quod memorat a se dicatum Sixto IV, in principio superioris epigrammatis, antequam alterum hoc ad illum transmitteret, divinare non valeo, cum nulla mihi occurrerit Mombritii lucubratio Summi illius Pontificis nomine signata. In fine adhitur eiusdem Poema de planctu Virginis, ac demum hæc nota : *Opus impressum Mediolani, per Antonium Zarotum Parmensem*.

[3]. *Caii Iulii Solini*[1], *de Mirabilibus mundi, in-4, sine anno, typographo et loco*.

Extat exemplar in Bibliotheca Ambrosiana, caractere rotundo, nitidissimo, absque numeris paginarum, præfatione, indice, etc. Editus fuit *Solinus* a Bonino Mombritio, et ab eo dicatus *Rev. in Christo Patri et Domino Antonio Trivultio, Iuris pontificii Doctori clarissimo, etc.*, excuso in fronte epigrammate, quod recitavi in Historia mea literaria, ad annum MCCCCLXXIV. Hanc editionem ibidem vocat Mombritius primitias sui laboris; quapropter opinari possumus circa illum annum in lucem prodiisse. Sequitur brevis elegia eiusdem, de laudibus Solini :

Bonini Mombritii ad eumdem D. Antonium Triulcium
in C. Iulium Solinum de Mirabilibus mundi
Præfatio.

Dulcis et eloquio brevis est Solinus aperto,
Quem legis, et dignus nam fuit ille legi.
Omnibus ostendit totum cum gentibus orbem,
Et quæ sint paucis cognita, multa docet.
Oppida, lustra, viros, gemmas et flumina monstrat,
Et quicquid mirum terra vel æquor habet,
Si cupis, *Antoni*, cunctarum ludicra rerum,
Parvi de specula disce patente libri
Hoc duce lustrandi parces nam sumptibus orbis,
Nec metues longæ certa pericla viæ.
Tutus ab impensa longoque labore videbis
Protinus ingenti quicquid in orbe iacet.
Maxime, quo plus hæc quam te fore digna, *Triulci*,
Crediderim, meritis sæpe vocande tuis.
Occurrunt multi quibus ocia nostra petuntur,
Mombritiaque parent nomen habere lyra.
Nemo, quod in populo famam se speret habere,
Digna licet divo Cæsare bella gerit;
Æmula lunari vel comparet oppida cælo,
Aut titulis magnum vincat, et ære Mydam :
Si non ipse sibi famam scribendo pararit,
Aut habeat pro se quæ memoranda canat.
Parcite; debetis scriptoribus omnia, reges,
Et quæcumque supra nomina vulgus habet.
Tu simul his famam, pylios sperabis et annos,
Versibus et disces non moriendo mori.
Contemptas aliis dextro quod lumine Musas
Prospicis, et dignus dignas honore foves.

[4]. *Hesiodi Ascræi poetæ Georgicon*[2], *a Nicolao de Valle e græco in latinum conversum, cum Theogonia a Bonino Mombritio in heroicum carmen traducta, in-4, sine loco, anno et typographo*.

Servatur iste codex in Bibliotheca Ambrosiana, caractere crassiori sed pulchro, absque titulis, numeris paginarum, etc.

[1] *Bibliotheca Scriptorum Mediolanensium*, I, pag. DCIX et n. (k).
[2] *Ibid.* et n. (l).

[5]. *Vitæ Sanctorum*[1] *a Bonino Mombritio collectæ, et alphabetice digestæ, volumina II, in folio prægrandi, sine anno, typographo et loco .*

Extant in Bibliotheca Ambrosiana, romano optimo caractere . Præcedit epigramma ad Magnificum Virum splendidissimumque Equitem auratum, Cichum Simonettam, Illustr. et Excels . Ducum Mediolani Secretarium .

Ciche, salus regum[2]. . . . . .

Ex hisce carminibus tempus eruitur quo peracta est Mediolani omnium ore celebrata hæc editio, nempe illud quod intercessit tutelam Iohannis Galeatii a Cicho susceptam et annum MCCCCLXXX, quo miserrime Cichus obiit, manu carnificis . De iniusta indignaque hac cæde aliqua adnotavi in Historia mea literaria, ad annum MCCCCLXXV . Præcedit tabula alphabetica Sanctorum quorum Vitæ in primo volumine describuntur[3] : altera enim tabula sequenti præfigitur, indicatis ubique numeris romanis paginarum, qui tamen ad earundem marginem minime impressi sunt . Post relatum superius epigramma, sequitur eiusdem Mombritii brevis elegia :

Quæris in hoc, quæ sit farrago[4] . . . . .

Cum Bibliothecas perlustrarem, aliqua mihi occurrerunt huius operis exemplaria, raritate sua maximo in pretio habita; verum animadverti ferme in omnibus deesse columnam unam, quæ claudit *Vitam Sancti Nichasii* et sororis eius *Eutropiæ;* in paucis vero eandem inveni, caractere eodem antiquo excusam[5]. Inter hæc postrema, illud Bibliothecæ Ambrosianæ de integritate gloriari potest . Consideranti autem mihi qua de causa evenerit ut alia exemplaria manca essent, alia integra, nullam verisimiliorem censui, nisi quod typographi sero admoniti de errore ab ipsis per oscitantiam commisso, in reliquis, quæ adhuc venalia supererant, illum emendaverint paginam omissam imprimendo ... In calce nostræ editionis, ante Vitam sanctæ Monicæ, extra ordinem alphabeticum ibidem positam, legitur sequens epigramma Bonini Mombritii ad eundem Cichum Simonettam, quod, ne longiori carminis descriptione lectori molestus fierem, passim contraxi :

Parcite compositis[6] . . . . . .

VI

Ex Ph. Argelati *Bibliotheca Scriptorum Mediolanensium*[7].

Gens Mombritia, sive Mombreta et Montebreta quandoquidem appellata, floruit in hac urbe ab anno christiano MCCCLXV usque ad MCCCCLXXXIV, ut agnovi a serie

[1] *Ibid.*, pag. DCX et n. (m).

[2] Vide infra, pag. 10.

[3] Utraque tabula revera, primi scilicet et alterius voluminis, præfigitur tomo primo, sed secunda initio tomi secundi iteratur.

[4] Vide infra, pag. 10. Unam aut alteram variam lectionem huius elegiæ in textu Saxii annotare iuvat : pro linea 28 dictæ paginæ nostræ editionis, sic legit ille :

Pabula, vincentes et mellimella dapes?

Ibidem, linea 46, habet ut Mombritius : martyras. Denique, pag. 11, linea prima :

Delicias quibus et opes tempsisse caducas.

[5] Istam columnam suppletam habemus ex exemplari Bibliothecæ Regiæ Monacensis, unde textum recepimus, charactere equidem *antiquo*, sed non *eodem* neque eiusdem pulchritudinis ac reliquum Sanctuarii.

[6] Cf. infra, tom. II, in fine textuum Mombritianorum.

[7] Tom. II, col. 939-941.

genealogica amicissimi Sitoni a Princivallo de Mombreto incipiente, usque ad Boninum nostrum, Bartholomæi sive Bartholæ filium, qui anno MCCCCLXX, cum aliis incolis nobilibus Portæ Ticinensis fidelitatem iuravit Galeacio Mariæ Sfortiæ Mediolani Duci. De ipso plures historici litterarii loquuti sunt, quos inter est clarissimus Oudinus, in tom. III *de Scriptoribus Ecclesiæ antiquis*. Ad comprobandam ætatem Mombritii nostri sub typographiæ nascentis initium, testem ipse affert Antonium Faurum doctorem Sorbonicum et Caroli Mauritii Tellerii in archiepiscopatu Rhemensi generalem Vicarium, eique vindicat *Catalogum Bibliothecæ* eiusdem Præsulis, Parisiis impressum typis Regiis, anno 1643, in-fol. Eidem Catalogo ultimam manum, post mortem Antonii Fauri, Nicolaus Clemens Regiæ Bibliothecæ custos adiecit et edendum curauit. Ex ipso igitur Catalogo Oudinus editionem *Vitarum Sanctorum* a Bonino nostro susceptam, in annum MCCCCLXXXII figit, eundemque facit Petro de Natalibus synchronum, sed revera nulla anni indicatio repertur in editione supradicti operis, quæ unica fuit tantum Mediolani, nec hic aut alibi recusum fuit hoc opus, ut suspicatur idem cl. Oudinus [1]. Parcendum interea non est Philippo Picinello, qui et nomen Bonini Mombritii in Ioannem Mombretum mutavit, et perperam ex uno duos fecit auctores, atque annum editionis *Vitarum Sanctorum* pessime, ex Moriggia, signavit in annum MCCCCLIII; quo anno nondum, ut opinamur, orta fuerat ars typographica Mediolani. Nos vero ex epistolis doctissimi Candidi Decembrii auctori nostro scriptis, facile agnovimus, iam in litteris eruditum extitisse anno MCCCCLX. Ludovicus item Sangallus, Artis primariæ in amplissimo Ticinensi gymnasio interpres, eum vocat disertissimum romanæ linguæ professorem, in oratione habita pro I. U. D. Petro Crasso. Ex aliis operibus a nobis infra recensendis, poeta quoque primi nominis suæ ætatis merito agnoscitur et linguæ græcæ peritissimus. Sed cum de ipso abunde clarissimus Saxius in sua *Historia typographica* disserat, nos contenti sumus lectores ad eam remittere. Quo tempore obierit incertum est; extremam vero diem clausisse antequam sæculum XV impleretur, innuit epistola Alexandri Minutiani præfixa Epicedio heroico carmine condito, in funere Galeacii Mariæ Sfortiæ, ut infra, in qua de variis eiusdem vitæ vicibus atque operibus ab ipso elaboratis, tanquam si e vivis ereptus iam foret, disseritur : data est autem epistola anno MDII. Nos interim enuntiamus lucubrationes ipsius, quas vidimus.

Videlicet [2] :

I. *Vitæ et Acta Sanctorum* collecta et edita per Boninum Mombritium Mediolanensem, cum hac inscriptione : « Honestissimo Equiti Cicho Simonetæ Ducum Mediolanensium Secretario ». Ipsas ego inspexi variis in bibliothecis manuscriptas in pergameno, ab editis diversas, et signanter in Bibliotheca Eremitarum S. Marci huius urbis extat volumen ingens *Vitas Sanctorum* continens, sub nomine Mombritii, ordine diverso dispositas, mutatis pluribus quoque verbis. Incipit a sancto Martino episcopo, deinde sequitur ut infra : « Passio sancti Romani sacerdotis et martyris, Clementis martyris et episcopi, Andreæ apostoli, Nicolai episcopi et confessoris, sancti Ambrosii episcopi et confessoris Vita, impressa longior ». Sequitur Vita sancti Georgii martyris, quæ deest in impressis. Habentur aliorum Vitæ, inter quos sancti Syri episcopi Ticinensis satis longa. Codex videtur auctographus, aut saltem sæculo Mombritii conscriptus.

II. *Scriptores Historiæ Augustæ* edidit Mediolani, ut varii contendunt, anno 1465, sed Fabricius in tomo V *Bibliothecæ latinæ Medii ævi* [3] credit verius 1475 typis commissos. De hac re fusius cl. Saxius in *Historia typographica*.

[1] Immerito plane Oudinum arguit Argelatus quod in annum 1482 editionem *Sanctuarii* fixerit : hoc asserit revera laudatus auctor de *Catalogo Sanctorum* Petri Equilini, sed de *Vitis Sanctorum* Mombritii, scribit propriis verbis eas « sub nascentis typographiæ initium, Mediolani vel alibi prodiisse, inter annum 1470 et 1480 ». Cf. supra, pag. XIII.

[2] De his quæ sequuntur fuse disseruit Saxius in art. præcedenti; ex quo, paucis exceptis, omnia accepit Argelatus.

[3] Minus accurate scribit auctor : *Bibliothecæ latinæ medii ævi* pro : *Bibliothecæ latinæ mediæ et infimæ latinitatis*.

III. *Chronicon Eusebii, Hieronymi, Prosperi et Matthæi Palmerii* usque ad annum MCCCCXLVIII, Mediolani, 1475, in-fol.

IV. *Papiæ Glossarium*, Mediolani, 1476, die 12 Decembris; quod magno usui fuit celeberrimo Ducange in texendo suo *Glossario latino*, ut scripsit cl. Muratorius in tomo III *Antiquitatum Italiæ Medii ævi*, col. 913 .

V. *Bonini Mombritii poetæ Mediolanensis Threnodiæ in funere Illustrissimi quondam Domini Don Galeaz Mariæ Sfortiæ* libri duo . Mediolani, apud Alexandrum Minutianum, 1504, die 2 Martii, in-4 .

VI. *Hesiodi Theogonia e græco in latinos versus translata :* extat in Bibliotheca Ambrosiana, impressa sine loco, anno et typographo, in-4 . Editam quoque asserit Basileæ apud Oporinum, Draudius in *Bibliotheca classica*[1], Ioannes Iacobus Frisius in sua *Bibliotheca* et Giraldus in libro I *de Poetis* .

In supradictis editionibus sunt uariæ epistolæ, præfationes et epigrammata Mombritii nostri, de quibus diligentissime atque erudite loquitur cl. Saxius .

Sequuntur manuscriptis titulis a nobis inspectis, ut iacent :

VII. *Ad Magnanimum et Potentem D. D. Sfortiam II Vicecomitem, de eius coniugio glorioso cum Antonia Ludovici Vermii filia, epitalamion Bonini Montebreti* (Mombritii), ex parvo codice manuscripto vetere charactere exarato, existente in Bibliotheca Ambrosiana, num. 145, versu hexametro .

VIII. *Ad Illustrem et Excelsam Hippolytam Vicecomitem, principem Capuæ Calabriæque Ducissam, Bonini Mombritii Canonum in Grammatica Græcorum liber primus* . Opus versibus est conscriptum . Ms. in Bibliotheca Ambrosiana, in-4, pagg. 75, num. 264, forsan auctographus .

IX. *Ad Magnanimum et Potentem D. Tristanum Vicecomitem, de eius nuptialibus festis Mombreti Carmen* . Ms. pagg. 17, in codice Bibliothecæ Ambrosianæ signato C, num. 42, in-4 et in Bibliotheca Regia Parisiensi, cod. 1502 .

X. *Ad Illustrissimam Excellentissimamque D. Bonam Mediolani Ducem Momidos libri XII, Bonini Mombritii poema.* In fine sic legitur :

> Sex ego codicibus morosas damno puellas,
> Moratas totidem quas cano, lector, habes .

Ms. in-fol. forsan auctographus, pagg. 416, in Bibliotheca Ambrosiana signato G, num. 113 .

XI. *De varietate fortunæ* . Ms. in Bibliotheca Francisci I Regis christianissimi, de quo Saxius et Iacobus Bergomensis in *Supplemento Chronicorum*, libro XV .

XII. *Mombritii Mediolanensis de vita D. Hieronymi Carmen* . Ms. in Vaticana, cod. 3722; ex Montfaucon, *Bibliotheca Bibliothecarum manuscriptorum*, tom. I, p. 110 .

XIII. *Buccolica ad Galeatium Mariam Vicecomitem* . Extat in Bibliotheca Regia Parisiensi, cod. 669; ex Labbei *Bibliotheca manuscriptorum* .

XIV. *Bonini Mombritii Mediolanensis ad Sanctiss. Dominum Sixtum IV Summum Pontificem de Dominica passione libri VI*, carminibus hexametris . Ms. in-fol. extat in Bibliotheca fratrum Augustinianensium Cremæ .

[1] Georgius Draudius, *Bibliotheca classica*, Francofurti, 1611, 3 tom. in-4.

XV. In codice manuscripto *Epigrammatum iuvenilium* et *Epistolarum* Petri Candidi Decembrii, qui inscribitur Volumen vigesimum primum, apud PP. Theatinos D. Antonii Mediolani, extant plura carmina Bonini Mombritii ad Petrum Candidum Decembrium, cum pluribus eiusdem ad Boninum .

De eo præter citatos agunt Bollandisti, Sitonus in *Schedis*, Moriggia in libro III *Nobilitatis Mediolanensis*, cap. XXVII, Sixtus Senensis in *Bibliotheca sacra*, Conradus Gesnerus in appendice *Bibliothecæ* et Picinellus in *Athenæa*, pagg. 96 et 312 .

Addenda [1] ad articulum MCXXXII.

[Boninus Mombritius] natus est Mediolani, anno MCCCCXXIV, teste Donato Bossio [2] in *Chronica Mediolanensi*, ad eundem annum, pag. 258 .

XVI. Carmen latinum : Extat ad calcem *Summularum* Pauli Veneti, cuius editionem Mediolani, apud Waldarfer, anno 1474, curavit Mombritius noster . Vide clar. Saxium, in *Historia typographica* [3] .

XVII. Aliud simile . Extat in fronte Iulii Solini, *De mirabilibus mundi* . Hunc librum edi curavit Mombritius, reticens locum, annum et typographi nomen, ipsumque Antonio Trivultio Iuris pontificii doctori clarissimo, postea Cardinali, ut in eiusdem articulo nuncupavit, carmine latino supra indicato . Vide Saxium loco citato [4].

XVIII. Epistolæ ad P. Candidum Decembrium citantur a clar. Saxio in *Historia typographica*, col. CCCII, ad calcem [5].

XIX. *Poema de planctu Virginis* . Extat ad calcem libri *de Dominica passione*, editi par Antonium Zarotum, sine anno, Mediolani . Vide Saxium, pag. DCIX [6].

XX. Tria epigrammata extant in fronte *Chronici Eusebii*, Mediolani editi per Philippum Lavaniam . Vide Saxium, pag. DCVIII [7].

XXI. Elegiolæ tres leguntur in opere de *Vitis Sanctorum*, una ad lectorem, aliæ duæ ad Cichum Simonettam, cui librum dedicavit . Vide Saxium, pag. DCX [8].

Epistolas plures ad Boninum Mombritium dedit uir doctissimus Petrus Candidus Decembrius, ut supra, quæ manuscriptæ reperiuntur in codicibus Ambrosianis, uti monet cl. Saxius in dicta sua *Typographica* [*historia*] [9].

[1] *Bibliotheca Scriptorum Mediolanensium*, II, col. 2008.

[2] Bossius Donatus, *Gestorum dictorumque memorabilium, temporum ac conditionum et mutationum humanarum ab orbis initio ad nostra tempora*, Mediolani, 1492, in-folio.

[3] Cf. supra, pag. XV, XXI.

[4] Cf. pag. XVI, XXIV.

[5] Cf. pag. XVII. Epistolam aliam Bonini Mombritii memorat Anton-Francesco Frisi, *Memorie storiche di Monza e sua corte*, III, in Appendice : *Delle edizioni del secolo* XV, *conservate nella Biblioteca Monzese*, his verbis : « XII. *La Tebaide di Publio Papinio Stazio libri XII*. Volume con catena, in-folio, segnato L. Precede all' opera una lettera di Bonino Mombrizio Milanese, professore d'Eloquenza in patria nel 1481, a Bartolomeo Calco Ducale segretario. Edizione ignota anche al Sassi, e verosimilmente seguita in Milano nel 1472 ».

[6] Cf. pag. XXIII.

[7] Cf. pag. XVI, XXII.

[8] Leguntur elegiæ infra pag. 10 et tom. II, ad calcem textus Mombritiani.

[9] Cf. supra, pag. XVII. De Petro Candidio Decembrio disserit Saxius pag. 291-306.

Ei dicavit Gaspar Lampugnanus [1] librum Svetonii Tranquilli *De viris illustribus*, Mediolani editum, de quo vide Saxium, col. DXLII .

De eo Scaliger, lib. VI *De arte poetica*, pag. 770, hæc habet : « Mombritius generosioribus utitur dicendi legibus ; et cum multa admittat, constat sibi tamen, neque deiicitur de animi contentione . »

[1] Refert eo loco Saxius epistolam dedicatoriam Gaspari Lampugnani, qui vocat Mombritium « virum eruditissimum ac in omni genere litterarum consummatissimum », sic denique eum alloquens : « Idque abs te, vir consummatissime, supplex peto, me pro tua singulari mansuetudine venia dignum existimes, si de tua eximia laude summaque virtute conticuerim; quæ quidem tanta est, nam pro tua excellenti virtute inter cæteros poetas hac ætate fulges, velut inter ignes micat luna minores, librorum amplitudine a te magnifice editorum, ut disertissimus quisque grave sibi atque perarduum onus impositum censeret, si eas litterarum monumentis, ut iam par esset, tradere cogeretur... »

Qui per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones, obturaverunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladii, convaluerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum : acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos. Alii autem distenti sunt non suscipientes redemptionem, ut meliorem invenirent resurrectionem. Alii vero ludibria et verbera experti, insuper et vincula et carceres : lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt : circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti : quibus dignus non erat mundus : in solitudinibus errantes, in montibus et speluncis et in cavernis terræ. Et hi omnes testimonio fidei probati... acceperunt repromissionem.

HEBR., XI, 33-39.

TABVLA IN SEQVENS SANCTVARIVM

Abundius confessor et episcopus comensis folio primo .
Abundius et Carpophorus martyres fo . iiii .
Abachuch require in sancto Mario .
Abdon et Sennes martyres fo . vi .
Achatius martyr fo . vi .
Achileus martyr require in sancto Nereo .
Adrianus martyr cum aliis triginta tribus fo . vii .
Aduentor Octauius et Solutor martyres fo . xii .
Aphra et Hilaria cum Sociis mar. fo . xii .
Agapetus martyr fo . xiii† .
Agapetus alius martyr require in Xisto .
Agape martyr require in sancto Chrysogono .
Agapetus papa fo . xxiiii .
Agatha uirgo et martyr fo . xvi .
Agnes uirgo et martyr fo . xviii .
Agricola martyr require in sancto Vitali .
Alexander Euentius Theodulus et Hermes martyres fo . xx .
Alexander cum Sisinio et martyrio require in sancto Sisinio .
Alexander martyr fo . xxiiii .
Alexius confessor fo . xxiii .
Ambrosius episcopus mediolanensis fo . xxv .
Amelius et Amycus martyres fo . xxxi .
Altinus martyr require in sancto Sauiniano .
Albanus martyr fo . xxxiii .
Amantius martyr require in sancto Gethulio .
Anastasius monachus et martyr fo . xxxiii .
Anastasia martyr require in sancto Chrysogono .
Antoninus martyr fo . xxxiii .
Antonius abbas et heremita in fo . xxxviii .
Antonius martyr require in sancto Eusebio .
Antonius confessor ordinis minorum fo . lii .
Andreas apostolus fo . lv .
Antiochena quædam uirgo fo . lvii .
Augustinus episcopus et confessor fo . lviii .
Apollinaris episcopus Rauennas et martyr fo . lxii .
Artemius martyr require in sanctis Marcellino et Petro .
Arnulfus episcopus Metensium fo . lxv .
Audactus require in sancto Felice .
Audiphax et Abachuch require in sancto Mario .
Albinus episcopus require in sanctis Amelio et Amyco martyribus . |

Babyllas episcopus et martyr cum tribus pueris fo . lxviii .
Bacchus martyr require in sancto Sergio .
Blandino† martyr require in sancto Pontico .
Barnabas apostolus fo . lxviiii .
Barbara uirgo et martyr fo . lxxiiii .
Bartolomæus apostolus fo . lxxvi .
Basilius abbas et confessor fo . lxxii .
Basianus episcopus laudensis et confessor fo . lxxviii .
Blastus† episcopus et martyr fo . lxxxi .
Basila Prothus et Hiacynthus martyres fo . cxl .

Basilides martyr fo . lxxxiii .
Beatrix martyr require in sancto Simplicio .
Benedictus Abbas fo . lxxxv .
Bernadus† abbas fo . lxxxvi .
Benignus presbyter fo . cxlvii .
Britius episcopus et confessor fo . lxxxv .
Brigida uirgo fo . cxliiii .
Bobo Viqueriensis fo . cxl .
Bonefacius martyr et Aglae fo . cxlvi .
Bonus martyr require in sancto Sthephano papa .

Calocerus martyr fo . cxlviii .
Calimerus episcopus mediolanensis et martyr require in Faustino et Iouita .
Calistus papa et martyr fo . cl .
Carpophorus martyr require in sancto Abundio martyre .
Calumniosus martyr require in sancto Stephano papa .
Candida martyr require in sanctis Marcellino et Petro martyribus .
Cancius Cancianus et Cancianilla martyres fo . clvi .
Clara uirgo fo . clxv .
Casianus martyr fo . clvii .
Casius et Florentius martyres cum sociis eorum et Gerontius martyr cum sociis fo . ccxviii .
Castulus martyr require in sancto Sebastiano .
Cathedra sancti petri fo . clviii .
Caterina uirgo et martyr fo . clx .
Caterina uirgo de Senis fo . clxviii .
Claudius Nicostratus Symphorianus Castor† et Simplicius fo . clxii .
Claudius alter et Castorius martyres require in sancto Sebastiano .
Caurianus martyr fo . ccxv .
Cecilia uirgo et martyr fo . clxxxviii . ||
Celsus martyr require in sancto Naazrio† .
Celsus romanus et alii consortes martyres fo . ccxvi .
Clæmens papa et martyr fo . clxxxxiii .
Cæsarius martyr fo . clxxxxv .
Crescentianus martyr require in sancto Marcello papa .
Censurinus martyr cum sociis fo . clxxxxvii .
Cerealis martyr require in sancto Gethulio .
Cyprianus martyr fo . clxxxxviii .
Crispinus et Crispinianus martyres fo . clxxxxviiii .
Chrysantus et Daria martyres fo . cli .
Chrysotheles martyr require in sancto Polocronio .
Cyriacus martyr fo . ccxvi .
Cyrilla martyr require in sancto Hippolito .
Chrisogonus Anastasia Agape Crysonia Irene et Theodota martyres fo . cc .
Chrysonia require supra in Chrysogono .
Christina uirgo et martyr fo . cciii .
Christophorus martyr fo . ccv .
Columbanus abbas fo . ccvii .
Columba martyr fo . ccviii .
Clodoaldus presbyter fo . ccviiii .
Concordius martyr fo . ccx .
Concordia martyr require in Hippolyto .
Cornelius papa fo . ccx .
Cosmas et Damianus fo . ccx .
Cucuphatus et Felix martyres fo . clxxxxviiii .
Crucis inuentio fo . ccxii .
Crucis exaltatio fo . ccxiii .
Crucifixi ad decem millia militum fo . ccxiiii .

Dacius episcopus mediolanensis fo . ccxviiii .
Damianus martyr require in sancto Cosma .
Decoratus diaconus martyr require in sancta Sophia .
Dedicatio Basilicæ sancti Michaelis archangeli fo . ccxviiii .
Demetrius thessalonicensis martyr fo . ccxx .
Desyderius episcopus et martyr fo . ccxx .
Dionysius Rusticus et Eleutherius martyres fo . ccxxi .
Donatus episcopus et confessor fo . ccxxxii .
Donatus episcopus et martyr fo . ccxxxiiii .
Domninus martyr fo . ccxxxv .
Domitila Euphrosyna et Theodora uirgines et martyres cum Sulpicio et seruiliano martyribus fo . ccxxxviii .
Donatianus et Rogatianus martyres fo . ccxli . |
Donatilla et Secunda uirgines et martyres require in sancto Maximo† .
Dominicus confessor et ordinis prædicatorum institutor fo . ccxli .
Dorothea uirgo et martyr fo . ccxlviiii .
Dorotheus thebæus fo . ccxviiii .

Edualdus martyr require in sancto Sauiniano .
Elimias martyr require in sancto Polochronio .
Erasmus martyr fo . cclxx† .
Eugenia Prothus et Hiacynthus martyres fo . ccl† .
Eleutherius episcopus et martyr fo . ccl .
Elisabet filia regis Hunniæ uulgo ungariæ fo . cclxvii .
Euplus leuita et martyr fo . cclii .
Eulalia uirgo et martyr fo . ccl† .
Eusebius martyr cum sociis fo . ccliii .
Euphrosyna uirgo et martyr fo . cclii .
Euphrosyna altera martyr require in sancta Domitila .
Euphemia uirgo et martyr fo . cclv .
Euprepius martyr require in sancto Cosma .
Eusebius presbyter fo . cclviii .
Eusebius confessor et episcopus Vercelensis fo . cclviii .
Eugenius episcopus fo . ccxli† .
Eustachius et filii martyres fo . cclxii .
Euchario† martyr require in sancto Trophinio† martyre .
Eutices martyr require in sanctis Nereo et Achileo martyiribus† .
Eustorgius episcopus et confessor fo . cclxvi .
Exuperantius martyr require in sancto Sauino martyre .
Exuperantius alius martyr require in sancto Stephano papa .
Exuperia martyr require in sancto Stephano papa .
Exanthus martyr requirē in sancto Fideli .

Fabianus papa et martyr fo . cclxxxxvii .
Flaccus martyr require in sancto Terentiano .
Flauianus et Fausta cum sanctis uirginibus Daphrosina et Bibiana martyribus fo . cclxxxxiiii† .
Franciscus confessor ordinisque fratrum minorum institutor fo . cclxxv .
Fausta martyr fo . cclxxxxvii .
Faustinus martyr require in sancto Calocero . ||
Faustinus alter martyr require in sancto Simplicio martyre .
Faustus martyr require in sancto Stephano papa .
Febronia uirgo et martyr fo . cclxxxxviii .
Felix presbyter Nolanus fo . cccii .
Felix pontifex et martyr fo . cccvi .
Felix et Audactus martyres fo . cccvii.
Felicianus martyr require in sancto Primo.
Felix et Fortunatus martyres fo . cccv .

Felix alius martyr require in sancto Nabore .
Felicitas cum septem eius filiabus† martyribus fo . cccvi .
Felicula martyr require in sancta Petronila .
Florianus martyr fo . cccv .
Flocellus martyr fo . cccvi .
Fructuosus Augurius et Eugolius† martyres fo . cccvii .
Fidelis Fxanthus† et Carpophorus martyres fo . cccviii .
Firmus et Rusticus martyres fo . ccciii .
Fulgentius Ruspensis episcopus fo . cccviiii .
Fuscianus et Victoria† martyres fo . cccx .
Felix tubizacensus† et Petrus Aulanus episcopus fo . cccx .
Fides uirgo et Caprasius martyres fo . cccx .
Fortunatus martyr require in Hermagora .
Fortunatus alter require in Felice martyre .

Gallus abbas fo . cccxi.
Gallicanus Hillarinus ac Iohannes et Paulus martyres fo . cccxvii .
Galdinus episcopus mediolanensis fo . cccxii .
Gauinius martyr require in sancto Saturnino .
Gaudentius episcopus Nouariensis fo . cccxiiii .
Gentianus et Victoria† martyres fo . cccxl .
Germanus episcopus antisiodorensis fo . cccxviiii .
Germanus episcopus capuensis fo . cccxxv .
Germani duo martyres fo . cccxli .
Gethulius Amantius et primitiuus martyres fo . cccxxvii .
Gregorius papa fo . cccxxviii .
Gregorius martyr require in sancto Eusebio presbitero .
Gregorius nazanzenus fo . cccxl .
Gregorius spoletanus presbiter et martyr fo . cccxli .
Gregorius lingonensis episcopus fo . cccxxxii .
Genesius martyr fo . cccxxxiii . |
Genesius arelatensis martyr fo . cccxli .
Geminianus episcopus et confessor cccxxxiii .
Gordianus et Epimachus martyres fo . cccxxxvi .
Geruasius et Prothasius mediolanenses martyres fo . cccxxxvii .
Guinifortus martyr fo . cccxxxviii .
Guiniboldus martyr require in sancto Guiniforto .
Gorgonius et Dorotheus martyres fo . cccxl.

TABVLA SECVNDI VOLVMINIS

Hermes martyr fo . i .
Hermes alter martyr require in sancto Hippolito .
Herculanus episcopus fo . i .
Hermagoras et Fortunatus martyres fo . i .
Hermolaus martyr require in sancto Pantaleone .
Hermitius martyr require in sancto Pantaleone .
Hermocrates martyr require in sancto Pantaleone .
Hilarius episcopus et confessor fo . iiii .
Hilarion monachus et heremita fo . vii .
Hiacintus leuita et martyr fo . xiii. .
Hippolitus martyr fo . xiiii .
Hieronimus presbyter et confessor fo . xv .
Honoratus martyr require in sancto Stephano papa .

Iacobus apostolus fo . xviii .
Iacobus apostolus filius Zebedei fo . xviii .

Iacobus nisibenus episcopus et martyr fo . xlviiii .
Iacobus intercisus martyr fo . xx .
Ianuuarius† beneuentanus episcopus et martyr fo . xlvii .
Ianuarius alter martyr require in sancto Saturnino .
Ignatius episcopus et martyr fo . xxiii .
Iohannis baptiste capitis inuentio fo . xxiii .
Innocentius dertonensis episcopus fo . xxvii .
Iuentius episcopus require in sancto Syro .
Iohannes apostolus et euangelista fo . xxviiii .
Iohannes confessor panariensis fo . xxxii .
Iohannes Chrysostomus fo . xxxiii .
Iohannes et Paulus martyres require in sanctis Gallicano et Hilarino martyribus .
Iouita martyr require sancto† Faustino martyre .
Iohannes eleimosynarius fo . xxxv . ||
Iohannes alius martyr require in sancto Stepnano† papa .
Iustina et Cyprianus martyres fo . ccclxxviii† .
Iustina uirgo et martyr fo . xl .
Iulianus† martyr fo . xli .
Iuliana martyr require in sancta Barbara .
Iulianus et Ferreolus martyres fo . xlviii .
Iuentius confessor fo . xliii .
Ionius martyr fo . xliiii .
Isichius martyr require in sancto Romano martyre .
Irena martyr require in sancto Chrysogno† .
Iullius senator martyr fo . xliiii .
Iulius sacerdos et confessor fo . xliiii .
Iulianus presbyter et confessor require in Iulio proximo .
Iulianus et sancta Basilissa coniuges et alii . consortes omnes martyres fo . xlvi .
Iustus martyr fo . xviii† .
Iusta et Rufina uirgines et martyres fo . xlviii .

Lambertus episcopus fo . l .
Laurentius leuita et martyr fo . l .
Laurentius alter martyr require in sancto Gaudentio .
Largus martyr require in sancto Marcello papa .
Leo et Marinus martyres fo . lii .
Leo papa fo . lv .
Leontius martyr require in sancto Cosma .
Leodegarius martyr fo . lvi .
Leonardus confessor fo . lvi .
Lucas euangelista fo . lvii .
Lucas alter diaconus et martyr require in sancto Polochronio .
Lucia uirgo et martyr fo . lviii .
Lucia et Geminianus martyres fo . lviiii .
Lucius martyr require in sancto Hippoliso† .
Lucianus et Martianus martyres fo . lxii .
Lucianus alter beluacensis fo . lxvi .
Lucina martyr require in sancto Stephano papa .
Luxorius martyr fo . lxiii .
Lodouicus confessor rex Francie fo . lxiiii .
Lupus confessor fo . lxvii .

Machabei martyres fo . lxviii .
Macra uirgo et martyr fo . lxviii .
Malachias episcopus et confessor fo . lxxviii .
Mames martyr fo . lxviiii .
Mamertinus confessor fo . lxx .
Marcelinus confessor fo. lxxi | .

Marcellus papa et martyr cum sociis fo . lxxxxii .
Marcellus alter martyr require in sancto Sauino .
Marcellus presbyter et martyr require in sancta Sophia .
Marcellus alius martyr require in sancto Sauino .
Marcelina uirgo fo . lxxxxv .
Marcellinus et Petrus exorcista martyres fo . lxxxxvii .
Maria ægiptiaca fo . lxxiii .
Maria magdalena fo . lxxxxviiii .
Maria uirgo et martyr fo . ciii .
Marcus euangelista fo . lxxxxiiii .
Marcus alter martyr require in sancto Sebastiano .
Marcelliannus martyr require in sancto Sebastiano .
Margarita uirgo et martyr fo . ciii .
Martinus episcopus fo . cvii .
Martha Christi hospita fo . ccxxvii† .
Marius martha Audifax et Abachus martyres fo . cxxxi .
Martianus episcopus Dertonensis fo . cxxxiii .
Martina uirgo et martyr cum sociis fo . cxxxv .
Martiana uirgo et martyr fo . cxl .
Massa candida et decemocto martyres fo . cxxxv† .
Maturinus martyr fo . cxl .
Matheus apostolus et euangelista fo . cxl .
Maternus episcopus et confessor fo . cxliii .
Mathias apostolus fo . cxlvi .
Maurilius Andecauorum episcopus fo . cl .
Maurus monachus et quidam alii martyres fo . cliii .
Maurus alius martyr require in sancto Marcello .
Maurus alius etiam martyr require in sancto Stephano papa .
Mauritius et eius commilitones socii martyres fo . cliii .
Melonus episcopus fo . clvi .
Menna martyr fo . clvi .
Marinus puer et martyr fo . clv .
Muccus diaconus et martyr require in sancto Polochronio .

Nabor et Felix martyres fo . clviii .
Narcissus episcopus hierosolymorum fo . clviiii .
Narcissus alter episcopus require in sancta Aphra .
Nazarius et Celsus martyres fo . clxxviiii .
Nereus et Archilleus† et Eutices martyres fo . clviiii .
Nicomedes martyr fo . clx . ||
Nicomedes alter presbyter et martyr require in sancta Petronila .
Nicholaus episcopus fo . clxii .
Nicholaus tolentinas confessor fo . clxx .
Nicostratus martyr require in sancto Sebastiano .
Nicostratus martyr alter require in sancto Claudio et sociis .
Nichasius Remensis et eius soror Eutropia fo . clxxxiiii .

Octauius martyr require in Aduentore .
Olimpius martyr require in sancto Stephano papa .

Parmenio† presbyter martyr fo . clxxxv .
Patroclus martyr fo . clxxxv .
Paulus primus heremita fo . clxxxv .
Paulinus Nolanæ ciuitatis episcopus fo . clxxxvii .
Paula sancta matrona romana fo . clxxxviiii .
Paulina uirgo require in sanctis Marcellino et Petro .
Pancratius martyr fo . clxxxviii .
Papias martyr require in sancto Marcello .

Patricius confessor fo . clxxxviii .
Pantaleo martyr fo . clxxxxi .
Praxedis uirgo fo . clxxxxiiii .
Petrus et Paulus apostoli fo . clxxxxiiii .
Petrus ad uincula fo . ccxxiii .
Petronilla uirgo simul cum Felicula uirgine ac Nicomede presbytero martyres fo . cci .
Petronius bononiensis episcopus fo . cci .
Petrus martyr ordinis prædicatorum fo . cci .
Primitiuus martyr require in sancto Stephano papa .
Primus et Felicianus martyres fo . ccxxv .
Pistis quod est fides Elpis quod est spes Agape quod est caritas et mater earum Sophia quod est Sapientia fo . ccv .
Philippus apostolus fo . ccx† .
Priuatus episcopus et martyr fo . ccxxv .
Policarpus episcopus et martyr cum aliis duodecim martyribus fo . ccxi .
Pontius martyr fo . ccxii .
Polocronius martyr cum sociis fo . ccxiii .
Potentiana uirgo fo . ccxiii .
Prothus et Hiacinthus martyres fo . ccxiiii .
Prothus alter martyr require in sancto Saturnino .
Prothus alius martyr require in sanctis Cancianis .
Prosdocimus episcopus Patauiensis fo . ccxviii .
Processius† et Martinianus martyres fo . ccxx .
Prosper episcopus et confessor fo . ccxxi .
Phorseus episcopus fo . ccxxvii . |
Ponticus et Blandina martyres fo . ccxxvii .
Photinus cum sociis martyres fo . ccxxvii .
Phocas episcopus et martyr fo . ccxxviii .

Quadraginta milites martyres fo . ccxxxii .
Quadringenti et quadraginta quattuor martyres require in sanctis Quirico et Iulita .
Quirinus martyr fo . ccxxxi .
Quintinus martyr fo . ccxxxii .
Quirillus martyr require in sancto Stephano papa .
Quiricus et Iulita martyres fo . ccxxxiiii .

Radegundis uirgo et martyr fo . ccxxxvii .
Regina uirgo et martyr fo . ccxl .
Regulus Arelatensis episcopus et martyr fo . ccxlvi .
Remigius episcopus et confessor fo . ccxl .
Reparata uirgo et martyr fo . ccxli .
Rogatianus martyr require in sanctis Donatiano et Pancratio .
Ruffina et Secunda martyres fo . ccxliii .
Ruffina uirgo et martyr require in sancta Iusta .
Ruffinus et Valerius martyres fo . ccxliiii .
Rusticus martyr require in sancto Firmo .
Rusticus alter martyr require in sancto Dionysio .
Romanus monachus et martyr fo . ccxliiii .

Sauinianus et potentianus cum sociis martyribus fo . ccxlvi .
Sauinianus alter martyr fo . ccxlvii .
Sauinus episcopus require in sancto Syro .
Sauina martyr fo . ccxlviii .
Smaragdus martyr require in sancto Marcello papa .
Saturninus martyr fo . ccxlviii .
Satyrus confessor fo . ccxlviiii .
Sebastianus martyr fo . cclı .
Secundus martyr fo . cclxi .

Secunda uirgo et martyr require in sancta Ruffina .
Secundianus Verianus et Marcelianus martyres fo . cclxiii .
Stephanus prothomartyr fo . cclxiii .
Stephani prothomartyris Gamalielis Nicodemi et Abibonis sanctorum corporum inuentio fo . cclxxi .
Sergius et Bacchus martyres fo . cclxv .
Sennes martyr require in sancto Phoca .
Septem sancti dormientes fo . cclxviii . ||
Speusipus et consortes martyres fo . cclxx .
Stephanus papa et martyr fo . cclxxii .
Serapia uirgo et martyr fo . cclxxv .
Seruilianus martyr require in sancta Domitilla .
Seuerus episcopus et confessor fo . cclxxvii .
Simeon martyr fo . cclxxvii .
Sigismundus martyr fo . cclxxviii .
Siluester papa et confessor fo . cclxxviiii .
Symphorianus martyr fo . cclxxxx† .
Symphronius martyr require in sancto Stephano papa .
Simon et Iudas apostoli fo . cclxxxxiiii .
Simplicius Faustinus et Beatrix martyres fo . cclxxxxiii .
Simplicianus episcopus mediolanensis fo . cclxxxxiii† .
Simmetrius presbyr† martyr cum aliis uigintiduobus require in sancta Praxede uirgine .
Syrus episcopus papiensis fo . cclxxxxviiii .
Syrus alter episcopus genuensis fo . cccii .
Sisinnius et Alexander martyres fo cccii .
Simphorosa cum septem filiabus† martyres fo . cccv .
Scolastica uirgo et martyr fo . cccvii .
Solutor martyr require in sancto Aduentore .
Sophia sancta matrona require in sanctis Elpi Pisti et Agape martyribus et filiabus eius de ciuitate Mediolani oriundis .
Sulpitius et Seruilianus martyres require in sancta Donatilla† .
Susanna uirgo et martyr fo . cccvi .

Taurinus ebriosensis episcopus et martyr fo . cccxxv .
Tharsitus† martyr require in sancto Stephano papa .
Tecla uirgo et martyr fo . cccviii .
Trophinius† et Eucarpio fo . cccxii .
Theodorus martyr fo . cccxxiiii .
Theodosius martyr require in sancto Hippolto† .
Theodosia uirgo et martyr fo . cccxxvii .
Theogenes martyr fo . cccxxvii .
Theodota martyr cum tribus filiis fo . cccxxvii .
Theodota martyr require in sancto Chrisogono .
Theodolus martyr require in sancto Stephano papa .
Theodora et Domitilla martyres require in sanctis Simplicio† et Seruiliano .
Therentianus martyr fo . cccxxvii .
Therenus martyr fo . cccxxviii .
Tertulinus martyr require in sancto Stephano papa .
Tyrsus martyr fo . cccxxviii .
Tiburtius et Valerianus fo . cccxxxii . |
Tiburtius alter martyr require in sancto Sebastiano .
Thomas apostolus fo . cccxxxiii .
Thomas aquinas confessor fo . cccxvii† .
Thomas cantuariensis episcopus et martyr fo . cccxxxviii .
Torpes martyr fo . cccxli .

Valentinus episcopus et martyr fo . cccxliii .

Valentinus presbyter et martyr require in santo Mario Marrha† et Audiphax martyribus.
Valerianus martyr require in sancta Cecilia .
Valerianus alter martyr require in sancto Tiburtio .
Valeria martyr require in sancto Vitali .
Vincentius leuita et martyr fo . cccxliiii .
Victor martyr fo . cccxlvi .
Victor et Corona martyres fo . ccclii .
Victorinus martyr fo . ccckl .
Victorinus alter martyr require in sancto Sebastiano .
Victorinus alius martyr require in sanctis Eutice et sociis .
Vitalis martyr fo . cccxlviii .
Vitalis et agricola fo . cccxlviii .
Vitus modestus atque crescentia martyres fo . cccxlviiii .
Vrbanus papa et martyr fo . ccckliii .
Vrsula cum . xi . millibus uirginibus martyres fo . ccclv .

Xistus epistopus† Felicissimus et Agapetus martyr fo . ccclvii .

Zeno episcopus ueronensis fo . ccclviii .
Zoe martyr require in sancto Sebastiano .

LAVS DEO

Boninus mombritius mediolanensis magnifico uiro splendidissimoque equiti aurato . d . Cicho Simonetæ Illustrissimorum et excellentissimorum Ducum Mediolani secretario . s . d . p .

Ciche salus regum latiæ moderator habenæ
Quique mei tutor sis sine labe ducis :
Ciche potens rerum : rerum quo cardine postes
Claudere nunc aditum nunc aperire solent :
Tu potes optatæ mundo commercia pacis
Reddere . tu ualida cogere bella manu .
Mars tamen Italiæ uacat : Erigoneaque cælo
Saturno rursus cum sene lapsa redit .
Est aliquid quod te legisse per otia malim
Sanctorum uitas maxima gesta uirum .
Inuenies aliquid : quod et inuenisse iuuabit .
Nil Cicho fateor dignius esse meo .
Nil petimus : quam quod nostro sis blandus amori :
Et Mecœnatem me coluisse feras .

Idem ad quemlibet lectorem .

Quæris in hoc quæ sit farrago uolumine lector :
Quæ niueum Christi pascat alatque gregem .
Fabellas alii recitent : nugisque decoris
Largitos perdant ad meliora dies .
Aut sibi pro patria Decios occumbere narrent :
Quique libens auido coxit in igne manum .
Nos christum christique duces clarissima mundi
Lumina credidimus dignius esse legi .
Sanctorum historias animi quin pinguia carpis
Pabula uincentis et melimella dapes .
Non tantum hic unus spectatas Sæuola flamas
Vincit : et ardentem gaudet habere manum :
Nec certe crudele nimis uanumque duobus
Exitium Deciis uix memoranda leges .
Sæpe leges auidis oblatos ignibus ultro
Id genus et ferrum sæpe iocando pati .
Et non in pœnis unum : numerosa uidebis
Agmina carnifices ludere sæpe suos .
Quoque magis cædi damnatos undique cernis :
Christi mira loquor fit magis aucta fides
Vt cum sæpe nouas disecto caudice uites
Fæcundis spectas surgere palmitibus :
Aut ubi prata graui nuper sunt strata chilidro
Et raras iunco uix habuere cutes :
Sæpius ærata gramen quo falce recidis :
Efficit umbrosum densior hærba solum !
Ergo tibi positis prudens certissima nugis
Purpureos inter martyras† acta lege .
Inter odoratas . I . uirginitate cateruas :
Et Christum gemino disce præire choro .
Perlege . te quid enim per longa exorsa moramur ?
Perlege . plus nugis dulcibus ista dabunt

Delicias quibis et opes tempsisse caducas :
Læsus et innocuas sæpe referre uices .
Cladibus in mediis cantatas dicere laudes
Et passo fieri uictima digna deo.

IN NATIVITATE SANCTI ABVNDII CONFESSORIS. ET EPISCOPI COMENSIS .

Tempore quo Leo pontifex apostolatus summum apicem tenebat : Augustusque eius equiuocus imperii monarchiam regebat : et Anatolius Constantinopolitanæ urbis præsidebat cathedræ : atque Niceta regebat aquilegiensem infulam : Amantius comensis gregis curam sumpserat : ac Anastasius thessalonicensis episcopus fulxerat : beatus Abundius illius urbis egregius incola diuina gratia prouidente transfretauit : Comumque adiit non sibyllini aut marini littoris : sed quod uicinia grati et piscosi lacus inundat et amœnat . Hic græco et latino lepore affabilis ac sanctitatis titulis illustris sancti Amantii factus est familiaris : quos mutuus affectus alterni fœderis tanto amore connexuit : ut foret ambiguum uter horum alterum magis diligeret . Ita tamen temperies erat ambobus : ut pastorales fasces excellerent : et deuota ouis ad nutum pastoris militaret . Multam concordiam tantum ex duce tantum ex milite respublica sanctæ ecclesiæ suscepit : multaque incommoda declinavit . Sic eorum uita iucunda laudabilis et salutaris notis et ignotis fuit : ut hii præsentia religionis : illi sola fama || proficerent . Dum tanta concordia alternæ dilectionis fruerentur : Amantium contigit ægrotare : et extremis uitæ propinquare : Extemplo accersiuit Abundium uelut Helias Heliseum : quem dei prouidentia et testium præsentia pontifex ordinauit pontificem suæ gubernationis dignum superstitem . Mox cleri et populi fauore susceptus et ingenti plausu est episcopali sedi impositus . Iam dudum Carpophorus cum commilitonybus suis dimicauerat : et triumphauerat . Fidelis quoque fidei constantia fortis eadem causa eademque sententia suæ dignitatis lauream susceperat . Iam enim tyramni rabies profanorum principum obierat et emarcuerat . Præterea Constantinus cum genitrice Helena secundam Romam quæ Constantinopolis dicitur ædificauerat . Iste imperatorum primus christianus libere congregari : et in honore basilicas construi non modo permiserat : sed præceperat : Theodosius quoque non parum christianæ professioni addidit gradum : quo imperante gentium templa et idolorum profana diruuntur . Nam adhuc intemerata manebant . Sic libertas ecclesiæ patuit : sic gentilitatis concussa ac infirma fortitudo succubuit.

Eodem tempore Ambrosius mediolanensis antistes claruit : et Martinus turonorum episcopus insignis emicuit . Hieronimus præsbyter et diuinæ legis fidus interpres in Bethleem toto orbe clarus effulxit . Donatus episcopus uirtutibus insignis habitus : Qui draconem ingentem in ore eius expuens necauit : quem octo iuga boum ad locum incendii uix trahere potuerunt : et tabefactus aerem corumperet . Augustinus etiam præsul doctrina illustris extitit . Hii laboriosi agricolæ in sæcula non defutura sæmina proiecerunt . Sed inter horum tam culta noualia demens hæreticorum insolentia furtiua iactauit zizania . Hi fuerunt Arrhyus et Sabellius Eutices et Nestorius proceres erroris et signiferi coniurationis . At animaduertentes ortodoxi inanes fucos stantes ad diuina præsepia non patientesque horum perfida contagia fideimachiæ opposuerunt præsidia : Nec diriora certamina pertulit ecclesia robustis uiribus ydolatriæ : cum | adhuc esset infantula : quam sustulit uariis ac fallacibus sectis multiplicis hæresis : cum iam iuuencula esset . Non ne intestina bella externis atrociora probantur ? Nero Dioclitianus et maximianus christicolas mactabant : et coronabant : ac subita metamorphosi . de terrigenis cælicolas faciebant . At Arrhius et Sabellius Eutices et Nestorius mundam fidei sinceritatem in perfidam transformabant : a quibus pestiferis animalibus orta contagio non paucos greges infecerat . His deus diligentes curatores adhibuit . Hilarium uidelicet atque Athanasium : Eusebium : Ambrosium et Augustinum : qui medicinalibus fomentis omne uirus praui dogmatis de pectoribus infidelium eliminare conati sunt . Vnde nicenum concilium a Constantino contra

Arrhyum congregatur : cuius error pullulatus usque dum constans imperasset infausta proles Constantini : qui Arrhyani dogmatis labe pollutus catholicos toto orbe persequitur . Huius fauore Arrhyus frætus dum in Constantinopoli ad ecclesiam pergeret aduersus nostros de fide dimicaturus diuertens per forum Constantini ad necessariam causam uiscera eius repente cum uita effusa sunt . Vnde Arrhyani contremuerunt : et catholici de dei iudicio non minimam læticiam habuerunt . Post hæc Pellagius aduersus Christi gratiam suum errorem instruit ad cuius condemnationem concilium carthaginense congregatur.

Per idem tempus Nestorius Constantinopolitanus episcopus suæ perfidiæ molitur errorem : aduersus quem ephesina synodus congregata eius impiam sectam persecuta infamauit . Hoc etiam tempore diabolus in specie Moysi Iudeis in oreta† apparens cum eis per mare pede sicco ad terram promissionis promittit perducere . plurimis uero eorum enecatis reliqui qui saluati sunt confestim ad Christi gratiam conuolarunt . Post hæc calcedonense concilium geriturum† ubi Eutices cum Dioscoro Alexandrino episcopo condemnatur . Præterea apud ut† Carthaginem Olympius quidam Arrhyanus in balneis sanctam trinitatem blasphemans ignis iaculo uisibiliter est combustus . Animaduertite fratres quomodo per momenta et interualla temporum fides || inoleuit chatolica : primum per martyrum rosea certamina : deinde per confessorum contra hæresim uictricia propugnacula : tum etiam quia ultio diuina digna suis erroribus stipendia retribuit . His prefatis institutionibus annualium festorum memoria iudex testisque esse declaratur . Per horum uestigia usque ad cunnabula historiæ antistitis Abundii peruenimus : ut series et linea historialis non minimam noticiam nostris offerant rationibus . Hic uir sanctus ac fidei catholicæ armis strenuus sanctissimi et uenerabilis Leonis papæ penetralibus assuetus hæreticorum discordem controuersiam atque sediciosam sedauit : cum magis arderet : et uæhementius fureret . Qui non gregarius sed primipilaris miles leonianæ militiæ gubernator peritissimus in unda præliator et auriga fortissimus in pugna non solum de conuersione et fuga hæreticorum tropheum obtinuit : uerum etiam de ruina triumphum celebrauit . Hic æstuauit : alsit : esuriit : pernoctauit in transtris pro cubili recubuit molles thorros exhorruit terrarum latibula marisque pericula multotiens intrepidus subiit : ut latrones unitatis et prædones trinitatis triplo etiam funiculo suffocaret . Ille de quo lis tam ingens fuerat animos suggerebat : arma et auxilia suppeditabat et cuncta instrumenta martia potens exhibebat : O fortis atæleta† ac felix argonauta unde summa præconia tuis studiis ac meritis paria? non de artifice eloquentia sed de munifice sunt sapientia quæ dedit lapidi laticem fundere . Beata patria quæ talem incolam direxit : sed beatior quæ patronum suscepit . Vnde thessalonicensis cumanus . A domino factum est istud : et est mirabile in oculis nostris . Hæc dies quam fecit dominus . exultemus et lætemur in ea . Non horruit Ionium : aut Aegæum non hadriaticum aut Tyrrhenum . Nam qui timet : non est perfectus in caritate : et perfecta caritas foras uanum mittit timorem . neque expauit furorem atque pertinaciam præsentium hæreticorum : quanquam plerosque chatolicorum persecuti essent ad interitum . Iste heros hæreticorum errori horribiliter incubuit nec succubuit . Nam qui dedit affectum addit effectum . Amor diuinus non materialis sed spiritalis uincit omnia : cui cedunt omnia animauit Abun | dium : erroneam sectam instar diluuii diluente mense occidentis et orientis flama diuini amoris arefecit . Nonne hesperia atque Græcia Arabia et Media hac labe polluta est? Sed uentilabro acute discretionis aream sanctæ ecclesiæ examinauit : et inanes sciliquas erroneæ professionis a granis catholicæ ueritatis secreuit . Nec solum in occasum uerum etiam in ortum a beato Leone apostolico dirrectus Abundius quæ refellenda erant auctoritate Romanæ sedis refellit : Vt longinquis a Roma prouinciis præsentiam quodammodo Romanæ uisitationis impenderet et mediam notam diuinæ ueritatis ostenderet : Quia a continenti opportunoque prospectu promptum illi erat agnoscere quid in quibusque rebus uel apostolico studio reseruaret . Nam cum maiora negotia ut difficiliores causarum exitus liberum sibi foret sub expectatione procerum deliberare : uel determinare : aut suspendere : tamen salua dignitate religiosarum personarum ac reuerentia ecclesiarum quibusque causis extremam manum impresserat imitatus sententiam apostoli ad Thymotheum hortantis ad ecclesiasticum regimen : Seniorem ne increpaueris : sed obsecra : ut patrem aut matrem : Iuuenes ut fratres : Iuuenculas ut sorores in omni castitate : quæ moderatio si quibuscumque

inferioribus menbris ex apostolica institutione debetur : quanto magis fratribus et coepiscopis sine offensione reddenda est : ut licet nonnunquam accidat quæ in sacerdotalibus sunt reprehendenda personis : plus tamen erga corrigendos agat beniuolentia quam seueritas : plus cohortatio quam commotio : plus caritas quam potestas . Sed ab iis qui quæ sua sunt non quæ Iesu Christi facile ab hac lege disceditur : et dum dominari magis quam consulere subditis uolunt : honor inflat ad superbiam : et quod prouisum est ad concordiam : tendit ad noxiam : nec se plærique putant potestatem habere : nisi satagant in subditos iniuriam exercere . Talem diligentiam talemque custodiam semper et ubique seruauit abundanter Abundius noster ut neque deum neque proximum in examine suæ directionis offenderet . Sic placuit deo et inuentus est iustus et in tempore || iracundiæ factus est reconciliatio . Laboriosa uirtus sanctissimi uiri nunquam otio neque secordiæ dedita . Tam potenter atque uiriliter hæreticas prauitates ubique gentium auctoritate leoniane legationis expugnauit ac exinaniuit : ut præsens ætas ac futura his superstitionibus careat : neque suis posteris opus fuit diuinum calybem in Nestorianos aut Euticianos uibrare . Et non modo acies talium belluarum occubuit : uerum etiam nulla nota uestigiorum apparuit : ut triumphaliter cum psalmographo siue succinere uelit siue concinere malit : canat : Non conuertar donec deficiant : confringam illos : nec potuerunt stare : cadent subtus pedes meos. Hic uir sanctissimus imminet et eminet inter omnia gymnasia atque exercitia catholicæ fidei : ac promouet acies catholicorum contra fallaces phalanges hæreticorum . Quæ causa tanta salutis fluxit cumanis? Non casus neque fatum sed diuina prouidentia . Hæc utraque destruens fuit efficiens tantæ auctoritatis et benignitatis : Nam sicut Moysen hebræis produxit : ita Abundium Como exhibuit . O dies illustris et solemnis : quo tantus patronus effulxit : non solum cumanis sed omnibus christianis : qui prodeundo de regione in regionem patiens algoris atque æstus per Charibdym et Syrtes et uariarum commercia linguarum opulentas merces non terrenæ supellectilis sed diuinæ religionis euexit : et de Euticianis nestorianisque summa omnium admiratione triumphauit . Hic cedat triumphalis currus Romanorum seu assentatrix aura tyramnorum . Nam finiti et infiniti quota est portio? et uolatilis rei ac stabilis quota est collatio? Sed meliores sunt Abundii herbusculæ quam Neronis et aliorum iniquorum principum epulæ : quandoquidem istæ aulam sempiternam : illæ pariunt gehennam. istius esuries est satura : illius saturitas est famelica sicut ait dominus : Beati qui nunc esuritis : quia saturabimini . Profecto discutiamus illam controuersiam quæ uniuersam commouit ecclesiam : et ab atrocitate pugne magnitudinem uictoriæ perpendamus . Hæc lis ideo pauca lustra temporis amplexata est et usque ad gubernaculum Leonis papæ ac præsulatum | Abundii legatione eius defuncti a perfidia sua nunquam resipuit : Vnde hic uir eximius sapientia ac uariis linguis strenuus ex constutione episcoporum Italiæ et electione dispensationis leonianæ multa maria transfretauit . plurimas prouincias lustrauit : ut quæstio diutissime uentilata et concertata nec insipientes amplius deciperet : nec sapientes turbaret : Nestorius dicebat duas naturas et duas personas in Christo esse : Eutices uero unam naturam unamque personam . At fides catholica duas naturas sed unam personam in Christo esse asserebat : id est eundem Christum hominem esse perfectum : eundemque deum et hominem unum esse deum atque dei filium : nec quaternitatem trinitatis astrui : dum homo additur supra perfectum deum : sed unam eandemque personam numerum trinitatis explere : Vnde contra Nestorium dicitur : Qui licet deus sit et homo non duo tamen sed unus est Christus . At contra Euticem subdit . Vnus autem non conuersione diuinitatis in carne sed assumptione humanitatis in deum . Vnus non confusione subtantiæ sed unitate personæ . Cumque in eadem persona Christi aliud sit diuinitas : quæ suscepit : aliud quam suscepit : humanitas : idem tamen deus atque homo est : fitque in Christo gemina natura geminaque substantia : quoniam homo deus unaque persona : quoniam idem homo atque deus : Vnde quottidie psallimus : Nam sicut anima rationalis et caro unus est homo : ita deus et homo unus est christus . Ex huiusmodi conflictione causarum ingenuus Abundius a deo monitus : a beato Leone directus : et immanitate hæreticii sceleris commotus : non parum lugubrauit et sudauit : tandemque palmam ingentem obtinuit : et non modo ramos parui dogmatis sed truncum cum radice penitus euulsit : cui Theodoritus Tyri episcopus de consensu fidei hanc epistolam non parua præconia referentem his uerbis direxit .

Domino uero amabilique et sanctissimo fratri Abundio Theodoritus in domino salutem . Comperi quod uestra religio ueram et apostolicam fidem pia mente conseruat : et gratias egi deo omnipotenti : quod religio quæ periclitabatur renouata est per sanctitatem uestram et uenit ad lucem : || et sicut dudum diluuio factum est : ut ad sæmen generis humani Noe et filii eius relicti sint : sic et in presenti occidentales partes sunt reseruatæ : ut ex his etiam orientales sacro sanctæ ecclesiæ ueram custodiant religionem : quam uastari iam et deuorari penitus sacrilega et noua hæresis temptabat : et oportunæ dici potest uox illa prophetica : Nisi dominus Sabaoth sæmen uobis† reliquisset : similes facti essemus quomodo Sodoma et Gomora . Adeo nobis quasi aliquod diluuium et bellum euenit dei ex impia hæresi : nunc ueram saluatoris nostri in corpori humano præsentiam laudabamus : et unum filium dei et perfectam eius deitatem et pepfectam† humanitatem confitebamur : et non in duos filios : unum dominum nostrum Iesum christum diuidebamus . est enim unicus : sed differentiam dei et hominis cognoscimus : et scimus : quod alterum ex patre est : alterum ex sæmine Dauid et Abraam iuxta diuinas scripturas : quodque diuina quidem natura sine passione est : corpus autem ante quidem erat in passione : nunc uero et ipsum alienum est a passione . nam postquam surrexit : et hoc ab omni passione constat esse liberatum . Hæc et litteris sanctissimi et religiosissimi archiepiscopi domini Leonis didicimus . legimus enim : quæ ad sanctæ et beatæ memoriæ Flauianum scripsit : et gratias egimus nostro humanissimo deo : quod aduocatum etiam propugnatorem ueritatis inuenimus . His et ego litteris consensi : et huic epistolæ meæ exemplum earum copulaui : cui etiam subscripsi : et ex hoc probaui : quod regulas apostolicas id est dogmata sequor : hodieque in his permaneo : et ideo bellum patior . Eandem uero religiosam apostolicam sectam seruamus ego et alii reuerendi uiri : qui mecum de sacrosantis ecclesiis expulsi sunt. Idem dominus Hibas et dominus Aquilinus cæterique contra quos imperatorum potestatem inuentores nouæ hæresis armauerunt. Superest : ut uos cum sanctissimis uiris auxilium sacro sanctæ ecclesiæ afferatis : feratisque impia bella quæ impenderant : prohibete itaque sacrilegam sectam : quæ contra pietatem commota est : et pristinam ecclesiis pacem reddite : ut fructus laborum apostolicorum accipiatis a do | mino : qui se eosdem fructus redditurum esse promisit . Omnes religiosissimos et dei amicos præsbyteros et reuerendos diaconos et fratres per uestram sanctitatem saluto : et nos et omnes qui nobiscum sunt salutamus religionem uestram . Qualis et quantus fuærit iste Theodoritus Abundii præco percontanti consoluta respondet epistola beatissimi Leonis papæ ei directa : Cuius formulæ exordium subicimus .

Epistola papæ Leonis ad Theodoritum post calcidonensem synodum missa .

Dillectissimo fratri Theodorito episcopo Leo episcopus salutem . Remeantibus ad nos consacerdotibus nostris : quos ad sanctum concilium sedes beati Petri direxit : Agnouimus dilectionem tuam superno adiutorio nobiscum tam nestorianæ impietatis quam euticianæ uæsaniæ extitisse uictricem : unde gloriamur in domino cum propheta canentes : Adiutorium nostrum in nomine domini : qui fecit cælum et terram : qui uel omnes in nostris fratribus detrimentum sustinere permisit : sed quod nostro prius mysterio desciuerat uniuersæ fraternitatis intractabili firmabatur assensu et uere a se prodisse ostenderat : quod prius a prima omnium sede firmatum totius christiani orbis iudicium recepisset : ut in hoc quoque capiti membra concordent : in quo nobis amplius accrescit cadendi materia dum tanto magis se pertulit inimicus : quam etiam Christi ministris sæuius insurrexit . Nam non aliæ sedes et ea quam cæteris omnium dominus instituit præsidere consensus assentatio uideretur . Ac ita alia quælibet subrepere possit aduersa suspicio : inuenti prius sunt : qui de iudiciis nostris abigerent : Et dum nonnulli ad dissensionum coacti auctorem ad contradictionum bella prosilliunt : ad maius bonum totius bonitatis dispensatione peruentum est . Dulcia siquidem munera gratiæ diuinæ præueniunt : quotiens non sine magnis sudoribus acquiruntur : et minus bonum uideri solet pax continuata per otium quam reddita per labores . Ipsa quoque ueritas clarius renitescit et fortius renitetur : dum quæ prius fides docuerit : hæc postea examinatio confirmauerit . Exulta frater reditum seculo || est prædone prostato† incarnationis diuinæ mysterium : quod humani generis inimicus quia rebus ipsis auferre non poterat : callumpniis obscurabat : quinimo ab incredulorum corde perierat immortale mysterium : quia nihil prodest

tanta salus incredulis ipsa ueritate suis dicente discipulis : Qui creddiderit : et baptizatus fuerit saluus erit . qui autem non crediderit condemnabitur . Præterea Anatholius episcopus ecclesiæ Constantinopolitanæ minoris Romæ accepta epistola sancti Leonis papæ de confirmatione catholicæ fidei contra uæsaniam hæreticorum congregauit concilium omnium episcoporum et archimanditarum seu præsbyterorum et diaconorum : et ante conspectum omnium recitata est epistola sancti Leonis : quam Beatus Abundius coram omnibus præsentauit : Concordantibus testimoniis Romanorum patrum atque argolicorum . Anatholius episcopus Constatinopolitanus† huic epistolæ sancti Leonis papæ continenti catholicæ fidei ueritatem concordantibus etiam testimoniis patrum ab eadem apostolica sede dirrectus plena deuotione consensit et subscripsit : Anathema dicens Eutici et Nestorio et dogmati uel sectatoribus eorum . Tunc cæteri patres non parui numeri eodem modo subscripserunt . Mox sanctus Abundius et Aeterius episcopi et Basilius et Senator præsbyteri dixerunt omnipotenti deo gratias : quoniam reuerendorum episcoporum : præsbyterorum archimanditarum diaconorum atque totius cleri professiones cognouimus fidem rectam et a patribus traditam profiteri : sicut eorundem subscriptio gestis præsentibus inserta declarat : ideo nos quoque quia omnes hoc exigere et expectare comperimus secundum assertionem uenerabilis uiri Eusebii episcopi dorilensis et sententiam sanctæ memoriæ Flauiani episcopi uel assensum papæ Leonis : qui ad insinuandam cunctis fidem catholicam : Ne minus anathema dicimus Eutici uel omnibus qui eius perfidiam sequuntur : et dicunt in Iesu christo domino nostro ante incarnationem duas fuisse naturas : post incarnationem uero unam tantum naturam : cum catholica fides et ante incarnationem unam quæ uerbi tantum erat et post | incarnationem duas id est uerbi et perfecti hominis fateatur in una persona inconfusa proprietate sui manere naturas : Nestorio etiam qui uæsanum : ut legitur : dudum dogma dispersit dicendo dominum Iesum Christum ex Maria uirgine hominem tantum non etiam deum natum : sed et sectatoribus eius in eiusmodi peruersitate durantibus anathema dicimus : propter quod conuenit ad confirmationem subscriptionis eius sanctam quæ præsens est fraternitatem hisdem uel hominibus qui eorum doctrinam sequuntur anathema similiter dicere . Videte quot testimoniis industrium uirorum comprobatum est beatum Abundium praua dogmata erroneæ sectæ iaculo catholicæ fidei uulnerasse et extinxisse . quis negotiator aut triumphator hic auaricia adipiscendæ pecuniæ ut ille desyderio uictoriæ tot littora maris tot accessus telluris adiit . Sed iam opportunum est ultra tendere : et quiduid† per sancti uiri merita deus fieri uoluit ostendere : quam probi labores ac certamina sint sanctitatis non dubia . nos uero memorabile quod dominus uocat prodigium referamus .

Erat uir quidam illustris et ditissimus comensis regionis regulus cuius unicum filium contigit obisse : ex quo familia funereo mærore confecta ingentem gemitum magnis quæstionibus reuoluebat . Post diutinum ploratum unanimes exanime corpusculum quasi munusculum Abundio obtulerunt : quos inter genitor deformis et lugubris ac regio cultu exutus cum omni domo ad uestigia sancti uiri uoluebatur : Miserere inquit orbati senis non habentis prolem superstitem non habituri hæredem . Cui relinquam familiam? Cui relinquam prouinciam? Si in uitam redierit : fides patebit populo . Infideles argumentum credendi capient : et fideles fidei suscipient augumentum . Tunc uir dei pietate solita tangitur : atque offerentibus improbare oblata erubuit . Mox de remuneratione muneris tractauit : hii non petunt tumulum nec funeris officium neque me querelarum socium . Maiora excelentioraque expectat spectaculum istud . O deus quo ibo a spiritu tuo : et quo a facie tua fugiam? Dextera domini facit uirtutem dextera do || mini exaltat : Hic non mortuus apud te sed tanquam dormiens uiuat et narret opera domini : et dicat : castigans castigauit me dominus : et morti non tradidit me . Non tantum quæro uitam pueri quam fidem et salutem populi . Vnius resurrectio multorum est perfectio . Confestim cælestes fores patuerunt : et ingressa est oratio ante conspectum domini . Anima ex suis latebris exiuit : et exanimem animauit . Protinus exequiæ pueruli in obsequia sunt relatæ Abundii . Accipientes de resurrectione mortuum suum : hilares plaudunt : et obstupescunt miraculo : proque merore fruuntur gaudio . Si qui idolatriæ cultores fuerunt : effecti protinus sunt christicolæ . exultat proinde ciuitas omnis : agitque gratias deo uero : cui est honor et gloria in sæcula sæcglorum† . Amen .

PASSIO SANCTORVM ABVNDII ET CARPOFORI MARTYRVM .

Temporibus Iuliani sæuissimi apostatæ beatissimus Anastasius e Syriæ partibus cum duobus uenerabilibus filiis Euticio scilicet et Brictio propinquisque et nepotibus eius reuerendis Abundio . Iohanne . Thendila . Isa:ac† Carpophoro . Laurentio . Proculo et Ircholano profectus : Post longam maris terræque fatigationem cælica : ut nulli dubium est : protegente clæmentia urbem tandem Romam aggrediens domum sanctissimi Episcopi urbani ingressus est : Quos beatissimus Vrbanus iuxta gentium magistri uocem dicentis : ilarem datorem diligit dominus : iucunde hospitio susceptos corporis animæque alimento repleuit : secumque aliquanto tempore ut morarentur : hortatus est : Interea Brictium et Carpophorum ad presbyteri dignitatem : Abundium uero et Laurentium ad diaconi ordinem sublimauit : Qui cum longo tempore plurimos paganorum ad Christi dogma conuerterent et sacri baptismatis unda perfunderent : denuntiatum est Iuliano sæuissimo imperatori : quod Anastasius cum filiis et nepotibus de Syriæ partibus ueniens | populum doctrinam hominis in iudea crucifixi doceret : et ordinaret præsbyteros et diaconos : faceretque fontes quibus populum Christi doctrina imbutum suo imperio subtrahens baptizaret : quo audito impiissimus Iulianus rabie et iracundia plenus iussit ministris : ut sub ueloci cursu summa diligentia et sollicitudine inquisiti suo quantocius præsentarentur conspectui : qui iussa complentes beatissimum Anastasium cum filiis et nepotibus : quibus una fides una deuotio unaque germanitas erat : comprehendentes iniquissimi Iuliani adduxerunt conspectibus : quibus Imperator . qui estis ait : aut unde uenistis : aut quare deos nostros contemnitis : quibus nos omnesque in regione nostræ maiestati subiecti tura imponentes flectunt ceruicem : Cui sanctus Anastasius diuino fultus præsidio ita respondit : Si genus inquiris : in Syria nos ortos atque inde huc aduenisse noueris Imperator : Diis autem tuis neque tura imponemus neque eis ceruicem flectimus : quia deum patrem omnipotentem factorem cæli et terræ uisibilium omnium et inuisibilium et Iesum Christum filium dei unigenitum ex patre natum ante omnia sæcula sed et spiritum sanctum deum credimus : non in unius singularitate personæ : sed in unius trinitate substantiæ confitemur : non idola manufacta adoramus : in quibus sunt oculi sie† uisu : aures sine auditu : nares sine odoratu : manus sine tactu : et pedes absque gressu . his auditis ira repletus Imperator iussit eos nodosis fustibus diutissime cædi et demum teterrimo recludi carcere ut diuturna carceris maceratione sanctorum posset superare constantiam . Post multum uero temporis uidens seuissimus Imperator tormentis eorum non posse superare constantiam : iussit eos de carcere extrahi : et ad aquas salinas deduci : atque ibidem sanctissimi caput Anastasii amputari : ut cæteri timore perterriti seducerentur facilius . Sed tandem diuina eos gratia protegente fuga lapsi peruenerunt ad locum : qui cognominatur uia Cornelia : quem quidem Pacemsanctorum uocant : et hortantes se inuicem osculati sunt in osculo sancto separantes se ab inuicem Euticius uero relicto Germano suo Bri || ctio ad locum qui Bulsinis appellatur perrexit : ibique per multos annos heremiticam uitam duxit . Brictius autem cum aliis ualeriæ prouinciæ partes tenuit : atque in urbe spoletana habitauit. Proculus denique relicta colonia quæ Narnia dicitur : Carselanum castrum penetrauit : ubi uirum sanctissimum Volusianum inuenit : Cui adhærens per multos annos spiritalem sanctæ conuersationis uitam egit sacerdotii dignitate perfunctus : Tantamque post præsbyterii dignitatem in eo dominus gratiam infuderat : ut in die dominicæ resurrectionis ante solis ortum missam in cælo celebrari audiret : cum ipse deo hostiam qua reficeretur immolaret : Quod cum nunciatum esset Eugenio sedis apostolicæ præposito : iussit cubiculariis suis : ut in uinculis astrictus et acrioribus uerberibus fatigatus ad se summa cum festinatione deduceretur. ferocissimi itaque cubicularii missi in castrum Carsulanum quo morabatur : uenerunt : et inuenerunt eum : sicut Eugenio† denunciatum fuerat facientem . Qui sacratissimi corporis et uiuifici sanguinis† domini nostri Iesu Christi communionem ab eo accipere nolentes : rabiæ furoris accensi uiolenter eum apprehendentes Romam quantocyus redire compulerunt.

uerumtamen cum Hortensi castro appropinquarent : tam ualidissima in eos irruit sitis : qui corporis et sanguinis domini eucharistiam accipere recusauerunt : ut mortis exitium coram oculis habere suspicarentur : quod beatissimus Proculus cum cognouisset : Ceruam cum hinulo gradientem non longe prospexit . Cui in uirtute nominis domini nostri Iesu Christi ut immobilis maneret imperauit . Ea uerbo domini obediens mansit immobilis . Tunc schipho accepto : Lac mulgeri iussum est : datusque est potus sitientibus uiris : et penitus restincta est sitis . In nocte autem eadem angelus domini accedens ad Eugenium flagellauit eum : qui perterritus uelocissimis cursoribus iussit : ut quam celerrime contenderent : et ubicumque dei homini obuiarent eum magno honore in Carsulanum castrum reduci iuberent . Angelo enim domini narrante cognouit omnia uera esse : quæ Proculus dei famulus peregerat . Interea Brictius et sanctissimus Abun | dius atque Carpophorus cum reliquis quibusdam fratribus in urbem Spoletum ut ibi uitam finirent deuenerunt : Cui urbi Curtius . Leontius et Martianus quasi proconsules præerant persecutores christianorum sæuissimi diabolica rabie et insania pleni . Præfati itaque sanctissimi uiri urbem ingressi habitatoribus primo occulte uerbum dei prædicare non cessabant commonentes eos ut ab idolorum cultura recederent : et se domini nostri Iesu Christi seruitio manciparent . Crescebatque quottidie uerbum dei in cordibus eorum : et complures erroris amore deterso ad prædicationem sanctorum idola sua igni comburebant : et ipsorum idolorum templa funditus destruebant : atque ex toto corde ad dominum conuersi baptizabantur in nomine patris et filii et sptritus† sancti : quod cum nunciatum fuisset Curtio. Leontio et Martiano sæuissimis christianorum persecutoribus ingenti ira repleti iministris usserunt ut quantocyus discurrerent : et ubicumque eos inuenirent uinculis innodatos ad se perducerent . Ministri uero discurrentes sanctissimos uiros Abundium diaconum et Carpoforum præsbyterum in domo cuiusdam christianissime mulieris : cuius Synclete nomen erat : inuenerunt. Et appræhendentes eos uinctos proconsulum conspectibus adduxerunt : quibus proconsules dixerunt : Vos estis : qui templa deorum nostrorum hominibus salutem ferentium destruentes igni combusistis : et populum ciuitatis nostræ doctrinam hominis in Iudæa ligno crucis confixi et mortui atque consepulti repleuistis? quibus Carpophorus sacerdos et Leuita Abundius respondentes dixerunt : Bene hominem crucifixum mortuum et consepultum nominastis : sed quia resurrexit et cœlos ascendit : quare non dixistis? dii itaque uestri quos nos combussisse asseritis : omnino mortui sunt : quia nedum uobis salutem afferre ualent : semetipsos ab igne liberare nequiuerunt . Erant enim lapides et ligna oculos habentes sine uisu : aures sine auditu: manus absque tactu : et pedes sine gressu : quos cum audissent proconsules talia loquentes : graui ira repleti iusserunt : ut nodosis fustibus grauissime cæ || derentur : quatenus ab huiuscemodi Eloquio eis ingratissimo cessarent . deinde in carcere recludi eos præceperunt : atque ne ab aliquo homine cibi aut potus eis posset inferri : regium anullum imprimi iusserunt ut fame perirent . Interea Brictius præsbyter audiens quod proconsulis iussu fratres sui Carpophorus et Abundius tam grauiter uerberibus dilacerati fuissent graui timore perterritus noctis medio urbē† egressus ad locum qui Apianum apellatur properauit : ubi per tres continuos dies et noctes latens lachrymosis oculis dominum præcabatur ut quid sibi agendum esset : ostendere dignaretur : Cui angelus domini apparens ait : Bricti famule dei exaudita est oratio tua . Missus enim sum ad te : ut ostendam tibi locum salutis : in quo a persecutoribus istis possis saluus commorari : Quo audito Brictius ab oratione statim surexit : cœpitque angelum domini præcedentem prosequi : qui dum inter eundum qualiter sæuissimi proconsules circa fratres suos Carpophorum Abundiumque peregissent ennarraret : obuius factus est ei cæcus nomine Pisentius : qui multis annorum curriculis deuolutis lumen cœli non uiderat : quos cum audisset talia colloquentes ait : Nunquid discipuli illius estis : qui in iudæa cæcos illuminase† . leprosos mundasse . mortuos suscitasse . et siccis pedibus supra mare ambulasse narratur? Cui famulus dei Brictius dixit : ipsius serui sumus : quem nominasti. Post quæ Pisentius cæcus ait : et si ipsius serui estis : nunquid scitis aliquam peritiam artis medicinæ ipsius : ut per uos aperiri possint oculi mei : et credam in eum qui dei filius perhibetur : Cui sanctus Brictius respondit : qui Barthimeum Thimei filium cæcum per seipsum et Tobiam per angelum illuminauit sanctumque Iob a grauibus uulneribus curauit : oculis tuis lumen introducens ab omni cæcitate liberet : qui uenturus est in spiritu sancto iudicare sæculum

per ignem . Tunc angelus domini et Pisentius respondentes dixerunt amen . In eadem igitur hora aperti sunt oculi ei : et quasi albugo quædam et squamæ ceciderunt ab oculis eius : luminæ itaque recepto credidit : et ipse sicut promiserat deo et to | ta domus eius baptizati in nomine patris et filii et spiritus sancti . Angelus autem domini præcedens dei famulum Brictium perduxit eum in locum salutis in uerticem montis cuiusdam : ubi omnibus diebus uitæ eius a persecutoribus illis absque periculo commoratus est : Ad quem cum peruenisset locum : ait angelus domini : ad Brictium : hic erit habitatio tua hic commoraberis tutus a persecutorum insidiis . His dictis benedixit ei : et ablatus est ab oculis eius . Sanctus uero Brictius continuo prostrauit se ad orationem . Cogitauerat enim quod angelus domini esset : benedixitque dominum : et dixit : Gratias immensæ maiestati tuæ ago omnipotens deus : quoniam sancti angeli uisitatione pariter et meliflua collocutione refouere me : locumque in quo a persecutoribus saluus ualeam commorari ostendere es dignatus . deinde sanctus Brictius per angelicam uisitationem confortatus a domino cœpit prædicare uerbum domini omnibus circumquaque commorantibus : qui ad eius prædicationem credentes in dominum nostrum Iesum Christum baptizabantur in nomine patris et filii et spiritus sancti . Tunc sanctus Brictius modicam ecclesiolam propriis manibus in eodem loco in quo ab angelo benedictus est construxit : nomenque loci eo quod salutem animæ uenientes acciperent : Salustianum dixit . Interea angelus domini a sancto Brictio separatus illico ad carcerem in quo beati Carpophorus et Abundius tenebantur perrexit : qui aperto carcere psallentes atque dicentes inuenit : Confundantur omnes : qui adorant idola : qui gloriantur in simulacris suis . lætetur autem cor quærentium dominum : quibus angelus dixit Pax uobis : nolite timere . sed egredimini : et absque timore predicate uerbum domini . Eadem autem hora egressi sunt de carcære et sub urbana petentes imposuerunt signum sanctæ crucis frontibus hominum pertrahentes ad fidem christi : fecerunt que clericos : et constituerunt ministros . Peruenit hoc itaque ad Dioclitianum augustum Maximianumque Cæserem† . Tunc Curtius Leontius . et Martianus proconsules indignati pro his ceterisque qui religiosam fidem tenentes signaculum crucis Christi colebant ue || nerunt ad Dioclicianum et Maximianum augustos dicentes : piissimi imperatores consulite rei publicæ et succurrite uestra pietate : ne cadat : Ea enim ēt omres† templorum uestrorum sacerdotes contemnunitur† : nec est qui deos nostros ueneratioñi habeat propter uanissimam christianorum doctrinam qui de Syriæ partibus huc eoncesserunt† : Omnis namque planities et montuosa loca : atque ciuitates pene uniuerse eorum uanissima doctrina repletæ sunt : Propitietur ergo clæmentia uestra : iubeatque ut sacerdotes deorum nostrorum ueneratioñi habeantur : et diis immortalibus cuncti mortales offerant libamina . Tunc Dioclicianus et Maximianus tercio die mensis Iulii decreuerunt : ut ubicumque id est siue in urbibus siue in agris siue in quibuscumque locis inuenirentur christicolæ sine auditione punirentur : Eodem tempore quidam uiri sæuissimi ciuitatem spoletanam habitantes nunciauerunt Curtio Leontio : et Martiano consulibus christianissimos uiros Carpophorum : et Abundium in præfatæ ciuitatis cripta latitantes commorari : quare proconsules gaudio repleti noctis tempore milites ad :† eos perquirendos miserunt : et mox eos inuenientes reliquosque qui cum eis erant christianos uinctos proconsulum conspectibus adduxerunt : quibus ita ira commoti inquiunt : Nunquid adhuc diis immortalibus ceruicem flectere : aut sacrificia libare contemnitis? aut sacrificate illico : ut in curia amicicius adhærere possitis : aut diuersis uos pœnis interficiemus : quibus Carpophorus sacerdos et Abundius leuita aliique christicolæ qui cum eis intererant tanquam ex uno ore respondentes dixerunt : Sacrificent diis uestris : qui cum eis in perditionem ituri sunt . nos enim non diis sed omnipotenti deo patri et domino nostro Iesu Christo filio eius atque spiritui sancto in odorem suauitatis sacrificium offerre studebimus : Tunc proconsules irati . Carpophorum : et Abundium ab aliis segregando horrifico carceri includi iusserunt : Reliquos uero die uigesimo quinto mensis Iulii extra portam ciuitatis extrahi et eorum capita amputari atque inhumata eorum corpora derelinqui præceperunt : quorum corpora præfata | Enclete omni ueneratione dignissima suscepit : et in cymiterio prædii sui pontiano non longe ab urbe : in latere montis ueneraliliter sepelliuit . Martianus denique proconsulibus post longum tempus in foro ante templum Iouis iussit sibi tribunal parari : et illuc omnia tormentorum genera deportari . Tunc iussit ministris suis : ut Carpophorus presbiter et Abundius

leuita suo repræsentarentur conspectui : qui dum traherentur cathenati : læti et ilares psallebant obsecrantes : Deus mitte angelum tuum sanctum : qui eripiat nos de manibus inimicorum nostrorum per Christum filium tuum dominum nostrum : qui cum repræsentati fuissent : Martianus eos alloquens dixit : Clæmentissimi imperatores Dioclitianus et Maximianus iusserunt : ut omnes homines libamina et uictimas diis omnipotentibus offerant . Vos ergo ante templum iouis : cum sciatis iusserunt : perficite : Cui sancti responderunt dicentes : Nos domino Iesu Christo in quem credimus et speramus non dæmonibus sacrificia offerre satagimus . Eadem hora Martianus proconsul graui ira commotus iussit ora eorum lapidibus contundi : et corpora eorum in eculeo leuari : Qui dum leuarentur clamabant dicentes : Christe Iesu seruos tuos in te sperantes adiuua . Respiciens post hæc Abundius ad .† Martianum proconsulem dixit : Vide miser quia dominus noster Iesus Christus non nos deseret neque dimittet : ut aduersum nos preualeas . Tunc iratus Martianus iussit eum fustibus grauiter cædi dicens : Nolite temerario ore garrire : His dictis iussit eos deponi : precepitque Leontio magistro militum : ut in uinculis deduceret eos iuxta ciuitatem Fulgineam : et ibidem eorum capita detruncari faceret : quare suscepit eos Leontius cum militibus suis : iussitque secum deduci ad Fulgineam ciuitatem : et non longe ab urbe ipsa quarto idus decembris decapitari . Quibus peractis : dum reuerteretur Leontius magister militum : obuiauit ei Vrsus ferocissimus : qui timore perterritus neque ad dextram neque ad sinistram declinare potuit : irruerat enim ursus in eum : et unguibus non tamen penitus contriuit . Nam in fugam uer || sus equus eius cecidit : oppressitque eum : et mortuus est . Erat autem in ciuitate Fulginea matrona quædam christianissima Eustachia nomine : cui angelus in sompnis apparuit et dixit : Surge et uade in suburbana ciuitatis miliario uno ad locum qui dicitur Thanaritanum : et collige corpora sanctorum quæ ibidem inueneris : et condens corpora aromatibus digne ea sepulturæ trade : Quæ continuo somno surgens ad locum quem ei angelus domini demonstrauerat properauit : inuenitque corpora sanctorum Carpophori sacerdotis et Abundii leuitæ in humata : Collegitque ea : et magna cum reuerentia sepulturæ tradidit : Vbi usque in præsentem diem restituitur cæcis uisus : surdis auditus : mutis eloquium : claudis gressus : captique a diabolo pristinæ restituuntur sanitati . Passi sunt itaque sancti martyres Carpophorus et Abundius decimo die mensis decembris sub Maximiano et Dioclitiano imperatoribus : præstante domino nostro Iesu Christo : qui cum patre et spiritu sancto . uiuit et regnat in sæcula sæculorum .

PASSIO SANCTORVM ABDONIS ET SENIS MARTYRVM.

Posteaquam Decius cæde substulerat sanctos Olympiadem et Maximum : nunciatum illi fuit Galbam occubuisse : proinde pergit Romam post menses quattuor : secum adducens beatissimos subregulos Abdonem et Senem cathenis uinctos pro nomine domini nostri Iesu Christi et pro gloria eius : eoquod nobiles essent : ad spectaculum Romanorum : et iussit Salerianus† omnes christianos publica auctoritate teneri et recludi. Eodem tempore tenuit beatissimum senem Sistum Episcopum Romanum cum omni clero suo : et reclusit eos in custodia publica : et fuerunt clausi multis diebus. Tunc ueniebant ad eos multi christiani : ut benedictionem ab eis acciperent : quia tempus persecutionis urgebat : et sic in custodiam ueniebant : et deferebant filios suos et propinquos ex paganis : et baptiza | bantur a beato Sisto Episcopo . Tunc Decius iussit omnem senatum conuocari : et fecit conuentum in tellure una cum Valeriano præfecto quinto calendas augustas : Et constituto Facto iussit sibi Decius præsentari Abdonem et Senem subregulos christianos : quos de perside adduxerat maceratos diuersis pœnis : Et dixit Decius ad Senatum : Audiat cœtus uester patres conscripti : dii deæque tradiderunt nobis hostes ferocissimos . Ecce inimici reipublicæ et Romani Imperii : et introducti sunt ornati ex auro et lapidibus preciosis uincti cathenis : Quos cum uidisset omnis senatus : mirari cœperunt in aspectibus eorum. Tantam enim gratiam contulit dominus seruis suis : ut magis dolor esset in amore eorum quam furor . Tunc iussit Decius adduci Claudium pontificem capitolii . et pontifex Claudius detulit secum tripodam : Et dixit Decius Cæsar ad Abdonem et

Senem : sacrificate diis : et estote subreguli romanæ libertatis : et possidete omnia uestra et pacem Romani Imperii . Augebimini diuitiis et facultatibus et honoribus : et consulite uobis ipsis . Responderunt Abdon et senes dicentes cuncto senatui : Nos immeriti peccatores semel nos obtulimus domino nostro Iesu Christo oblationem et sacrificium : Nam diis tuis tu sacrifica . Decius dixit : Istis acerrima tormenta paranda sunt : et iussit Decius Vrsos feroces et Leones parari : Et dixerunt Abdon et Senes : Quid tardas : fac quod putas : et scias : quia nos securi sumus de domino Iesu Christo : qui potens est omnia machinamenta tua et te ipsum destruere . Alia uero die uenerunt : et nunciauerunt Decio : Quia Vrsi et Leones in caueis mortui fuissent . Decius autem iratus iussit sibi editionem in amphiteatro parari . Et factum est : cum uenissent ad amphitheatrum : uoluit Decius introire : sed iussit Valeriano præfecto dicens : Si non adorauerint deum Solem : ferarum morsibus lacerati intereant . Tunc Valerianus dixit ad Abdonem et Senem : Consulite natalibus uestris : et turificate deo soli : Quod si non feceritis : peribitis a morsibus ferarum . Responderunt Abdon et Senes dicentes : Iam diximus tibi nos || ipsus† deum nostrum Iesum Christum adoramus. Nam manifesto simulachro nunquam humiliamur eadem hora denudauit eos : et furore repletus deduxit eos ante simulachrum solis iuxta amphiteatrum : et præcepit militibus : ut compellerent eos ad sacrificium . Illi autem contemnentes : et expuentes in simulachrum : dixerunt ad Valerianum : iam fac quod facturus es . Tunc iussit Valerianus sub uoce præconia : ut cum plumbatis cæderentur : dicens : Deos blasphemare nolite : et iussit eos introduci in amphitheatrum : ut ferarum morsibus consumarentur : et cum ingressi fuissent : responderunt in conspectu : Valeriani dicentes in nomine domini nostri Iesu Christi introibimus ad coronam : qui interdicat tibi immunde spiritus : Et facto signo Christi introierunt in amphitheatrum in conspectu Valeriani nudi corpore : tamen induti in corpore Christi . tunc dicit Valerianus : Dimittantur leones duo et ursi quattuor : Qui dum dimissi fuissent : uenerunt rugientes ad pedes sanctorum Abdonis et Senis : et nullatenus recedebant a pedibus eorum : sed magis custodiebant eos . et dixit Valerianus : Magica apparuit ars eorum : Et nemo poterat ad eos accedere propter impetum ferarum . Tunc Valerianus furore plenus iussit : ut gladiatores introirent cum tribus dentibus gladiatorum : ut ipsi eos interficerent : Qui cum percussi fuissent : ligauerunt pedes eorum ex iussu Valeriani : et traxerunt et iactauerunt eos ante simulachra solis iuxta amphitheatrum : et iacuerunt corpora ad exemplum christianorum tribus diebus . Post triduum uero uenit quidam Quirinus christianus subdiaconus : qui manebat ibidem iuxta amphitheatrum : et collegit noctu corpora : et recondidit in arcam plumbeam in domo sua tertio calendas Augustas . Postea uero latuerunt corpora sanctorum Abdonis et Senis martyrum per multos annos usque ad tempora Constantini : De qua re factum est : quod ipsis beatis martyribus reuelantibus per tempora Constantini iam christiani a christianis leuata sunt corpora sancta : et translata sunt in cimiterium Pontiani.

DE SANCTO ACBATIO†.

Quotienscumque seruorum dei gloriosa facta memoramus : illi referimus gloriam : qui et patientem tuetur in pœna : et uictorem coronat in gloria. Martianus itaque consularis a Decio Imperatore prouectus christiane legis inimicus Achatium ad se iussit adduci : quem quoddam refugium illius religionis audierat : Et introducto ad se ait : debes amare principes nostros : homo romanus legibus uiuens Respondit Achatius : et cui magis cordi est : uel a quo sic diligitur inperator : quemadmodum ab hominibus christianis? Assidua enim pro eo ac iugis oratio est : ut prolyxum æuum in hac luce conficiat ac iusta populos potestate moderetur : et paccatum maxime imperii sui tempus accipiat . deinde pro salute militum : et pro statu orbis terrarum . Martianus ait : hæc et ipse collaudo : sed ut obsequium tuum plenius Imperator agnoscat : sacrificium illi solue nobiscum . Achatius dixit : Ego dominum meum qui est uerus et magnus pro salute regis obtestor : sacrificium uero nec ille exigere nec nos debemus exoluere . Quis enim homini sacra persoluat ? Martianus : Responde ait : cui deo precem fundis : ut ipsi etiam nos sacra reddamus : Achatius dixit :

Ego deum meum opto te scire quod prosit : et deum qui est uerus agnoscere . Marcianus ait : Nomen eius mihi enuncia . Achatius dixit : Deus Abraam : Deus Isaac et deus Iacob. Marcianus ait : Deorum ista sunt nomina? Achatius respondit : Non ista sed qui locutus est istis : ille est deus uerus . Illum timere debemus . Martianus ait : Quis est iste? Respondit Achatius altissimus adonai sedens super Cherubin et Seraphin. Martianus ait : Quid est Seraphin? cui Achatius : Altissimi dei minister : et excelse sedis antistes . Martianus ait : Quæ te philosophiæ disputatio uana decepit? Sperne inuisibilia potius : et deos ueros quos aspicis recognosce. Respondit Achatius : Qui sunt dii : quibus sacrificare me præcipis ? Martianus ait : Contrescio Apoli || ni seruatori nostro famis et pestilentiæ depulsori : per quem omnis mundus seruatur et regitur . Respondit Achatius : Illi uero ut putatis interpreti : qui infelix cum puellulæ amore flagraret : currebat attonitus ignarus perditurum se perditurus optatissimam prædam . Apertum est itaque : quod nec diuinus fuit : qui ista nesciuit : nec deus quem puella decepit . Nec hoc solum doloris excepit : crudeliori illum damno mortis fortuna multauit. Nam ut erat turpis in pueros : forma iacentis cuiusdam ut bene nostis incalluit : et miser atque ignarus futuri : disco illum quem optabat uidere occidit ipse : qui cum Neptunno aliquando seruiuit . ipse qui peccora aliena seruauit . huic sacrificare me præcipis : an æsculapio fulminato : an adulteræ nemesi et portentis cæteris : uel huius uitæ uel huius exitus? Adorabo ergo eos : quos non dignor imitari : quos contemno : quos accuso : quos horreo? Facta illorum nunc si quis omittat : seueritatem uestræ non potest legis effugere : et modo in aliis colitis : quæ in aliis uindicatis . Martianus ait : christianorum consuetudo est : multa in deos nostros maledicta confingere : propterea te uenire ad Iouem Iunonemque præcipio : ut simul celebrantes dulce conuiuium : numinibus quæ sunt reddamus . Respondit Achacius : Quomodo sacrificabo illi : cuius sæpulchrum esse constat in creta . Nunquid resurrexit a mortuis . Martianus ait : Aut sacrifica : aut morere . Respondit Achatius : Hæc et dalmatæ faciunt latrocinandi arte callentes : ubi angustias uiarum et secreta itineris loca obsederint ad nocendum : uenantur singulos transeuntes : et ubi quisque uiator pedem tulerit : hac pactione constringitur : ut aut pecuniam relinquat aut uitam. Nemo itaque sibi quid sit rationis inquirit : sed quid possit ille qui cogit . Similis est tua sententia : qui aut iniusta impleri præcipis aut minaris exitium . Nihil formido. nihil timeo . Ius publicum punit scortatorem : adulterum : furem : corruptorem sexus uirilis : maleficum et homicidam . Horum si reus sum : ante uocem tuam iam me ipse condemno . Sin uero quod deus qui est uerus colo : ducor ad pœnam : non legis sed iudi | cis uoluntate compellor . Propheta clamat interminans : non est qui faciat bonum : omnes declinauerunt : simul inutiles facti sunt. Ideo purgare te non potes : scriptum est enim : omnis in quo iudicat : sic et iudicabitur . Et iterum ut iudicas : sic et iudicaberis . et ut facis : sic et erit tibi . Martianus ait : Ego non sum iussus iudicare : sed cogere . Vnde si contempseris : certus esto de pœna . Respondit Achatius : Et mihi præceptum est : ne quando deum meum negem . Si tu seruis homini fragili atque carnali cito ab hoc sæculo recessum : quem mox uermibus scis edendum : quanto magis ego potentissimo deo obedire debeo : cuius uirtus constat in sæcula : et cuius illud est dictum : qui me negauerit coram hominibus : et ego negabo eum coram patre meo : qui est in cælis : cum uenero in gloria et uirtute prædicta iudicare uiuos et mortuos . Martianus ait : Quod discere semper optabam : repente confessus es errorem uestræ persuasionis et legis . habet ergo ut dicis filium deus . Respondit Achatius : habet . Martianus dixit quis est filius dei ? Respondit Achatius : uerbum ueritatis et gratiæ. Martianus ait : hoc habet nomen ? Respondit Achatius . Non de nomine interrogaueras : sed de ipsa filii potestate . Martianus ait : nomen explana. Sanctus Achatius respondit : Iesus Christus uocatur . Martianus ait : Ex qua dei uxore conceptus est : respondit sanctus Achatius : non hominum more deus filium ex muliebri coitu genuit : sed Adam primum dextera sua faciente formauit . Nam absit : ut tu maiestati diuinæ contractum puellæ mortalis affirmes . Luto primi hominis membra composuit : et ubi integram iam compleuerat effigiem : animam spiritumque concessit : Sic et filius dei uerbum ueritatis ex dei corde processit . Ideo scriptum est : eructauit cor meum uerbum bonum . Martianus ait : Corporalis igitur deus est. Achatius dixit : ipse solus agnoscit . nos uero non cognoscimus inuisibilem formam : sed uirtutem potentiamque ueneramur . Martianus ait : Si in corpore non est : etiam

cordis ignarus est : Nam sensus non potest esse sine membris . Respondit Achatius : || Non in nis membris sapientia nascitur : sed a deo datur . Quid ergo pertinet corpus ad sensum? Martianus ait : Cathafrygas aspice homines religionis antiquæ ad mea sacra conuersos reliquisse quod fuerant : et nobiscum diis uota persoluere : et tu similiter parere festina . Omnes catholicæ fidei legis collige christianos : et cum his relligionem nostri imperatoris imitare . Veniat tecum omnis populus : qui ex tuo tendet arbitrio. Respondit Achatius : Illi omnes non meo nutu sed dei præcepto reguntur . Audiunt me itaque : si iusta persuadeam : sin uero peruersa et nocitura : contemnunt . Martianus ait : omnium trade mihi nomina . Respondit Achatius : Nomina eorum cælesti libro et diuinis paginis sunt annotata . Quomodo ergo oculi mortales aspicient : quod immortalis uirtus dei et inuisibilis annotauit . Marcianus ait : Vbi sunt magi socii artis tuæ : uel doctores huius artificiosæ falaciæ ? Respondit Achatius . Nos a deo omnia emeruimus et meremur : sectam uero magicæ artis horremns† . Martianus ait : Ideo magi estis : quia nouum nescio quod genus relligionis inducitis . Respondit Achatius : Illos destruimus : quos uos prius facti sic timetis : defitient enim uobis dii : sicut artifex saxo : aut saxum non abundaret artifici . Timemus enim nos illum : non quem fabricamus : sed a quo fabricati sumus . Qui nos creauit ut dominus : amauit ut pater : et æternæ morti quasi bonus patronus eripuit. Martianus ait : Da nomina : ne pœnæ ipsi succumbas . Respondit Achatius : Ante tribunal assisto : et nomen inquiris? An speras : quod multos ualeas uincere : quem ego solus extinguo? Si cordi tuo nomina sunt : Achatius uocor : Et si proprium nomen meum imploras : uocor agathosangelus et piso troianorum episcopus : et Menander præsbyter . Fac itaque : quod placet . Martianus ait : Recipieris in carcere : ut Imperator cognoscat : et eius nutu quid de te agi decernatur . Lectis itaque omnibus gestis . Decius imperator altercationem tam crebræ responsionis ammirans uersus in irisum est: et Martiano prefecturam pamphiliæ mox dedit . Achatium uero uæhementer | ammirans estimationi propriæ et legi suæ reddidit : hæc confecta sunt Martiano consulare imperatore Decio : tertio calendas aprilis .

PASSIO SANCTI ADRIANI MARTYRIS CVM ALIIS TRIGINTA TRIBVS MARTYRIBVS .

Factum est in secunda interrogatione Maximiani tyramni : ut ut ingrederentur persecutores nicomediorum ciuitatem ad interficiendos per singula loca eos : qui in Christum crederent . Et dum introissent Ciuitatem : Festinius rex perrexit ad templum : et protinus in faciem suam adorauit deos suos : et iussit eis statim sacrificia offerri : Cumque hæc audisset multitudo ciuitatis cum festinatione uenerunt : et offerebant tauros : alii uero Vitulos : quidam uero Oues et arietes et hircos . uel etiam uolatilia . Erat enim idolis repleta tota Ciuitas : et ideo sacrificabant per omnes regiones : ut replerentur odore fumi sacrificiorum . Præcones autem ad stantes uociferabant uoce excelsa : ut omnes aduenirent ad offerendas hostias et uictimas diis suis . Qui autem ex his contempsissent tormentis affligerentur . Si quis uero reperiretur christianus. igni consumeretur . Constituerunt autem quosdam : qui sua solicitudine diligenter requirerent per omnem regionem uel ciuitatem : ut si inuenirent uiros ac milites credentes Christo : sollicite eos ad iudicem perducerent proponentes eis diuersa tormenta uel ignem amarissimum : si aliquem occultassent . Hi uero qui iudicassent† : acciperent præmia a rege : Quo audito : uicini uicinos tradebant : amici amicos : propinqui propinquos attendentes dona præmiorum . Quidam autem non propter munera : sed timore regis tradebant domesticos suos . Pœna enim terribilis posita erat aduersus eos : qui celassent christianos. Tunc aduenientes hi qui propositi erant ad inquirendos : occulte nunciauerunt principi Maximiano dicentes : Ecce sunt quidam christianorum absconditi in spelæo audivimus autem eos psallentes in uigiliis || Nocturnis . Audientes uero hæc qui erant primi in palatio : adsumentes secum multitudinem militum : et uenientes circumdederunt spilæum† et compræhensos eos qui erant ibi perduxerunt ad ciuitatem : in qua erat rex ferro uinctos per omne corpus . Factum

est autem : cum procederet Rex ad adorandos deos suos : ut offerret eis hostias . ob : tulerunt† eos regi dicentes : Ecce rex circumeuntes nos omnem ciuitatem ac regionem : inuenimus cunctos adorantes et colentes deos magnos : et obedientes tuis præceptis. hi uero sunt inuenti contemnentes tua præcepta et insuper iniuriantes deos tuos. Statim autem ut audiuit Rex hæc uerba iussit stare currum suum : Et dum apropinquassent currui eius : dixit ad eos Rex : Vnde estis? de ista an de alia regione? At illi dixerunt : Nati quidem in hac patria : secundum fidem Galilei sumus . Maximianus rex dixit : Non audistis : qualis pœna præposita sit aduersus eos : qui huius religionis sunt : At illi dixerunt : Audiuimus quidem : et irrisimus tuam stultam iussionem . irrisimus etiam Sathanam : qui operatur in filios infidelitatis : quorum princips† es tu . Rex uero dixit ad eos : Et audetis stultam nostram dicere uissionem†? Per deos magnos tormentis amarissimis consumam corpora uestra . Et dixit ad principes : extendantur : cædantur lignis : et uideamus : si uenerit deus eorum adiuuare eos : uel si eripiet eos de ira ista . Nam adducti sunt tres questionarii ad cædendos eos neruis crudis . Sancti martyres dixerunt : Adauge et alios tortores inimico dei : quia quanto amplius adduxeris tortores : tanto magis amplius multiplicas coronas nostras . Maximianus tyramnus dixit ad eos : Infelicissimi ecce modo faciam abscidi capita uestra : adhuc et coronas expectatis? Abnegate igitur uestram perfidam doctrinam : et nolite in uanum perdere uosmetipsos . Sancti Martyres dixerunt : Perdat te dominus : quoniam seruos dei sine causa affliglis† : qui sunt inculpabiles. Maximianus dixit : Lapidibus inrotondis contundite ora ipsorum . Quæstionarii uero accipientes lapides contuderunt ora ipsorum. Martyres dixerunt : Quasi inuene | ris nos perperam agentes : sic nos tradidisti tormento huic immisericordi : Nunc percutiet te dominus . Adhuc non es exatiatus tormentis quæ superinduxisti in nos nec horruisti tot horis super nequissimam pœnam : uel quæ induxisti super nos supplicia : nec hoc consideras : quod corpore circumdati sumus sicut et tu : Licet tuum corpus secundum uoluntatem malam impium scias ac nequissimum. lapides quidem tui acutissimi non poterunt conterere maxillas nostras . Agnosce hæc o fili Diaboli . Audiens hæc tyramnus cum magno furore dixit : Per deos magnos linguas uestras faciam amputari : ut ex uobis discant omnes homines non contradicere dominis suis . Christi uero Martyres dixerunt Nequissime tyramne : si tu eos qui suos dominos contempnunt : odio habes : uel tormentis affligis : quomodo nos cogis contradicere deo nostro : ut merito patiamur ea : quæ tibi præparata sunt? Maximianus dixit : Quid enim michi paratum est puniendi . Sancti Martyres dixerunt : Quæ præparauit deus diabolo et angelis eius et uasis eius : quod estis uos impiissimi : ignem inextinguibilem et uermem non morientem tormenta non finienda : pœnam æternam : lacum perditionis : tenebras exteriores : ubi est flætus oculorum et stridor dentium . Sed et alia tormenta : quorum species scit ipse solus : qui ea uobis præparauit . Maximianus rex dixit : Ecce nunc faciam linguas uestras abscidi . Sancti martyres dixerunt : et si organum nostre laudationis abscidas : melius poterit ascendere ad deum gemitus cordis nostri : et melius clamabit ad deum cor nostrum : Nam omnis sanguis noster quem in uaucum† effudisti habet os magnæ uocis super turbam clamantem ad deum pro quo hæc patimur : Dum audisset hæc rex : furore repletus ait : Annotate uniuscuiusque responsionem : et constrinctos eos ferro per omne corpus perducite in custodiam uiculatorum† : ac per omnia affligite eos : ut sicuti desyderant : tormentis eos conteram . Non enim solius gladii pœna digni sunt . Necesse est enim : ut horum exemplo omnis patria corrigatur . Adrianus uero nomine qui erat prior officii uidens constantiam et magnanimitatem eorum aduersus tormenta || dixit ad martyres Christi : Adiuro uos per deum uestrum : pro quo hæc patimini : dicite mihi inueritate† : quæ est remuneratio uestra quam expectatis pro his tormentis : Videntur enim mihi aliqua magna et mirifica esse : quæ expectatis . Respondentes sancti martyres dixerunt : Non potest nec os nostrum sufficiens esse ad enarrandum de his : neque auris ad audiendum ea percipere . Adrianus ait : in toto nihil audistis : neque per legem : neque per prophetas : neque ex alia scriptura : Responderunt sancti martyres : et dixerunt ad eum : Nec ipsi prophetæ agnouerunt : sicut oportebat : homines enim erant simpliciter deum colentes : et quæcunque acceperunt per spiritum sanctum : hæc et locuti sunt. Scriptum est enim de illa gloria sic : Oculus non uidit : et auris non audiuit : nec in cor hominis ascendit : quæ præparauit dominus dilligentibus se . Et cum audisset

hæc Adrianus : statim exiliens stetit in medio eorum : et dixit : Annotate meam confessionem cum his sanctis et athletis dei : quia et ego christianus sum et mox cum festinatione aduenerunt exceptores ad palatium : ut renuntiarent hæc regi . Videns eos Maximianus Rex suspicabatur : quod Adrianus aliquam acusationem scripsisset aduersus martyres Christi : et ait : Legite celerius relationem : quam transmisit dilectissumis† noster Adrianus . Existimabat enim eum : quod aliquam contrariam relationem aduersus martyres Christi scripsisset . Exceptores uero respondentes regi dixerunt : Ne existimes Rex : quod accuset eos : sed semetipsum christianum profitetur . Rogauit enim nos : ut nomen eius cum eis qui damnati sunt scriberemus. Audiens hæc Maximianus Rex iratus est ualde : et iussit eum celerius duci ad se : Qui cum uenisset : dixit ad eum Maximianus Insanis Adriane? Nunquid et tu uis tam male perire? Adrianus dixit : Non insanio Rex : sed ex multa insania ad sanam mentem reuertor . Maximianus dixit Quid multum loqueris Adriane? Pete tibi indulgentiam a me : et dic in conspectu omnium : quoniam subreptum est mihi hæc talia loqui . Sed et dele hæc : quæ dictaueras ex | ceptoribus : ut nomen tuum scriberent cum condemnatis istis . Adrianus dixit : et hoc quidem ego a deo meo indulgentiam petam pro prauis operibus meis : et de his qui me præuenerunt errores . Audiens hæc Maximianus furore repletus est : et iussit eum ferro uinctum pertrahi ad carcerem cum sanctis martyribus : constituens diem : quando ipsum et sanctos martyres audiret. Vnus uero ex seruis Adriani currens cum festinatione ad domum : nunciauit coniugi eius Nataliæ dicens : Dominus meus ferratus perductus est ad carcerem . At illa audiens hæc surrexit : et scidit stolam suam : et hululans emisit uocem suam cum flætu et ait ad puerum : In qua enim culpa inuentus est : ut clauderetur in carcerem dominus meus . Respondens dixit ad eam : Quosdam uidit torqueri propter nomen eius : qui dicitur Christus : et illis non aquiescentibus ut sacrificarent diis : nec omnino obtemperarent præceptis regis : tunc et ipse dixit ad exceptores : Scribite et me cum uiris istis : libentissime enim cum his ipse moriar . Respondit Natalia et dixit ad ipsum puerum : Et non intellexisti ex qua causa torquebantur illi? Respondit puer : et dixit ad eam : Iam dixi propterea : quia noluerunt sacrificare . hæc cum audisset Natalia repleta est gaudio : et surgens mutauit stolam suam scissam : et currens abiit ad carcerem uelociter ad Adrianum : Erat enim ex parentibus christianis : et sanctorum filia . Quæ ante quidem timuerat se manifestari quod esset christiana propter imminnentem amarissimam persecutionis impietatem : et dum ingressa fuisset carcerem procidens ad pedes uiri sui osculabatur uincula eius : Et dixit ad eum : Beatus es domine meus Adriane : quia inuenisti diuitias : quas tibi non dimiserunt parentes tui : quoniam sic benedicetur omnis homo : qui timet dominum . Vere dominus meus nunc congregasti diuitias in iuuentute tua : quas non poteras inuenire in senectute tua . Vere iam securus perges ad illud sæculum : recondens tibi diuitias : quas inuenies in tempore necessitatis : quibus egent hi : qui multa possident : et abundabunt hi : qui sunt pauperes . Quando || non est fœnerandi tempus : nec mutuo accipiendi : dum ullus neminem poterit liberare de pœnis : nec aliquis aliquem liberabit : nec pater filium : nec mater filiam : nec diuitiæ eum qui eas congregauit : nec serui proprium dominum : nec amicus amicum . Omnes enim propriis sarcinis solliciti sunt . Tu enim solus domine meus omnia tua mecum habes . perge ad Christum : ut percipias illa promissa . Propter quod perge fiducialiter ad eum : nihilque timeas futurorum malorum : ut percipias debitam tibi mercedem a domino tuo . Conculcasti enim ex hoc ignem in extinguibilem† : et reliqua tormenta : Sed et hoc te peto domine meus ut permaneas in hac uocatione : qua uocatus es : Nec pulchritudo tua intuitum tuum impediat : nec affines . nec parentes nec diuitiæ . nec possessiones . nec pueri nec puellæ nec aliud aliquid terrenum . Omnia autem hæc transeunt : omniaque corrumpuntur : illa nunc solummodo pone ante oculos tuos : quæ sunt æterna : et ne aspicias hæc : quæ pertranseunt : nec intuitum tuum dissoluant amicorum adulationes : nec furentur tuam fidem suis molibus ac seductoriis uerbis . Quin potius habeto odio eorum adulationes : abnega eorum impiissima consilia . Ad eos solos attende : qui tecum sunt sanctos . imitare eorum constantiam et patientiam : nec te terreat furor regis : nec timeas diuersas speties tormentorum : nec te conturbet ignis : neque flama perterreat . Et dum finisset loqui hæc tacuit : Iam enim ad uesperum erat . Tunc dixit ad eam Adrianus : Perge nunc in domum tuam soror mea : et refice aliquid. Et dum agnouero fieri inter-

rogationem nostram mittam : et accersam te : ut agnoscas finem nostrum . Exurgens autem Natalia a pedibus uiri sui : circuibat omnes sanctos illos : et osculabatur singulorum uincula : erant enim numero . XXXIII : et deprecabatur eos dicens : Rogo uos serui Christi : docete eum consilia patientiæ . dicite ei quæ sunt illa præmia : quæ dantur iis : qui permanent . Ipsum enim sanguinem uestrum obtulistis sacrifitium in tribulatione uestra Hic enim est fructus tormentorum uestrorum . his semper doloribus salui efficiamini | Lucrificite et uos huius animam cum animabus uestris : ut sit debitor uester Christo . Et in hoc sitis eius patres pro his : qui erant secundum carnem parentes eius impiissimi . et ideo confortate eum de illis beatissimis monitis : ut futura credens adimpleat agonem . Et dum hæc dixisset : procidit ad pedes eorum : et adorauit uinculua† eorum : quibus circumdati erant : et iterum ingressa est ad Adrianum : Erat enim in interiori custodia extensus in ligno : et dixit ad eum : Vide domine meus ne aspicias ad pulchritudinem corporis tui : nec ad decorem iuuentutis tuæ : hæc autem omnia esca uermium sunt . Nec seducat te aurum aut atgentum† aut uestes preciose aut possessiones : uel reliquorum implicatio . Non enim addetur cuiquam in hora illa iudicii : quoniam omnia ista hic remanent . Nec enim est illic : quod aliquis det munera pro anima sua . nec est : qui accipiat . Solummodo enim sanctarum animarum munera suscipiet dominus . Et dum hæc dixisset : uale faciens abiit in domum suam. Post dies autem aliquos dum uidisset Adrianus : quod fieret eorum interrogatio : dixit ad sanctos martyres : Si adquiescitis mihi domini mei : ut adducam ancillam uestram sororem meam : et præsit passioni nostræ : Spopondi enim ei cum iuramento dicens : quoniam in fine passionis nostre accersam te : Et dum adquieuissent : dedit munera his : qui erant custodes : et perrexit : dans fideiussores congregationem sanctorum martyrum qui erant ibi . Et dum pergeret uidit eum quidam conciuis illius ciuitatis et agnouit eum : Et præcurrens nunciauit Nataliæ dicens coniugi ipsius : Absolutus est Adrianus : et ecce uenit per uiam : Iam enim in proximo reliqui eum . Audiens autem hæc illa non credidit dicens : et quis potuit eum absoluere de uinculis illis? Non mihi contingat : ut absoluant illum : nequando separetur a sanctis illis. Et dum adhuc loqueretur : ecce puer domesticus eius superuenit dicens : Cognosce : quia dominus meus dimissus est : et ecce uenit : Et dum hæc audisset Natalia suspicata est : quod refugisset martyrium : et contristata est ualde : et flæbat amarissime : Et cum uidisset || eum surgens proiecit : quæ erant in manibus suis : et clausit hostium domus : clamansque dicebat : Longe a me efficiatur hic : qui corruit a domino suo . Non mihi contingat iam loqui ori illius per quod abnegauit dominum suum : nec audiam ex lingua : quæ dolose egit in conspectu factoris sui : et conuersa dixit ad eum : O sine deo præ omnibus hominibus . quis te coegit appræhendere opus : quod non potuisti perficere? Quis te seperauit a sanctis : aut quis te seduxit : ut recederes a conuentu pacis uel repausationis? Dic mihi : quare in fugam conuersus es : ante quam fieret pugna? Quare proiecisti arma tua ante quam uideres repugnantem tibi hostem? Quomodo uulneratus es necdum emissa sagitta? Et ego mirabar si ex gente sine deo : et de ciuitate ipsorum aliquid deo offerretur . Quomodo poterat ex gente homicida hostia munda domino consecrari? Nec enim poterat ex loco immundissimo et de medio eorum qui amatores sunt effussionis sanguinum mundissimum thimiama offerri domino . Nunc ego quid faciam infelicissima : quæ cuncta æterna pro terrenis respuenti huic ex impiis impio uiro coniuncta sum? Nec concessum mihi est unius horæ spatio : ut uocarer uxor martyris : sed ut dicerer coniunx transgressoris . Ad modicum quidem exultatio mea fuit : et ecce per sæcula erit obprobrium meum . Ad horam exultaui inter mulieres : et ecce cum confussione conuesor† in medio earum . Beatissimus . Adrianus hæc audiens libentissime suscipiebat uerba eius. Valde enim curabatur sermonibus eius : amplius anxians implere : quod promiserat Mirabatur autem : quod ex ore fœminæ talia egrederentur : eo quod esset iuuenis : et nuper nupta . Erant enim menses tresdecim ex quo cognouerat uirum suum : et commorata fuerat cum eo . Beatus autem Adrianus cum uidisset eam tribulari ualde. et omnino afflictam : dixit ad eam : Aperi mihi domina mea Natalia : non enim sicut tu existimas effugi martyrium : Non mihi contingat hoc : sed ideo ueni : ut accipiam te : et præsens sis consumationi nostre : sicut promiseram tibi . At illa non credebat dicens : Vi | de quomodo me seducit transgressor : ecce quomodo mentitur alter iudas . Recede a me homo : nam me ipsam interficiam : ut satieris : Et dum moraretur

ad aperiendum : dixit ad eam : Aperi citius : Nam uadam ultra non uidens te . Et post hæc lugebis eo quod non uideris me ante excessum meum . Fideiussores enim dedi congregationem sanctorum martyrum : Et dum inquisiuerint me : et non inuenerint : ii qui præsto sunt : sustinere habebunt sancti martyres etiam et mea tormenta simul et suas proprias pœnas : et non poterunt sufficere : dum sunt quasi mortui ex his pœnis : quæ illatæ sunt eis a tyramno . Dum audisset Natalia uerba hæc : statim aperuit ei : et inuicem se suis uestigiis prostrauerunt : Et dixit ad eam uir suus : Beata es inter mulieres : quoniam tu sola apparuisti super terram amans uirum tuum. Benedicta corona tua : tu enim es fructus uictoriæ : et martyrum consors : etiam si non patiaris . Et accepit eam et perrexit . Euntibus autem eis in uia : dixit Adrianus : Dic quomodo ordinasti soror mea sustantiam† tuam : At illa respondit : et ait ad eum : Noli domine meus noli memorare iam quæ sunt mundi huius : ne te adtrahant ad se. Solummodo hoc memorare in quo uocatus es sanctorum consortium . Auferantur ergo a te omnia sæculi huius corruptibilia . Solummodo illa uidere festina : quæ non transeunt : quæ reposita sunt tibi et illis sanctis : cum quibus ambulas in uia domini : Et dum ingressi fuissent carcerem : festina procidit ad pedes sanctorum ancilla domini : et adorauit uincula eorum . Inuenit enim corpora eorum putrefacta a tormentis ita : ut uermes caderent de hulceribus eorum : Et inclinans se extergebat omnem putredinem eorum . Mittens autem puellas suas : iussit ut afferrent ei omnia linteamina eius multa et ualde pretiosa . Erat enim in clarissimis fœminis secundum parentes et secundum uirum bene nata in omnibus : Et dum attulissent puellæ linteamina : accipiens manibus suis tergebat de eis hulcera sanctorum : et colligauit de ipsis manus et pedes eorum . Erant enim dissoluta membra eorum de pondere ferri. Perman || sit autem cum eis in carcere diebus septem curans uulnera sanctorum martyrum . Completa autem die productorum eorum : Maximianus Rex iussit exhiberi sanctos in conspectu suo . Et statim aduenientes ad carcerem hi qui missi fuerant compellebant eos ut egrederentur : Et dum uidissent eos resolutos a pœnis : sic in nudis animalibus portauerunt eos : quia non poterant ambulare : Omnes enim uincti fuerant in una cathena : Adrianus uero Athleta Christi sequebatur eos uinctis retrosum manibus : Et dum appropinquassent auditorium uidens eos is : qui appositus erat super causas introiuit ad regem et ait : Ecce præsentes sunt ante consistorium condempnati illi. Maximianus tyramnus dixit : succincto perpendiculo ante pudenda introducantur simul : ut inuicem uideant suos cruciatus . Coommentariensis† dixit regi : Illi qui prius tormentis afflicti sunt : non possunt interrogari : sed Adrianus nunc introducatur : qui adhuc recens est . Nam illorum utique corpus ita putrefactum est : ut costæ eorum forinsecus uideantur : et si modo interrogati fuerint : expirant : et finiunt uitam : et non percipiunt : quæ eis præparata sunt tormenta . Nos enim uolumus† : ut in compendio torti finem uitæ accipiant : quasi nihil peccauerint . Nunc ergo accipiant inducias paucorum dierum : ut dignam factis suis percipiant pœnam. Si ergo iubes nunc Adrianus intoducatur† . Maximianus Rex dixit : succinto perpendiculo introducatur : Et dum expoliauissent eum : introduxerunt illum portantem per semetipsum eculeum : Et dum pergeret : dixerunt ad eum sancti martyres . Ecce Adriane dignus effectus es : ut tollens crucem sequaris Christum . Vide ergo ne absoluaris timore et reuertaris retorsum† : et fiat merces tua inanis : et ne thesaurum tuum deprædetur diabolus : Nec te terreant ea : quæ uides tormenta : sed respice ad ea : quæ expectas : et fiducialiter accedens confunde mentem tyramni . Non : enim condignæ sunt passiones huuis† temporis ad futuram gloriam : quæ reuelabitur in nobis . Natalia uero adiungens se ei dicebat : Vide domine meus : ut solummodo | ad deum fiat mens tua : ne tuum cor in aliquo trepidet : dum uideris tibi proposita tormenta . Labor quidem nunc modicus : sed in sæcula sæculorum laudatio : sed et æterna repausatio . Modicum quidem patieris : sed continuo cum angelis exultabis : Si enim dum carnaliter militabas ab his qui erant principes tui : nudus uirgis cædebaris propter modica stipendia : multo magis nunc sustine omnia : quæ inferuntur tibi tormenta propter regna cælorum . Et dum intus fuisset Adrianus : uidens eum Maximianus tyramnus dixit : Adhuc permanes tu in illa insania : et uis de hac uita male exire? Adrianus dixit : Iam tibi dixi : quoniam recessi ab amentia : et ideo paratus sum uitam finire . Maximianus dixit : Ergo nunc non sacrificas : nec adoras deos inuictissimos : sicut ego et omnes? Adrianus dixit : Quare tu dum erras alios errare

facis : et temetipsum perdas : et multitudinem hanc populi : quos adorare facis deos tuos qui sine anima sunt : ut relinquant dominum : qui fecit cælum et terram mare et omnia : quæ in eis sunt? Maximianus dixit : Ergo modici uidentur dii : qui magni sunt? Adrianus dixit : Neque modicos neque magnos dico eos : sed sunt nihil : Et dum hæc audisset tyramnus : iussit eum lignis tundi . Audiens autem beatissima Natalia : quoniam cœpit cædi : festina cucurit ad sanctos martyres annutians† eis et dicens : Ecce dominus meus Adrianus inchoauit martyrium . Audientes autem hæc sancti mox steterunt in oratione . Tyramnus uero dixit ad eos : qui eum cædebant : Dicite ei : noli blasphemare deos . Adrianus dixit : Si ego ita torqueor pro eo quod blasphemauerim eos : qui non sunt : putasne qualia et quanta sunt tormenta quæ tibi præparata sunt : qui deum uiuum et uerum blasphemas? Maximianus Rex dixit hæc uerba te illi seductores docuerunt : Adrianus dixit : Quare seductores dicis eos : qui ductores sunt uitæ etærnæ†? Seductores magis estis uos : qui laqueatis animas ad perditionem . Audiens hæc Maximianus ex furore repletus iussit eum a quattuor lignis cædi ualidissimis . Adrianus dixit : quantum multiplicas in me diuersa tormenta : in tantum ampli || as mihi multitudinem coronæ . Omnes uero interrogationes et responsiones quæ fiæbant Adriano : renunciabat Natalia sanctis martyribus . Maximianus dixit : Ergo nunc confitere deos : et parce tibi uel iuuentuti tuæ : Vt quid in uanum festinas perire? Iuro tibi per deos : quoniam uidens pulchritudinem tuam compatior tibi : Adrianus dixit : Ecce parco mihi : ut non in toto peream . Maximianus dixit : ergo nunc confitere deos : ut tibi propicientur : et ut te honorificent : et in locum tuum te restituant : Non enim similis illis exs† qui tecum uincti sunt . Tu enim bene nati et magni filius : licet sis iuuenis : tamen honoribus dignus es : illi autem rusticani et filii stultorum sunt et pauperes. cui Adrianus : Noui quia scis patriam meam vel genus nec non et auos meos : Si autem nunc cognosceres illorum sanctorum bene nationem uel diuitias aut patriam quam expectant : statim caderes ad pedes eorum prouolutus : et deprecareris eos ut orarent pro te . Sed et propriis manibus inciperes confringere deos tuos . Audiens hæc Maximianus rex : iterum iratus est : et iussit eum a quatuor uiris fortissimis in uentre cædi : Et dum uidisset effundi uiscera eius : uissit† parci ei : Erat enim ipse beatissimus iuuenis et delicatus annorum circiter uiginti et octo . Maximianus dixit ad eum : Videsne quantum tibi parcam : Si ergo solummodo uoce tua inuocasses deos : statim fecissem uenire medicos : ut curarent uullnera† tua . et hodie mecum esses in palatio. Adrianus dixit Quamuis promittas mihi ut curer a medicis : uel etiam honores me et introducas me in tuum regale palatium : et quamuis dii tui promittant se mihi repropitiari : ipsi mihi dicant ore suo : quid mihi facturi sint : uel quale beneficium mihi conferant : et tunc adorabo eos : et sacrificabo eis : uel hostias eis offeram : quemadmodum tu uis . Maximianus dixit : hi loqui non possunt . Adrianus respondit Impiissimo : quid ergo sacrificas tu qui loqueris : eis qui non loquuntur? et cum audisset Tyramnus ualde iratus est : et iussit eum cum his qui cum eo uincti fuerant. constrictum ferro mitti in carcerem constituens diem : in quo omnes | simul producerentur ad audiendum . Et accipientes eos milites perduxerunt in custodiam . Alios trahebant . alios uero qui soluti erant a pœnis portabant . Beatissima autem Natalia solicite consolabatur Adrianum uirum suum et mittens manum suam sub ceruicem eius dicebat ei : Beatus es domine meus eo : quod dignus effectus es in numero sanctorum. Beatus es lumen meum : ut patiaris pro eo : qui pro te passus est . Perge nunc dulcis meus : ut uideas gloriam eius . Qui enim communicauerint passioni eius : similiter communicabunt et gloriæ . Et dum introissent in carcerem : reclusi sunt gaudio repleti. Accedentes autem omnes salutabant eum : etiam qui in pauimento iacebant et ambulare minime poterant reptantes manibus suis festinabant offerre ei pacem et osculari eum osculo sancto : Beata uero Natalia extergebat sanguinem beati Adriami† et superiungebat ex eo corpus suum : et dum osculati essent eum sancti martyres : dicebant ei : Lætare in domino dilectissime quoniam nomen tuum scriptum est cum perfectis seruis domini . Andrianus† autem dixit ad eos : Vos gaudete : uestra enimi† corona est. et uester labor : Sed magis orate : ut nihil aduersum me sæminet Diabolus . Multum enim defeci corpore . Sancti martyres dixerunt ad eum : Confide : quoniam non præualebit diabolus aduersum te . Longe enim fugiet a tua patientia . Et quidem nos timebamus de te : cum adhuc esses homo : cum autem supergressus es naturam humanam non poterit iam amplius aduersarius præualere aduersum te . Non ergo formides : quo-

niam Christus est uictoria tua . Diaconissæ uero uel etiam aliæ mulieres quæ erant : nocte permanebant in carcere curantes hulcera sanctorum : Aliæ quidem curabant uulnera : aliæ autem suis stolis quibus uestiebantur extergebant putredinem uulnerum eorum. Omnes uero diuiserunt sibi numerum sanctorum ad ministrandum eis . Cognouit autem tyramnus : quia concurrebat ad eos multitudo fœminarum ualde honestarum et contristatus est ualde : et præcepit : ut prohiberentur ingredi ad eos . Videns hoc sancta Natalia quod || prohibitæ sunt mulieres ministrare eis . exurgens totundit† crines suas : et induit uestem uirilem : et introiuit sicut uir ad sanctos martyres : et curabat omnium uulnera quotquot susceperant supradictæ illæ fœminæ ad curandum : Et dum compleret ministerium suum in cura sanctorum : ueniens sedebat ad pedes Adriani : et deprecabatur eum dicens : Rogo uos ut initium faciatis ab Adriano meo : ne forte uidens quemadmodum amarissima pœna sanctis infertur : tremefactus terreatur . Fecerunt ergo illi sicut eis dixit Natalia . Et dum supposuissent quæstionarii incudem æneam sub pedibus eius : beata Natalia apræhendens pedes sancti Adriani extendit super incudem . Questionarii uero cum magna uirtute percutientes absciderunt pedes eius. Iterum ait sancta Natalia ad beatum Adrianum comparem suum : Precor te domine meus serue Christi adhuc dum in te uiget spiritus : extende manum tuam : ut abscidant eam a te : et in omnibus æqualis efficiaris sanctis martyribus . Amplius enim te illi tormenta sustinuerunt . Extendens uero beatissimus Adrianus manum suam : dedit eis . At illa superposuit eam incudi Quæstionarii uero percutientes absciderunt eam. Et dum ammouissent a beato martyre incudem : statim redidit spiritum . Circueuntes autem milites per omnes sanctos cum incude euectæ ferro confregerunt crura eorum : Veniebant enim matyres† extendentes pedes suos : pruisquam† uenissent ad eos questionarii clamantes et dicentes : domine Iesu Christe suscipe spiritum nostrum : Et hæc dicentes : rediderunt sanctas animas . Maximianus uero rex iussit corpora eorum igni exuri dicens : ne forte ueniant galilæi : et tollant eos . Beata uero Natalia abscondidit manum sancti Adriani : quæ erat abscisa ab eo . celans in sinu suo ut non simul igni cremaretur . Quæstionarii uero secundum præceptum tyramni portabant corpora sanctorum : ut ea mitterent in ignem . Iam enim præparata erat fornax ardens . Beata uero Natalia sequebatur corpora sanctorum suscipiens stillantem sanguinem eorum : De quo tamen | ipsa in corpus suum perungebat . Sequebantur etiam aliæ mulieres religiosæ : et bene natæ suscipientes sanctorum martyrum sanguinem in linteaminibus et purpura : qui stillabat de eorum corporibus . Aliæ uero in sinus suscipientes absconderunt . Nam et uestimenta quæstionariorum quæ erant sanguine infussa sanctorum clarisimæ fœminæ comparauerunt auro multo gemmis et ornamentis preciosis . Et cum peruenissent quæstionarii ad fornacem ardentem miserunt sanctos in ignem de superiori ore fornacis . Adstantes autem mulieres clamabant flæntes et dicentes : Memoramini nostri domini in requiem ætrenam† . Natalia autem impetu facto cum uoce magna uoluit se ipsam mittere in ignem : et subito facta sunt tonitrua magna et pluuiæ et grandines et coruscationes ac terremotus : ut etiam nataret sicut in diluuio ciuitas et omnis locus . Simul etiam extincta est fornax ardens a multitudine imbrium et tempestatum . Quæstionarii uero uidentes iram terribilem : fugerunt. Alii uero cadentes in facies suas : expirauerunt . Currentes uero qui ibi aderant fideles et Natalia simul cum aliis mulieribus fidelibus et relligiosis rapuerunt sanctorum martyrum relliquias . et inuenerunt eas illæsas : ita ut nec capillus eorum exustus esset ab igne . Relligiosus autem quidam Loculius cum sua coniuge procidens ad uestigia Nataliæ uel fratrum qui aderant rogabunt† dicentes : Ecce nos iuxta ciuitatem hanc manebamus : ut essemus in secreto . horrentes uero impietatem uel sanguinis effussionem : quæ fiebat a rege impio in hac cinitate† : ideo fugientes abimus in Byzantium odientes loca nostra : propter quod date nobis sanctorum corpora : et leuamus ea in nauicula nostra : et euntes recondimus ea apud nos usque dum moriatur Rex iste impiissimus : et tunc tranlsationem† eorum dignam faciemus : ut omnes uenientes adorent eos . Si enim reliquerimus eos hic adiiciet impiissimus Rex : et tollet iterum : et incendet eos : quos dominus liberauit de igne per tonitrua et terremotus ac tempestates et placuit hic sermo in conspectu omnium : qui erant ibi : et || leuauerunt corpora eorum in nauem : et pertulerunt ea in Byzantium flante uento de pupe . Natalia uero remansit in domo sua : habens secum manum beatissimi Adriani . dicebat enim : ne forte compræhendantur corpora sanctorum : et inueniar ego simul tradens

spem meam . Accipiens uero manum sancti Adriani martyris inuoluit purpura : et in fundens in myrro : posuit eam in grabato ad caput suum nullo sciente . Post aliquot uero dies cognoscens quidam tribunus ciuitatis : quod beata Natalia esset in eadem Ciuitate : ueniens ad palatium rogauit regem : ut eam acciperet in coniugem : Erat enim multum diues et prima in clarissimis mulieribus et ualde pulchra . Tribunus uero transmisit ad eam honestas fœminas : ut ei loquerentur de coniugio . Beata uero Natalia audiens hæc uerba ita respondit : Et ego audiens hoc multum gauisa sum . Quis enim mihi poterit hoc præstare : ut coniugerer† tali uiro? Sed hoc peto : ut detur mihi trium dierum spatium : ut me præparem . Non enim existimabam me inquiri . hæc autem propterea dicebat uolens fugere : et abire : ubi erant corpora sanctorum martyrum : et his uerbis seduxit mulieres : quæ missae fuerant a tribuno . Ipsa uero post egressionem illarum abiit ad reclinatorium suum ubi erat manus sancti martyris Adriani : et procidens in faciem suam clamabat cum lachrymis ad dominum : Domine deus noster dominus tribulantium qui iuxta es his : qui tribulato sunt corde : respice in me ancillam tuam : et ne permittas maculari concorporale martyris tui Adriani . Precor te domine deus meus : ne obliuiscaris Adriani serui tui . Miserere domine miserere mei : et ne obliuiscaris uinculorum eius : quæ sustinuit propter nomen tuum . Misericors es domine : ne in uacuum facias tormenta eius et miserias quas uiderunt serui tui : qui pertulerunt propter te : sed illius memorare . Erue me domine a consortio inimicorum : ut non polluat multiformis inimicus thorum Adriani serui tui . Tu domine qui liberasti sanctos tuos de illo igne : et me libera de expectatione Impii hujus . | Et dum orasset ex multo inærore† atque tristitia soporata ect† . Et ecce uinis† de sanctis illis martyribus astitit ei dicens : Pax tibi Natalia ancilla Christi : Confide : quoniam non dexpexit te deus : neque nos obliti sumus omnium laborum tuorum : quos exhibuisti in nos. Sed statim ut apparuimus in conspectu Christi deprecati sumus eum : ut cito uenias ad nos : Cui beata Natalia dixit : Dic mihi sancte : asistit uobiscum dominus meus Adrianus coram Christo? Et dixit ei : Etiam ante nos ei apparuit . Sed exurge ascende in nauiculam : et nauigans ueni iuxta ubi sunt corpora nostra. Ibi enim uisitabit te dominus : et perducet te ad nos : et dum uigilasset Natalia : et in semetipsam reuersa fuisset : omnia sua reliquit : solummodo manum beati Adriani tulit secum : Et exiens ascendit in nauim : et nauigans uenit : ubi erant corpora sanctorum : et cum ascendisset nauim : inuenit multitudinem uirorum et mulierum : qui et ipsi fugiebant a conspectu Impiissimi regis : et cum eis nauigauit . Adsistens autem tribunus : qui eam petierat : eo quod fugisset Natalia : ingressus palatium postulabat regem adiutoria militum : et dum accepisset : ascendit nauim aliam : et sequebatur eam : et cum nauigasset quasi mille stadia : exurgens uentus contrarius reuocauit eos retrosum† : unde ascenderant . Quidam autem ex eis mortui sunt : et in impetu fluctus demersi sunt in profundum . Media uero nocte apparuit eis spiritus seductionis ubi beata Natalia nauigabat in speciem nauis : in qua etiam uidebantur esse epybatæ : et dicebat eis quasi uoce nauclerii : Vnde existis : et quo pergitis? At illa dixit . ex i comedia† ciuitate egressi sumus : et in Byzantium nauigamus . Dicit eis iterum spiritus erroris : Erratis uos : Non enim est ipsa nauigatio . Ad illam partem pergite : quæ est ad sinistram : uolens eos in pelagus mittere . Existimabant enim illi : quod uere nautæ orrientales essent : et exurgentes transmutabant uella : ut pergerent illuc quo dixerat eis . Et ecce subito apparuit eis sanstus† Adrianus ueluti in carabo sedens : et clamans dixit ad eos : Venite sic quemadmodum est uelum uestrum : nec sequamini eum : ipse est enim qui persequitur || uos : ut uos perdat . Et statim nusquam comparuit ille spiritus erroris . Exurgens autem sancta Natalia uidens : quia præcedebat eos sanctus Adrianus : repleta est gaudio . Ventus uero prosper exurgens duxit eos ad locum Byzantii priusquam illucesceret : et descenderunt de naui : et abierunt in domum : ubi erant corpora sanctorum . Procidens uero sancta Natalia adorauit sanctorum martyrum corpora : qui patenter omnia tormenta sustinuerunt . Et sumens sancta Natalia manum : quæ fuerat abscisa : posuit eam iuxsta† corpus sancti Adriani : et inclinans genua sua orauit : Et ingressa est interius cubiculum : et salutauit omnes fratres et sorores dicens : ut orarent pro ea . Illic enim erat congregata multitudo fidelium : Qui et rogabant eam : ut modicum requiesceret : ualde enim fatigata fuerat in naui : et cum requieuisset : apparuit statim sanctus Adrianus per somnum dicens : Bene uenisti in pace : ancilla

Christi et filia martyrum : Veni ad nos in requiem tuam . Veni et percipe ea : que debentur tibi . Et continuo euigilans narrauit omnibus et denuo obdormiuit : Et statim sancta Natalia emisit spiritum . Venientes uero fratres et sorores : qui erant ibi ut eam excitarent : inuenerunt eam mortuam . Exurgentes uero orauerunt : et accipientes eam posuerunt iuxta corpora sanctorum . Et dum compelerent† orationem post depositionem corporis eius signauerunt ipsam domum . Multitudo autem uirorum et mulierum ibi permanentes : et abrenuntiantes omnibus quæ sunt huius sæculi seruiebant Christo : cui est honor et gloria in sæcula sæculorum amen .

PASSIO BEATISSIMORVM MARTYRVM ADVENTORIS OCTAVII ET SOLVTORIS.

Multa et magna sunt quæ de beatissimorum martyrum Aduentoris Octauii atque Solutoris certaminibus Christianorum mentibus debeant imitanda proponi . Sed humani hæc attendant auditus : potius quam explicet sermo . Hos igitur beaa | tissimos† martyres ex illa gloriosissima sanctorum Augunensium thebæorum legione fuisse seniorum traditione compertum est : de quibus nullis† omnino periit dum nullus euasit martyrium . Multi enim ex ipsa legione quando iussu Maximiani imperatoris persecutiones passi sunt : gladiatorum manus euasisse referuntur : quibus per diuersa dispersis quam plurimas regiones Cristus dominus condrie† dignatus est ac patrociniis decorare sanctorum : E quibus hii beatissimorum Aduentoris Octauii et Solutoris martyrum : sicut propinquitate uiscerum tenebantur : ita et uinculo caritatis ac fidei qua in Christo pollebant unianimes permanserunt : ut pares essent fide . pares collegio . pares palma martyrii et gloria : Cumque : ut dictum est : persecutorum fugientes ferocitatem : ad Taurinum peruenissent urbem : illic a persecutoribus reperti sunt et ultra torrentem qui eminus a muris præfatæ fluit ciuitatis sanctus Solutor Octauius et Aduentor in Christi fide perseuerantes : eiusque nomen cum magna exultatione confitentes : gladio interfecti prætiosum sanguinem pretiosa morte fuderunt . sanctus uero Solutor ætate iunior ac uelocior gressu . Licet ictu lanceæ iam uulueratus† cursu tamen rapidissimo illic e manibus persecutorum euasisse et usque ad hipporediense oppidum perrexisse asserunt . Itaque in cripta latens harenæ a quodam paruulo sibi notissimo proditus a persecutoribus ibi est compræhensus : et procul ab ipsa harena iuxta amnem : qui Duria nuncupatur in palustribus locis perductus : dum Christianum se plena uoce confiteretur supra quendam lapidem decollatus est : Cuius gloriosissimus cruor manifeste usque in presentem permanet diem . Que paludis dei nutu siccata est . Itaque ecclesia super ædificata uirtutes ac sanitatum operationes indesinenter quottidie diuinitus exercentur . Sed ad martyrii eius gloriam reducamus articulum . Cum enim beatus Solutor ictu gladii fuisset interfectus quedam uenerabilis et Christianissima femina Iuliana nomine operiens pretiosi martyris sacratissimum corpusculum : simulans sibi placere quod factum fuerat : persecutores illos domi recepit ‖ et humanitatis gracia cibum potumque apposuit . atque ab ipsis sciscitans didicit sanctum Aduentorem Octauiumque intaurinesi† territorio fuisse interfectos : Quibus illa uenerabilis tamdiu uini potum ministrauit . Donec nimiæ inebriati et soluti animo grauiter obdormirent . Tunc beata Iuliana sanctum Solutorem in quadrigæ suæ leuans uehiculum . ad taurinensem pergens'urbem nocturnis horis properare disposuit Sic Christi maiestas gloriam sui martyris illico manifestans . memorati fluiminis† impetu dexteræ suæ uirtute diuiso . per siccum eam cum uehiculo ingredi concessit . Sicque ominum† fluminum cursus . qui interiectis spatiis utrarumque ciuitatum decurrere noscuntur uirtutis suæ potentia diuidens eam absque ullo obstaculo hilari profectione ad beatissimorum martyrum Aduentoris et Octauii corpora perduxit . Quorum sacratissima membra cum omni ueneratione suo pari coniungens : superna sibi imperante maiestate . in alteram partem transtulit ciuitatis et illic dei iussu sepelliuit . Atque in eorum honorem ibidem cellulam construxit oratoriam sibi in proximo sepulturæ memoria† subiungens . Quam oratoriam cellulam gloriosissimus sanctus Victor tauriantis† ecclesiæ antistes . ampliori spatio . miro opere miraque celeritate . dignam deco-

ramque basicam† cum atrio ædificauit . ubi ad ipsorum sanctorum martyrum uirtutes uniuersarum prouinciarum populi gloriosissimorum natalem martyrum celebrantes. quotannis conueniunt . et eorum beneficiis perfruentes : ac deuocionis cultu uirtutum eorum præmia cuncti adepti gratulantur . Passi sunt autem beatissimi martyres Aadvntor† Octauius et Solutor terciodecimo . calendas februarias Regnante domino nostro Iesu Christo cui est honor et gloria in sæcula sæculorum Amen .

PASSIO SANCTE APHRAE ET HYLARIAE AC SOCIORVM .

Apud rhetias in Ciuitate Augusta erat Narcissus . Episcopus eo tempore quo persecutio Dioclitiani feruebat . Et nesciens ubi intraret præ fuga ad meretricem ingressus est Aphram nomine cum Diacono suo nomine Felice . Illa autem uidens honestos uiros aduentores existimat impudicos . Parat enim cænam et omnia quæ solito more cum tribus puellis suis parare consueuerat . episcopus autem ueniens : ut cibum caperet : cœpit orare : et psallere . Aphra autem nunquam hoc audiuerat nel uiderat . stupore ducta cœpit requirere : quis esset : et dictum est hunc episcopum esse : et statim cecidit ad pedes eius dicens : Domine indigna sum ego : et nulla me turpior inuenitur aliqua in hac ciuitate : cui respondens sanctus Narcissus episcopus dixit : Saluator meus a turpissima tactus inquinari non potuit : quia illius sanctitas omnes sordes diluit : atque mumdauit† : non sordes inquinatæ inquinare potuerat domini claritatem . Nam lux de cælo ueniens et splendor solis dum mundo funditur : de cæno inmundus leuatur . Vnde et tu filia sucipe† in te lumen fidei : ut purificata ab omni peccato possis in introitu perpetuæ largitatis gaudere . Dixit ei Aphra Ego tanta peccata commisi in corpore meo : quanti nec capilli sunt in capite meo . Tunc Aphra conuocans puellas suas dixit eis : Iste homo qui uenit ad nos episcopus est christianorum : et dixit mihi si credideris Christo et baptizata fueris : ab omni peccato poteris emundari . Quid uobis uidetur . respondete . Digna . Euprepia et Cumenia† dixerunt . Tu domina nostra es . si te secute sumus ad inquinamenta : quare te non sequemur ad in dulgentiam† peccatorum . Tu caput nostrum es : quocumque ierit caput necesse est : ut et membra sequantur . Inter utrosque sermones earum nox initium sumpsit . Et incipiens Episcopus hymnun deo canere cum diacono suo Felice . simul habuit Aphram cum suis puellis . Mane autem orto die cœpit inquiri episcopus ab Aphra dicentibus ei exploratoribus : Vbi sunt uiri : qui ad te || intrauerunt . Aphra dixit : hospites amatores mei fuerunt : et abieruut† ad sacrificandum . Illi autem exploratores qui uenerant : ut audierunt ad sacrificandum : putantes ad capitolium uel ad templum eos isse : subduxerunt se : et remansit unus ex eis : qui diceret : Ego cognoui illos : qui sero uenerunt christianos esse pro eo : quia omni ora signabant frontes suas signo crucis . quo ille Christus eorum passus est . dixit ei Aphra : Ad me meretricem habebant intoire† : si christiani fuissent . Ad me non ueniunt nisi : qui mei samiles† sunt : Ille autem hoc audiens non credidit . Tunc abiit Aphra ad matrem suam nomine Hylaryam : et dixit ei : Episcopus christianorum uenit ad me nesciens ubi intraret : tota nocte expandens manus suas ad deum suum psallens ei . circa pullorum uero cantus extinxit se lumen cicindeli : et ego cœpi festinare quærens lumen . Tunc dixit mihi Diaconus eius : Noli quærere lumen extinguibile : modo tibi ostenditur lux quæ extingui non potest : Et dixit Episcopus : Veni Lux de cælo mea : et ostende faciem tuam : et salui erimus : Et statim uenit fulgur de cælo sicut sol : et coruscus ante tonitruum et non recessit sed tandiu ibi stetit : quandiu aurora inciperet : Et cum ille oratiomem† fecisset : iussit sibi responderi amen . et fulgur paulatim recessit ab oculis nostris : Et post hoc factum : misi me ad pedes eius et dixi illi : Domine iniuriam tibi grandem fecisti : qui ad me introisti : quia sum mulier peccatrix : Et ille dixit mihi : Vbi me dominus deus meus fecit ingredi : ibi ingressus sum. Mane autem facto circa tertiam horam diei : ostenderunt se mihi : qui antequam lucesceret : insidiati fuerant . ut exeuntem tenerent : et occiderent eum . Sed cum mox exiret : conuenerunt me . Ego uero ubi fascinas ligni habeo compositas : ibi abscondi eos : et timeo ne scrutentur locum . Sed si iubes domina mater : hic eos transire faciam : quia promisit mihi : et

dixit facio te Cristianam : et omnia peccata tua dilluuntur . Mater uero eius hoc audiens gaudio repleta est : et dixit : Præstet dominus : ut et mihi hoc contingat . Cui respondens Aphra : dixit . Ergo nocte ueniente trans | migro eos huc . Respondens mater eius Hylaria dixit ei : etiam si noluerit : roga eum . Vespere autem facto rogauit sanctum : Narcissum episcopum : et migrauit ad matrem eius. Ingresso autem domino Narcisso episcopo : factum est gaudium magnum ita ut Hilaria per tres horas teneret pedes eius : ac diceret : Obsecro te domine et me facias mundari a peccatis meis . Tunc sanctus Narcissus episcopus dixit ei : Beata est fides tua : quia antequam disceres uerbum ueritatis : ipsam ueritatem quam per uerbum uis agnoscere meruisti . Tamen quia uideo te capacem esse uerbi dei : hodierna die simul incipe tenere ieiunium : et per septem dies tenete ieiunium : et audite sermonem ueritatis . Octauo autem die purificabimini ab omni peccato : et eritis tales : quales fuistis ab infantia non habentes reatum nullumque peccatum . Dixit ei Hilaria : Si iubes : dicimus quod coluimus : et da nobis quod colimus . Dixit ei Narcissus episcopus . Apparet tibi : quia bene poteris suscipere : quod collere debeas cum quid collueris euidenter exponas . Dic ergo culturam tuam . Hilaria respondit : parentes mei genere Cyprii fuerunt . uenerunt inde cum sacris uentis : et dea Venus colli non potest nisi ab his fœminis : quæ meretricatæ fuerint . et ideo ego filiam meam sacræ Veneri consecraui : quasi deæ Veneri seruituram . et de meretrice placituram in prostibulo manere permisi . hoc credens quod mihi esset propitia Venus : si filiam meam diuinis eius occupationibus dicarem . Nam quanto plures amatores habere potuerit mulier quæ Veneri seruit : tanto plus Veneri placere posse a sacerdotibus Veneris affirmatur : Audiens hæc uir domini Narcissus Episcopus ingemuit : et lachrymatus dicit ad Diaconum suum nomine Felicem : Surge frater : et lamentare super istam talem culturam : et rogemus dominum : et ubi abundat iniquitas : superhabundet et gratia . Factum est autem : cum orasset ad dominum : ecce subito apparuit ante eum quidam ægyptius nigrior Coruo : cuius omnes capilli erant contriti ; nudus uulneribus elephantuosis toto corpore plenus : et dare cœpit || mugitum : et dicere . O sancte Episcope Narcisse : quæ tibi causa est cum causa mea? Quid tibi actus cum ancillis meis : quas ego semper in mea familia habui? Dominus tuus mundas animas et munda corpora diligit : istæ iam meæ sunt . alterius esse non possunt. Nunquid ego : ubi castitas regnat? Nunquid locum inuenio : ubi est spiritus castitatis? Hic tu quid intras : ubi inquinata sunt corpora : et pollutæ sunt animæ? Tunc sanctus Narcissus Episcopus dixit ei : iubeo tibi damnate : da mihi responsum : quod te interrogauero. Scis dominum meum Iesum Christum Nazarenum tentum : flagelatum : in facie sputum : spinis coronatum : irrisum : ligatum : tractum : crucifixum : mortuum et sepultum die tertia resurexisse . Renspondens* Dæmon dixit ei : Vtinam hæc quæ dicis mihi : nescire licuisset . Nam ex ea hora qua crucifixus est : fugiens princeps noster a facie eius misit se in templo : et ideo uelum templi scissum est : quia uirtutem persequentis ferre non potuit . Tunc saxa ipsa solida scindebantur : et surrexerunt sancti : qui uiderunt hoc factum eo : quod princeps noster tentus est : et cathenis igneis religatus est . Respondens sanctus Narcissus Episcopus dixit ei : Et quod nomen habet princeps uester? Dæmon dixit : Dicit ei Narcissus Episcopus : Dic mihi quid peccauit dominus Iesus Christus : ut tanta pateretur . Respondens Dæmon dixit ei : Nunquam peccauit . Dicit ei Narcissus Episcopus Et si nunquam peccauit : quare tanta passus est? respondens Dæmon dixit ei : Non pro suis peccatis sed pro alienis . Dixit ei Narcissus Episcopus : Ex ore tuo condemnaris immunde spiritus . Cum ergo scias dominum Iesum Christum non pro suis peccatis : sed pro alienis passum fuisse : discede : et ab his mulieribus : quia et pro eis passus est : quæ ad eius gratiam et fidem confugerint . Dæmon dixit : Quare docet lex sancta : et iubet : ut res alienas non tollat aliquis . Tu qui iustus es : res meas quare tollis? Quare tollis animas : quas lucratus sum? Dicit ei Narcissus Episcopus : Raptor autem et fur tu es ab nitio† dampnate et inueterate : quia et istas | animas a creatore suo separasti . Ego creatori creaturam suam restituo . Respondens Dæmon dixit ei : et ego creatura ipsius sum . Dicit ei Narcissus Episcopus : Tu ipse ex ore tuo confessus es Christum pro peccatis hominum passum fuisse Si quo modo pro peccatis hominum* passus est : sic et pro tuis fuisset passus : restituissem te creatori tuo : Nunc autem quia sic passus est pro peccatis homnium† : ut uestrum principem religaret : uade tu ad principem tuum : Dixit ei Dæmon : Quare non facis pieta-

tem tuam super me : et das mihi unam animam in potestatem ? Dixit ei Narcissus Episcopus : Et si dedero tibi animam in potestatem : quid de ea facis . Respondens Dæmon . dixit ei : Interficio eam et lucror animam eius . Dixit ei Narcissus Episcopus Mane prima luce ueni . Ego dabo tibi animam impotestatem† . Dixit ei Dæmon : Et dicis mihi ante dominum tuum quia das animam mihi intra corpus clausam : quam ego lucrer . Dicit ei sanctus Narcissus episcopus : Ante dominum meum dico tibi : quia dabo tibi animam intra corpus inclusam : comedentem : bibentem : digerentem : dormientem : et uigilantem . Tunc Dæmon dixit ei : Ecce modo iube mihi ista nocte manere hic . Dixit ei sanctus Nracissus† : Si potes manere mane . Dixit ei Dæmon Si non expandis ad cælum manus tuas : et non flectas genua : et non psallas domino tuo : possum hic manere . Dixit ei . Narcissus . episcopus . Nunquam sit tibi bene immunde spiritus . Non solum ego . sed etiam omnes qui mecum sunt : tota nocte deo flectimus genua et oramus . Et dum hæc loquitur . sanctus Narcissus Episcopus post ieiunium fecit reficere Aphram cum matre sua et cum puellis suis : quæ trementes erant pro eo quod uiderant . sanctus uero Narcissus suis monitis et orationibus eas confirmauit . ipse autem cum sancto Felice Diacono suo non refecit sed biduanum ieiunium celebrauit : sciens se mane iterum cum Dæmone luctaturum et habiturum conflictum . Transit itaque nox tota orationibus et psalmorum canoribus plena . Die autem orto adest Dæmon : et dixit : Memor esto sancte episcope iuramenti tui : quod || dixisti ante dominum tuum : et da mihi animam in potestatem : cuius corpus occidam : et animam ipsam mecum habeam . Respondens ei Narcissus episcopus Dixit : et tu iura mihi in nomine domini mei : quia statim interficies : quem tibi dedero in potestatem : et sub hoc uiramento† dic : si non : iubeat me dominus : ut uadam in abyssum : quia statim interficio eum : quem mihi dederis in potestatem . Respondens Dæmon dixit ei : ipsum qui nos uicit cum principe nostro : si non iubeat me dominus ut damner in abysso : quia statim interficiam eum : quem mihi dederis in potestatem . Dixit ei Narcissus episcopus : Vade iuxta fontem alpium Iuliarum : unde nemo potest aquam bibere : non homo . non pecus : non fera aliqua propter draconem : qui habitat ibi : et omnes qui ad fontem accesserint moriuntur de flatu eius : hunc draconem uade et interfice : et animam eius in tuam redige potestatem . Tunc Dæmon exclamauit uoce magna dicens : O episcopum mentiosum ideoque cœpisti me uerbis tuis : ut amicum meum occidam ? Propterea me iuramento colligasti : et tamen quem si non occidero : compellor ire in abyssum . Tunc Dæmon abcessit a facie sancti Narcissi episcopi : et abiit : et occidit draconem : et liberatus est fons ad usus hominum usque in hodiernum diem . Per dies autem plurimos docuit ibi uerbum domini episcopus sanctus : et baptizauit Hylariam cum filia sua Aphra et cum puellis suis et cum cognatione sua : et cum omibus† affinibus suis : et fecit Hylaria de domo sua ecclæsiam : et ordinauit in ea episcopus præsbyterum nomine Zosimum auunculum Aphræ . Ipse autem Narcissus episcopus perfectis ordinibus post mensses nouem ad ispaniam profectus est ad Ciuitatem suam : quæ appellatur Gerunda : in qua multum populum deo per tres annos acquisiuit : et inde palmam martyrii cum sancto Diacono suo Felice attigit . Cuius passionis gloria in sequentibus recitatur : fructus uero doctrinæ eius in Aphra prosequitur . Et est ibi sedes sancti Narcissi Episcopi . et benedicitur ibi Christus filius dei uiui usque in hodiernum diem . Non post multos hos dies apud ipsas prouincias Rhetias in Ciuitate | angusta† cum iam multi christiani essent facti : facta est gloriosa persecutio : ut omnes pro Christi nomine uariis supliciis afflicti ad sacrificia traherentur . contigit autem ut sancta Aphra quam notaui† habebat facies publica : quod esset Lupanaria : ut a persecutoribus conprehenderetur : Quæ cum fuisset iudici oblata : et interrogaset eam : et agnouisset : quæ esset dixit ei : Sacrifica diis : quia expedit tibi uiuere quam ut in tormentis deficias . Aphra dixit : sufficiunt mihi peccata mea : quæ deum ignorans egi : hoc autem quod me iubes facere : nunquam factura sum . Gaius uidex† dixit : Accede ad Capitollium : et sacrifica . Aphra dixit : Capitollium meum Christus est : quem habeo ante oculos meos . ipsi quottidie crimina : mea et peccata confitens : et quia non sum digna ei sacrificium offerre : ego ipsa cupio pro nomine eius sacrificari : ut corpus in quo peccaui : dum pœnas passum fuerit : abluantur mea peccata. Iudex Gaius dixit : Audi meretrix : et sacrifica : quia aliena es a deo christianorum . Aphra dixit : Deus noster et dominus . Iesus cristus dixit : se pro peccatoribus descendisse de cælo . Nam et

euangelia eius loquuntur : quod meretrix rigauit pedes eius : et indulgentiam accepit . Meretrices et publicanos nunquam despexit . Iudex Gaius dixit : sacrifica : ut diligaris ab amatoribus tuis : et sicut semper dilecta es : et nunc ameris : et inferantur pecuniæ multe tibi ab eis . Aphra dixit : Pecunias execrabiles nunquam illas accipio iam : Nam et quas habui expendi : quia non erant de bona conscientia . Nam nolentes accipere : aliquantos fratres meos pauperes etiam precibus oraui : ut ipsi a me dignarentur accipere : ut pro peccatis meis orarent : Si ergo quæ habui a me abieci : quomodo potest fieri : ut queam accipere : quas iam quasi sordes abieci ? Iudex dixit : Iam te Christus dignam non habet . Sine causa uis eum iam deum tuum dicere : qui suam te non esset† cognoscit . Meretrix enim quæ est : dici non potest christiana . Aphra dixit : equidem christiana nec dici mereor nec uocari : sed misericordia dei quæ non de meo merito sed de sua pietate iudicat me ad hoc nomen admisit . Iudex dixit : Vnde nosti : quia te ad hoc nomen admisit? || Aphra dixit : In hoc cognosco a facie dei me non esse proiectam : quia ad gloriosam confessionem nominis sancti permittor accedere : per quam me credo omnium delictorum meorum indulgentiam accepturam . Iudex Gaius dixit : hæ fabule sunt . Magis sacrifica diis : per quos salutem consequaris . Aphra dixit : Salus mea Christus est : qui pendens in cruce latroni confitenti bona paradisi repromisit . Iudex dixit : Sacrifica : ne te in conspectu amatorum tuorum qui tecum turpiter uixerunt cathenis cædi faciam . Aphra dixit : Confusio mihi nulla est : nisi de peccatis . Iudex dixit : Iam sacrifica : quia iniuria est mihi tot horis tecum stare : Certe si nolueris : occideris . Aphra dixit : Hoc equidem et ego opto : Si tantum morior : ut per hanc confessionem digna efficiar requiem inuenire . Iudex dixit : Sacrifica : aut torqueri te facio . Aphra dixit : Corpus meum quod peccauit acipiat diuersa tormenta : animam uero meam sacrificiis dæmoniorum non inquinabo . Tunc iudex nequissimus dictauit sententiam dicens : Aphram publicam meretricem : quæ christianam se esse professa est et noluit sacrificiis consentire : uiuam eam incendi præcepit . Et statim rapta a ministris ducta est in insula fluuii : qui dicitur Laccei : ibique eam expoliantes stipiti ligauerunt : At illa eleuans oculos suos ad eælum† orabat cum lachrimis dicens : Domine deus omnipotens Iesu Christe qui non uenisti uocare iustos sed peccatores ad pœnitentiam : cuius promisso† uera et manifesta est : accipe in hac hora passionis meæ pœnitentiam meam : et per hunc temporalem ignem qui corpori meo paratus est : ab illo igne æterno me libera : qui et animam simul et corpus exurit : et his dictis expletis . circundata est sarmentis : et igne supposito uox audiebatur dicentis : gratias tibi ago domine Iesu Christe : qui me dignatus es hostiam habere pro nomine tuo : qui pro toto mundo hostia salutis oblatus es in cruce : iustus pro iniustis : bonus pro malis : benedictus pro maledictis : dulcis pro amaris . mundus a peccato pro peccatoribus uniuersis tibi offero sacrificium meum in sæcula sæculorum : Et hæc dicens emisit spiritum . Stabant autem iuxta ripam fluminis Digna . Emnenia† et | Euprepia : quæ fuerant ancillæ eius et rogauerunt milites descendentes de barcha : ut eas ibi trasmitterent† : cumque eas transtulissent : inuenerunt corpus eius integrum . Puer autem qui cum ipsis erat : transnatauit et nunciauit matri eius Hylariæ : et uenit nocte cum sacerdotibus et tulit corpus eius : et posuit secundo in Myllario a ciuitate Augusta . in memoria quam sibi suisque construxerat . VII . idus Augustas . Nunciatum est hoc iudici Gaio : et misit sibi ad ipsam memoriam dicens : Ite tenete eas : et si consenserint nobis ad sacrificandum : cum honore eas ad me adducite : ut remunerem illas censu dignissimo . Si uero uideritis eas animo pertinaci obsistere : et nulla ratione ad sacrificandum præbere consensum : implete memoriam sarmentis : et claudite super eas ipsam memoriam : et ita demum ignem supponite : ut nulla ex his euadat mina . euntes autem milites prius blando sermone eas prouocabant : et postea terroribus impellebant At ubi uiderunt omnes simul contemnere sacrificare : repleuerunt memoriam sarmentis et feno et sicci† spinis : et clauserunt super eas : et supposito igne abierunt . Et sic factum est : ut in eodem die quo sepulta est Aphra simul etiam et mater eius Hylaria et famulæ eius secundum carnem : sed iam sorores in Christo Digna Emnenia† et Euprepia simul coronam acciperent : Et quæ simul Vnanimes fugerant a diabolo simul unanimes in Christo cui crediderunt : cum palma martyrii peruenerunt : Regnante domino nostro Iesu Christo cui est honor et gloria per inmortalia sæcula sæculorum Amen :

PASSIO SANCTI AGAPETI MARTYRIS.

Sub rege Antiocho gentili erat quidam puer nomine Agapetus timens dominum. hic omnibus abrenuntiauit rebus parentum suorum : et deo se obtulit holocaustum : Qui cum esset quottidie in doctrina Christi : et non cessaret : dicit ad hominem dei nomine Prophyaum : Per coronam tuam : et per hoc in quibus uide || mur esse quod sumus milites Christi : non nos abscondamus a diaboli nequitia : sed magis ultro nos offeramus : et dicamus : Rex pagane quid queris discipulos Christi : et quid tibi contra eos facere uelis : Sed sicut beatus apostolus dicit : si exurierit inimicus tuus : ciba illum : et si sitierit : potum da illi : hoc enim faciens carbones ignis congeres super caput eius. Renunciata sunt sacrilego regi uerba eius. Tunc rex iussit Agapetum exiberi : qui hæc locutus fuerat : et dixit ad eum : Multum te uideo uesanum esse et uerbosum ; ut antequam interrogeris : ipse tibi uidearis iudicium dare. Agapetus respondit : Ego non sum uesanus : sed sum sanus : et in domino meo spem meam pono : quia ipse dixit : nolite timere eos : qui occidunt corpus : animæ autem nihil possunt facere. Rex Antiochus dixit ad eum : Cuius filius es : uel ex quo genere descendis : aut quot annorum es ? Agapetus respondit : Sum primo christianus : et de genere nobillissimo natus : et in foro ius didici. Deinde parentes mei dederunt me in monasterio : et ibi eruditus sum ueritatem. Dominum meum colo : et ipsi soli seruio : qui me creauit. Si quid enim in his quæ tibi uidentur aduersum deum loqui uis : si es inimicus eius respondeo tibi. rex Antiochus dixit ad eum : multum tibi iam non loquar audio te puerum esse : et cuius meriti scis† nescio : Sed dico tibi Agapete : obaudire te oportet. Accede ergo : et sacrifica magno deo Ioui inuictissimo : ne te quasi puerulum christianum et nobili familia generatum : diuersis pœnis faciam interire. Scio te dixisse : non timeo tormenta tua. Accede ergo : et sacrifica : ne incidas in mortem : et multi dicant propter tormenta tua quia quasi christianus : et infra quindicim annos paratus es mori. Agapetus respondit : Iudex meus deus est : qui omnium corda nouit. Sed tu qui in sæculo isto habitas : et uideris esse filius patris tui diaboli : Ideo per malitiam tuam facies me in multis argumentis tuis Christo domino meo esse sollicitum. Rex Antiochus dixit : Volo ut dicas mihi : unde tibi ista sapientia. Agapetus respondit : Christus deus meus mecum est : et tu dicis : unde tibi ista sapientia. Tunc iussit eum Rex neruis crudis fortiter | cædi. Agapetus respondit : Non cædor : sed refrigcror†. Nam quomodo se pueri in area manibus cædunt : sic et ego deludor a ministris tuis. Tunc Rex tradidit eum præsidi dicens : Nisi Agapetus sacrificauerit : diuersis pœnis eum interfice. Tunc præses dixit militibus suis : O Iiupiter† : O mercuri quibus nos uacamus : ut Agapetus quindicim annorum dicat : non sentio quod milites tui me cruciant. Et iratus Præses dixit : Tollite eum : et mittite in carcerem : et nullus ad eum accedat : et per quattuor. dies non aqua aut aliqua creatura illi detur : donec ibi deficiat. Attalius autem cornicularius dixit ad præsidem : Quid tibi sollicitudinem geris ego uado ad eum : et faciam eum sacrificare. Tunc Præses dixit ad eum : Per statum Ciuitatis huius : et per uirtutem magnam Iouis : et per uirtutem dominorum nostrorum inuictissimorum principum : quia si ei persuaseris : faciam te esse : quod ego sum. Attalius autem cornicularius iuit ad Agapetum in carcerem : et dixit ei : Crede Agapete : et recede a stultitia tua : et sacrifica diis : Et ut quid uis in tormentis mori : et perdes florem gratissimæ iuuentutis tuæ. Ego autem sicut tu es eram christianus : sed credidi : et sacrificaui diis : et modo sum minister et domius†. Tunc Agapetus dixit ad eum : Vides me puerum ifra† ætatem : sed non sicut tu insanus : et filius patris tui diaboli : qui uadis : et adoras idola surda et mutta : quæ sunt ab hominibus fabricata : quia dominus meus nescit : quod natus es : Sed magis pater tuus. Diabolus cuius filius es : et uoluntatem eius facis : Qui dicis Iouem : quia dominus est : cuius socius es. Attalius cornicularius dixit Agapeto : sacrifica diis : Licet tibi omnia mihi dicere : quia sustieo† te. Et dum hæc diceret misit Præses : et iussit Agapetum de carcere exhiberi : et dum adduceretur : missa est uox præconis : Agapetum deos blasphemantem nouis exquisitisque tormentis debere cruciari. Venit itaque Agapetus ad præsidem et dixit ad eum : Agapete cogitasti esse amicus noster? Aga-

petus respondit : Noli temptare Christum dominum meum : ne dum uis temptare : tempteris a patre tuo diabolo . Præses dixit : Tolli || te primas† : et in capite eius imponite : Et dum in capite eius impossitæ fuissent primæ† : Agapetus dixit : Gloria tibi deus : qui regnas in sæcula : qui me fecisti probari : et cœpit psallere : propter innocentiam meam suscepisti me : et confirmasti me in conspectu tuo in æternum . et iterum iussit Præses flagellis cædi Agapetum . Tunc Agapetus respondit : Flammam uidi primum et curatus sum : deinde flagellis cædor : Sed sic mihi est : quasi musce ostendantur ut refrigerer . Et iterum iussit Præses fieri fumum atrum : et nudum captie† dehorsum suspendi : et dixit ad eum : Sapientia tua et uanitas tua in fumo laborat . Et cædentes eum flagellis ternis quaternionibus dicebant illi : Noli iniuriam præsidi facere : et deos blasphemare Ministri autem eum suspensum dimisserunt . Tunc præses iussit : ut nullus ad eum accederet : usquedum corpus eius nuncietur fuisse discerptum . Anastasius autem† cornicularius post quattuor dies uiuit† : ubi pendebat : ut uideret si adhuc uiueret : et inuenit eum super fumum de ambulantem† in ueste candida et psalentem : Non moriar : sed uiuam : et narabo opera domini : Et iterum transiuimus per ignem et aquam : et induxisti me domine in refrigerium . Angelus autem domini soluit eum . Tunc nunciauit Anastaxius cornicularius præsidi magnum miraculum : quod uidisset . Tunc Præses dixit : Quid faciemus† de eo? Anastasius dixit : Ego credo quia magnus est dominus eius : et non est alius dominus præter ipsnm† : Præses dixit ad eum : Sicut uideo : seductus es . Dico ego Imperatori : quod seductus es . Anastasius dixit : Libentissime uolo subire sententiam : ne sanctum et iustum uidear cruciare . Audiens hæc Agapetus quod sic locutus esset Anastasius : manus suas expandit : et oculos suos ad cælum leuauit : et dominum Iesum cristum orauit dicens : Gratias tibi domine saluator unigenite : deus de deo : et lux uera de lumine uero : Verbum quod es ante omnem potestatem : qui regnas cum patre et spiritu sancto in sæcula sæculorum . Tunc Præses iratus est nimis : et scidit uestimenta sua dicens : O dii immortales qui uirtutes uestras non ostenditis aduersum sa | crilegium et deos blasphemantem : ut non uindicetis iniurias uestras de Agapeto . sanctus Agapetus dixit : Cur sic præses irasceris : et facis iniurias diis tuis? An nescis sicut illi lapides sternuntur in plateis ad deuitandum lutum sic et tu pulueres eorum diminues . Præses autem non intellexit : quod dixit homo domini Agapetus : et dicit ad eum præses : homo ætatem non probasti . unde tibi ista sapientia? Agapetus dixit . Dominus qui scit corda omnium : scit quomodo credo ei corde puro : et gratias ago domino meo et uero qui mihi istam sapientiam de diuitiis suis præstare dignatus est . Præses dixit : Dic mihi : quis est dominus tuus . Agapetus dixit . Magnus est dominus meus et admirabilis et uirtute inuictus . Cui seriunt† Angeli et archangeli : qui fecit cælum et terram mare et omnia : quæ in eis sunt : cui de terra in cælum sublimiter psallitur : qui te cum omnibus tuis ad iubilum faciet deuenire . Tunc iratus præses dixit militibus suis : Expoliate eum : et calidam aquam bullientem in uentrem eius mittite : et dicite ei . Noli quasi puer multum uerbosus esse : et iniurias præsidi facere : Et dum hæc agerentur apud milites : dixit homo domini Agapetus : Quid est quod calidam aquam misistis in corpus meum . Puto quia aquam frigidam mihi misistis : quia dominus meus propter quem omnia ista patior : refrigerium mihi præstare dignatus est : et dixit præsidi : Vel sic crede : quia tormenta tua nihil sunt . Tunc Præses iussit frangi maxillas eius : et dixit ei : Non scis : ante quem stas : et indisciplinate loqueris? Respondit homo domini . Agapetus : Iam erubesco in faciem tuam sacrilegam respiceræ . Præses dixit : Vere dicis : quia adhuc uiuere te facio . Agapetus dixit Tot tormenta quot sunt in terris in me compliceantur : quia magnum habeo patronum dominum : qui me confortat : et facit certare cum homine uesano . Præses dixit ad eum : Si credas : uidebo dominum tum† . Agapetus respondit : Quia et pater tuus diabolus uoluit temptare dominum nostrum Iesum cristum : et dixit ad eum : Non temptabis dominum dominum tuum uade retro Satana . Sic et tu non temptabis || famulum dei : ne dum uis temptare : tempteris a patre tuo diabolo . Et cum hæc dixisset famulus dei Agapetus : cecidit præses de tribunali suo . Tunc collegerunt eum ministri sui : et in lectum eum posuerunt . Tunc Præses dixit militibus suis : Currite . ardeo . subuenite mihi . Nihil enim sunt dii nostri : quos sine causa colimus : Sed dominus Agapeti magnus est et æternus : et quod feci in puerum dei : hoc nunc recipio . Et cum hæc dixisset Præses expirauit . Videntes autem hoc ministri eius : quod factum est de Præside

nunciauerunt imperatori . Tunc iussit Agapetum imperator Leonibus subiici : Et statim ministri eius duxerunt eum in ciuitatem Prenestinam : et parauerunt ei amphiteatrum : et fecerunt spectaculum populo : ut ibi eum leonibus subicerent : Sed cum dimisi fuissent Leones : uenerunt ad sanctum Agapetum : et cum omni mansuetudine humiliauerunt se ad pedes eius : Videntes autem populi : admirati sunt dicentes : Vere non est alius dominus : nisi quem Agapetus seruus domini confitetur : Et cum hæc populus dixisset : dixit eis Agapetus : Credite in Christum patres et fratres : ut saluentur animæ uestræ : quia hæc omnia transitura sunt de mundo quæ geruntur . Beati eritts† : si credideritis in dominum uiuum . Tunc ministri diaboli tullerunt sanctum Agapetum : et duxerunt eum : ut diuersis pœnis illum interficerent : et uenerunt contra ciuitatem : ubi sunt duæ columpnæ : et genu posito in oratione : ibi eum gladio percusserunt : Et statim emisit spiritum sub die quinto decimo callendas Septembres . Tunc christiani noctu uenerunt : et tullerunt corpus eius : et posuerunt eum ab ciuitate Milliario uno in agro in sarcophagum nouum : quod ibi inuenerunt dicentes : quod hunc deus dignum sibi martyri ellegit : ut ipse ibi benediceretur deus : ubi erat relligio paganorum : et multi paganorum crediderunt domino per famulum eius Agapetum et per Christum dominum nostrum : qui uiuit : et regnat cum deo patre in sæcula sæculorum . Amen .

NONAS FEBRVARIAS PASSIO SANCTE AGATHAE VIRGINIS ET MARTYRIS .

Diem festum sanctissimæ Agathæ Martyris celebramus : ut piis populis ad memoriam reuocemus : quæ gesta sunt in prouincia Sicilia in urbe Cathinensium sub Decio imperatore . Ipso Decio ter consule die nonarum Februariiarum† . Quintianus igitur consularis Siciliæ : audiens sanctam opinionem uirginis deo dicatæ Agathæ : multiplici intentione perquirebat : ut ad eandem pertingeret . Per singula enim crimina mentis suæ : singulorum in se uiciorum excitabat affectus : ut pote pro gloria sæculi concupisens† suam opinionem extendere : nobilissimis ortam natalibus : domini famulam fecit arctari : ut qui erat de genere ignobili natus : per hoc personaret ad aures uulgi : quod tantus esset ac talis : qui posset etiam expectabilium sibi subiugare personas : Vt libidinosus autem ad aspectum uirginis pulcherrimæ oculorum suorum concupiscentiam commouebat : et ut auarus ad facultates eius cupiditatis suæ fræna laxabat : atque ut idolatra et dæmonum seruus feruore impietatis suæ inflamatus : Christi nomen audire non poterat . hiis et huiusmodi ut diximus furiis compræhensus : beatam Agatham a suis fecit apparitoribus coarctari : et fecit eam tradi cuidam matronæ nomine Aphrodisie : quæ habebat nouem filias turpissimas : sic earum fuerat mater : hoc autem fecit : ut ei per dies triginta quottidie blandirentur : et mutarent animum eius . Et modo promittendo læta : modo terrendo aspera : sperabat se mentem sanctam a bono proposito reuocare : Quibus sancta Agatha dicebat : Mens mea soli deo data est : et in Christo fundata . Verba uestra uenti sunt : promissiones uestræ pluniæ† sunt : terrores flumina sunt : Quæ quantum uis inpingant hæc fundamenta domus meæ : non poterit cadere : fondata est enim super petram . hæc autem dicens : flæbat quottidie : et orabat : et sicut sitiens in ardore solis fluenta fontium concupiscit : ita desyderabat ad martyrii co || ronam attingere : et diuersa pro Christi nomine sustinere tormenta . Videns igitur . Aphrodisia mentem eius immobilem permanere : abiit ad Quintianum : et dixit ei : Facilius possunt saxa moliri et ferrum in plumbi molliciem conuerti : quam ab intentione christiana mens istius puellæ reuocari . Ego enim : et filiæ meæ sine cessatione uicibus nobis inuicem suscendentes : nocte ac die nihil aliud gessimus : nisi ut agerimus : qualiter eius animum ad consensum boni consilii inclinaremus : etiam et gemmas et ornamenta insignia : uestimenta quoque auro texta obtuli ego : et domos et prædia suburbana repromisi . Ego uarium ornamentum domus . ego familiam diuersi sexus et ætatis exhibui . Sed ista omnia quasi terram : quam pedibus suis conculcat : pro nihilo computauit . Tunc iratus Quintianus iussit eam ad secretarium suum adduci : Et sedens pro tribunali : hoc sermonis initium Quintianus consularis arripuit : Cuius condictionis es ? Agatha

dixit : Non solum ingenua sed e spectabili genere : ut omnis parentella mea testatur . Quintianus dixit : et si ingenua probaris et nobilis : cur moribus seruilem personam te habere ostendis ? Agatha respondit : quia ancilla Christi sum : ideo me seruilem ostendo habere personam . Quintianus dixit : Certe si ingenua eras et nobilis : quomodo ancilam te commemoras ? Agatha dixit : Summa ingenuitas ista est : in qua seruitus Christi comprobatur : Quintianus dixit : Quid ergo : Nos ingenuitatem non habemus : qui seruitium Christi contempnimus ? Agatha dixit : ingenuitas uestra ad tantam stultitiam deuenit : ut non solum peccato uos faciat seruos : uerum etiam ligno et lapidibus fecit Obnoxios : Quintianus dixit : Quicquid furioso ore blasphemaueris : pœnæ poterunt uindicare : Dic tamen antequam ad tormenta uenias : cur deorum sancta contemnis : Agatha dixit : Noli dicere deorum : sed dic Dæmonum : Dæmonia eni suut† isti : quorum effigies in æramenta conuertitis : quorum marmoreas et gypseas facies inauratis Quintinianus† dixit : Elige unum tibi de duobus quodcunque uolueris consilium : aut diis sacrifica : aut diuersas pennas† inter dampnatos | quasi stulta incurre : aut quasi sapiens esto et nobilis : quod te natura dictauit . sacrifica diis omnipotentibus : quos ueros deos esse uera diuinitas demonstrat . Agatha respondit : Sit talis uxor tua : qualis tua dea Venus fuit : et tu sis talis qualis deus tuus Iouis extitit . Tunc Quintianus hæc audiens iussit eam alapis cædi : cui et dixit iniuriam iudicis noli temerario errore garrire . Agatha dixit : Dixisti deos tuos esse : quos uera diuinitas demonstrauit . Sit ergo talis uxor tua ut Venus et tu ut Iouis : ut et uos possitis in deorum uestrorum numero computari . Quintianus dixit Apparet hoc te elligere : ut diuersa tormenta sustineas : quæ repetitis in me iniuriis eius exagitas . Agatha respondit : Miror te uirum prudentem ad tantam stultitiam deuolutum : ut illos deos tuos dicas : quorum uitam non cupias tuam coniugem uel te imitari : ut dicas tibi iniuriam fieri : si eorum uiuas exemplo : Si enim uere dii tui sunt : bonum tibi optaui : ut talis uita tua sit : qualis eorum fuisse perhibetur . Si autem execraris eorum consortia : mecum sentis : Dic ergo tam pessimos esse atque sordidissimos : ut qui maledicere uoluerit aliquem : talem illum et esse dicat : qualis fuit execrabilis uita eorum : Quintianus dixit : Quid mihi uerborum superfluus cursus : Aut sacrifica diis aut uariis suppliciis te faciam interire : Agatha respondit : Si feras mihi promittas : audito Christi nomine mansuescunt . si ignem adhibeas : de cælo mihi rorem saluificum angeli ministrabunt . Si plagas et uerbera : habeo intra me spiritum sanctum : per quem uniuersa tormenta despiciam : Tunc Quintianus agitans caput suum iussit eam in carcerem tenebrosum recipi : dicens ad eam : cogita tecum Agatha penitere : ut possis euadere tormenta horrifica : quæ te fortiter cremabunt . Agatha Respondit : Tu minister Sathanæ pœniteas : ut possis euadere æternam decollationem . Tunc Quintiamus† iussit eam celerius trahi ad carcerem : quia uoce publica eum confundebat . Agatha autem lætis sunt et gloriabunda carcerem introiuit et quasi ad epulas inuitata : gaudens agonem suum domino precibus comendabat . Sequenti igitur die impiissimus Quintia || nus eam iussit suis aspectibus præsentari : Cui et dixit : Quid tractasti circa salutem tuam ? Agatha Respondit : Salus mea Christus est . Quintianus dixit : Quousque infelix pertrahis intentionem uanam ? Denega Christum : et deos incipe colere : ne uitæ tuæ iuuentutem accerrima morte consumas . Agatha Respondit : Tu nega deos tuos : qui sunt lapides et ligna : et creatorem tuum : qui te fecit : deum uerum adora : Quem si contempseris : æternis pœnis et perpetuis incendiis subiacebis : Tunc iratus Quintianus iussit eam eculeo ingenti suspendi : et torqueri : Cumque torqueret eam : Dixit ad eam Quintianus : Relique† animi tui contentionem : ut possit uitæ tuæ esse consultum . Agatha Respondit : Ego in his pœnis ita delector : nam sicut qui bonum nuncium audit : aut sicut qui uidet : quem diu desyderabat : aut sicut qui inuenit thesauros multos : ita ego delector in his pœnnis corporalibus posita . non enim potest triticum in horreum poni : nisi teca eius fortiter fuerit conculcata et redacta in paleas : Ita et anima mea non potest in paradisum dei cum palma intrare martyrii : nisi diligenter feceris corpus meum a carnificibus attrectari . Tunc iratus Quintianus iussit in mamma illam torqueri et tortam diu : iussit eam abscidi . Agatha uero respondit : Impie et crudelissime non es confussus hoc amputare in femina quod ipse in matre suxisti ? Sed ego habeo mammillas integras intus in anima mea : ex quibus nutrio omnes sensus meos : quos ab infantia domino consecraui . Tunc Quintianus iussit eam iterum in carcerem recipi : Et iussit ut nulli

liceret medicorum introire ad eam : et neque panem neque uinum ei ministrari : Cumque fuisset inclusa : ecce circa mediam noctem uenit quidam senex : quem antecedebat puer luminis portitor ferens diuersa medicamenta in domum suam . Qui se medicum esse commemorans cœpit eam his uerbis alloqui : Licet te nimis corporalibus pœnis afflixerit consularis insanus : tu eum grauioribus suppliciis extosisti† responsionibus tuis : et licet hubera tua torserit : et amputauerit : illius hubertas in fel ei conuertetur : et in amarintudine† erit anima | illius in æternum . Tamen quia ibi eram qua hora patiebaris : consyderaui : et uidi : quia potest curam salutis tua mammilla suscipere . Tunc sancta Agatha dixit ei : Medicinam carnalem meo corpori nunquam exhibui : et turpe est : quod tandiu ab ineunte ætate mea conseruaui : nunc perdam . Dicit ei ille senex : et ego christianus sum et noui medicinam . nolo : me uerearis . Dicit ei Agata : et quæ potest uerecondia mea circa te esse : cum tu sis senior et maior natu : ego uero licet puella sim : ita totum corpus meum laceratum est : ut uulnera ipsa non perinitant† aliquid stimulari in mentem meam : unde possit uerecondia excitari : Sed ago tibi gratias domine pater : Quia dignatus es mihi sollicitudinem tuam impendere . hæc tamen scias : quia ad corpus meum medicamenta ab homine facta unquam accedent : Dixit ad eam ille senior : et quare non permittis : ut curem te ? Agatha Respondit : Quia habeo saluatorem dominum meum Iesum Christum : qui uerbo curat omnia : et sermo eius solus restaurat uniuersa : hic si uult : potest me saluam facere : Tunc subridens senior : dixit Et me ipse misit ad te : nam et ego apostolus eius sum : et in nomine eius scias te esse saluandam : Et cum hæc dixisset : ab oculis suis sublatus est . Tunc proiiciens se in orationem sancta Agatha dixit : Gratias ago tibi domine Iesu Christe : quia memor es mei et misisti ad me apostolum tuum : qui me confortauit : et recreauit : Et dum complesset orationem suam respiciens ad omnes maculas corporis sui : sanata omnia membra sua cognouit . Nam et restaurata erat mammilla eius . Ita autem per totam noctem refulxit in carcere : ut præ pauore custodes carceris fugerent et carcerem apertum derelinquerent . Tunc dicebant sanctæ Agathæ personæ : quæ ibi erant inclusæ ut abiret . Illa autem dixit : Absit a me : ut et ego coronam meam perdam : et eos qui custodes sunt tribulationibus tradam . ego enim adiuta a domino meo Iesu Christo perseuerabo in confessione eius : qui me saluam fecit : et consolatus est me . Factum est autem post quattuor dies iussit eam iterum Quintianus ante suum tribunal astare : cui et dixit : Quousque furris circa || decreta principum inuictissimorum ? Immola diis . sin autem scias te acrioribus tormentis aptandam : Agatha respondit : Omnia uerba tua fatua et uana sunt : et iniqua præcepta tua aerem ipsum maculant : Vnde miser . et sine sensu et sine intellectu es . qui uult ad auxilium suum lapidem inuocare et non deum summum et uerum : Qui me dignatus est ab omni plaga curare : quam in me ita exercuisti : ut mammillam meam integerrimam meo corpori restitueret Dixit ei Quintianus : Et quis est : qui te curauit ? Agatha respondit : Christus filius dei : Quintianus dixit : Iterum Christum habes nominare ? Agatha respondit : Ego Christum confiteor labiis : et corde inuocare non cesso . Quintianus dixit : Nunc uidebo : si Christus tuus curabit te . Tunc testas acutas iussit spargi : et sub testas carbones uiuos immitti : et eandem nudo corpore uolutari : Cumque hoc fieret : subito locus in quo sanctum corpus uolutabatur commotus est : et pars parietis cecidit et oppressit consiliarium iudicis nomine Syluinum : et amicum eius nomine falconium : Quorum consilio perpetrabat scelera . Sed et omnis ciuitas Cathainensium terremotu exagitata est : Denique omnes ciues concurrerunt ad secretarium iudicis : et cœperunt nimio tumultu agere : sanctam domini famulam impiis cruciatibus fatigaret : et id circo omnes periculum sustinerent . Tunc Quintianus fugiens ex uno latere terremotu exagitabatur . ex alio autem latere seditionem populi formidabat . Iterum igitur iussit eam in carcerem recipi . ipse autem ad posterulam secretarii fugiens in ianuis populum reliquit . Sancta uero Agatha ingressa iterum in carcerem expandit manus suas ad deum : et dixit : Domine qui me creasti : et custodisti me ab infantia mea : et fecisti me in iuuentute uiriliter agere : qui tulisti a me amorem sæculi : qui corpus meum a polutione separasti : qui fecisti me uincere tormenta carnificis : ferrum : ignem : et uincula : qui mihi inter tormenta uirtutem patientiæ contulisti : te deprecor : ut accipias spiritum meum modo : quia tempus est : ut me iubeas istud sæculum derelinquere : et ad tuam misericordiam peruenire . Hæc cum dixisset : coram multis cum ingenti uoce | emisit

spiritum . Quod audientes populi cum nimia celeritate uenerunt : et auferentes corpus eius posuerunt in sarcophago nouo : Factum est autem dum aromatibus condiretur corpus eius : et cum nimia diligentia collocarent illud : uenit quidam iuuenis sericis uestibus indutus : quem sequebantur amplius quam centum uiri omnes ornati et pulcri : quem nemo unquam uiderat antea in ciuitate Cathainensium : nec postea eum aliquis uidit : nec inuentus est aliquis : qui diceret : hæc se scire . hic ergo ueniens intrauit ad locum : ubi condebatur corpus eius . et posuit ad capud eius tabulam breuem inter sacrophagum† ex marmore : in qua est scriptum : Mentem sanctam : spontaneum honorem deo : et patrie liberationem . posuit ergo hanc scripturam : ut diximus : inter sepulchrum ad caput eius : et tamdiu ibi stetit : quandiu cum omni diligentia clauderetur . Clauso igitur sepulchro abscessit : et ut diximus : non est ulterius nec uissus : nec auditus in regione : nec in tota prouintia Syciliæ : Vnde suspicati sumus : quod angelus eius fuerit . hanc scripturam diuulgantes : qui uiderunt : omnes siculos sollicitos rediderunt : et tam iudei quam etiam gentiles unanimes cum christianis communiter cœperunt uenerari sepulchrum eius . Tunc Quintianus arripuit iter cum offitio suo ad inuestigandas facultates eius : et ut teneret omnes de parrentella eius . Qui dei iuditio in medio flumine incurrit Denique dum transiret flumen per nauim : diu^{d} equi inter se fremitum dantes : calcesque iactantes : unus equus eum morsu appetiit : et alter calce percussum proiecit in flumen : et non est inuentum corpus eius usque in presentem diem . Vnde enim creuit timor et ueneratio circa sanctam Agatham : et nullus unquam fuit molestius eius generi . ut autem euidenter scriptura illa quam angelus domini posuerat firmaretur . prius anni circulam† circa diem natalis eius mons ætna eructauit incendium : et quasi fluuius torrens : ita ignis uæhemmens : et saxa terramque liquefaciens : appropinquabat ad cathinensium ciuitatem . Tunc paganorum multitudo fugiens de monte descendit : et uenerunt ad sepulchrum eius : et afferentes uelum : unde erat cohopertum sepulchrum || eius : statuerunt eum contra ignem uenientem ad se : et ipsa hora stetit ignis diuisus : Cœpit autem ignis die Calendarum Februariarum et cessauit nonarum earumdem : qui dies est sepulturæ eius : ut comprobaretur dominus noster Iesus Christus : quod a periculo mortis et incendii eos sanctæ Agathæ meritis et orationibus liberasset . Martirizata beatissima Agatha sub die nonarum februariarum agente Quintiano præside et regnante domino nostro Iesu Christo : cui est honor : et uirtus et gloria in sæcula sæculorum amen .

PASSIO GLORIOSAE VIRGINIS AGNETIS A SANCTO AMBROSIO EDITA .

Ambrosius seruus Christi uirginibus sacris . diem festum sacratissimæ uirginis celebramus . Hinc psalmi resonant : inde concrepant lectiones . hinc populorum turbæ lætantur : inde subleuantur pauperes Christi . Omnes ergo gratulemur in domino et ad ædificationem uirginum qualiter passa sit Agnes beatissima ad memoriam reuocemus . Tertio decimo ætatis suæ anno mortem perdidit et uitam inuenit : quia solum uitæ dilexit auctorem . infantia computabatur in annis sed erat senectus mentis immensa . Corpore quidem iuuencula : sed animo cana . pulchra facie sed pulchrior fide Dum a scholis reuertitur a præfecti urbis filio adamatur : cuius parentes dum requisisset : cœpit offerre plurima et plurima promittere : denique detulerat secum pretiosissima ornamenta : quæ a beata Agnete ueluti quædam sunt stercora recusata . Vnde factum est ut iuuenis maiori perurgeretur stimulo : et putans eam meliora uelle accipere ornamenta : omnem lapidem pretiosum secum detulit et per se ipsum et per amicos et notos affines cœpit aures uirginis appellare : diuitias domos possessiones familias atque omnes mundi diuitias repromittere si consensum suum coniugio non negaret . Ad hæc beata Agnes tale fertur iuueni dedisse responsum : Discede a me fomes peccati nutrimentum facinoris pabulum mortis : Discede a me quoniam | iam ab eo amatore præuenta sum qui mihi satis meliora te obtulit ornamenta et annulo fidei suæ subarrauit me : longe te nobilior et genere et dignitate ornauit me inæstimabili margarita : dextram meam et collum meum cinxit lapidibus pretiosis . tradidit

auribus meis inæstimabiles margaritas : et circumdedit me uernantibus atque corruscantibus gemmis : posuit signum suum in faciem meam : ut nullum præter ipsum amatorem admittam . induit me cyclade auro texta et immensis monilibus ornauit me . ostendit mihi thesauros incomparabiles quos mihi se donaturum si ei perseuerauero repromisit . Non ergo potero ad contumeliam prioris amatoris uel aspicere alium : et illum derelinquere cum quo sum deuincta charitate cuius est generositas celsior : possibilitas fortior . aspectus pulchrior . amor suauior . et omni gratia elegantior . a quo mihi iam thalamus collocatus est . cuius mihi organa modulatis uocibus resonant cuius mihi uirgines modulatis uocibus cantant . Iam mel et lac ex eius ore suscepi . iam amplexibus eius castis astricta sum . iam corpus eius corpori meo sociatum est : et sanguis eius ornauit genus meum . cuius mater uirgo est . cuius pater feminam nescit . cui angeli seruiunt . cuius pulcritudinem sol et luna mirantur . cuius odore reuiuiscunt mortui cuius tactu confortantur infirmi cuius opes nunquam deficiunt cuius diuitiæ non decrescunt : ipsi soli seruo fidem . ipsi me tota deuotione committo . quem cum amauero casta sum : cum tetigero munda sum : cum accepero uirgo sum nec deerunt post nuptias filii ubi partus sine dolore succedit et fecunditas quotidiana cumulatur : Audiens hæc insanus iuuenis amore corrumpitur cœco et inter angustias animi et corporis anhelo cruciabatur spiritu . Interim lecto prosternitur et per alta suspiria amor medicis aperitur . fiunt nota patri quæ fuerant inuenta a medicis . et eadem paterna uoce quæ fuerant iam dicta a filio ad petitionem uirginis reuoluuntur . abnegat Agnes beatissima et se nullo pacto prioris asserit sponsi fœdera uiolare . cumque pater diceret in fascibus se agere præfecturæ et idcirco non sibi quamuis illustrissimum etiam posse præferri . cœpit tamen uehementissime inquirere quis esset sponsus eius cuius se Agnes || potestate iactaret . Extitit quidam ex parascitis eius : qui diceret hanc christianam esse ab infantia : et magicis artibus ita occupatam : ut dicat Christum sponsum suum . Audiens hæc præfectus lætus efficitur : et missa apparitione cum ingenti strepitu suis etiam tribunalibus præcepit sisti . Et primo quidem blandis eam sermonibus secretius prouocat : deinde terroribus pulsat . Sed uirgo Cristi nec blandimentis seducitur : nec terrore concutitur : sed eodem uultu eodem animo perseuerans terrentem similiter sicut blandientem animo deridebat . Videns itaque Simphronius præfectus tantam in puella constantiam : parentes eius adloquitur . et quia erant nobiles : et uim eis inferre non poterat : titulum eis christianitatis opposuit . Sequenti namque die Agnem sibi presentari iubet : et iterum iterumque repetens replicare cœpit de iuuenis amore sermonem : cunque omnis sermo eius casso labore deficeret : sisti eam iterum suis tribunalibus iussit : cui et dixit : supersticio christianorum de quorum te magicis artibus iactas : nisi a te fuerit segregata non poteris a te insaniam abiicere pectoris neque æquissimis consiliis præbere consensum . Vnde te ad uenerandam deam Vestam præparare necesse est : ut si perseuerantia uirginitatis placet : eius die noctuque sacrificiis reuerendis insistas . Ad hæc beata Agnes dixit : Si filium tuum quamuis iniquo amore uexatum : tamen uiuentem hominem recusaui : hominem utique qui et rationis capax : qui et audire : et uidere : et palpare : et ambulare potest : et florem lucis huius cum bonis perfrui . si ergo hunc causa amoris Christi nulla possum ratione respicere : quomodo possum idola muta et surda et sine sensu et sine anima colere . et ad iniuriam summi dei ceruices meas lapidibus inclinare? Audiens præfectus Symphronius dixit . Cupio consultum infantiæ tuæ : et adhuc te deos blasphemantem idcirco differo : quia annos tuos infra sensum aspicio . Noli ergo temetipsam ita despicere : ut motus deorum incurras . Beata Agnes dixit : Noli infantiam corporalem ita in me despicere : ut putes me te uelle habere propicium : Fides enim non in annis sed in sensibus inuenitur : et deus omnipotens mentes magis comprobat | quam ætates : deos autem tuos quorum motus me incurrere non uis : ipsi se irasci permittant ipsi loquantur ipsi mihi hoc præcipiant. ipsi iubeant se coli . ipsi iubeant se adorari . uerum quoniam te ad hoc uideo tendere : quod inpetrare non poteris : quidquid tibi uidetur exerce . Symphronius præfectus dixit : Vnum tibi e duobus elige : aut cum uirginibus deæ uestæ sacrifica : aut cum meretricibus scortare in contubernio lupanari : et longe erunt a te christiani : qui te ita magicis artibus imbuerunt : ut hanc calamitatem intrepido animo te posse perferre confidas . Vnde ut dixi : aut sacrifica deæ uestæ ad laudem generis tui : aut ad ignominiam natalium tuorum eris publicæ abiectionis scortum . Tunc beata Agnes cum

ingenti constantia dixit : Si scires quis est deus meus : non ista de ore tuo proferres . Vnde quia ego noui uirtutem domini mei Iesu christi : secura contemno minas tuas credens : quod neque sacrificem idolis tuis : neque polluar sordibus alienis : Mecum enim habeo custodem corporis mei angelum domini . Nam unigenitus dei filius quem ignoras : murus est mihi impenetrabilis : et custos mihi est nunquam dormiens : et defensor mihi est nunquam deficiens . Dii autem tui aut ærei sunt : ex quibus congrue melius fiunt ad usus hominum : aut lapidei ex quibus sternuntur plateæ . Diuinitas ergo non in lapidibus uanis habitat sed in cœlis : non in ære aut in aliquo metallo sed in regno superno consistit . tu autem et similes tui nisi ab istorum cultu recesseritis : simul uos pœnæ concludent . sicut enim illi igne conflati sunt : ut funderentur : sic colentes eos perpetuo incendio conflabuntur : non ut fundantur : sed ut confundantur : et pereant in æternum . Ad hæc insanus iudex iussit eam spoliari : et nudam ad lupanar duci sub uoce præconia dicens : Agnetem sacrilegam uirginem diis blasphemiam inferentem scortum lupanaribus datum . Statim autem ut spoliata est : crine soluto tantam densitatem capillis eius diuina gratia concessit : ut melius eorum fimbriis uideretur quam uestibus tecta . Ingressa autem turpitudinis locum : angelum illic domini ita præparatum inuenit : ut circondaret eam immenso lumine : ita ut nullus eam posset præ splendore respicere . Fulgebat enim tota illa cella quasi radians sol in uirtute sua : et quanto quis curiosior oculis esse || uoluisset : tanto sibi uisus aciem obtundebat : cumque se in oratione domino substrauisset : apparuit ante oculos eius stola candidissima : et appræhendens eam induit se : et dixit : Gratias ago tibi domine Iesu Christe : qui me in numero ancillarum tuarum computans uestem hanc mihi largiri præcepisti . Ita namque ad mensuram corpusculi eius aptum erat indumentum : et ita nimio candore conspicuum : ut nullus dubitaret hoc nisi angeli manibus præparatum . Interea lupanar locus efficitur orationis : in quo omnis qui fuisset ingressus adoraret et ueneraretur : et dans honorem immenso lumini mundior egrederetur foras : quam fuerat intus ingressus : cumque hæc agerentur : præfecti filius qui auctor huius erat sceleris uenit ad locum cum sodalibus suis iuuenculis quasi insultaturus puellæ : cum quibus libidinis suæ se posse credebat ludibrium exercere . Sed ingressos ante se furentes pueros et turpiter sæuientes cum omni autem ueneratione et ingenti admiratione egressos cœpit inpudentes arguere : atque uanos et molles ac miseros iudicare : et irridens eos locum in quo uirgo orabat audacter ingressus est : et uidens tantum lumen circa eam non dedit honorem deo : sed irridens in ipso limine prius quam uel manu eam contingeret : cecidit in faciem suam : et præfocatus a diabolo expirauit . Videntes autem socii eius quod moras intus innecteret : putabant obscenis eum operibus occupari : et ingressus unus ex iuuenibus qui ei familiarior erat : ut congratularetur insultationi eius : et mortuum eum inueniens exclamauit uoce magna dicens : piissimi romani succurrite : magicis artibus ista meretrix Præfecti filium interfecit . fit repente concursus populorum ad theatrum : et uaria populi furentis acclamatio . Alii dicebant magam : alii innocentem : alii sacrilegam conclamabant . Præfectus autem audiens filium suum interiisse cum ingenti tumultu et luctu uenit ad theatrum : et ingressus locum in quo corpus filii eius iacebat exanime : cum ingenti clamore dicebat beatissimæ uirgini : Crudelissima omnium fœminarum ad filium meum uoluisti apodixen tuæ artis magicæ demonstrare . Et cum talia atque huiuscemodi uerba multa repeteret : et causam mortis | eius ab ea uæhementer inquireret : Ait ad eum beatissima Agnes : Ille cuius uoluntatem uolebat perficere : ipse in eum potestatem accepit . Quare autem omnes qui ad me ingressi sunt : sani sunt ? quia uniuersi dederunt honorem deo : qui mhi† misit angelum suum : qui et induit me hoc indumento misericordiæ : et custodiuit corpus meum : quod ab ipsis cunabulis Christo consecratum est et oblatum . Videntes ergo splendorem angelicum adorabant omnes : et abscedebant illæsi : Hic autem impudens statim ut ingressus est : sæuire cœpit et fremere : cumque manum snam† ad me contingendam aptaret : dedit eum angelus domini in reprobam mortem . Dicit ei præfectus : In hoc apparebit quia non magicis artibus ista gessisti : si deprecata fueris angelum : ut mihi restituat filium meum sanum : Cui beata Agnes dixit : licet fides uestra hæc impetrare non mereatur a domino : tamen quia tempus est ut uirtus domini mei Iesu Christi manifestetur : egredimini omnes : ut solitam ei orationem offeram : cumque uniuersi fuissent egressi : prosternens se in faciem planam rogare cœpit dominum : ut iuuenem suscitaret . Orante autem illa appa-

ruit ei angelus domini : qui et leuauit eam flæntem : et confortans animum eius iuuenem suscitauit : qui egressus foras cœpit uoce publica clamare et dicere : Vnus deus in cœlo et in terra et in mari qui est deus Christianorum . Nam omnia templa uana sunt . Dii qui coluntur omnes uani sunt : et penitus nec sibi possunt aliquid nec aliis aliquid præstare . Ad hanc uocem omnes haruspices et templorum pontifices conturbantur : et fit per eos uæhementior quam fuerat sedicio populorum . Atque omnes una uoce clamabant . tolle magam . tolle malificam : quæ et mentes mutat : et animos alienat . Præfectus autem uidens tanta mirabilia obstupuit . Sed ueritus proscriptionem : si contra templorum pontifices ageret : et Agnetem contra suas sententias defensaret : Vicarium ad sedicionem populi iudicem dereliquit . ipse autem tristis abscessit : quod eam non potuit post resuscitationem filii sui liberare . Tunc uicarius Aspasius nomine iussit in conspectu omnium ignem copiosum accendi : et in medio eam præcepit iactari flamma || rum : quod cum fuisset impletum : statim in duas partes diuisæ sunt flammæ : et hinc atque illinc sediciosum populum exurebant . Ipsam autem penitus in nullo contingebat incendium : eo magis hoc non uirtutibus diuinis sed maleficiis reputantes dabant fremitus inter se populi et infinitos clamores ad cœlum . Tunc beata Agnes expandens manus suas in medio ignis in his uerbis orationem fudit ad dominum . Omnipotens adorande colende tremende pater domini nostri Iesu Christi benedico te : quia per filium tuum unigenitum euasi minas hominum impiorum : et spurcicias diaboli impoluto calle transiui . Ecce et nunc per sanctum spiritum rore cœlesti perfuso focus iuxta me moritur : flamma diuiditur : et ardor incendii huius ad eos a quibus in me ministratur effunditur . Bendico† te pater prædicande : qui etiam inter flammas intrepidam me ad te uenire permittis . Ecce iam quod credidi uideo . quod speraui iam teneo . quod concupiui complector . te confiteor labiis et corde . totis uisceribus concupisco . Ecce ad te uenio uiuum et uerum deum : qui cum domino nostro Iesu Christo filio tuo et cum spiritu sancto uiuis et regnas semper et in cuncta sæcula sæculorum . Amen : Cunque compleuisset orationem : ita omnis ignis extinctus est : ut nec tepor quidem incendii remaneret . Tunc Aspasius urbis Romæ Vicarius populi sedicionem non ferens : in gutur eius gladium mergi præcepit : atque hoc exitu roseo sui sanguinis rubore perfusam Christus sibi et sponsam et martyrem consecrauit . Parentes uero eius nullam penitus tristitiam habentes cum omni gaudio abstulerunt corpus eius : et posuerunt illud in prædiolo suo non longe ab urbe in uia : quæ dicitur numentana : ubi cum omnis turba Caristianorum† concurreret : insidias a paganis perpessi sunt : et uidentes populum infidelium super se ueinientem† armatum omnes fugerunt . Aliquanti tamen lapidum icstibus† læsi euaserunt . Emerentiana autem quæ fuerat collactanea eius uirgo sanctissima licet catecumina constanter intrepida stabat immobilis : et his uerbis exprobrabat eos : Superflui miseri caduci atque atrocissimi deum omnipotentem colentes occidistis : et | pro defensione lapidum innocentes homines iugulastis . Hæc et his similia dum turbis furentibus diceret : lapidata est ab eis : et orans iuxta sepulchrum Agnetis beatissimæ emisit spiritum . Non dubium est : quin in suo sit sanguine baptizata : quæ pro defensione iustæ dum confitetur dominum mortem constanter excepit . Eadem denique hora fit terræmotus uæhementissimus et cum nimia esset cœli serenitas : tantæ corruscationes tantaque fulgora et tonitrua extiterunt : ut pars maxima insani populi expiraret : Vnde factum est : ut nullus penitus ex aduenientibus ad sepulchra sanstorum† aliquas molestias excitaret . Venientes autem parentes beatæ Agnetis cum sacerdotibus nocte abstulerunt corpus sanctæ Emerentianæ uirginis : et sepelierunt illud in confinio agelli beatissimæ uirginis Agnetis . Igitur dum parentes sanctæ Agnetis assiduis pernoctationibus uigilarent ad tumulum eius : uident in medio noctis silentio exercitum uirginum : quæ omnes auro textis cycladibus indutæ cum ingenti lumine præteribant : inter quas uident beatissimam Agnetem simili ueste fulgentem et ad dexteram eius agnus erat niue candidior : Hæc itaque dum uiderent et ipsi parentes eius et omnes qui simul erant : quasi stuporem mentis incurrunt . sed beata Agnes rogat sanctas uirgines parumper gradum figere : et stans parentibus suis dixit : Videte ne me quasi mortuam lugeatis : sed congaudete mihi atque congratulamini : quia cum his omnibus lucidas sedes accepi : et illi iuncta sum in cœlis : quem in terris posita tota animi intentione dilexi : et his dictis pertransiit · hæc uisio publice ab omnibus qui uiderant quottidie uulgabatur : Vnde factum est : ut post aliquantos annos ad Constantiam Constantini Augusti filiam hoc factum ab iis qui uiderant nar-

raretur . Erat enim ipsa Constantia regia uirgo prudentissima : sed ita obsessa uulneribus : ut a capite usque ad pedes nulla membrorum pars libera remansisset . Accepto autem consilio et spe recuperandæ salutis uenit ad tumulum martyris nocte : et licet pagana tamen credula animi intentione preces fideliter fundebat : Quod cum faceret : repen || tina somni suauitate corripitur : et uidet per uisum Agnetem beatissimam talia sibi monita præferentem : Constanter age Constantia . crede dominum Iesum Christum filium dei esse saluatorem tuum : per quem modo consequeris omnium uulnerum quæ in tuo corpore pateris sanitatem . Ad hanc uocem constantia euigilat sana : ut nec signum in eius membra alicuius uulneris remaneret . Reuersa igitur ad palatium suum sanissima facit gaudium et patri Augusto et fratribus suis Imperatoribus . coronatur ciuitas tota . fit lætitia et militantibus et priuatis atque uniuersis audientibus hæc infidelitas gentium confundebatur : et fides dominica lætabatur . Interea patrem et fratres augustos rogat : ut basilica beatæ Agnetis construeretur : et sibi illic mausoleum collocari præcepit . Currit hæc opinio ad omnes : et quotquot credentes ad eius tumulum aduenissent saluabantur quacunque fuissent infirmitate detenti : quod facere Christum nullus dubitat usque in hodiernum diem . Perseuerante autem constantia Augusti filia in uirginitate sua per quam multæ uirgines et mediocres et nobiles et illustres sacra uelamina susceperunt : et quia fides mortis damna non patitur : usque hodie multæ uirgines romanæ Agnetem beatissimam quasi in corpore manentem attendunt : et eius exemplo et amore prouocante agentes uiriliter et integre perseuerant credentes sine dubio : quod perseuerantes perpetuæ uictoriæ palmam adquirant . Hæc ego Ambrosius seruus Christi dum in uoluminibus diuinis inuenissem scripta : non sum passus infructuoso silentio tegi . Ad honorem igitur tantæ uirginis martyris sicut gesta eius agnoui conscripsi : et ad ædificationem uestram o uirgines Christi textum passionis eius credidi destinandum obsecrans caritatem spiritus sancti ut labor noster in uestra imitatione fructum in conspectu domini ualeat inuenire . Passa est beatissima martyr Agnes die duodecimo calendas februarias . Regnante domino nostro Iesu Christo : cui est honor et gloria in sæcula sæculorum .

PASSIO SANCTORVM ALEXANDRI EVENTII ET THEODOLI MARTYRVM .

Quinto loco a beato petro apostolo Romanæ urbis ecclesiæ Cathedra sedit Alexander . sanctitate incomparabilis . iuuenis quidem ætate : sed fide senior totius autem populi uerum affectum gratia diuina ei contulerat . Nam et Senatorum maximam partem conuertit ad deum : ut præfectum quoque Hermen cum uxore et sorore et filiis baptizaret cum mille ducentis quinquaginta seruis suis : uxoribus quoque eorum et filiis : quos in die sancto paschæ prius fecit fieri ingenuos : et ita baptizari postea : Quibus etiam multa cum ingenuos faceret : dona concessit . Vnde cum hæc opera eius ad Adrianum principem peruenissent : misit Aurelianum Comitem utriusque militiæ de Seleutia Isauriæ ad ipsam interfectionem omnium christianorum : Vnde nutu domini eodem anno defunctus est Adrianus . Et ingresso urbem Aureliano omnis Senatus ita famulatus est ei : ut ipsum principem crederent esse Adrianum . Statim uero ut ingressus est : uenerunt ad eum templorum pontifices : et ea quæ facta sunt inuidiosis uocibus suggerentes ita animum Aureliani ad iracundiam prouocauerunt : ut Hermen præfectum urbis in uincula misisset : sed et sanctum Alexandrum papam in carcere manciparet : Vnde orta est grandis seditio populi romani . Nam alii clamabant uiuus ardeat Alexander . Alii dicebant hermes debeat uiuus incendi : qui tot milia hominum a deorum cultura euertit : quos fecit templa derelinquere : et deos lares in suis sedibus unumquemque confringere . Igitur dum hermes præfectus urbis haberetur in uinculis apud Quirinum tribunum : dicit ei Tribunus : Quæ ratio est : ut uir Illustris uice sacra iudicans . non solum ad istam iniuriam te redigi uelis : uerum etiam præfecturæ honorem in uinculis tamquam priuato honori æquanimiter feras? Sanctus Hermes ait . Ego præfecturam non perdidi : sed mutaui . Nam dignitas terrena a terrenis tollitur ac mutatur . dignitas uero cælestis æterna sublimitate subsistit . Dicit ei Quirinus : Miror te prudentissimum uirum ad tantam stultitiam deuenisse :

ut credas te istam || uitam aliquid habiturum : postquam cineres humani corporis ita ad nihilum redigantur : ut nec ipsa ossa subsistant Hermes dixit : Et ego ante hos annos deridebam : et istam carnalem utilem esse dicebam uitam . Dicit ei Quirinus : fac et me probare : et si ita est : sicut tu credidisti : ego credam . Hermes dixit : Sanctus Alexander qui habetur in uinculis hoc me docuit . Audiens hæc Quirinus : maledicere cœpit sancto Alexandro dicens : Domine mi Hermes uir Illustris recipe præfecturam tuam . redi ad mentem tuam . recipe patrimonium tuum . recipe familiam tuam tuæque domus ornatum . Ad hoc enim misit me dominus meus comes Aurelianus utriusque militiæ : ut si sacrificare uolueris præfecturam tuam non deseras : ut etiam de his te iudices : qui inimicicias etiam contra te habentes insultant casibus tuis : Hermes dixit Nonne me misisti loqui tibi . quid ut loquerer uoluisti . Dicit ei Quirinus : Ego te interogaui dicens : fac me probare iuste te credidisse : et tu mihi nominasti hominem magum : quem ego in uinculis habeo in carceris ima conclusum : et ideo mox ut mihi nomen scelerati hominis nominasti : per quem deceptus es : iam te audire non potui . Video enim te quasi rusticanum sicut asermatico indutum : qui et te et se decepit homo miserrimus in uinculis constitutus et tenebris : et forsitan flammis pro suis sceleribus exurendus . sed si quid potest liberet te et se . Hermes dixit : Domino meo Iesu christo Iudæi posito in cruce dicebant : si quid potest : descendat de cruce : et credimus ei . Ille autem si cor eorum non exhorriuisset† plenum squalore perfidiæ : et uidisset uelle eos uere credere : sine dubio descendisset . Quirinus dixit : Si uerum dicis : ego uado ad eum : et dico illi : Si uis : ut credam te ueri domini esse præconem : et uerum deum esse : quem colis : aut te ad Hermen inueniam aut hermen ad te : et omnia quæ mihi dixeris credam : Hermes dixit : fiat . Dicit ei Quirinus : Vado ego ad eum modo : et super eum uincula triplicabo : et custodes : et dicam illi : Vt eum ad te inueniam cænandi hora : et si hoc potuerit facere : per te credam : quia me poterit edocere : Cunque isset : et | triplicasset ei custodes et claustra : mittens se in orationem Alexander dixit : Domine Iseu† christe qui me in chathedra apostoli tui Petri sedere fecisti : presta mihi : ut salua passione mittas ad me angelum tuum : qui me hodie uespertino tempore perducat ad famulum tuum Hermen : et iterum matutino huc reuocet nemine sentiente : usquedum ego huc redeam. Primo igitur nocturno silentio . affuit puer ferens faculam ardentem in carcerem : Dixitque sancto Alexandro : Sequere me . At ille respondit : Viuit dominus meus Iesus christus : quod si mecum non flexeris genua : et orationem domini mei Iesu christi dixeris : non sequar te . Puer qui uidebatur non amplius quam quinque annorum flectens genua sua orauit dimidiam fere horam : et surgens dixit orationem dominicam : Et apprhændens† manum eius puer duxit ad fenestram : quæ erat clausa : et quasi hostium aperuit eam : et perduxit eum ad Hermen in domum Quirini : inter clausum cubiculum : et ueniens post Quirinus apparuit inueniens eos simul extensis manibus orantes : et faculam ardentem exterritus est uidens : cumque uiderent illi amentem effectum : dixerunt ei : Quoniam et fide hanc deffinitionem habuisti in corde tuo : ut si nos qui fuimus separati corpore : animo tamen eramus simul : etiam si corpore sociatos uideres crederes : Ecce uidisti nos . crede . Sed ne putes : quod nostræ euasionis causa nos tibi a uinculis absolutos ostendimus : nos iterum mane inuenies ut ipse uinxisti . Sed tuæ liberationis magis causa factum est : ut credas Christum filium dei esse uerum deum qui exaudiuit credentes in se : et quidquid ab eo fueris postulatus accipies . Dicit eis Quirinus : hoc potuerunt facere etiam artes magicæ . Respondit ei Hermes : Nunquid nostra uoluntate prorumpimus carceres : sed ideo quia tu dixisti te crediturum : si nos in unum uideas . ecce uides nos : quos triplicibus custodiis mancipasti . crede nam ipse dominus Iesus christus beneficiorum se manifestauit indiicis† . dum ipse illuminaret cæcos : mundaret leprosos : curaret paraliticos : effugaret dæmonia : mortuos suscitaret . Denique ideo factum est : ut ego || ista sancto Alexandro papæ crederem . unicus cum mihi esset filius in nimio langore constitutus : quia adhuc ambulabat ad litterarum studia . Iste in capitolium ductus est a me et a matre sua : Cumque sacrificassemus diis omnibus : omnibusque pontificibus præmia dedissemus : mortuus est . Tunc increpare me cœpit mater eius dicens . Tu si eum ad sancti petri limina duxisses : et credidisses christo : filium tuum ipsum haberes incolumem . Cui ego respondi : Dum tu ipsa cæca fueris facta : et non sis curata : quomodo filium meum reddebas incolumem? At illa dixit : Sic quomodo

cæca sum ante istos quinque annos si credidissem Christo : redderentur mihi oculi mei . cui et ego dixi : Vade iam : et crede : et si tibi ipsi oculos aperuerit Alexander : credam quod et mihi possit unicum restituere filium . Tunc abiit ad ipsum cæca hora tertia : et ecce hora diei sexta reuersa est ad me sana : Imponensque filium meum mortuum in humeris suis cœpit currere sic et uix eam iuuenes ac pueri sequerentur . Quæ cum uenisset : iactauit eum ante pedes eius dicens : domine redeat ad me cæcitas tantummodo ut iste suscitetur ad uitam . Tunc dixit Sanctus Alexander : Sic uero istum resuscitat Christus : ut tibi semel quos donauit non auferat oculos : Cunque facta oratione sanasset eum : et ipse peruenisset ad me : reddidissetque mihi filium meum uiuentem et sanum : statim misi me ad pedes eius : et rogaui eum : ut me faceret christianum : et ex eo tempore credidi Christo : Constitui ipsum filio meo tutorem : et omne patrimonium matris eius ipsi contuli : et aliquanta etiam de meo addidi . Cætera uero omnibus seruis meis : qui mecum facti sunt Christiani cum libertate donaui . Quidquid superfuit : erogaui pauperibus . Nunc in expedito positus nec confiscationem timeo : nec offensam hominis morituri pauesco : credens me partem habere cum his : qui pro Christi nomine ad coronam martyrii peruenerunt . Audiens hæc Quirinus dixit : Lucretur animam meam ergo per uos Christus hoc modo . Habeo filiam adultam : et uolo eam tradere uiro : cuius | aspectum quidem pulchritudo condecorat . sed collum eius struma circondat . hanc uos saluam facite : et conferam ei omnia : et uobiscum Christum confitear . Dicit ei sanctus Alexander : Vade et adduc eam ad carcerem ad me cito : et tolle boiam de collo meo : et impone ei : et fac eam simul manere cum boia : et mane eam inuenes† saluam . Dicit ei Quirinus : Et cum tu hic sis in domo mea : quomodo te inueniam in carcere. Respont† sanctus Alexander : Festinanter uade : quoniam qui me huc adduxit : priusquam tu uenias : reduci me ibi faciet . hæc cum dixisset : egressus est : et cœpit uelle apertum dimittere locum : ubi clausum tenebat Hermen : Dicit ei sanctus Alexander papa et sanctus Hermes : Claude more solito et cum nollet : coegerunt illum : et clausit : Et cum sibi ualedicerent orantes : ecce infantulus ille cum facula paratus aperuit ei fenestram dicens : Sequere me : Et inter punctum unum horæ reuocauit eum in carcerem : eique uincula reposuit : et abscessit . Post unam uero horam uenit ad custodes quatuor uiros Quirinus : quos ante in ima carceris posuerat : Et cum inuenisset eos uigilantes : et claustra omnia integra atque signata sicut dimiserat aperiens uidit sanctum Alexandrum : ad cuius pedes procidens cœpit clamere† dicens : Peto domine : ut ores pro me : ne ueniat super me ira dei : cuius tu es Episcopus . Cui respondit sanctus Alexander : et ait : Deus meus non uult perire quemquam . sed conuerti peccantes . Nam et cum in cruce positus esset : pro crucifigentibus se orauit . Tunc prosternens se Quirinus dixit : Vt iussisti : ecce ancilla tua filia mea . Dicit ei sanctus Alexander : Quot sunt in isto carcere clausæ personæ . At ille : Prope uiginti : Et dixit ei sanctus Alexander : Require si sunt hic aliqui pro cristi nomine clausi : et cum requisisset : inuenit : ac renuntiauit ei dicens : est hic Euentius presbiter senex . et Theodolus : quem dicunt de oriente uenisse : et idem presbiter . Dicit ei Alexander : Vade cursim : sed cum honore duc eos ad me . Tamen cum uadis : et uenis : tolle boiam de collo meo . et indue || eam filiam tuam . Statim tollens ei omnia uincula osculari cœpit pedes sancti Alexandri dicens : Tuis manibus impone eam . At ubi imposuit : urgere cœpit sanctus Alexander Quirinum : ut iret : qui dum uadit : ecce puer ille subito cum facula apparuit : et uenit ad puellam dicens ei : Salua esto : et permane in uirginitate tua : et ego te faciam uidere sponsum tuum : qui pro amore tuo suum sanguinem fudit . hæc cum dixisset abscessit . ueniens autem pater puellæ Quirinus cum Euentio et Theodolo præsbiteris inuenit filiam suam : et cœpit clamare dicens : Exi hinc de ista custodia domine Alexander : ne forte dum hic te tritas : ueniat ignis de cælo : et consumat me . Dicit ei sanctus Alexander : si uis mihi præstare beneficium : suade omnibus qui sunt in carcere baptizari : et ut fiant christiani . Respondit Quirinus : vos christiani sancti estis : horum autem quidam exfractores sunt . alii adulteri et malefici ac diuersorum criminum rei . Dicit ei sanctus Alexander : pro peccatoribus dei filius deus meus Iesus deus de cælo desendit† : et de uirgine natus omnes uocat ad indulgentiam . Noli dubitare . sed omnes fac uenire ad me . Tunc Quirinus dixit omnibus clara uoce : Quicumque uoluerit fieri christianus : ueniat : et qui baptizatus fuerit : uadat liber quocunque uoluerit : cumque uenissent omnes ad sauctum† Alexandrum : aperuit deus os eius : et

cœpit dicere : Filioli audite : et credite : deus qui fecit cælum et terram mare et omnia quæ in eis sunt qui fulgora mittit : et tonat : qui mortificat : et uiuificat : cui seruiunt sol et luna et stellæ et serenitates et nubes et pluuiæ : hic filium suum de supernis cælorum misit per uirginis uterum : ut ex homine nasceretur : et inciperet nasci : qui inicium nascendi nunquam habuit . cum eo qui nascebatur ex uirgine . hic cœpit ad fidem suam inuitare omne genus humanum : Qui cum duri essent Iudæi ad credendum : et nollent ei credere : hoc signum fecit : ut prandens cum eis dum uinum in conuiuiis defecisset : aquam uertit in uinum . Tum cogitationes hominum singulis cœpit exprimere . Item cæcorum oculos ape | rire : mutorum ora resoluere : reddere claudicantibus gressum : fugare dæmonia . saluare languentes ac febricitantes mortuos etiam suscitare : imperare uentis : tempestates arcere : supra mare pedibus ambulare . Cum hæc omnia faceret : et innumerabilis ei multitudo crederet zelo ducti sunt pharisei atque Iudæi : et crucifixerunt eum : Quod eos facere non uetuit : dum posset : quia nostræ mortis auctorem studuit captiuare . Quo facto tertia die surrexit a mortuis : et coram multis testibus ascendit in cælos dans potestatem discipulis suis easdem exercere uirtutes . hic post finem sæculi uenturus est iudex : ut reddat bonis bona et malis mala . Videtæ ergo uos : qui credidistis : et date nomina uestra : ut efficiamini christiani : Cunque uniuersi credidissent : præcepit Euentio et Tehodolo† : ut manus suas imponerent et cathecuminos eos facerent . post simul Quirinus cum filia sua Balbina et omni domo sua baptizati sunt : omnesque qui simul erant in custodia . Et omnibus iam baptizatis apertus est carcer : et cœpit esse quasi ecclesia . Tunc abiit commentariensis ad Aurelianum : dixitque ei omnia quæ gesta sunt . Vnde iratus iussit ad se adduci Quirinum : et dixit ei : ego te quasi filium dilexi : tu autem irrisisti me deceptus ab Alexandro : Dicit ei Quirinus : ego christianus factus sum . uis occidere : uis fustigare : uis incendere ? aliud non oro . Nam omnes qui erant in carcere feci fieri christianos : et dimisi eos : et noluerunt nusquam ire . Sanctum autem Alexandrum papam et uirum illustrem Hermen rogaui ut abscederent : et noluerunt : Ibique sunt omnes in carcere dicentes : Si pro criminibus nostris mori habuimus ac perire : magis pro Christi nomine animas nostras offerimus . Ego uero non negaui : ut omnes irent : qui baptizati sunt : et uestibus candidis nouisque uestiti essent : quia hoc exigit religio Christiana : sed ad marthyrium omnes usque nunc asistunt parati ad necem suam : sicut exuriens paratus ad epulas . Iam tibi quod placet incipe facere . Tunc fecit ei linguam abscidi dicens : linguam tuam || aufero : quia non timuisti sic audacter tua mihi pandere secreta : ut tacente te torqueri te iubeam in eculeo . Quirinus autem dixit : miser et infelix libera animam tuam : ne æternæ pœnæ te suscipiant : Qui tortus in eculeo dum Aureliani non cessaret improperiis : iussit ei manus ac pedes abscidi : et sic eum deponi : ac proici canibus : corpusque eius christiani in uia appia sepelierunt in cymiterio prætextati . filia eius Balbina sancta in uirginitate permansit : cui sæpe osculanti boiam qua saluata fuerat : dixit Sanctus Alexander : Desine boiam hanc osculari : sed potius require domini nostri Petri uincula : et ea osculare : et boiam meam osculari desine . Tunc data sibi opera cum studio et desyderio magno peruenit ad illa . Sancta Balbina dedit ea Theodoræ religiosæ fœminæ sorori sancti Hermetis præfecti urbis . Cuius ab Aureliano decollati corpus soror eius Theodora collegit : et in salaria ueteri sepeliuit : non longe ab urbe Roma sub die quinta mensis Septembris . In carcere baptizatos Aurelianus cum naui uetusta in altum mare deduci præcepit : et illic ligatis collo lapidibus mergi in profundum maris . Deinde sanctum Alexandrum papam iussit sibi exhiberi . Dixitque ei : Exquiro a te prius : ut omnes sectas nostras mihi manifestes : ut sciam cur propter Christum magis optes occidi quam uinci . Sanctus Alexdaner† dixit : Quod Queris : sanctum est . Et non permittitur a Christo sanctum dari canibus . Aurelianus dixit : Ergo ego canis sum ? Sanctus Alexander dixit : utinam canis esses . sed quod tibi peius est etiam cane deterior . Canis enim in ignem æternum pro factis malis non mittetur : sed semel mortuus : et corpore moritur simul et flatu : Is enim qui a dei similitudine recesserit : reus erit æterni supplicii : sicut ille reus est Christi : qui similitudinem imaginis tuæ siue in statua tua ausus fuerit inquinare . Sed dum tu temporalis sis : et temporales hominibus infers pœnas : deus qui æternus est æternas peccantibus pœnas infert et eterna incendia . Aurelianus dixit : Si interogationi | bus meis non satisfeceris : scias te uerberibus attractandum . sanctus Alexander dixit : Tyramne

quid est : quod talia temerario ausu perquiris : et hoc a me qui propter regem meum qui est in cælis : alterum omnino non timeo ? erras : si te putas non credendo sed discutiendo a christianis hominibus erudiri . Aurelianus dixit : Artificiosa loquacitas cesset non enim ante iudicem qualemcunque loqueris : sed ante eum loqueris : cuius potentiam totus mundus expertus est . Sanctus Alexander dixit : Noli de pottenia† tua gloriari . prope est enim deus : ut desinat esse potens qui in sua potentia gloriatur . Aurelianus dixit : Ideo permitteris loqui miserime : quia per praua tormentorum genera cito anima tua extorquenda est . Sanctus Alexander dixit : Nichil nouum facturus es . Quis enim innocens manus tuas euasit ? soli illi apud te uiuunt : qui negauerunt se seruos esse domini mei Iesu christi . ego autem certus sum me nunquam deum meum negaturum . necesse est : ut a te interficiar : sicut Hermes sanctus qui modo uere illustris est : et Quirinus : qui modo uere Tribunus est . Sed et omnes qui nuper illuminati migrauerunt ad regna syderea : Aurelianus dixit : hoc est : quod a te exquiro : quæ tantæ rei causa est : ut optetis uos magis occidi quam uinci . Sanctus Alexander dixit : Iam dixi tibi : non licet sanctum dari canibus . Aurelianus dixit . Nunquid ego canis sum ? cessent uerba : cum presto sint uerbera . Sanctus Alexander dixit : Ego non timeo uerbera ista : quæ temporaliter transeunt : et in celeritate finem inueniunt : Sed illa tormenta timeo æterna : quæ tu non times . Tunc iratus Aurelianus iussit eum leuari in eculeo : et torqueri : et in ungulis atque lampadibus atrectari : Cumque diu hoc faceret : et ille nollet mittere uoces : dixit ei Aurelianus : Quare taces : Sanctus Alexander dixit : Stultissime ego te increpo : quia de tua crudelitate non curo . Aurelianus dixit : Consydera : quia triginta annorum tibi ætas est . quare tuam uis perdere iuuentutem . Sanctus Alexander dixit : Vtinam tu animam tuam non perderes : Et cum esset in eculeo || Sanctus Alexander : misit ad aurelianum uxor eius dicens : Libera te : et dimitte istum sanctum Alexandrum : quia et tu mala morte moriturus es : et me uiduam derelinques : Aurelianus dixit : Nonne amicus tuus est : et ideo ista uerba pro ipso loqueris ? et deposito sancto Alexandro . iussit applicari Euentium et Theodolum : interogansque Alexandrum dixit Aurelianus : Dic mihi Alesander† : isti qui sunt ? Respondit sanctus Alexander : Ambo uiri sancti . ambo presbiteri . Applicato itaque sancto Euentio Aurelianus dixit : Quis diceris ? Sanctus Euentius respondit : Nomine carnali Euentius dicor . nomine spirituali christianus sum . Dicit ei Aurelianus : Et tu quando factus es christianus ? Sanctus Euentius dixit : ante hos annos septuaginta : quia cum annorum essem undecim : baptizatus sum . Nunc uero ago octoginta et unum annum . Sed istum annum in carcere habeo et in uinculis : quod gaudeo . Dixit ei Aurelianus consule senectuti tuæ . nega Christum tuum esse deum : et amicum meum te faciam et diuitem comitemque . Sanctus Euentius dixit : Vbi est sensus tuus ? ubi est intellectus tuus ? putabam te sapere . Tu autem cæcus corde non potes uidere : quod dei est : unde miser uel tarde intellige : quia homo mortalis es : et age penitentiam : et crede Christum filium dei uerum deum : ut possis eius misericordiam inuenire . Tunc ammoueri fecit Aurelianus hunc : et iussit ibi Theodolum applicari : Cui dixit Aurelianus : Tu es : qui iussa mea pro nihilo computasti . Sanctus Theodolus dixit : Et pro nihilo te ipsum per omnia computo : qui sanctos dei his suppliciis maceras : Quid fecit sanctus Alexander : ut tantis eum tormentis affligeres ? Aurelianus dixit : quasi tu in minimis eris ? Sanctus . Theodolus dixit : Credo de misiricordia† dei : quia non seperabor a societate martyrum eius . Tunc Aurelianus iussit incendi fortiter furnum : et sanctum euentium et sanctum Alexandrum dorso ad dorsum ligari : et sic in furnum præcipitari candentem. Sanctum uero theodolum ante ipsum furnum stare præcepit : ut eorum territus passio | ne ad sacrificandum ydolis consentiret . Sanctus Alexander clamauit dicens . Frater Theodole festina . ueni huc : et age nobiscum : quia ille quartus qui inter tres pueros hebræos apparuit : hic nobiscum est : et exiliens Theodolus ingressus est furnum agens domino gratias : et dicens : Igne nos examinasti et non est inuenta in nobis iniquitas . quod cum nunciatum fuisset Aureliano iratus gemuit : et angustiatus est præ furore . Tunc iussit sanctum Euentium et sanctum Thodolum† decolari . sanctum uero Alexandrum pungi per tota membra præcepit : Cumque eis quasi mortuis insultaret : uox facta est ad eum de cælo dicens : Aurelianæ istis quibus insultas apertus est paradisus deliciarum . tibi autem apertus est tartarus . et infernus . Ad hæc uerba tremor corripuit Aurelianum :

et cœpit ad Seuerinam uxorem suam dicere : Venit ad me quidam iuuenis cum uirga ferrea ignita : et iactauit eam ante pedes meos dicens : habe Aureliane : quod egisti . ex illa hora totus concremo . et in febre sum deuolutus . quid faciam nescio . ora pro me domina Seuerina ad deum tuum : ut indulgeat mihi . Seuerina dixit ei : ego uadam : et per me sepeliam eos : ne et mihi similiter contingat . Vadens autem septimo milliario de urbe Roma . uia numentana in prædio suo sanctum Euentium . et sanctum Alexandrum in uno posuit monumento . sanctum uero Theodolum in loco altero sepeliuit : Omnes uero clerici Romani et religiosi uiri qui ad exequias corporum uenerunt : ibidem remanserunt . Seuerina autem festinans rediit : et inuenit Aurelianum loquentem aliena et cadentem febribus ac sibi omnes miserias reputantem : Cui Seuerina dicebat : Noluisti audire uocem meam . ecce tu mala morte morieris : et me uiduam derelinques . Qui mox expirauit masticans linguam suam . Seuerina autem uxor eius uestiuit se cylicio : et tandui† iacuit ad limina sanctorum quos ipsa sepelierat : donec ab oriente uenisset sanctus sittus† episcopus : A quo impetrauit Seuenrina† : ut in eodem loco rei ipsius ordinaretur episcopus : qui omni die quæ sancta martyribus celebraret : Ideoque || locus ipse habet proprium sacerdotem usque in hodiernum diem . Sanctorum autem natalis est ipsorum quinto nonas maias . Benedictus dominus in sæcula sæculorum .

VITA SANCTI ALEXII CONFESSORIS .

Alexius fuit filius Euphemiani uiri nobilissimi romani et in aula Imperatoris primi : Cui tria millia puerorum assistebant : qui zonis aureis cingebantur : et uestimentis sericis induebantur . Erat autem predictus Euphemianus ualde misericors et singulis diebus in domo sua tres mense pauperibus orphanis et peregrinis et uiduis parabantur : quibus strenue seruiebat : et hora nona ipse cum uiris religiosis cibum in timore domini capiebat : Cuius uxor nomine Aglaes eiusdem religionis ac propositi erat . Cum autem filium non haberent : ad preces tamen suas dominus eis contulit filium : postque ipsi deinceps in castitate uiuere firmauerunt . Traditus igitur puer liberalibus disciplinis cum omnibus philosophiæ artibus ipse floreret : et iam ad puberem ætatem uenisset : puella sibi de domo imperiali eligitur : et sibi in coniugem copulatur . uenit nox in qua cum sponsa suscepit secreta silentia . Tunc sanctus Iuuenis sponsam suam in dei timore instruere cœpit ac ipsam ad uirginitaits† prouocare pudorem . Deinde annulum suum aureum et caput baltei quo cingebatur sibi seruanda tradidit dicens : Suscipe hæc : et serua donec deo placuerit et dominus sit inter nos . Post hæc de substantia sua accipiens ad mare discessit : ascendensque oculte nauem : Laodotiam usque peruenit . Indeque pergens in Edissam ciuitatem Syriæ profectus est : ubi ymago domini nostri Iesu christi sine humano opere facta in syndone habebatur : quo perueniens omnia que secum detulerat pauperibus distribuit et uestimenta uilia iuduens cum cæteris pauperibus in atrio dei genitricis Mariæ sedere cœpit . De eleimosynis uero quantum sibi sufficere poterat retinebat : cætera uero aliis pauperibus erogabat . At pater de | recessu filii plurimum ingemiscens : et per uniuersas mundi partes pueros suos misit : qui eum inquirerent diligenter : Quorum dum aliqui ad ciuitatem Edissam uenissent ab eo cogniti : sed ipsi minime eum cognoscentes eidem cum cæteris pauperibus eleimosynas tribuerunt : Quas accipiens gratias deo egit dicens : Gratias tibi ago domine : quia a seruis meis eleimosynam recipere me fecisti . Reuersi autem pueri patri nunciant quod nusquam ualeat reperiri . Mater igitur sua a die sui recessus saccum in pauimento cubiculi strauit : ubi eiulans lamentabiles uoces quottidie dabat dicens : Hic semper in luctu manebo : donec filium meum recuperauero . Sponsa uero ad socrum suam dixit : Donec audiam de sponso meo dulcissimo instar turturis solitaria tecum manebo . Cum igitur Alexius in prædicto atrio decem et septem annis permansisset in dei seruitio : imago ipsa tandem beatæ uirginis quæ ibidem erat custodi ecclesie dixit Fac introire hominem dei : quia dignus est regno cælorum : et spiritus dei requiescit super eum . Nam oratio eius sicut incensum in consepctu† dei ascendit. Cum autem custos de quonam diceret ignoraret : iterum ei dixit : Ille qui foris sedet in atrio ipse est . Tunc custos festinus exiit : et ipsum in ecclesiam intro-

duxit . Quod factum dum cunctis innotesceret : et ab omnibus uenerari cepisset : humanam gloriam fugiens inde recessit : laodiciam uenit : ibique nauem ascendens cum in Tharsum Cyliciæ uellet pergere : dispensante deo nauis a uentis pulsa in romanum portum deuenit . Quod cernens Alexius ait intra se : In domo patris mei ignotus manebo : nec alteri onerosus ero . Patrem igitur a palatio redeuntem multitudine obsequentium circundatum obuium habuit : ac post eum clamare cœpit : Serue dei me peregrinum in domo tua suscipi iubeas : et de micis mensæ tuæ me nutriri facias : ut tui quoque peregrini dignetur dominus misereri : Quod audiens pater ob amorem filii sui eum suscipi iussit et locum proprium delegauit . Ipse autem in orationibus perseuerabat : et corpus suum ieiuniis et uigiliis macerabat. Famuli autem domus ipsum || multipliciter deridebant : et aquam utensilium super eius caput frequenter fundebant : sed ipse patiens ualde erat . decem et septem igitur annis in domo patris sic ignotus permansit . Videns ergo per spiritum : quod apropinquaret terminus uitæ suæ cartham cum atramento petiit : et totum ordinem uitæ suæ ibidem conscripsit . Dominicha igitur die post missarum sollemnia in sanctuario uox de cælo insonuit dicens : Venite ad me omnes : qui laboratis : et honerati estis : et ego reficiam uos . Quod audientes omnes in facies suas territi ceciderunt . Et ecce uox secundo dicens : Quærite hominem dei : ut oret pro Roma . Querentibus illis : et minime inuenientibus : iterum dictum est : In domo Euphemiani quærite . Requisitus ille se nihil scire de hoc dicebat . Tunc imperatores Archadius et Honorius una cum pontifice Innocentio domum prædicti uiri uenerunt . Et ecce minister Alexii ad dominum suum uenit dicens : Vide domine : ne ille peregrinus noster sit quia magnæ uitæ et patientiæ homo est . Currens igitur Euphemianus eum defunctum repperiit : et uultum eius tanquam angeli rutilantem uidit : Voluitque cartham quam in manu habebat accipere : sed nequiuit . Exeunte igitur eo : cum hoc imperatoribus et pontifici retulisset : et illi ad eum intrassent : dixerunt : Quamuis peccatores simus : regni tamen gubernacula gerimus : et hic curam uniuersalem regiminis pastoralis . Da igitur nobis cartham : ut sciamus quæ in ea scripta sunt : Et accedens pontifex cartham in manu accepit : et ille eam statim dimisit : Fecitque eam legi coram omni populo et multitudine et patre eius . At Euphemianus hæc audiens nimio timore conturbatus obstupuit : et facto examini resolutisque uiribus in terram decidit . Cum uero ad se aliquantulum redisset : uestimenta sua scidit : cœpitque canos capitis sui euellere . barbam trahere : atque semetipsum discerpere : ac super filii sui corpus corruens exclamabat : Heu me fili mi quare sic me contristasti : et per tot annos mihi dolores et gemitus incussisti . Heu me miserum : quia uideo te custodem senectutis meæ in grabato iacentem : et non loquentem | mihi . Heu me qualem de cætero consolationem habere potero . Mater uero eius hæc audiens quasi leæna rumpens ræte ita scissis uestibus ruens coma dissoluta ad cælum oculos leuabat et cum præ nimia multitudine sanctum corpus adire non posset clamauit dicens : Date mihi uiri aditum : ut uideam consolationem animæ meæ qui suxit hubera mea : Et cum peruenisset ad corpus incumbens super illud clamabat : Heu me fili mi lumen oculorum meorum quare sic nobis fecisti : et tam crudeliter nobiscum egisti? Videbas patrem tuum et me miseram lachrymantes : et ostendebas te ipsum nobis . Serui tui iniuriabantur tibi : et sustinebas . Et iterum atque iterum prosternebat se super corpus : et nunc brachia super illud expandebat : nunc manibus uultum angelicum contrectabat : osculansque clamabat : Plorate mecum omnes qui adestis quia per decemseptem annos eum in domo mea habui : nec cognoui : quia unicus filius meus esset . Serui enim ei conuiciabantur : et alapis percutiebant . Heu me quis dabit oculis meis fontem lachrymarum : ut plangam die ac nocte dolorem animæ meæ . Sponsa uero eius induta ueste hadriatica cucurit plorans et dicens : Heu me quia hodie desolata sum : et apparui uidua . Iam non habeo : in quem prospiciam nec in quem oculos leuem. Nunc ruptum est speculum meum : et periit spes mea . Amodo cœpit dolor : qui finem non habet† . Populus autem audiens hoc lachrymabiliter flæbat . Tunc pontifex cum imperatoribus posuerunt corpus in honorato feretro : et duxerunt in mediam ciuitatem : et nunciatum est populo in uentum† esse hominem dei : quem Ciuitas tota quærebat : et omnes obuiam currebant sancto . Si quis autem infirmus illud corpus sanctissimum tangebat protinus curabatur . Cæci uisum recipiebant dæmoniaci liberabantur : et omnes infirmi quacunque infirmitatæ detenti tacto corpore sancto curabantur . Imperatores autem tanta mira-

bila† uidentes cœperunt per se cum pontifice lectum portare : ut et ipsi sanctificarentur ab eodem corpore sancto . Tunc imperatores iusserunt copiam auri et argenti in plateis spargi : ut turbæ occupa || rentur amore peccuniarum : et sinerent corpus sanctum perduci ad ecclesiam . Sed plebs amore peccuniarum seposito magis ac magis ad tactum sanctissimi corpus irruebat . Et sic cum magno labore ad templum sancti Bonifacii matyris† tandem illud perduxerunt : et illic per septem dies in dei laudibus persistentes condiderunt monumentum ex auro et gemmis et lapidibus pretiosis : In quo sanctissimum corpus cum magna ueneratione collocauerunt . De ipso quoque monumento suauissimus odor fragrauit : ut omnibus uideretur aromatibus plenum . Obiit autem decimo sexto Calendas augusti circa annos domini . CCC.LXXXXVIII .

PASSIO SANCTI ALEXANDRI MATRRIS† .

Facto Alexandro christiano sub Maximiano cæsare : audiens hoc Maximianus post dies quindecim accersiuit eum dixitque ei : ob nullam aliam causam uocaui te : nisi ut sacrifices : comperimus te derelinquentem deos nostros : christianum te esse effectum . Et hæc dicens petiit sibi mensam : Quaque apposita linteaminibus coho- perta ait ad Alexandrum : Accede nunc : et sacrifica . Sanctus Alexander confirmatus in gratia dei respondit ad eum : Quare hæc facis Cæsar Maximiane ? magnam tyram- nidem exerces . Et quidem ego uereri te possum ut regem : uerumtamen ut deum amare non possum . Et cæsar ad eum dixit : Iubeo te mori : nisi sacrificaueris . San- ctus Alexander respondit : Si mors mihi fuerit a te Illata : uita est apud deum . Nam ab hoc sæculo recedendum est . Maior uita est ad quam accedam : et regem sæculo- rum iustissimum creatorem nostrum atque nostrum deum possideam : In cuius responsione admiratus Cæsar iussit eum sisti : et suasoriis quidem uerbis persuadebat ei dicens : Et si excusas sacrificare Alexander : uel sacrificantibus consenti : et eisdem copulare . At illo tacente nihilque tyramno respondente iussit Cæsar ministris ut appo | nerent mensam cum sacrificiis . Sanctus Alexander in cælum respiciens dixit : Atque utinam tantam mihi deus gratiam daret : qui cuncta per Iesum Christum postulan- tibus præstat : ut possem et tuam uoluntatem ad dei agnitionem conuertere : et uanissimam istam incredulitatem a te auertere . Sed tu quidem hoc insanabile habes malum ex uetustate : et huic uanitati ad hærens credere non uis : me autem uocauit ille : qui uenientibus ad suam gratiam olim uocare promisit . Parce consiliis tuis diabolicis . plange : et cognosce actus tuos malos : et crede in deum uiuum : qui fecit cælum et terram . Motus uero Maximianus ad tantam eius fidutiam dixit ad eum : Vsque nunc quidem ad hæsisti tantum ut coniucundari utentibus iubeam te : Quia tu uero ultra quam oportet liberalibus usus es sermonibus actorem te et operarium appositi sacrificii teneri præcipio . Sanctus Alexander hæc audiens dixit ad eum : Valde in ridiculo tuum præceptum suscipio . Ego enim deum cæli colo : qui me de hoc errore quo tu detineris ad legis suæ cognitionem perduxit : et non ligna et lapides ab hominibus composita me iussit adorare : quæ tu nunc uenerabiliter colis . Sed quid plura agitas tyramne gladium ? Et quid hoc mihi a te sacrificanti concessum est . Non enim tantum iungor tuæ prauæ iniquitati quantum dei iusticiæ : et euis† gratiæ parti- ceps merui existere : nec propter paruam libidinem cælestem gratiam amitto . Hæc Alexandro dicente clara uoce ad tyramnum et reliquos . Commotus Maximianus iussit astantibus : ut appositum sacrificium inuito ei offerrent applicitis ei armatis suaderi præcipiebat . At ille amplius in indignationem omnem ad motus† : confundens regiam iniquitatem et eius præcepta : calcæ mensam percutiens euertit cum omnibus in ea appositis . Hinc itaque furore repletus Maximianus et totus iracundia feruens fixit ad eius necem oculos : et iussit eum tradi uni ex ministris : qui eum duceret ad uictimas . Minister uero euaginato gladio stetit stupidus nihil audens in eum aliquid facere : Cui Maximia || nus dixit : Adhuc stas malus miles ? Martianus miles respondit : Domine mi rex caput eius sicut mons est ante me : et ego totus contremisco i† Cognoscens autem causam . Maximianus tradidit aliis ministris : ut eum interficerent . qua uissione† gaudio repletus est sanctus dei martyr Alexander aquam petiit . mos† suas manus lauit flectensque genua et ceruicem in terra humilians orationem optulit deo dicens :

Benedictus es deus : qui dignis cognitoribus tuis que sunt bona tribuis Benedictus es : qui patiens es super peccatores et infideles . errantes reuocas ad tuam agnitionem . Benedictus es : qui inferna quidem calcasti propter nostram resurectionem persecutores abnegant ad tuam uenire ueritatem . Benedictus es : qui cadentes erigis per tuam pietatem . Benedictus es : qui animalium quidem execraris cedem tuorum uero sanctorum orationes libentissime suscipis . Benedictus es : qui collentibus te cohoperaris ut dæmones eis subiicias . Benedictus es : qui pœnitentiam quidem desertoribus pro peccatis eorum largiri dignaris : eandem uero mercedem undecima hora occurrentibus gratia donare dignatus es . Benedictus es : qui ignorantiam quidem inpietatis a me extinxisti hodie : tua uero ueneratione aggregasti : ut persecutionem deuictam ostenderes . Benedictus es : qui me de media idolorum cultura ad tuam magnitudinem bonorum operum tuorum assumpsisti : et de principali potestate liberasti . Benedictus es : qui inter bona gregis tui me esse constituisti : et idonea mente in tua ueritate confirmasti . Benedictus es : qui tantorum bonorum thesaurum subito mihi largitus es : et ad stadium ueritatis tue per Iesum christum dominum nostrum introduxisti. Benedictus es : qui fortem athletam tuæ uenerationis sermone docusti† et aculeum diaboli infirmasti . Tu mi domine perfectam gratiam exhibe : sicut mittere dignatus es diligentibus te . Hæc exorauit beatissimus Alexander . Post orationem aspiciens in cælum commendauit spiritum suum dicens : In manus tuas domine commendo spiritum meum et inclinauit Caput implens prcæepta† regis . Minister uero amputauit caput eius. Deinde ueni | ens post aliquos dies quedam matrona castissima nomine Grata corpus eius animo læto collegit posuitque in prediolo suo non longe a muro ciuitatis bergomensis . Passus est beatissimus uir dei Alexander septimo Calendarum septembrium sub maximiano imperatore Regnante domino nostro Iesu christo : cui est honor et gloria in sæcula sæculorum . Amen .

DE SANCTO AGAPETO PAPA.

Anno Iustiniani sexto Theodatus rex Italiæ et Ostrogotthorum reginam Amalsiundam quæ secum eum in regnum asciuerat exulauit : eaque non multo post in balneo strangulata iussu Theodati solus super ostrogotthos anno uno regnauit : Qui sciens ex hoc iram se imperatoris meruisse : Agapetum papam constantinopolim misit pro impetranda huius facti impunitate . Ex Libro pontificum hic Agapetus in ortu episcopatus sui libellos anathematis quos inuidiæ dolo extorserat bonifacius presbyteris et episcopis contra canones et contra Dioscorum in medio ecclesiæ congregatis omnibus incendio consumpsit : Et absoluit totam ecclesiam de inuidia perfidorum . Hic missus a Theodato rege Gotthorum ad Iustinianum augustum in legacionem ambulauit constantinopolim : Et cum gloria susceptus est : primumque cœpit habere altercacionem cum Augusto piissimo imperatore de religione : cui responsum reddidit de domino Iesu christo deo et homine hoc de duabus naturis in uno Christo : Et dum intentio uerteretur : ita dominus affuit : ut episcopum constantinopolitanum nomine Antenium inueniret hæreticum : cum uero intentio uerteretur cum Augusto et Agapeto papa : dixit ei imperator : Aut comsenti nobis : aut exilio te deportari faciam . Tunc beatus Agapetus respondit cum gaudio : Ego quidem peccator ad Iustinianum imperatorem cristianissimum desideraui uenire . nunc autem Dioclicianum inueni . at enim minas tuas non per || timesco : Et ut scias te idoneum non esse religioni christianæ episcopus tuus non confitetur duas naturas in christo Tunc ex præcepto . Augusti accersito episcopo Antenio et discussione patefacta nunquam confiteri uoluit duas naturas in uno domino nostro Iesu christo Quem conuicit sanctus papa Agapetus et glorificatus est ab omnibus christianis . Tunc imperator gaudio repletus humiliauit se sedi apostolicæ : et adorauit beatissimum Agapetum . Eodem tempore ammouit Antenium a comunione eumque expulit in exilium . Tunc piissimus Augustus rogauit Agapetum : ut in eius locum anthenii episcopum catholicum consecraret nomine Menam . Ipse uero papa omnia obtinuit ex qua causa directus fuerat . Post dies uero aliquantos ægritudine commotus defunctus est constantinopoli Calendas maii Cuius corpus in loculo plumbeo translatum est usque ad basilicam beati Petri apostoli : ubi : et sepultus est duodecimo Calendas octobris .

VITA SANCTI AMBROSII MEDIOLANENSIS EPISCOPI A PAVLINO NOLANO EPISCOPO AD BEATVM AVGVSTINVM.

Hortaris . uenerabilis pater Augustine ut sicut beati uiri Athanasius episcopus et Hieronimus præsbyter stilo prosecuti sunt uitam sanctorum Pauli et Antonii in heremo positorum : sicut etiam Martini uenerabilis episcopi turonensis ecclesiæ Seuerus seruus dei sermone contexuit : ita etiam beati Ambrosii episcopi mediolanensis ecclesiæ ego meo prosequar stilo . Sed ego ut meritis tantorum uirorum qui muri ecclesiarum sunt et eloquientiæ fontes : ita etiam sermone me imparem noui . Tamen quia absurdum esse opinor : quod præcipis declinare : ea quæ a probatissimis uiris qui illi ante me adstiterunt et maxime a sorore ipsius uenerabili Marcellina didici uel quæ ipse uidi : uel quæ ab his agnoui : qui illum in diuersis prouinciis post obitum ipsius | se uidisse narrarunt : uel quæ ad illum scripta sunt cum adhuc obiisse nesciretur adiutus orationibus tuis et meritis tanti uiri licet inculto sermone breuiter strictimque describam : ut lectoris animum et si sermo offenderit : tamen breuitas ad legendum prouocet : Nec uerborum fucis ueritatem obducam : ne dum scriptor elegantiæ pompam requirit lector tantarum uirtutum amittat scientiam : quem non magis uerborum faleras pompasque sermonum : quam uirtutem rerum gratiamque spiritus sancti expectare conueniat . Siquidem nouerimus uiatores gratiorem habere aquam breui uena stillantem fonte cum sitiunt : quam profluentis fontis riuos : quorum copiam sitis tempore reperire non possunt : et ordeacius panis dulcis soleat esse etiam his : qui centenis uicibus ferculorum quottidiani coniuuii† copias ructare consueuerunt . Sed et hortorum amœna mirantibus herbæ agrestes placere consuerunt : quam ob rem obsecro uos omnes : in quorum manibus liber iste uersabitur : ut credatis uera esse quæ scripsimus . Nec me quisquam putet studio amoris aliquid quod fide caret posuisse : quando quidem melius sit penitus nihil dicere : quam aliquid falsi proferre : cum sciamus nos omnium sermonum nostrorum reddituros esse rationem . Nec dubitem et si non ab omnibus omnia tamen a diuersis diuersa sciri : et ea cognita non nullis esse : que etiam ipse minus aut audire aut uidere potui . Vnde a die natiuitatis eius narrandi initium summam† : ut gratiam uiri ab ipsis cunnabulis quæ fuerit agnoscatur .

Igitur posito in administratione præfecture salinarum patre eius Ambrosio natus Ambrosius est : qui infans in area prætorii in cunis positus cum dormiret aperto ore subito examen apum adueniens faciem eius atque ora compleuit ita ut ingrediendi in os egrediendique frequentarent uices . Quæ pater qui propter cum matre uel filia deambulabat ne abiicerentur ab ancilla : quæ curam nutriendi infantis susceperat prohibens : sollicita enim erat : ne infanti nocerent : expectabat tamen patrio affectu : quo fine illud miraculum clauderetur . At ille post aliquandiu euolantes in tantam aeris altitudin† || subleuatæ sunt : ut humanis oculis minime uiderentur : quo facto territus pater ait : Si uixerit infantulus iste : aliquid magni erit . Operabatur enim iam tunc dominus in serui sui infantia : ut impleretur : quod scriptum est : faui mellis sermones boni . Illud enim examen apum scriptorum ipsius nobis generabat fauos : qui cælestia dona annunciarent : et mentes hominum de terris ad cælum erigerent. Postea uero cum adoleuisset : et esset in urbe Roma constitutus cum matre uidua et sorore : quæ uirginitatem fuerat iam professa comitte alia uirgine : cuius uirginis soror candida et ipsa eiusdem professionis : quæ nunc carthagine degit iam anus : cum uideret sacerdotibus a domestica sorore uel matre manus obsculari : ipse ludens offerebat dexteram dicens : et sibi id ab ea fieri oportere : si quidem episcopum se futurum esse memoraret . Loquebatur enim iam in illo spiritus domini : qui illum ad sacerdotium nutriebat . Illa uero ut adoloscentem† et nescientem quid diceret respuebat . Sed postquam doctus liberalibus disciplinis ex urbe egressus est profectusque in auditorium præfecturæ prætorii ita splendide causas perorauit : ut eligeretur a uiro illustri Probo tunc præfecto prætorii ad cdsilium† tribuendum . Post quod consularitatis suscepit insignia : ut regeret lyguriam hæmyliamque prouincias : uenitque Mediolanum .

Per idem tempus mortuo Maxentio arrhyanæ perfidiæ episcopo qui Dyonisio beatæ memoriæ confessore ad exilium destinato incubabat ecclesiam . cum populus ad sedicionem surgeret in petendo episcopum : essetque illi cura sedandæ sedicionis : ne populus ciuitatis in periculum sui conuerteretur : perrexit ad ecclesiam : Ibique cum alloqueretur plebem : subito uox fertur infantis in populo sonuisse Ambrosium episcopum : ad cuius uocis sonitum totius populi ora conuersa sunt acclamantis Ambrosium episcopum . Ita qui ante turbulentissime dissidebant : quia et arrhyani sibi et catholici episcopum cupiebant : superatis alterutris ordinari repente hunc unum mirabili et inrcedibili[†] concordia consenserunt : quo ille | cognito egressus ecclesiam tribunal sibi parari fecit . Quippe mox futurus episcopus altiora conscendit . Tunc contra consuetudinem suam tormenta personis iussit adhiberi : quod cum faceret : populus nihilominus acclamabat peccatum tuum super nos . Sed non similiter hic populus tunc clamauit : sicut populus iudæorum . Illi enim uocibus suis sanguinem dominicum effuderunt dicentes : sanguis eius super nos . Isti uero catecuminum scientes fideli uoce remissionem illi peccatorum omnium per baptismi gratiam promittebant . Tunc ille turbatus reuersus domum philosophiam profiteri uoluit futurus uerus philosophus Christi : qui contemptis sæcularibus pompis piscatorum secuturus esset uestigia : qui Christo populos congregarunt non fucis uerborum sed simplici sermone et uera fidei ratione : missi sine pera sine uirga etiam ipsos philosophos conuerterunt : quod ubi ne faceret reuocatus est : publicas mulieres publice ad se ingredi fecit : ad hoc tantum ut uisis his : populi intentio reuocaretur . At uero populus magis magisque clamabat : peccatum tuum super nos . At ille cum iuderet[†] nihil sua intentione posse proficere fugam parauit .

Egressus noctis medio ciuitate cum Ticinum se pergere putaret : mane ad portam ciuitatis quæ romana dicitur inuenitur . Dominus enim qui ecclesiæ suæ catholicæ murum parabat aduersus inimicos suos et turrem erigebat dauid contra faciem damasci hoc est perfidiam hæreticorum : fugam illius impediuit : Qui inuentus cum custodiretur a populo missa relatio est ad dæmentissimum[†] imperatorem tunc Valentinianum : qui summo gaudio accepit : quod iudices a se directi ad sacerdotium peterentur . Lætabatur etiam Probus præfectus : quia uerbum eius impleretur in Ambrosio : Dixerat enim proficiscenti : cum mandata ab eodem darentur : ut moris est : uade age non ut iudex sed ut episcopus . Pendente itaque relatione iterum fugam parauit atque in possessione cuiusdam Leontii clarissimi uiri aliquandiu latuit : Sed ubi relationi responsum est ab eodem Leontio proditur . Præceptum enim || erat uicario : ut insisteret rebus perficiendis : qui iniuncta sibi cum uellet implere proposito edicto conuenit omnes : ut si uellent sibi consulere rebusque suis proderent uirum . Proditus itaque et adductus Mediolanum : cum intelligeret circa se dei uoluntatem : nec se diutius posse resistere : postulauit non se nisi a chatholico episcopo baptizari . Solicitam enim habebat perfidiam arrhynorum . Baptizatus itaque fertur omnia ecclesiastica officia implesse : atque octauo die episcopus ordinatus est summa gratia et læticia cunctorum . Igitur post annos aliquot ordinationis suæ ad urbem Romam hoc est ad proprium solum perrexit : Ibique sanctam puellam de qua supra memorauimus cui manum offerre solitus erat in domo propria cum germana sicut reliquerat inuenit iam matre defuncta : Atque cum illa dexteram illius oscularetur surridens ait illi : Fcce[†] ut dicebam tibi sacerdotis manum oscularis .

Per idem tempus cum Trans thyberim apud quandam clarissimam inuitatus sacrificium in domo offeret : quædam balneatrix quæ paralytica in lecto iacebat : cum cognouisset ibidem esse domini sacerdotem : in sellula se ad eandem domum in quam ille inuitatus aduenerat portari fecit : atque oranti et imponenti manus uestimeta[†] attigit : quæ cum exoscularetur : statim sanitate recepta ambulare cœpit : ut impleretur illud dominicum dictum ad apostolos : etiam maiora his facietis in nomine meo : quod tamen signum sanitatis : ut mirabile fuit : ita etiam nec cocultum[†] . Nam ego hoc in eadam[†] regione post annos plurimos sanctis uiris referentibus positus in urbe cognoui . Sirinium uero cum ad ordinandum episcopum Anemium peruenisset : ibique Iustine tunc temporis reginæ potentia et multitudine coadunata de ecclesia pelleretur : ut non ab ipso sed ab hæreticis arrhyanis episcopus in eadem ecclesia ordinaretur : essetque constitutus in tribunali : nihil curans eorum : quæ a muliere excitabantur : una de uirginibus arrhyanorum impudentior ceteris tribunal conscen-

dens : apprehenso uestimento sacerdotis : cum illum adtrahere uellet ad patrem† mulierum : ut ab ipsis cæ | sus ecclesia pelleretur audiuit : ut ipse solitus erat referre : Etsi ego indignus tanto sacerdotio sum : tamen te non conuenit uel professionem tuam in qualemcumque sacerdotem manus iniicere : Vnde debuit uereri dei iudicium : ne illi aliquid eueniret : Quod dictum exitus confirmauit : Nam alio die mortuam ad sepulchrum usque deduxit gratiam pro contumelia rependens . Sed hoc factum non leuem aduersariis incussit metum : pacemque magnam catholicæ ecclesiæ in ordinando episcopo tribuit . Ordinato itaque catholico sacerdote Mediolanum reuertititur† : Ibique Iustinæ supradictæ mulieris innumeras insidias sustinuit : Quæ muneribus atque honoribus aduersum sanctum uirum oblatis populos excitabat : sed infirmorum animi talibus promissis decipiebantur . Promittebat enim tribunatus et diuersas alias dignitates his : qui illum de ecclesia raptum ad exilium perduxissent : Quod cum multi conarentur : sed deo præsule perficere non ualerent : unus infelicior cæteris nomine Euthymius in tantum furorem excitatus est : ut iuxa† ecclesiam sibi domum pararet : atque in eadem carrum constitueret : qno† facilius raptum super positum carpento ad exilium deduceret : sed iniquitas eius in uerticem eius descendit . Post annum etenim eodem die quo illum rapere se arbitrabatur in eodem carpento impositus de eadem domo ipse ad exilium destinatus est : reputans sibi iusto iudicio dei id in se esse conuersum : ut in eodem carpento dirigeretur ad exilium : quod ipse parauerat sacerdoti : Cui non minimum solacium sacerdos prebuit dando sumptus uel alia : quæ erant necessaria . Sed hæc confessio hominis nec mulieris furorem nec uæsanorum arrhyanorum dementiam repressit . Maiore etenim accensi dementia basilicam portianam inuadere nitebantur . Exercitus etiam armatus ad custodiendas fores ecclesiæ est directus : ut nemo auderet catholicam ecclesiam ingredi . Sed dominus qui de aduersariis suis ecclesiæ suæ triumphos donare consueuit : ad ecclesiæ suæ munimentum militum corda conuertit : ut aduersis scutis ecclesiæ fores seruarent : nec egredi dimitterent : || sed ingredi ecclesiam plebem catholicam minime prohiberent : Nec hoc satis erat missis militibus nisi ut etiam pro catholica fide cum plebe pariter acclamarent . Hoc in tempore primum antiphonæ hymni et uigiliæ in ecclesia mediolanensi celebrari cœperunt : Cuius celebritatis deuotio usque in hodiernum diem non solum in eadem ecclesia uerum etiam per omnes pene prouincias occidentis manet .

Per idem tempus sancti martyres Protasius et Geruasius se sacerdoti reuelauerunt. Erant enim in basilica positi : in qua sunt hodie corpora Naboris et Felicis martyrum : sed sancti martyres Nabor et Felix celeberrime frequentabantur . Protasii uero et Geruasii martyrum ut nomina ita etiam sepultura incognita erat in tantum . ut supra ipsorum sepulchra ambularent omnes qui uellent ad cancellos peruenire : quibus sanctorum Naboris et Felicis martyrum ab iniuria sepulchra defendebantur . Sed ubi sanctorum martirum corpora sunt leuata et lecticis posita : multorum ibi sanatæ ægritudines perdocentur . Cæcus etiam Seuerus nomine : qui nunc usque in eadem basilica quæ dicitur ambrosiana : quo martirum corpora sunt translata religione seruit : ubi uestem martyrum attigit : statim lumen recepit . Obsessa etiam corpora a spiritibus immundis curata summa cum gratia domum repetebant : Sed his beneficiis martyrum quantum crescebat fides ecclesiæ catholice : tantum arrhyanorum perfidia minuebatur : Denique ex hoc tempore sedari cœpit persecutio : quæ iustine furore accendebatur : ut sacerdos de ecclesia pelleretur . Tamen quum intra pallatium multitudo arrhyanorum cum Iustina constituta residebat : tantum dei gratiam quam ecclesiæ suæ catholicæ Iesus dominus meritis martyrum conferre dignatus est : uenerabilemque uirum Ambrosium narrabat peccunia comparasse homines : qui se uexari ab immundis spiritibus mentirentur : atque ab illo sicut et a martyribus se torqueri dicerent . Sed hoc iudaico ore loquebantur arrhyani suppares scilicet eorum . Illi enim de domino dicebant quoniam in Beelzebub principe dæmoniorum eiicit dæmo | nia . Isti de martyribus uel de domini sacerdote loquebantur quod non dei gratia quæ per illos operabatur inmundi spiritus pellerentur : sed accepta peccunia se torqueri mentirentur . Clamabant enim dæmones : scimus uos esse martyres sed arrhyani dicebant : nescimus esse martyres . Iam hoc et in euangelio legimus : ubi dixerunt dæmones ad dominum Iesum : scimus te : qui es dei filius . Et Iudæi dicebant : hic autem unde sit nescimus . Sed non hic testimonum† accipitur dæmonum

sed confessio . Vnde miseriores arrhyani uel Iudæi : ut quod confitentur dæmones : illi negent : Dominus tamen qui gratiam ecclesiæ suæ augere consueuit : non passus est diu insultari a perfidis sanctis suis . Vnus itaque ex ipsa multitudine subito arreptus a spiritu immundo clamare cœpit . ita torqueri eos ut ipse torquebatur : qui negarent martyres : uel qui non crederent in trinitatis unitatem : quam docet Ambrosius . At illi hac uoce confusi qui conuerti debuerant : et dignam tali confessione agere pœnitentiam : in piscinam demersum hominem necauerunt perfidiæ homicidium adiungentes : Deduxit enim illos ad hanc finem summa necessitas . Sanctus uero Ambrosius episcopus maioris humilitatis uir factus donatam sibi a domino gratiam reseruabat . Crescebatque quottidie fide et amore coram deo et coram hominibus . Per idem tempus erat quidam uir de hæresi arrhyanorum acerrimus nimium disputator et durus atque inconuertibilis ad fidem catholicam . Is constitutus in ecclesia tractante episcopo uidit ut ipse post modum loquebatur angelum ad aures tractantis episcopi loquentem : ut uerba angeli populo episcopus renuntiare uideretur : quo uiso conuersus fidem quam expugnabat cœpit ipse defendere . Fuerunt etiam duo cubicularii tunc temporis Gratiani imperatoris de heresi arrhyanorum : qui tractanti episcopo quæstionem proponerent : Ad quam audiendam altero die ad basilicam porcianam se affuturos promiserant . Erat enim quæstio de incarnatione domini sed alio die miserandi homines superbiæ tumore completi nec || memores promissorum contemnentes deum in sacerdote ipsius : nec plebis expectantis consyderantes iniuriam : immemores etiam dictorum dominicorum : quoniam qui scandalizauerit unum ex minimis istis : oportet ut mola asinaria collo eius alligetur et demergatur in profundum maris : conscendentes rhedam quasi gratia gestandi ciuitate egressi sunt : expectante sacerdote uel plebe in basilica constituta. Sed huius contumaciæ qui finis fuerit : horresco referens . Subito et præcipitati de rheda animas emiserunt atque corpora eorum sepulturæ sunt tradita . sanctus uero Ambrosius cum ignoraret : quid factum esset : nec diutius posset plebem tenere : ascendens pro tribunali de eadem quæstione que fuerat proposita sermonem adorsus est dicens : Debitum quidem uideo soluendum : sed hesternos meos non inuenio creditores et reliqua : que in libro scripta sunt : qui de incarnatione titulatur . Occiso itaque Gratiano imperatore de recipiendi corporis eius causa secundam ad Maximum suscepit legationem : apud quem quam constanter egerit qui uoluerit cognoscere legationis ipsius epistolam ad Valentinianum iuniorem datam cum legerit approbabit . nobis enim alienum a promissione uisum est illam inserere : ne adiunctæ epistolæ prolyxitas fastidium legendi afferret . Ipsum uero Maximum a communionis consortio segregauit admonens : ut effuso sanguine domini sui et quod est grauius innocentis ageret pœnitentiam : si sibi apud deum uellet esse consultum . Sed ille cum pœnitentiam declinat superbus spiritu : non solum futuram sed etiam præsentem salutem amisit et regnum : quod male arripuerat fœmineo quodam modo tumore deposuit : ut procuratorem se rei publicæ non imperatorem fuisse confiteretur .

Mortua uero Iustina cum quidam haruspex Innocentius nomine non tamen opere in causa maleficiorum a iudice torqueretur : aliud quam interrogabatur fateri cœpit . Clamabat enim ab angelo maiora tormenta adhiberi ei qui non communicaret Ambrosio et custodiret Ambrosium : Quoniam temporibus Iustinæ ad excitanda odia populorum in episcopum cacumen tecti ecclesiæ conscendens | medio noctis sacrificauerit . Sed quanto instantius et sollicitius opera maligna excercebat : tanto magis amor populi circa fidem catholicam et domini sacerdotem conualescebat . Misisse etiam se dæmones : qui illum internecarent : fatebatur . Sed dæmones renunciasse se non solum ad ipsum appropinquare non posse : uerum etiam nec ad fores domus in qua manebat Episcopus : quoniam ignis insuperabilis omne illud ædificium communiret ut etiam longe positi urrerentur . Ita cessasse artes suas : quibus aduersum domini sacerdotem se aliquid posse arbitrabatur . alius etiam gladium ferens ad cubiculum usque peruenit : ut interficeret sacerdotem : sed cum elleuasset manum districto gladio : dextera obrigente remansit : tunc se missum a Iustina postquam confessus est brachium quod inique cum extenderetur obriguerat sanatum est confessione .

Per idem tempus cum illustris Probus puerum suum notarium qui spiritu immundo grauiter uexabatur direxisset ad Episcopum egressum urbem dimissit diabolus timens ad uirum sanctum perduci : Atque ita puer quandiu Mediolani apud Episcopum fuit :

nulla in illo diaboli dominatio apparuit Sed ubi egressus est Mediolano : et prope urbem peruenit : idem spiritus qui illum ante habuerat uexare cœpit : Qui cum interrogaretur ab exorcistis : cur quandiu fuisset Mediolani non in illo apparuisset : confessus est diabolus timuisse Ambrosium : Ideo recessise ad tempus : atque expectasse in illo loco : ubi ab illo recesserat : donec renerteretur† : quo reuertente uas quod deseruerat repetisse . Fxtincto† itaque Maximo posito Theodosio imperatore Mediolani Ambrosio uero episcopo constituto Aquilegiæ in partibus orientis in quodam castello a christianis uiris synagoga Iudæorum et lucus ualentinianorum incendio concremata sunt : propterea quod Iudei uel ualentiniani insultarent monachis christianis . Valentinianorum enim hæresis triginta deos colit . Sed de huiusmodi facto comes orientis ad Imperatorem relationem direxit : Qua accepta imperator præceperat : ut synagoga ab episcopo loci reædificare || tur in monachos non uindicaretur : Sed huius præcepti tenor cum ad aures peruenisset uenerabilis Ambrosii episcopi : direxit ad imperatorem epistolam : quia ipse in tempore excurrere non poterat : qua illum conuenit : ut id quod ab eodem statutum fuerat reuocaretur : seruarique sibi debere ab illo audientiam : qui si dignus non esset qui ab illo audiretur : dignus etiam non esset : qui pro illo a domino audiretur : uel cui suas preces cui sua uota committeret . Paratum etiam se esse pro tali negocio mortem subire : ne dissimulatione sui præuaricatorem faceret Imperatorem : qui tam iniusta contra ecclesiam præcepisset . Postea uero quam Mediolanum reuersus est posito imperatore in ecclesia de eadem causa tractauit in populo . In quo tractatu introduxit domini personam loquentis Imperatori : Ego te ex ultimo imperatotem† feci . ego tibi exercitum inimici tui tradidi . ego tibi copias quas ille aduersum te exercitui suo parauerat dedi . ego inimicum tuum in potestatem tuam redegi . ego de sæmine tuo supra solium regni tui constitui . ego te triumphare sine labore feci : et tu de me inimicis meis donas triumphos . Cui descendenti de exedra imperator ait : Contra nos proposuisti hodie Episcope . At ille respondit : non se contra ipsum : sed pro ipso fuisse locutum . Tunc Imperator reuera iniquit† dura præceperam contra Episcopum de synagoga reparanda : in monachos non uindicandum esse . Ita et a comitibus qui in tempore aderant dicebatur : Quibus Episcopus : Ego quidem cum Imperatore nunc ago : uobiscum uero mihi aliter agendum est . Atque ita obtinuit : ut illa quæ statuta fuerant reuocarentur . Nec prius ad altare accedere uoluit : quam fidem suam imperator illum agere debere testaretur : cui Episcopus : ergo ago fide tua . respondit imperator age fide mea : qua sponsione iterata securus pergit sacerdos diuina mysteria celebrare . Hæc autem scripta sunt in epistola quam ad germanam suam fecit : in qua tractatum inseruit : quem eodem die habuerat de baculo nuceo : qui a propheta Ieremia iussius† esse describitur . |

Per idem tempus causa thessalonicensis ciuitatis non minima successit tribulatio sacerdoti cum pene repperisset deletam ciuitatem . Promiserat enim illi imperator se ueniam daturum ciuibus supradicte ciuitatis : sed agentibus comitibus occulte cum imperatore : ignorante sacerdote usque in horam tertiam ciuitas est donata : atque plurimi interempti innocentes : quo facto ubi cognouit sacerdos : copiam Imperatori ingrediendi ecclesiam denegauit : Nec prius dignum iudicauit cœtu ecclesiæ uel sacramentorum communione : quam publicam ageret pœnitentiam : Cui Imperator e contra asserebat : dauid adulterium simul et homicidium perpetrasse : Sed responsum illico est : Qui secutus es errantem : sequere pœnitentem . Quod ubi audiuit clæmentissimus Imperator : ita suscepit animo : ut publicam pœnitentiam non abhorreret : Cuius correptionis profectus secundam illi parauit uictoriam .

Per idem tempus duo potentissimi et sapientissimi uiri persarum ad famam sacerdotis uenere Mediolanum deferrentes secum plurimas quæstiones : ut ex iis probarent sapientiam uiri : Cum quo ab hora diei prima usque in horam tertiam noctis per interprætem disputauerunt : admirantesque disceserunt ab eo . Et ut se probarent non ob aliam causam uenisse : nisi ut certo certius noscerent uirum : quem fama compererant : alia die ualefacientes Imperatori : profecti sunt ad urbem romam : illic uolentes agnoscere potentiam illustris uiri probi : qua agnita in propria remearunt . Sed egresso Theodosio de Italia et Constantinopoli constituto : Valentiniano augusto intra Gallias posito : directa legatio est sub nomine senatus a Symacho tunc præfecto urbis de repetenda ara uictoriæ et sumptibus ceremoniarum . Sed ubi comperit sacerdos misso libello ad imperatorem postulauit : ut ad se relationis exemplaria dirigerentur :

qnibus[t] ipse pro partibus suis responsurus esset : Qua relatione accepta præclarissimum libellum conscripsit : ut contra nihil unquam auderet Symacus uir eloquentissimus respondere . sed postquam augustæ memorie Valentinianus in menensi[t] ciuitate quæ || Gallorum ciuitas uitam finiuit : Eugenius suscepit imperium : qui ubi imperare cœpit : non multum post petentibus Flauiano tunc præfecto et Arbogaste comite aram uictorie et sumptus cerimoniarum : quod Valentinianus augustæ memoriæ adhuc in iunioribus annis constitutus petentibus denegauerat oblitus fidei suæ concessit : Hoc ubi agnouit sacerdos derelicta ciuitate mediolanensi ad quam ille festinato ueniebat ad bononiensem ciuitatem migrauit : atque inde Fauentiam usque perrexit : Vbi cum aliquantis degeret diebus inuitatus a Florentinis ad Tusciam usque descendit declinans magis aspectum sacrilegi uiri : non formidans imperantis iniuriam nam et epistolam ad eundem dedit : in qua conuenit conscientiam illius : de qua pauca e multis ponenda duxi : et si imperatoria potestas magna sit : tamen considera imperator quantus sit deus : corda omnium uidet : et conscientiam interriorem interrogat . nouit omnia ante quam fiant . nouit interna pectoris tui . Ipsi falli uos non patimini et domini uultus celare . Non cecidit in animum tuum quicquam . Si illi agebant tam perseueranter : nonne tuum fuit imperator pro dei summi ueri et uiui ueneratione perseuerantius obsistere : et negare : quod erat iniuria sacræ legis . Et iterum quoniam igitnr[t] meis uocibus et apud deum et apud omnes homines teneor : aliud mihi non licere intellexi : aliud non oportere : nisi ut consulerem mihi : quia non potui tibi . In supradicta itaque ciuitate florentinorum cum in domo clarissimi quondam uiri Decentii et quod est amplius christiani maneret filius ipsius Pansophius nomine admodum paruulus : cum spiritu inmundo laboraret : frequenti oratione et impositione manus sacerdotis ipsius est sanatus . Sed post aliquot dies subita infirmitate correptus infantulus exhalauit spiritum : Cuius mater ualde religiosa et plena fide ac timore dei ablato illo de superiore parte domus ad inferiora descendit : atque in lecto sacerdotis ipso absente composuit : Quem cum reuertens sacerdos in lecto inuenisset : erat enim illo tempore extra domum positus : miseratus matrem et fidem ipsius contempla | tus : Heliseo similis supra corpus infantis se ipse composuit : atque orando meruit : ut Viuum redderet matri : qnem[t] mortuum inuenerat : atque etiam ad infantulum libellum conscripsit : ut quod per ætatis infantiam scire non poterat legendo cognosceret . Verumtamen factum scriptis suis non commemorauit : sed quo affectu declinauerit commemorare : non est nostrum iudicare . In eadem etiam ciuitate basilicam constituit : in qua deposuit reliquias sanctorum martyrum Vitalis et Agricolæ : quorum corpora in bononiensi ciuitate leuauerat . Posita enim erant corpora martyrum inter corpora Iudeorum : Nec erat cognitum populo christiano : nisi se sancti martyres sacerdoti ipsius ecclesie reuelassent : Que cum deponerentur sub altari : quod est in eadem basilica constitutum : magna illic totius plebis sancte lætitia atque exultatio fuit pœna dæmonum confitentium martyrum merita : quorum passionem et exitum breui ac lucidissimo sermone conscripsit.

Per idem tempus Arbogastes comes aduersus gentem suam hoc est Francorum bellum parauit : atque pugnando non paruam multitudinem manu fudit : Cum residuis non pacem firmauit : sed cum in conuiuio a regibus gentis sue interrogaretur : Vtrum sciret Ambrosium : et respondisset se nosse uirum : et diligi ab illo : et frequenter cum illo conuiuari solitum : audiuit : Ideo uincis comes : quia ab illo uiro diligeris : qui dicit soli : sta : et stat : Quod ego ideo posui : ut cuius fame fuerit uir sanctus : etiam apud barbaras gentes agnosceretur .

Nam et nos referente iuuene quodam Arbogastis admodum religioso cognouimus : qui tunc interfuit . erat enim in tempore quo hæc loquebantur . ubi minister . Profectus itaque sacerdos de Tusciæ partibus : Mediolanum reuersus est iam inde egresso Eugenio contra Theodosium : ibique christiani Imperatoris præstolabatur aduentum . Securus de dei potentia quod non traderet credentem in se hominibus iniustis : nec relinqueret uirgam peccatorum super sortem iustorum : ne extenderent iusti ad iniquitatem manus suas . Promiserat enim Arbogastes || tunc comes et Flamanus[t] præfectus Mediolano egredientes cum uictores reuersi fuissent : stabulum se esse facturos in basilica ecclesiæ mediolanensis : atque clericos sub armis probaturos . Sed miserandi homines cum demonibus suis male creduli sunt : et aperiunt os suum in blasphemia : apud deum spem sibi uictoriæ ademerunt . Causa autem commotionis hæc fuit :

quia munera Imperatoris qui se sacrilegio miscuerat ab ecclesia respuebantur : nec orandi cum ecclesia societas tribuebatur : sed dominus qui ecclesiam suam tueri consueuit de cælo iaculatus est iudicium : atque omnem uictoriam ad religiosum imperatorem transtulit Theodosium. Extincto itaque Eugenio satelitibusque eius cum scripta acciperet imperatoris non illi alia cura maior fuit : quam ut pro his interueniret : quos reatus inuenerat. Obsecrans est primo scriptis imperatorem misso diacono . Postea uero quam directus est Ioannes tunc tribunus et notarius : qui nunc profectus est ad tuitionem eornm† : qui ad ecclesiam confugerant : etiam ipse Aquilegiam perrexit precatum pro eis : Quibus facile uenia impetrata est : quia christianus imperator prouolutus ad pedes sacerdotis testabatur se meritis et orationibus eius esse seruatum . Reuertens itaque de urbe aquilegia uno die præcessit imperatorem : Nec diu clementissimæ memoriæ Theodosius imperator susceptis filiis in ecclesia et traditis sacerdoti in hac luce fuit : Post cuius obitum fere triennium superuixit : quo in tempore sancti Nazarii martyris corpus quod erat in horto positum extra ciuitatem leuatum ad basilicam apostolorum quæ est in romana transtulit . Vidimus enim in sepulchro in quo iacebat corpus martyris : qui quando sit passus usque in hodiernum scire non possumus sanguinem martyris ita recentem quasi eadem die fuisset effusus . Caput etiam ipsius quod ab impiis fuerat abscissum ita integrum atque incorupum† cum capillis suis atque barba ut nobis uideretur eodem tempore quo leuabatur lotum atque compositum in sepulchro . Et quid mirum : quando quidem dominus hoc in euangelio ante promisit : quod capillus de capite eo | rum non peribit Etiam odore tanto repleti sumus : ut omnium aromatum uinceret suauitatem . Quo leuato corpore martyris et in lectica composito statim ad sanctum celsum martyrem qui in eodem horto positus est cum santo sacerdote ad orationem perreximus . Nunquam tamen illum ante orasse in eodem loco compertum habemus : Sed hoc erat signum reuelati martyris : si sanctus sacerdos ad locum ad quem nunquam antea fuerat oratum isset. Cognouimus tamen a custodibus loci ipsius dictum : quod a parentibus suis illis traditum sit : non discedere de illo loco per omnem generationem et progeniem suorum : eo quod thesauri magni in eodem loco positi essent : Et uere magni thesauri quos non erugo neque tinea exterminet neque fures effodiant et furentur . Quia custos eorum christus est : et locus eorum aula cælestis est : quibus uiuere cristus fuit et mori lucrum . Translato itaque corpore martyris ad basilicam apostolorum ubi pridem sanctorum apostolorum reliquiæ summa omnium deuotione depositæ fuerant cum tractaret episcopus quidam de populo repletus spiritu immundo clamare cœpit se torqueri ab Ambrosio . At ille conuersus ait ad eum : Obmutesce diabole : quia non te torquet Ambrosius sed fides sanctorum et inuidia tua . Quoniam illuc uides homines ascendere : unde tu deiectus es . Nam Ambrosius nescit inflari . Quo dicto ille qui clamabat obmutuit . Prostratusque in terra est nec amplius uocem qua obstrepere posset emisit . Per idem tempus cum consulatus sui Imperator Honorius in urbe mediolanensi libicanarum ferarum exhiberet munus populo illuc concurrenti data copia est missis militibus tunc ab Stilicone comite hortatu Eusebii præfecti ut Crisconius quidam de ecclesia raperetur : Quem confugientem ad altare domini sanctus episcopus cum clericis qui in tempore aderant defendendum circumdedit . Sed multitudo militum quæ duces duos habebat de perfidia arrhyanorum præualuit aduersus paucos : Atque ablato Crisconio exultantes ad amphiteatrum reuersi sunt ecclesiæ luctum† non modicum relinquentes . Nam || sacerdos prostratus ante altare domini factum diu flæuit . Sed in tempore cum reuertissent : et renunciassent his : a quibus fuerant destinati milites : dimissi leopardi saltu celeri ad eundem locum : in quo sederant qui de ecclesia triumphabant : ascendentes grauiter laniatos reliquerunt . Quod ubi uidit Stilico comes pœnitentia motus est ita : ut per multos dies satisfaceret sacerdoti : et illæsum quidem illum qui ablatus fuerat dimitteret : Sed quia grauissimorum criminum erat reus : et aliter emendari non poterat : ad exilium destinaret non multo post eo indulgentiam prosequente .

Per idem tempus cum ad palatium pergeret : eumque pro loco officii nostri sequeremur Theodolo tunc notario : qui postea summa cum gratia mutinensem rexit ecclesiam : cum casu quidam pede lapsus esset : atque prostratus iaceret in terra : ridente factum : conuersus sacerdos ait : et tu qui stas : uide ne cadas : Quo dicto statim is qui alienum lapsum riserat : suum doluit .

Per idem tempus fritigil quædam regina Marcomannorum cum a quodam christiano uiro : qui ad illam forte de Italiæ partibus aduenerat : referente sibi audiret famam uiri : christo credidit : cuius illum seruulum recognouerat : Missisque muneribus ad ecclesiam per legatos postulauit : ut scriptis ipsius qualiter credere deberet informaretur : Ad quam ille epistolam fecit præclaram in modum catacismi : in qua etiam admonet : ut suaderet uiro suo romanis pacem seruare : qua accepta epistola mulier suasit uiro : ut cum populo suo se romanis traderet : Quæ cum aduenisset Mediolanum : plurimum doluit quod sanctum sacerdotem ad quem festinauerat minime repperisset . Iam enim de hac luce migrauerat . Temporibus Gratiani : ut retro redeam : cum ad prætorium Macedonii tuuc† magistri officiorum pro quodam intercedendo perrexisset : atque ex præcepto supradicti uiri fores inuenisset clausas : nec copiam ingrediendi adeptus esset ait : et tu quidem uenies ad ecclesiam : nec clausis sed apertis ianuis inuenies qua gradiaris . Quod et factum est . mortuo ipso Gratiano confugiens et | enim Macedonius ad ecclesiam patentibus iauuis† aditum reperire non poterat .

Ipse autem uir uenerabilis Episcopus erat multe abstinentiæ et multarum uigiliarum quottidiano ieiunio macerans corpus : Cui prandendi nunquam consuetudo fuit nisi die sabbati et dominico uel cum natalicia celeberrimorum martyrum essent . Orandi etiam assiduitas magna die ac nocte : Nec operam declinabat scribendi propria manu libros : nisi cum aliqua infirmitate corpus eius attereretur . Erat enim in illo solicitudo omnium ecclesiarum . Interueniendi etiam magna assiduitas et constantia . In rebus quoque diuinis implendis fortissimus in tantum : ut quod solus implere solitus erat circa baptizandos : quinque postea episcopi tempore quo decessit uix implerent . Solicitus etiam pro pauperibus et captiuis nimium . Nam in tempore quo episcopus ordinatus est aurum omne atque argentum quod habere poterat ecclesiæ uel pauperibus contulit . Prædia etiam quæ habebat : reseruato usufructu germanæ suæ : donauit ecclesiæ nihil sibi quod hic suum diceret derelinquens : ut nudus atque expeditus miles christum dominum sequeretur : qui cum diues esset propter nos pauper factus est : ut nos eius inopia ditaremur. Erat etiam gaudens cum gaudentibus et flæns cum flæntibus . Si quidem quotienscumque illi aliquis ob percipiendam pœnitentiam lapsus suos confessus esset : ita flæbat : ut etiam illum flere compelleret . Videbatur enim sibi cum iacente iacere . Causas etiam criminum quas illi confitebatur nulli nisi domino soli apnd† quem intercedebat loquebatur : Bonum relinquens exemplum posteris sacerdotibus : ut intercessores magis apud deum sint quam accusatores apud homines . Nam et secundum apostolum circa huiuscemodi hominem confirmanda caritas est : quia ipse sui accusator est : nec expectat accusatorem : Sed preuenit : ut confitendo suum absoluat ipse delictum : nec habeat quod aduersarius criminetur . Ideoque scriptura dicit : Iustus in sermonis principio accusator est sui . Vocem enim præripit aduersario : et quasi dentes quosdam paratos ad prædam crimi‖nationis infeste peccatorum suorum confessione confringit dans honorem deo : cui nota sunt omnia : et qui uult uitam magis peccatoris quam mortem . Nam et ipsi pœnitenti non sufficit sola confessio : nisi subsequatur emendatio facti : ut pœnitens pœnitenda non faciat . humiliet etiam animam suam sicut dauid sanctus : qui postquam audiuit a propheta dimissum est peccatum tuum : humilior factus est in emendatione peccati : ita ut cinerem sicut panem manducaret : et potum suum cum flætu misceret . Flebat etiam amarissime quotienscumque forte nunciatum illi fuerat de cuiuscumque sancti obitu sacerdotis in tantum : ut nos illum consolari uideremur ignorantes pium affectum uiri : nec qua ratione ita flæret intelligentes : Quibus ille huiusmodi responsum reddebat : non se flære : quia recesserat qui fuerat mortuus nunciatus : sed quia se præcesserat : qui fuerat mortuus nunciatus : sed quia se præcesserat : uel quia difficile esset inueniri uirum : qui summo sacerdotio dignus habeatur . Ipse autem de sua morte ante prædixit : quod usque pascha nobiscum futurus esset : Quod quidem meruit dominum obsecrando : quo maturius liberaretur . Ingemiscebat enim uæhementer : cum uideret radicem omnium malorum auariciam : quæ neque copia neque inopia minui potest : magis magisque increscere in hominibus et maxime in iis : qui in potestatibus erant constituti : ita ut interueniendi illi apud illos granissimus† labor esset : quia omnia precio distrahebantur : quæ res omne malum primo inuexit Italiæ : Exinde omnia uertuntur

in peius : et quid dicam ? Si in huiusmodi personis ita rabiem suam exercet : qui solent aut filiorum aut propinquorum causas prætendere ad excusandas excusationes in peccatis : quando quidem plærosque cœperit etiam celebres sacerdotes uel leuitas quibus portio deus est : ut illi etiam ipsi appetant . Sed ue mihi misero : qui nec fine mundi prouocamnr† : ut tam graui iugo seruitutis liberari uelimus : quod demergit usque ad profundum inferni : ut faciamus nobis amicos de mamona iniquitatis : qui nos recipiant in æterna tabernacula At | tamen beatus ille : qui quando conuersus disruptis uinculis atque proiecto iugo huiusmodi dominationis tenebit et allidet paruulos eius ad petram hoc est omnes intentiones eius allidet ad christum : qui secundum apostolum petra est : Quæ omnes ad se allisos interimit : ipsa inuiolabilis manens nec reum faciens eum : qui ad se alliserit nequissimi uteri deteriores partus sed innocentem : ita ut securus possit dicere : portio mea dominus : Quia cui nihil in sæcullo est : illius portio Christus est : et qui contempserit parua : multa percipiet insuper et uitam æternam possidebit . Ante paucos uero dies quam lectulo detineretur cum quadragessimum tertium psalmum dictaret : me excipiente et uidente subito in modum scuti breuis ignis caput eius cooperuit atque paulatim per os ipsius tanquam in domum habitator ingressus est : Et facta est facies eius tanquam nix : postea uero reuersus est uultus eius ad speciem suam : Quod cum fieret stupore perculsus obrigui : nec potui scribere : quæ ab illo dicebantur : nisi postea quam uisio ipsa transiuit . Dicebat enim in tempore testimonuim† scripturæ diuinæ : quod ego optime retinebam : Nam scribendi uel dictandi ipso die finem fecit : siquidem ipsum psalmum explere non potuit . Ego uero id quod a me uisum fuerat honorabili uiro Casto diacono sub cuius cura degebam statim rettuli : At ille repletus gratia dei spiritus sancti aduentum me in illo uidisse docuit lectione actuum apostolorum : Superioribus autem diebus cum Stiliconis tunc comitis seruus quem a dæmonio liberauerat in ambrosiana basilica iam sanus maneret commendatus a domino suo : ferebatur enim quod libenter ab eodem haberetur faceret falsas epistolas tribunatus : in tantum ut tenerentur homines : qui ad ministrandum pergebant Sed ubi ad personam serui sui peruenit comes Stilico ipse in seruo noluit uindicare . Homines etiam qui decepti fuerant interuentu sacerdotis dimisit . de ipso uero seruo sacerdoti quæstus est : quem uir sanctus cum de basilica ambrosiana egrederetur requiri fecit atque ad se perduci : quem cum interrogasset et || depræhendisset auctorem tanti flagitii ait : Oportet illum tradi Satanæ in interitum carnis : ne talia in posterum audeat admittere : quem eodem momento cum adhuc sermo esset in ore sacerdotis spiritus immundus arreptum discerpere cœpit : quo uiso non minimo timore repleti sumus et admiratione . Multos etiam diebus illis imponente illo manus et imperante ab spiritibus immundis uidimus esse purgatos .

Pem† idem tempus Moentius quidam ex tribuno et notario qui ita pedum dolore tenebatur : ut raro in publico uideretur : cum ad altare accessisset : ut sacramenta perciperet : calcatusque casu a sacerdote exclamasset : audiuit : Vade : et amodo saluus eris : Nec se amplius doluisse pedes tempore quo sanctus sacerdos de hac luce migrauit lachrymis testabatur .

Sed post dies hos ordinato sacerdote ecclesiæ ticinensis incidit in infirmitatem : Qua plurimis diebus cum detineretur in lectulo : comes Stilico dixisse fertur quod tanto uiro recedente de corpore interitus immineret Italiæ : Vnde conuocatis ad se nobilissimis uiris ipsius ciuitatis : quos diligi a sancto sacerdote cognouerat partim interminatus est illis : partim blando sermone persuasit : ut pergerent ad sanctum sacerdotem : suaderentque illi ut sibi uiuendi peteret a domino commeatum . Quod ille ubi ab illis audiuit : respondit : Non ita inter uos uixi : ut pudeat me uiuere : nec timeo mori : quia bonum dominum habemus .

Per idem tempus cum in extrema parte porticus in qua iacebat : in uno positi Castus Polemius Venerius et Felix tunc diacones secumque tractarent uoce ita pressa : ut uix inuicem audirent : qui post obitum illius Episcopus ordinandus esset : atque cum de nomine sancti loquerentur Simpliciani : tanquam interesset tractatui : cum longe positus ab ipsis iaceret : approbans exclamauit tertio : Senex sed bonus : Erat enim Simplicianus æui maturus : Qua uoce audita expauescentes fuerunt . Defuncto tamen eo non alius illi successit in sacerdotium nisi is : quem ille bonum senem trina uoce signauerat : Cui Simpliciano Venerius quem su | pra memorauimus succesor fuit :

Felix uero nunc usque bononiensem regit ecclesiam . Castus autem et Polemius nutriti ab Ambrosio : bonæ arboris boni fructus in ecclesia mediolanensi diaconii funguntur officio . In eodem tamen loco in quo iacebat : sicut referente sancto Basiano episcopo laudensis ecclesiæ : qui ab eodem audierat : didicimus : cum oraret una cum supradicto sacerdote : uiderat dominum Iesum aduenisse ad se et arridentem sibi . Nec multos post dies a nobis ablatus est . Sed eodem tempore quo a nobis migrauit ad dominum ab hora circiter undecima diei usque ad illam horam : qua emisit spiritum : expansis manibus in modum crucis orauit . Nos uero labia illius moueri uidebamus uocem autem non audiebamus . Honoratus etiam sacerdos ecclesiæ uercellensis : cum in superiora domus se ad quiescendum composuisset : tercio uocem uocantis se audiuit : dicentisque sibi : Surge festina : quia modo est recessurus : Qui descendens obtulit sanctum domini corpus : Quo accepto ubi glutiuit emisit spiritum : bonum uiaticum secum ferens : ut in uirtute escæ esset anime refectio . Angelorum nunc consortio : quorum uita uixit in terris : et heliæ societate lætatur : Quia ut helias nunquam regibus uel ullis potestatibus : ita et iste pro dei timore loqui ueritus non est : Atque inde ad ecclesiam maiorem ante lucanam horam qua defunctns† est corpus ipsius portatum est : Ibique eadem fuit nocte : qua uigilauimus in pascha . Quem plurimi infantes baptizati : cum a fonte uenirent : uiderunt ita : ut alii sedentem in cathedra tribunali dicerent : Alii uero ascendentem suis parentibus digito ostenderent : Sed illi uidentes uidere non poterant : quia tam mundos oculos non habebant . Plurimi autem stellam supra corpus eius se uidere narrabant . Sed lucescente die dominico : cum corpus ipsius peractis sacramentis diuinis de ecclesia leuaretur portandum ad basilicam ambrosianam : in qua positus est : ita ibi dæmonum turba clamabat se ab illo torqueri : ut eiulatus eorum ferri non possent : Quæ gratia sacerdotis non solum in illo loco : uerum || etiam in plurimis prouinciis usque in hodiernum diem manet . Iactabant etiam turbæ uirorum ac mulierum oraria uel semicinctia sua : ut corpus sanctum aliquatenus ab ipsis contingeretur . Erant enim exequiarum turbæ innumerabiles totius dignitatis totiusque sexus omniumque pene ætatum : non solum christianorum sed et iudæorum et paganorum . Maiore tamen gratia ordo præcedebat eorum : qui fuerant baptizati . eadem tamen die qua uir dei obiit sicut testus epistolæ loquitur : quæ a successore ipsius uenerabili uiro Simpliciano suscepta est de partibus orientis ad ipsum tanquam adhuc nobiscum uiuentem directa : quæ nunc usque Mediolani habetur in monasterio cuiusdam uiri sancti apparuit orans cum illis et imponens illis manus : habet enim diem epistola quæ directa est . Qua lecta inuenimus diem esse : quo ille defunctus est . Intra Tusciam etiam in ciuitate Florentina ubi nunc uir sanctus Zenobius episcopus est : quia promiserat se petentibus illis illos sæpius uisitaturum : frequenter ad altare quod est in basilica ambrosiana : quæ ibidem ab ipso constituta est : uisum orare sanctum uirum sacerdote Zenobio referente didicimus . in eadem etiam domo in qua declinans Eugenium mansit tempore quo Radegaisus supradictam ciuitatem obsidebat : quod iam de se penitus desperassent uiri ciuitatis ipsius per uisum cuidam apparuit : et promisit alio die salutem illis affuturam : Quo referente ciuium animi sunt erecti . Nam altero die aduenient Stilicone tunc comitte cum exercitu facta est de hostibus uictoria . Hæc : Pansophia religiosa fœmina matre pueri Pansophii referente : cognouimus . Mascizeli etiam desperanti de salute sua uel exercitus quem ductabat contra Gildonem baculum tenens manu in uisione noctis apparuit : Ad quem : cum prouolueretur ad pedes sancti uiri Mascizel percutiens terram senex baculo a quo regebatur : tertio hac enim illi spetie apparuerat ait : hic . hic . hic . signans locum : deditque intellectum uiro : quem uisitatione dignum fuerat arbitratus : ut agnosceret se in ipso loco in quo sanctum | domini uiderat sacerdotem die tertia uictoriam adepturum : atque ita securus bellum incohauit† et consumauit . Nos tamen ea Mediolani positi ipso Masizele referente cognouimus . Nam et in hac prouincia in qua nunc positi scribimus : plurimis hoc ipsum retulit sacerdotibus : quibus etiam referentibus securius nobis ante cognita huic libro arbitrati sumus adiungere Sisinii etiam et Alexandri martyrum qui nostris temporibus hoc est post obitum sancti Ambrosii in ananniæ partibus : persequentibus gentilibus uiris martyrii coronas adepti sunt : cum reliquias Mediolani summa cum deuotione susciperemus : aduenient quodam cœco et referente didicimus : qui eodem die tacto loculo in quo sanctorum reliquiæ portabantur lumen rece-

pit : eo quod per uisum noctis uidisset nauem appropinquantem littori : in qua erat multitudo albatorum uirorum : Quibus descendentibus ad terram cum unus de turba precaretur : ut sciret : qui essent uiri : audierit : Ambrosium eiusque consortes : Quo audito nomine cum precaretur ut lumen reciperet : audierit ab eo : Perge Mediolanum : et occure fratribus meis : qui illo uenturi sunt designans diem : et recipiens lumen . Erat enim uir ut ipse asserebat de littore dalmatino : Nec se uenisse ante in ciuitatem quam recto itinere reliquiis sanctorum occurrisset nondum uidens . Sed tacto loculo uidere cœpisset . His itaque decursis non arbitror graue uideri : si paululum promissionis nostræ metas excesserimus : ut dictum domini quod per os sanctorum prophetarum locutus est impletum esse doceamus . Sedentem aduersus fratrem suum et detrahentem occulte persequebar : Et alibi : noli diligere detrahere : ne eradiceris Vt quicumque forte huiusmodi captus est consuetudine cum legerit : qualiter in his qui sancto uiro detrahere ausi sunt fuerit uindicatum : ipse etiam in aliis emendetur . Igitur Donatus quidam natione apher præsbyter tamen ecclesiæ mediolanensis : cum in conuiuio positus in quo erant nonnulli militares uiri religiosi detraheret memoriæ sacerdotis aspernantibus illis || et deserentibus linguam nequam : subito uulnere ingenti esset percussus : alienis manibus ad lectum usque portatus est : atque inde in domum in qna† hospitabatur reductus diem clausit extremum . Iste finis uirorum illi detrahentium fuit : Quem uidentes qui tunc erant admirati sunt : Vnde hortor : et obsecro omnem hominem : qui hunc librum legerit : ut imitetur uitam uiri . laudet dei gratiam : et declinet detrahentium linguas : si magis uult consortium habere cum Ambrosio in resurrectione uitæ : quam cum detrahentibus subire supplicium : quod nullus sapiens non declinat . Tuam etiam precor beatitudinem pater : ut pro me humillimo et peccatore Paulino cum omnibus sanctis : qui tecum inuocant nomen domini nostri Iesu christi in ueritate orare digneris : Vt qui in adipiscenda gratia cum tanto uiro non sum dignus habere consortium : adepto meorum ueniam peccatorum sit mihi præmium fugisse supplicium .

VITA ET PASSIO SANCTORVM AMELII ET AMYCI MARTYRVM IN VITA SVA SIMILLIMORVM .

Temporibus Pipini regis francorum orti sunt duo pueri miro modo sibi consimiles : unus ex comite aluernensi : alius ex milite quodam bericano : Qui cum a parentibus baptismi causa Romam deferrentur : in Luca ciuitate se inuicem inuenerunt : et societate inter se firmata Romam ingressi sunt : Tantaque inter paruullos erat societas et uoluntatis idemptitas : ut unus sine alio nollet cibum sumere : næc in alio cubiculo requiescere . Oblati igitur sancto papæ ab eo sunt baptizati . Qui filium comitis nominauit Amelium : et filium militis Amycum : Multique romanorum militum eos cum gaudio de fonte sacro susceperunt . Post hæc ipse papa duos scyphos ligneos pari amplitudine compositos auro et gemmis dedit eis dicens : Accipite hoc donum : quod uobis in æternum sit testimonium : quod ego uos in | basilica sancti Saluatoris baptizaui : Quibus gratuito acceptis ad propria sunt reuersi . adultum uero bericanum filium scilicet . Amicum quasi alterum Salomonem deus magna sapientia decorauit : quem cum esset annorum . xxx . pater eius senex langore correptus uir nobilis et sanctus præmonuit Christi militiam exercere : fidem dominis seruare : sociis et amicis auxilium ferre : misericordiæ opera exercere : et præter hæc societatem filii comitis aluernensis et amiciciam obliuioni nullatenus tradere : finitisque uerbis ad deum migrauit : Cui filius honorem sepulturæ decenter exhibuit . Mox autem maligni homines iuueni cœperunt inuidere : eique dolos et insidias latenter parare . At ille omnes amabat : et iniurias illatas patienter tollerabat .

Adeo tamen contra eum iniquitas impiorum creuit : quod eum de paternæ hæreditatis castro cum tota familia eius expullit : qui assumptis decem seruis suis ait : festinemus ad curiam comitis Amelii mihi societate et amicicia uincti : forsitan nos bonis suis ditabit . Sin autem ibimus ad Hildegardem Caroli regis francorum uxorem : Quæ consulere semper eiectis consueuit . Euntes ergo ad curiam comitis peruenerunt : sed ipsum non inuenerunt . perexerat enim Bericum uisitare ipsum Amycum

suum : cuius patrem audierat esse defunctum : Quem non inueniens tristis discessit : seque non rediturum ad patriam nisi prius eum inueniret proposuit . Sed et ipse Amycus comitem cum suis quærere non cessauit : Donec apud quendam nobilem uirum hospitatus est : qui audito infortunio quod eis acciderat sponte filiam suam ei in coniugium tradidit .

Post annum autem et dimidium ibi transactum Amycus parrhysios festinauit cum seruis suis : ut quereret comitem Amelium : Et ipse iam per biennium quesierat Amycum : Qui cum apropinquasset parrhysios : inueniens quendam peregrinum interrogauit : si uidisset Amycum militem bericanum a patria expulsum : Qui cum responderet se nunquam eum uidisse comes abstractam tunicam dedit ei rogans : ut oraret pro eo || ad dominum ut quantocyus labori suo quem biennio patiebatur finem imponeret : Peregrinus ergo iter faciens circa uesperam inuenit Amycum : Qui requisiuit ab eo utrum aliquid de Amelio aluernensis comitis filio audisset : Qui respondit : Quid me peregrinum deludis? Nonne tu es Amelius qui hodie a me quesisti si uidissem amycum berricanum : Et hanc tunicam mihi dedisti? nunc autem nescio cur uestimenta tua socios equos et arma mutasti : Cui Amycus ait : Non sum ego Amelius sed Amycus : qui non cesso eum quærere . Cumque et ab eo peregrinus rogatus : ut oraret pro eo : accepisset denarios in eleimosynam dixit ei . festina miles parrhysios ibi spero inuenies : quem quæris : Festinans ergo Amycus inuenit eum extra parrhysios iuxta Sequanam fluuium in prato florido cum militibus suis comedentem : Qui cum uidisset bericanos armatos uenientes : cito surrexerunt : et arreptis armis obuiam cucurrerunt . Amycus quoque suorum animos ad pugnam animauit putans illos esse parrhysianos milites : qui eos aggredi uellent . Laxatis igitur frenis : utrique concurrunt : hastas erigunt : enses euaginant : ita ut nullum ex istis euadere crederes ingruentis periculum mortis . Sed deus qui cuncta disponit : insontem utramque partem sistere fecit . Tunc Amycus ait : Vnde estis milites fortissimi : Amycum exulem cum suis sociis interficere uultis? Ad hanc uocem Amelius obstupuit : et Amycum agnouit . Mox illis descendentibus inuicem stringuntur amplexibus . oscula sumunt : et de tam improuisa lætitia deo gratias reddunt . fidem inter se spondent : et ad curiam Caroli simul uenerunt : Factusque est Amycus thesaurarius regis et Amelius dapifer . Cerneres iuuenes moderatos : sapientes : pulcherrimos : pares uno cultu et eodem uultu : ab omnibus dilectos et honoratos : Transacto itaque triennio dixit Amycus Amelio : uxorem meam uidere desidero : Et quantocyus potero redibo . Tu uero manens in curia regis caue tibi ab eius filia maximeque a nequissimi comitis Harderici fallaci amicicia : Quo uerbis eius annuen | te discessit . Amelius uero super regis filiam oculos iniecit : Et eam quam citius potuit oppressit . Interea delator Hardericus qui iniquitate gaudebat : et omni probitati inuidebat : Amelium sic alloquitur : Nescis carissime comes Amycum regis thesaurum furatum esse : et ideo fugisse? Nunc ergo inimicum fædus amiciciæ : et fidem meam super sanctorum reliquias accipe : Quo facto Amelius ei secreta sua non timuit fideliter pandere . Dum ergo die quadam ante regem staret : ut aquam illi manibus præberet : Hardericus ait : Noli rex aquam accipere de manu scelerati : qui magis dignus est morte quam honore . quia florem uirginitatis abstulit filiæ tuæ . Ad hoc Amelius tremens cecidit : et stupidus non respondit . Rex autem benignus eum leuauit et ait : Ne timeas Ameli : Surge : et uiriliter ab hac infamia† te defende : Qui surgens ait : Noli rex iustissime uerbis mendacibus Harderici delatoris credere : sed spatium consilii mihi concede : ut coram te de infamia duellum cum eo faciam : et eum de mendacio astante curia conuincam : quod cum annuisset rex : Amelii causam Hildegardis regina tuendam suscepit : qui dum consilium quæreret : Amycum ad regis curiam redeuntem inuenit : cui prostratus ad pedes ait . O unica salutis meæ spes : heu fidem male seruaui : quia crimen de filia regis incurri : et ante conspectum eius cum falso Harderico duellum statui .

Qui cum eundem dure increpasset ait : commutemus uestimenta et equos : et uade domum meam : et cum proditore comite bellum deo iuuante pro te faciam . Sed caue ne tangas uxorem meam : Cumque flæntes discessissent : abiit Amycus ad curiam regis sub specie Amelii : et Amelius domum socii sub specie Amyci : et uxor Amyci ut uidit Amelium credens suum esse uirum : amplexum et osculum ei prebere uoluit : At ille respondit : Recede a me : quia instat mihi tempus flændi et non gau-

dendi . In nocte autem cum eundem intrassent lectum : ensem inter se et ipsam posuit : Vide inquit ne mihi apropinques : quia statim hoc ense morieris . Sic reliquas duxe || runt noctes donec Amycus rediit . Interea Amycus indutus socii uestimentis ad regem ingredieus† se contra Hardericum pro infamia pugnaturum obtulit : Cui rex ait : Noli timere comes : quia si uictor fueris : eandem filiam meam Helixendam uxorem tibi tradam . Mane ergo hora prima Hardericus et Amycus armati exeunt in campum astante rege et tota parrhysiana gente . Tunc Amycus conscientiæ suæ timens Hardericum sic alloquitur . O comes nimis stultum consilium accepisti : quod mortem meam tam ardenter appetis : et te mortis periculo tam imprudenter committis . Sed si falsum crimen quod mihi imponis uelles reuellere : et duellum exitiale remittere : semper meam amiciciam et seruitium posses habere . Ad hæc ille furibundus respondit : se de amicicia eius non curare : sed et caput eius auferre uelle . Iurat igitur eum filiam regis oppræssisse . Iurat et Amycus Hardericum mentitum esse . Certantibus illis uictus est Hardericus et amputauit Amycus eius caput : Cui rex unicam filiam ab infamia liberatam in uxorem tradens : quamdam iuxta morem ciuitatem ad habitandum eis dedit : Qua suscepta gaudens Amycus domum suam ubi Erat Amelius festinauit : eique dicit : ecce de Harderico proditore te uindicaui et filiam regis desponsaui : ad quam post redditas Amyco gratias reuersus Amelius gaudens recepit illam et in præfata ciuitate cum ea habitauit .

Amycum uero cum uxore sua manentem percussit deus morbo lepræ ita : ut de lecto non posset surgere : quem cum uxor eius Obias nomine sic eum exosum haberet : ut eum multotiens suffocare uellet : uocatis ille duobns† seruis suis ait : Tollite me de manibus uxoris scypphumque meum latenter accipite : et ad bericanum castrum me portate : Quod cum fecissent : turba ob uia† quesiuit quis esset infirmus : quem illuc defferrent : Iste est inquiunt Amycus dominus noster lepra percussus : qui ad uos uenit rogans : ut ei misereamini . Mox illi impii seruos uerberauerunt : et ipsum Amycum de curru proiecerunt : minantes eis martem† si amplius hoc uerbum repeterent : Tunc amycus in | flætum prorumpens ait : Piissime deus aut mortem mihi tribue : aut mihi misero misericordie subsidium porrige . Post hoc Romam se perduci fecit : ubi papa Constantinus ei occurrit cum multis Romanis militibus : qui eum de baptismi fonte susceperant . Et magna humanitatis auxilia sibi suisque sufficienter præbuerunt . post triennium uero fames tam grauis orta est in ciuitate : ut etiam a se pater filium expelleret .

Tunc seruis suis urgentibus inde recessit : et domum comitis Amelii perduci se fecit . Ante cuius curiam cum tabellas more tallium infirmorum tangeret : comes hec audiens dixit cuidam seruo suo : panem et carnem accipe et romanum scyphium optimo imple uino et illi infirmo defer . Minister ut iussum impleuit reuersus dixit : Per fidem meam domine nisi scyphum tuum tenerem : illum esse crederem : quem habet infirmus : quia ambo uidentur unius esse pulchritudinis et magnitudinis . Tunc comes infirmum ad se perduci fecit : et interogauit : Vnde esset : uel qualiter scyphum talem acquisisset : qui respondit se bericano castro oriundum fuisse : et Romæ a papa ut deus dedit scyphum et baptismum accepisse . Statim ergo comes illum esse socium suum cognouit : qui eum a morte retraxerat : et filiam regis in uxorem ei tradiderat . Proiecit ergo se super illum clamans et flæns : eumque osculans et amplexans . Vxor quoque eius currens solutis crinibus super eum multas lachrymas effudit memorans qualiter Hardericum delatorem fortiter expugnauit . Denique introduxerunt eum in domum : et in loco pretioso eum collocauerunt : eique bona sua omnia communicauerunt .

Quadam nocte uisus est Angelus domini Rhaphael eum uocare : eique præcipere : ut diceret Amelio comiti : qnatinus† duos filios eius interficeret : ipsumque sanguine illorum ablueret : et sic sanitatem reciperet : Quod cum ille cum magno tremore comiti retulisset : primo quidem comes grauiter accepit : Memor autem beneficiorum eius : qui se pro eo coram rege obtulerat periculo mortis : accepto mucrone ad lectum filiorum dormientium perrexit : || et incumbens super eos amarissime flæuit diceus† : Quis audiuit filios patrem sponte interfecisse . heu filii mei de cetero non ero uobis pater sed cruentus laniator . Et stillantibus super eos lachrymis excitati sunt : faciemque patris respicientes ridere ceperunt : Quibus etatem trium annorum iam habentibus dixit : Risus uester pro dolor in luctum conuertetur quia

sanguis uester innocens nunc ab impio patre effundetur . His dictis eos decollauit : eorumque cadauera cum capitibus in lectulo cohoperta : quasi dormirent reposuit . sanguine uero quem collegerat socium aspersit dicens : Domine Iesu christe qui fidem hominibus seruare præcepisti et leprosum uerbo tuo sanasti : hunc socium meum digneris mundare : pro eius amore sanguinem filiorum meorum non timui fundere . statim ergo mundatus est : et a comite uestimentis suis optimis est indutus . dum autem ad ecclesiam currerent : ut ibi deo gratias redderent : mox tintinabula deo uolente personare cœperunt : Quod ut populus audiuit undique admirando cucurrit . Comitissa uero cum utrosque pariter incedere uideret cœpit quærere quis eorum maritus suus esset : indumenta inquit amborum cognosco : sed quis eorum sit comes penitus ignoro : Cui comes ait : Ego sum amelius : Et iste est socius meus Amycus : qui factus est sanus Veruntamen crebra comes suspiria trahebat : et mortem filiorum mente reuoluebat : Cumque comitissa iuberet afferri pueros : ut congratularetur eis : Comes ait : Dimitte eos placito somno requiescere . Post hæc solus Thalamum intrauit : ut super eos flæret : et inuenit eos in lectulo ludentes : Circa quorum colla cicatrices ad modum fili rubri usque ad mortem eorum appparuerunt† . Et suscipiens eos comes in ulnas suas deportauit eos ad gremium uxoris suæ : et ait : Gaude coniunx quia filii tui uiuunt : quos occidi angeli iussione : et eorum Amycus mundatus est sanguine . Ex tunc ergo comes et comitissa usque ad exitum uitæ seruando castitatem dei seruitio insistebant deuote . Amyci uero coniunx iniqua arrepta est a dæ | mone : et cadens per præcipitium expirauit . Amycus itaque mouit ad bericanos exercitum : et tam diu obsedit eos : donec se uictos reddiderunt : Quos ipse benigne suscepit : et omnem offensionis culpam eis condonauit : deoque ulterius in timore seruiens pacifice cum eis habitauit .

Factum est autem ut post aliquot annos Carolus francorum rex precibus Adriani pape exercitum moueret aduersus Desyderium longobardorum regem : quippe qui ecclesiam grauissime affligebat . Temptauit tamen Carolus primum : cum esset humanissimus : animum efferati Desyderii legatione sua mitigare : suadeus† illi ut ab ecclesiæ iniuria cessaret : quem ubi animo obstinato esse conspexit : ualido exercitu Italiam ingressus est : in quo Amelius Amycusque eius socius operibus piis uacantes militabant . Nam et si armis intenderent : ieiunia tamen orationes eleimosynasque haud quaquam deserebant : Inito autem bello Desyderius cum longobardis longe minore pugnatorum copia inferior belli molem diebus tribus sustinuit : uictor tamen Carolus cum usque ad locum : quod nunc Mortarium : prius autem Pulchrasilua ob situs amoenitatem appellabatur : fugauit : quod nomen ob multorum interfectionem loco inditum est . In eo prelio Caroli gener Amelius cum Amyco socio interfectus est : quod deus sicut unius animi concordia uiuentes fuerunt : ita in morte conuictos esse uoluit . Desyderius Papiam celeri cursu cum paucis superstitibus contendit : quam tamen cum rege suo Carolus non multo post obsessam cepit . Hoc tempore beatus Albinus episcopus a Carolo imperatore ecclesiam ubi hostem superauerat construi fecit . Fabricatæ autem ibi sunt ecclesiæ due Caroli iussu : altera a beato Albino in honorem diui Eusebii uercellensis : altera diui Petri consecrata . Rex uero cum Amelium generum Amycumque eius socium longe diligeret : Ex urbe Mediolano geminas arcas lapideas afferri iussit : quarum in altera Amelius apud beati Petri ecclesiam : in altera Amycus diui Eusebii conditi sunt . Mane uero diuina gratia ita disponente inuentum est sarcophagum Amelii iuxta sarcopha || gum Amyci in regali ecclesia : Amore quorum deus omnipotens miraculum hoc uoluit ostendere : quo quidem uiso miraculo rex cum Ildegarda uxore admodum lætatus est : quo in loco tringinta dies manserunt maximas dotes basilicæ beati Eusebii concedentes : Beatus autem Albinus diacones clericosque in eadem sancti Eusebii ecclesia ordinauit mandans corpora sanctorum sociorum assiduo honore custodiri . post cuius tandem obitum discipuli eius reliquias illius colligentes in eadem ecclesia condiderunt in qua et Amelii Amycique sociorum corpora requiescunt : atque ipsorum beneficia in hodiernum usque diem ostenduntur . Passi autem sunt milites Christi Amelius et Amycus sub Desyderio rege longobardorum quarto Idns† octobres : regnante domino nostro Iesu christo : cui est honor et gloria in sæcula sæculorum . Amen .

PASSIO SANCTI ALBANI MARTYRIS .

Tunc etiam passus est sanctus Albanus in briptannia duodecimo calendas Iulii iuxta ciuitatem Nolannum : qui nunc ab anglicis dicitur Verlamescestir siue Veclingacestir . Hic quidem adhuc paganus christianum quendam clericum persecutionem Maximiani imperatoris fugientem hospitio recepit : quem cum orationibus et ieiuniis semper studere conspiceret : exemplis et exortationibus eius conuersus est : Ideo audiens iudex britannie : quod in ipsius Albani domo clericus latitaret : iussit ut cito clericus aduenireт . Tunc Albanus hospitis sui habitum induens a militibus ad iudicem uinctus perductus est : qui cum eum uidisset : et quomodo pro hospite suo se obtulerat cognouisset : et sacrificare renueret : Iussus est grauiter uerberari : et deinde decollari . Cumque ad locum duceretur : uenit ad quendam fluuium cursu rapidissimo transitum prohibentem . uolens ergo properare ad martyrium orauit : et statim diuisus | fluuius uiam ei præbuit : quod uidens miles qui eum decollare debebat : ense proiecto pœnitens ueniam postulabat :

Sicque cum eo ad montem ascendit : ubi sanctus Albanus fontem perhemniter affluentem præcibus obtinuit . Protinus quidam miles ambos decollauit : et oculos amisit . Nam cum sancti Albani caput in terram caderet abcisum : simul et sui percussoris oculi ceciderunt .

PASSIO SANCTI ANTONINI MARTIRIS .

Sanctus Antoninus Apamiæ oppido oriundus nobilis genere ab infantia cœpit sanctis Pollere uirtutibus : et sacris litteris edoctus salutaria præcepta legebat : et implere studebat . Cumque desyderio martyrii æstuaret : ab oppido Apamiæ egressus christianos perquirens quamplurimos inuenit : inter quos diu commanens : etiam ad sacerdotalem dignitatem promotus est : Cunque prædicando iter ageret : labore itineris siti fortiter æstuans omnipotentem precatus est : ut sibi subueniret . Oratione uero completa terram solum uirga fiducialiter percussit : et inde fons erupit : qui uiro sancto datus a domino magnam etiam infirmitatibus præbet salutem . Reuersus itaque uir sanctus Apamiam : illic in religionis studio persistens prædicabat : et gentilium perfidiam increpare non desistebat : Cumque aduersus eum diabolica rabies in sacrilegorum pectoribus inflammata concresceret : diuino spiritu repletus prædixit ipse paucis : qui tunc aderant christianis : suum quod diuinitus agnouerat : iam imminere martyrium . Itaque cum christiani loca sacra ubi sanctorum corpora quiescebant orando uis itarent† : ipse cum eis pergens aliquantisper longius iturum se causa orationis illis innotuit : et inde se minime reuersurum sed impiorum gladio feriendum predixit . Sentiens igitur insidiantes sibi apropinquare gentiles : ultro se eis obiciens ab eis tentus est : Deductusque cædendo usque ad ripam || fluminis ad radices Apamiæ decurrentis in confessione domini permanens capite truncatus est . Impiissimi denique satellites ne a christianis inuentus honoraretur ut martyr : totum corpus crudeliter discerptum simul cum absciso capite demerserunt in flumine . uiri autem religiosi deuote quærentes : corpus martyris reppererunt sine capite et sepelierunt honorifice . Miro autem modo sanguis ille pro ipso effusus : et in aquam proiectus inter aquarum collisiones est coagulatus atque constrictus : nihilque ex eo aquarum impulsus dispersit : sed uelut quodam fidelissimo famulatu ad membra corde unde manarat integrum et imminutum se coninnxit† . Sed ipsius aqua fluminis creatori suo obediens : et famulum christi agnoscens : ita se a cursu solito locoque defluenti subtraxit : ut iniuriam inferre se sancto corpori metuere demostraret : et ad requirenda beati martyris membra fidelibus populis uiam congruam præpararet . Multorum quoque opinione relatum est : cum caput martyris amputatum in flumine iactaretur : statim angelica susceptione paruo est mauseolo† collocatum : nauiculaque angelico officio receptui parata depositum . Tunc continue natando peruenit in eum qui carnis† dicitur

alueum : et inde retrogradum accipiens cursum sed ab occidentali parte in orientalem introiuit in Auarionis alueum . Sicque angelica assistente semper custodia : ut fertur : in similitudine duarum aquilarum niuearum deducebatur nauicula : Donec peruenit ad locum sibi destinatum : sed ad cuiusdam Eesti† principis habitaculum : quod idem martyr ut fertur eandem regionem predicando peragrans ab eodem principe petierat ad habitandum . Cum ergo illuc ad littus peruenisset Festus principes† admirans : et quid esset per spiritum intelligens : caput sanctum deuote suscepit : et habitationem suam a loco illo remouens : eclesiamque dedicans caput in ea cum honore et gratiarum actione posuit . Huius passio recolitur quato† nonas septembres . |

PASSIO SANCTI ANASTASII MONACHI ET MARTYRIS .

Anastasius erat de persidis regione Razecb uocabulo de fundo Rasminii : nomen autem ei Magum dat . filius uero erat magi cuiusdam Baii nomine : qui et doctor extiterat magicæ artis : erudiuitque eum pater suus a puericia magicam artem . factus est autem iuuenis . Contingit ergo militare eum cum multis et esse in regia ciuitate Persarum sub Chosore† imperatore . Sancte autem ciuitatis desolatione facta uenerabilia atque adoranda loca igni concremata sunt : in predicta ira quam pro nostris peccatis perpessi sumus . Honoranda uero atque uiuifica ligna prætiosæ crucis domini nostri Iesu christi captiua deducta sunt in Persida . O admiranda res Captiua quidem ducebatur domini crux ad illorum inscipientiam . Captiuabat autem magis corda infidelium . Metus autem et stupor inuadebat infideles . Gaudebant uero lætitia corda fidelium coruscabat . famma autem ubique de ea in omni Perside diffamabatur . Interea audiens præfactus tiro magum dat : et qui Anastasius fammam . atque uirtutem præciosæ crucis domini nostri Iesu christi interrogauit de ea quomodo aut qualiter esset mysterium uenerandæ crucis et discens a fidelibus eius uirtutem atque ab aliis dicentibus : quoniam deus christianorum in hac cruce pependit pro salute generis humani : statim sicut terra bona suscepta pluuia ad producendum fructum præparata : ita et ille tunc suscipiens per auditum ineffabilem atque uirtutem domini nostri Iesu christi mirabile nomen in intimo cordis sui suscipiepat† monita uitæ : cogitans qualiter ad dominum magnum : qui habitat in cælo : quem christiani colunt : et ad culturam eius pertingeret . Diligenter autem perquirebat a quibusdam : quoniam ipsa est crux : in qua christi† filius dei crucifixus est : quem christiani colunt et uehementer admirans decreuit dei famulus Anastasius ad religionem chri || stianam pertingere : Et quanto plus per auditum quæ ueritatis sunt percipiebat : tanto magis ab eius corde magicæ artis seductio abscedebat sicut enim fugiunt tenebre a luce : a sole autem umbra et ab igne fumus : ita et fallacia exterminatur a doctrina ueritatis . Habebat autem fratrem carnalem beatus Anastasius militantem cum eo cognomento Sain principem exercitns† Persarum . Et uenit usque Calchedonam . At uero sancte recordationis et digne memoriæ Philippicus circumuallans cum eo ingressus est Persidam . Audiens uero Sain reuersus est post tergum suum : et sic contigit famulum dei Anastasium cum Persarum exercitu deuenire in partibus orientis . Et exinde recessit ad exercitum : et derelinquens proprium fratrem uenit ad Hyerapolim . Et diuertit ad quendam christianum Persen maleatorem : et mansit apud eum . Didicit autem apud eum et ipse artem : Et operabatur cum eo . Cum ergo abundaret in eo amor et gratia atque desyderinm† : ut illuminaretur : multum rogabat perfectum malleatorem : ut eum instrueret qualiter ad gratiam sancti baptismatis peruenirent . At ille inter se cogitare cœpit proter† metum persarum : ne periclitaretur : tamen cum illo ibat ad ecclesiam sanctorum martyrum et orabat . et picturas sanctorum et hystorias conspiciebat : Et requirebat ab eo quid nam† hoc esset : et audiebat ab eo sanctorum certamina siue mirabilia : quæ fecerunt siue atrociora tormenta : quæ a tyramnis perpessi sunt : et eorum tolerantiam : Et mirabatur pauens . Manens igitur paruo tempore apud prædictum christianissimum uirum : Optimum desyderium percepit in animo suo : ut Hyerosolymam adueniret : et illic sancti dignus esset baptismatis consecrationem adipisci . Et habens propositum in dei amore : deuenit ad sanctam ciuitatem : et mansit apud quendam Christo amabilem uirum item maleatorem : Et patefaciens omne suum desyderium : quoniam uult

Christo coniungi : si dignaretur eum gratia sancti baptismatis : Et perductus est ab eo ad Helianum sanctissimum præsbyterum sanctæ re | surectionis qui eum tanquam a deo prædestinatum suscepit filium : et postea indicauit de eo Modesto sanctissimo presbytero et uicario apostolicæ sedis : et fecit eum baptizari simul cum aliis : qui et ipsi de eadem regione erant : qui etiam et ipsi beatum finem pro Christo suscipientes in Edissa ciuitate martyrio coronantur . Detentus uero beatus Anastasius a sanctissimo presbytero Helia in domo sua octo diebus exhortans eum in proposito bono persistere : Interrogabat eum prædictus sanctissimus præsbyter Helias dicens : quid cogitasset erga se de reliquo . ipse uero rogauit eum dicens : ut ordinaret eum monachum . Post depositas uero albas continuo perduxit eum sanctæ recordationis Anastasio abbati : qui quarto milliario distabat a sancta ciuitate : et multum rogans cum aliis prædicti uenerabilis monasterii fratribus Iustinum præpositum uirum ualde mirabilem per omnia : atque prudentem et plenum quæ dei sunt præceptis : tradidit ei dei famulum Anastasium : qui etiam suscipiens eum : suæ congregationi sociauit . Hoc autem factum est per indictionem octauam : imperante domino Heraclio piissimo atque christianissimo : imperii Anno decimo . Dedit ei et magistrum unum de eadem congregatione fratrem uirum prudentem qui etiam docuit eum litteras simul et placitam dei doctrinam cum psalterio : et tondens eum tradidit ei sanctum habitum : atque ut filium adoptauit . fecit autem ei omne ministerium : et omnia officia pertransiuit in prædicto monasterio beatus Anastasius placens omnibus per domini gratiam . Erat enim sedulus ualde in ministerio fratrum : et in opere manus et præ omnibus in regula monastica intentus et missarum sollempnia frequentans et audiens sine intermissione sanctas ac diuinas scripturas ac uitam sanctorum patrum attentius legebat : Et ponebat studium diligenter et si aliquid non intelligebat : interrogabat suum magistrum idoneum uirum prudentem in omnibus ornatum : Et discebat ab eo : quæ requirebat et admirans glorificabat dominum . Assidue autem legebat in cella secretius certamina uel || agones sanctorum martyrum quottidie lachrimas effundebat : et cogitabat atque æstuabat secretius in corde suo ac desyderio accensus : ut eum dominus martyrii ad palmam uocare et eum dignaretur facere socium seruorum suorum : qui pro eius nomine passi sunt ad laudem et gloriam domiui† nostri Iesu christi . Perseuerauit autem in eadem mansione annos septem . Videns autem antiquus hostis et inimicus humani generis tantam perseuerantiam in christi seruitio atque amore famulum dei Anastasium persistere : et uolens eum a bono proposito reuocare et ex prædicto monasterio suadere exire : immisit ei cogitationes iniquas : etiam ut ad memoriam reuocaret magicam artem : quam a suo patre didicerat . Ipse uero uidens iniquissimi diaboli studia sese in oratienem† dedit : Et en ixius† dominum precabatur : ut eum eriperet ab insidiis aduersarii . Abbati uero monasterii sui indicauit cordis sui secreta : et lacrimabiliter precabatur eum : ut pro se domino effunderet preces : ut eum liberaret de faucibus aduersarii . quod et faciebat iam præfactus abbas . Ammonebat quoque eum : et confortabat in domino secundum quæ data illi fuerat in domino gratiam . Et faciens orationem pro eo coram omnibus fratribus in ecclesia effugauit ab eo fugam diabolicam . Post dies autem modicos sompnium uidit per noctem famulus dei Anastasius : Videbat enim se ipsum in monte stare excelso et quendam ad eum uenientem et porrigentem sibi poculum aureum plenum uino et dicentem : Accipe : et bibe : quem suscipiens bibit : statim autem uigilans interpretatus est inter se sompnium : quod uiderat : hoc esse : quod cupiebat . qni† protinus surgens ad ecclesiam perrexit ad matutinales hymnos explendos illucescente sancto die dominico . Expletis uero hymnis matutinalibus rogauit abbatem monasterii : ut ei secretus loqueretur : et ingressi in sacrario cecidit ad pedes eius rogans cum lachrymis : ut domino effunderet preces pro eo : ut eum dignum susciperet sperans quasi moriturus esset ipsis diebus . Dicebat tamen abbati : Scio | pater : quantos labores habuisti in me miserum : et quia multum te tribulaui : et quia per te adduxit me deus de tenebris ad ueram lucem : sed rogo pater : ut pro me dominum exores . Dicit ei abbas : quid est causæ fili mei† : Et unum nosti : quia in his diebus egredieris de hoc mundo . Ipse uero narrauit ei sompnium : quod uiderat : et tunc firmans asserebat : quia per omnia moriturus esset in ipsis diebus siue propria morte siue per martyrium quomodo cupiebat . Timebat palam dicere de martyrio : ut non increparent eum fratres . Abbas uero blande consolabatur eum multis ammonitionibus . Missarum

uero sollemnia celebrans cum fratribus et percipiens diuina mysteria sumpsit cibum cum eis . Soporatusque est modicum : et euigilans nec ferens cordis sui incendium uolens ad implere† desyderium suum : quod erat placitum domino : Egressus est clam de monasterio nihil secum tollens nisi ea : quæ inductus† erat : et abiit Diospolim : inde profectus est causa orationis in montem Garizin : Atque exinde profectus est ad alia uenerabilia loca . Deductus est autem per domini gratiam : et deuenit usque Cæsaream Palestinæ . et mansit in domo beatæ atque intemeratæ genitricis Mariæ diebus duobus . Secundum uero prædestinationem dei : quæ a deo illi fuerat data perrexit usque ad beatam Euphemiam ad orationis modum : Cum pergeret transiens per quendam locum : uidit in domo cuiusdam Perse magicam operantes artem : et zelo dei ductus ingressus est ad eos : et dixit eis : Quid erratis et errare facitis animas hominum maleficiis uestris : stupentes autem uiri illi in sermonibus et constantia ipsius interrogauerunt eum dicentes : quisnam es tu : qui hæc dicis ? ipse uero ait eis : et ego aliquando erraui sicut et uos : et cognoui aliquando istam nefandam artem : atque de uestris incantationibus conscius sum : Et cum arguisset eos : obmutuerunt : et rogauerunt eum : ne detraheret aut diuulgaret de arte eorum cuiquam : et dimisit eos : Et cum præterisset modicum ab illis : uiderunt eum quidam ex officio sedentes ante ianuam || prætorum : et transeunte illo dixerunt propria lingua inter se : iste delator est . Audiens autem beatus Anastasius hæc uerba inter se adinuicem conferentium : intuensque eos dixit . Quid inter uos uerba confertis ? Ego impostor non sum . sed seruus sum domini nostri Iesu christi : nam et melior uestri sum : quia illius merui esse seruus : qui pro peccatoribus de cælo descendere dignatus est : nam et ego in officio aliquando fui sicut et uos . At illi surgentes tenuerunt eum : et exiens primarius eorum rogauit uude† esset : et diligenter inuestigans iussit eum custodiri tribus diebus : In quibus nullatenus usus est de eorum alimentis memorans dolositatem eorum : in maleficiis ipsorum . Veniente autem Barznaba† in Cæsarea : non enim ibidem erat : quando tentus est beatus Anastasius : suggerens de eo primarius officii adduxit eum in prætorium suum . Ocupato uero Barzabana circa alia negocia inuentus est :† ibi quidam christianus : qui cognouit beatum Anastasium cum esset in domo beatæ dei genitricis Mariæ : et colloquens ei secretius ac requirens : quam ob causam detentus ab eo fuisset : et cognoscens rei causam beatificauit eum de bono proposito : et confortauit in domino diuinis sermonibus monens eum : ut non metueret eius tormenta : et non timeret mori pro nomine domini nostri Iesu christi : Sed fortiter atque fidutialiter responderet Barzabanæ ad ea quæ interrogatus esset ab eo . Memorans ei et sermonem quem dominus in sancto euangelio dixit : quia qui perseueraverit usque in finem : hic salus† erit . introductus est autem dei famulus Anastasius : et stans coram Barzabana non adorauit eum secundum ritum : qui ab eis tenebatur . Et intuens in eum Barzabana dicit ei : unde es : et quid uocaris ? Ipse uero ait : ego christianus sum : Si autem cupis discere quantum ad genus persa de regione Razech de uilla Rasminii : officialis eram et magus : et reliqui tenebras : et ueni ad ueram lucem : nomen autem meum primum Magundat . christianitatis uero Anastasius uocor . Dicit ei Barzabanas : Dimitte hunc erro | rem : et conuertere ad tuam primam religionem : et præbemus tibi pecuniam et possessiones plurimas . Ipse uero respondens ait : Non mihi contingat negare dominum meum Iesum christum . Dixit ei Barzabanas : ergo placent tibi uestimenta talia qualia uteris ? Beatus Anastasius dixit : hoc indumentum angelicum et gloriosum est : Dixit ei Barzabanas : dæmonium habes . Respondit beatus Anastasius : et dixit : quando in errorem eram habui dæmonium . Nunc autem habeo dominum Iesum christum saluatorem meum : qui destruit dæmonia . Dixit ei Barzabanas : Non metuis imperatorem ? Nam si de te cognouerit quæ erga te sunt : iubebit te crucifigi . Beatus Anastasius dixit : quaræ timeam illum ? homo est corruptibilis sicut et tu . Tunc indignatus Barzabanas iussit eum in uinculis ferreis duci : et lapides sine cessatione deportare fecit : multasque atque innumeras tribulationes perpessus est Christi seruus Anastasius . Quidam enim de regione eius uidentes ea : quæ in eum fiebant : erubescebant et increpabant eum dicentes : quid hic facere uoluisti ? nemo aliquando de regione nostra factus est christianus : Et ecce fecisti nobis ridiculum : atque aliis uerbis falacibus suadebant ei . Ipse uero expellebat eos a se . In insania autem conuersi percutiebant eum absque pietate : et trahebant ei barbam : et scindebant uestimenta

eius : non solum autem istud dei famulo faciebant : Sed et lapides magnos : quos quatuor homines non potuerant uoluere in collo ponebant : et uinctus sic faciebat opus : unam cathenam ad collum eius aliam ad pedes : et multa atrociora et sæua tormenta ei contulerunt . At uero athleta dei fortissimus Anastasius omnia sustinuit gaudens pro Christi nomine . Iterum autem iussit Barzabanas ante se assisti eum : et dixit ei : Si ueraciter sicut dixisti magi filius fuisti : et scis magicam artem : dic mihi a quo didiceris uel aliqua ex eis : ut ego cognoscam . Ipse uero ait : Ne permittat deus ultra : ut egrediatur quicquam ex ore meo de tali re . Dicit ei Barzabanas : quid ergo permanes in his? Conuertere in illam primam || religionem . Nam pro te suggeram Choedroi imperii . Ipse uero ait ad eum : scripsisti : et suscepisti rescripta Fac quod uis . Et ait Barzabanas : non scripsi : sed scribo : et quidquid mihi præcipiet facio . Sanctus uero Anastasius respondit : Vade : scribe quanta uolueris de me mala . ego enim christianus sum . Barzabanas dixit : Prosternatur in terra : et tamdiu cædatur : quousque perficiat quod ei iubetur . Anastasius dei famulus dixit : Sinite me : non habeo necesse uincula : et expressit sibi signum sanctæ crucis in frontem : et sedens in terra ligauerunt eum : et cædebant . sanctus uero Anastasius dixit eis : Expoliate me habitu quo sum indutus ut non patiatur iniuriam : et sic cædite carnes meas . Ista enim quæ facitis lusus sunt . Ego enim si membratim abscindar : nunquam negabo dominum meum Iesum christum . Dicit ei Barzabans† : Adquiesce mihi : Nam scribo pro te Imperatori . At ipse respondens dixit : Vade . scribe Imperatori tuo : quidquid uolueris : et ait Barzabanas : ergo Imperatorem non times? Beatus Anastasius dixit : quare timeam Imperatorem tuum? An non est homo : sicut et tu : aut non moritur sicut et tu : aut non uidet corruptionem sicut et tu? Quem autem dicis ut timeam? illum : qui corruptionem uidet similem tibi luto? Aut dominum Iesum christum qui fecit cælum et terram mare et omnia : quæ in eis sunt : qui nunquam uidit corruptionem? Stupefactus est autem superbns† ille Barzabanas in responsione martyris . Item iussit eum duci in Castellum : et post dies paucos fecit sibi præsentari : et dixit ei : Recordare magicæ artis : et sacrifica : ut non male moriaris : et fugeris de hac luce. Respondens autem dei famulus dixit ei : quibus diis iubes me sacrificare . soli et lunæ . et igni . et mari . monti et colli cæterisque omnibus elementis et metallis? Ne præstet mihi dominus : ut adorem sculptilia uestra aliquando . Hec enim omnia Christus dei filius fecit ad seruitium nostrum . uos uero erratis seruiendo dæmonibus. et quadrupedibus . Homines facti ignoratis dominum : qui uos fecit . Si enim cognouisse | tis Christum : qui uos fecit : quandoque conuerti habuissetis ad ueram lucem et erui a dæmonum potestate : qui uos errare faciunt : et credere deo : qui non mentitur : his qui credunt in nomine eius . Dicens eis : ego dabo uobis os et sapientiam : cui non poterunt resistere omnes aduersarii mei . Voluit autem ex idiota et alienigena habere seruum sibi ad gloriam : fortitudinem autem præstans credentibus in se . Hæc et his similia persequente sancto Anastasio stupebant et mirabantur . martyr uero Anastasius ter iam coronatus in confessione Christi certator fortissimus statim ad castellum uinculis constrictus reducitur . Cognoscens autem sanctissimus Abbas præfati monasterii . in quo beatus Anastasius sanctum habitum susceperat stabilitatem atque confessionem eius : qui in Christo erat : et quia sine metu fortiter decertaret : et eius alacritatem atque perseuerantiam . gauisus est gaudio magno una cum uniuersa congregatione sibi commissa : et dominum benedicebant atque supplicabant die noctuque cum omni congregatione : ut eius cursum dirigeret : et usque in finem perseueraret . Direxit autem duos fratres ex monasterio in Cæsaream ad beatum Anastasium cum litteris consolatoriis confortans animum eius in domino . Cum uero esset in custodia martyr Christi Anastasius : non cessabat psalmis et hymnis diebus et noctibus glorificare dominum omnipotentem : Habens uero secum et alium in uinculis constitutum iuuenem quendam ex seruorum Barzabanæ pro quadam causa tentum : et nolebat eum tristare . Surgens itaque nocte famulus Cristi ut celebraret hymnos matutinales in dei laudibus inclinabat collum suum ad collum eius : et pedem suum ad pedes eius : ut non per cathenarum extensionem laborem præstaret dei famulo . Vna igitur nocte psallente eo auscultabat eum quidam de uinctis : hebreus quidem religione et nobili genere mitissimus autem et beatus martyr per diem quidem in lapidum fatigatione nocte autem in dei laudibus erat perseuerans . Stupebat autem ille dicens : quid nam† uult || hoc? tandiu ergo intuens in eum iacensque super paui-

mento . in noctis silentio stante beato martyre et psallente matutinales hymnos : uidit subito aliquos in uestibus albis ingredientes per hostium carceris : et circundantes beatum martyrem : cum qnibus† et lux copiosa infulsit in carcere . Amens uero factus prefatus uir super uisione dixit inter se : Sanctus deus . Isti angeli sunt . Hoc autem aspiciens uidit hos ipsos pallia circondantes habentes cruces in manibus : et ait in semetipso Isti episcopi sunt . Admirans autem de his : et martyrem Cristi Anastasium intuens : et qui cum illo erant inmensum lumen : et candidis uestibus eum indutum cum eis qui ei apparuerant : ecce iuuenis quidam in magna gloria stetit ante eum habens turribulum aureum : et incensum mittentem . Aspiciens autem uir qui contemplabatur : pulsabat manu proximum suum dormientem : qui erat christianus iudex Citopolim : quatenus ei ostenderet : quæ uidebat et non poterat : quia grauiter dormiebat . Ille autem attendebat quæ uidebat : corpore quidem manens immobilis : tamen iactans se super proximum suum : cum quo iacebat : Et expergefactus quandoque comperit ab eo quid hoc esset . Dicit ei hebreus : consydero aliquid : et intuentes iam nihil uiderunt . Insinuauit autem ei omnia : quæ uiderat : et glorificauerunt simul dominum Iesum Christum : quia sicut superius memorauimus : ad primam et secundam interrogationem uidens Barzabanas constantiam famuli dei Anastasii scripsit Imperatori Choedroi : quæ de eo gesta sunt . Contigit ut infra dies paucos susciperet Imperatoris iussionem : et transmisit ad eum in carcerem per domesticum suum dicens : Ecce iussit imperator : ut uerbo solum dicas : quia non sum christianus : et statim te dimitto : et quo uolueris : uade siue monachus uis esse : esto : siue equestris sicut fueras antea : et esse nobiscum ut uis : fac . Respondit autem christi martyr et dixit : Ne fiat michi negare me christum . Dum ergo multas promissiones et suasiones ei direxisset per domesticum suum . | nullatenus acquiesceret : Post modum uero direxit illi per ipsum domesticum suum dicens : Scio quia erubescis propter conciues tuos : et ideo non uis negare coram eis : Sed quia iussio Imperatoris urget : si uis coram me et aliis duobus dic sermonem : et dimittam te . Ipse uero martyr per suprascriptum missum direxit ei dicens : Absit a me . nec coram te nec ante alios aliquando negabo dominum meum . Tunc dixit per semetipsum . Ecce iussit Imperator : ut ferro uinctus uadas in persida . Beatus uero martyr christi Anastasius dixit : si uolueris me dimittere : ego solus uadam ad Imperatorem tuum . Vt autem audiuit beatum martyrem fortiter persistentem nec minas pauentem : nec blandimentis suaderi : bullatum eum iussit duci in carcerem . Et post quinque dies direxit eum cum aliis duobus christianis : quibus ipsis bullam expressit . Approximante interea die festo exaltationis uenerandæ crucis domini nostri Iesu Christi : Ipse beatus martyr atque duo fratres monasterii eius et christianissimi : duo uiri cum quibusdam de ciuitate exfide libus† in psalmis et hymnis et canticis spiritalibus pernoctantes ita : ut obliuiscerentur habere se uincula glorificantes dominum nostrum Iesum Christum : qui tantam longanimitatem dat sperantibus in se . Diluculo autem ingressus dispositor quidam legibus publicis et ipse uir Christianissimus ad Barzabanam : rogauit eum : ut uincula ei tollerentur : et eum in ecclesia deduceret : tantum modo pro die festo : subiungens : quia ego iterum reduco illum in custodiam : quod et factum est : et permisit Barzabana : et eductus in ecclesia gaudium magnum factum est in uniuersis fidelibus et consolatio : agebant enim deo gratias super certaminibus martyris Christi et de eius crebris tribulantionibus† : quæ sustinebat . facta est autem contentio inter populum de ciuitate eadem de eo : fideles cum infidelibus et quidem stupentes de eius tribulationibus : et conualuerunt : et confortati sunt fideles in Christo de eius longanimitate et perse || uerantia et in multis sermonibus consolatus est fidelis martyr christi Anastasius : et hi qui de fide christiana se desesperabant de eius alacritate conualuerunt osculantes eius uincula : et quasi uictores facti dicebant beato Anastasio : Si tu propter dominum Iesum christum mori disposuisti : quanio magis nos tecum mori debuimus? Et consolabantur in domino : et honorem maximum ei præbebant : uiri pariter et mulieres . expletis uero missarum solempniis uim faciens ei dispositor perduxit in propriam domum : ut uictus aliquid caperet cum duobus fratribus monasterii eius : cum sumpsissent cibum pariter confortati sunt : Et colloquentes de diuinis sermonibus uterque ædificati sunt in domino : Et postmodum iterum gaudens et exultans quasi ad conuiuium perrexerunt in carcerem : et ibi glorificabant dominum Iesum christum : qui tantam gloriam contulit seruis suis . Excursis

post quinque diebus egressus est de ciuitate Cæsarea cum præfatis duobns† christianissimis uiris : et quidam frater de monasterio eius : et multi qui eum nouerant uiri ac mulieres cum multarum lachrymarum effusione . glorificabant dominum super eius bonum propositum : in quo disposuerat mori pro cristo : et ibat quidam ut dictum est de monasterio eius frater cum eo secundum iussionem præpositi spatiatum adque eius ministerium : plurimum autem ut ea quæ cognouisset de eo usque in finem per domini gratiam detulisset ipsi patri sanctissimo abbati suo nec non et conctæ eius congregationi . Multum enim eis erat gaudium et læticia : qui eum excipiebant per ciuitates et oppida fideles uiri in aduentu eius : et glorificabant dominum creatorem omnium suscipientes eum cum honore : et osculabantur uincula eius : et tribuebant quæcumque necessaria erant . Scripsit autem beatus Anastasius litteras precatorias Abbati suo ab Hieropoli ut pro se dominum oraret : et eff underet† preces : ut eum dignum susciperet : et eius cursum consumaret : Et de fluuio Tigri similiter ei direxit . Ingrediens autem persida ciuitatem beatus Anastasius missus est in carcerem | in prædio : qui uocatur Bethsaloc : qui est amilliario sexto de Discharthis : in quo erat Imperator . At uero frater qui cum eo erat mansit in eodem prædio in domo Cortatii filii Iesdim primi dispositoris publicis rebus Persarum : qui erat christianus : Et morante beato martyre per dies aliquot cum eis qui ibidem deuenerant captiuis suggestum est Choedroi Imperatori : quæ erga eum erant . Et mittens unum ex iudicihus† suis iussit examinari eum : qui etiam ueniens in carcerem interrogauit eum : quis esset : et unde aduenisset : et quam ob rem reliquid eorum religionem : et factus est christianus . Martyr autem Christi Anastasius respondit ei per interprætem : non enim locutus ei est per Syriacam linguam : et quidem multa coactus dixit eis . erratis uos dæmonia pro deo colentes . Et ego aliquando cum hic essem : per errorem hos colebam . Nunc autem adoro omnipotentem dominum Iesum christum : qui fecit cælum et terram mare et omnia : quæ in eis sunt : Et scio diligenter quia culturæ uestræ perditio et error dæmonum sunt . Dicit ei dux : Miser nunquid non quem colitis uos christiani : iudæi eum crucifixerunt? Quomodo ergo errasti relinquens religionem tuam : et factus es christianus? Sanctus uero Anastasius ait : Quoniam quidem crucifixus est a Iudæis : uerum dicis : quia uero sponte : quare non dicis? Ipse enim uoluit descendere in terras : et incarnari de spiritu sancto ex Maria uirgine et crucifigi : ut liberaret genus humanum de errore Satanæ : qui a uobis colitur . Vos autem collitis ignem et cætera elementa : et quod dici nefas est seruitis creaturæ : potius quam : Creatori . Dicit ei iudex : Quid tibi et sermonibus istis? Ecce pietas Imperatoris parauit tibi dignitatem et zonas aureas et equos : ut sis inter primates eius . tantum conuertere in primam tuam religionem . Beatus Anastasius dixit : ego nunquam negabo dominum Iesum Christum : sed magis eum adoro et colo . Dona uero imperatoris tui : ut stercora computo . Hæc omnia iudex intimauit Imperatori Choedroi . Furore uero reple || tus Imperator iussit mitti eum in carcerem uolens in crastinum eum pœnis affici : Veniens autem alia die ex iussu Imperatoris præfatus iudex cum furore ad carcerem cœpit minas ei promittere : atque inferre : ut eum terreret : putans per pœnas quiescere eum a tali proposito . Sanctus uero martyr Anastasius respondit ei dicens : Ne labores domine iudex : neque fatigeris . Me enim Christo confortante non acquiescam tibi : nec recedere facies a fide quam cœpi : Sed si quid uelis facere fac . Tunc iussit eum uinctum secundum morem Persarum fustibus cædi absque pietate dicens : Honoribus et donis Imperatoris non acquiescis? Nunc cognoscis per singulos dies iram eius : sic enim te quottidie perficiam : donec consumaris . Respondit autem sanctus martyr Anastasius et dixit : Nec donis Imperatoris tui acquiesco : nec minas tuas timeo . Quidquid ergo uis fac . Tunc iussit eum solui : et poni dehorsum et lignum super tibias eius imponi : et iubens duobus uiris fortissimis stare supra capita duarum partium ligni . Omnes uero nouimus quod importabilis est huius tormenti species . Sanctus uero martyr Christi Anastasius agens gratias omnipotenti deo : sustinebat dolorem fortitēr . Videns autem iudex : quia nihil proficeret : sed magis huiusmodi doloribus sicut ferrum frigidum aqua limatur : ita per diuinam gratiam confortabatur : Iussit eum iterum iudex retrudi in carcerem : donec intimet Imperatori de eo . Sellarius uero qui præerat carceri : dum esset christianus et frater monasterii qui commitabantur eum ingrediebanturque ad eum consolantes et admonentes eum in bono . Multi uero christiani qui ibidem erant : in quibus et Deiedi filii ingredie-

bantur ad eum : et corruebant ad pedes eius et osculabantur pedes eius et rogabant : ut dignaretur pro eis orare : et ut daret eis aliquam benedictionem ad custodiam eorum . At uero spernebat eos beatus martyr : ne talia dicerent . ipsi uero ceram supponebant uinculis eius : et expressam in benedictionem percipiebant . Iterum ergo post dies paucos ingres | sus est iudex ad beatum Anastasium et dixit ei : Quid dicis : facis iussionem Imperatoris aut permanebis in his ? Sanctus uero Anastasius caput suum mouens quasi abominatus eum inquit : Et semel et secundo et sepius dixi tibi : quia impossibile est negare me Christum dei filium . Quod ergo uis : fac citius . Tunc temerator ille barbarus iussit eum ligari sicut prius et diutius cædi fustibus et derelinquens eum in carcere recessit . Post dies autem paucos iterum ingressus est ad eum suadens : ut negaret Cristum dei filium : aliquando blandimentis . atque promissionibus pecuniæ et dignitatibus aliquando minis et tormentis : Cum uero uidisset quia famulus Christi nec terrore concutitur : nec blandimentis seducitur : sed perseuerat in fide Christi : iussit eum iternm† ligari : et cædi sicut et prius : Et iussit eum solui : et suspendi ex una manu et saxum magnum ligari ad eius pedes et sic derelinquens eum abiit . Sustinente autem martyre Christi huiusmodi supplicium quasi per horarum duarum spatium . postmodum iussit eum deponi : et abiit : et suggessit Imperatori de proposito mentis eius : et de perseuerantia quam habebat in christo : Et post dies quindecim misit imperator ipsum iudicem et alios cum eo ad interficiendum beatum martyrem et plurimos christianos cum eo nec non et captiuos : Qui uenientes iusserunt eos educi foras in prædio Bethsaloe : in quibns† beatum Anastasium cum aliis circiter septuaginta uiris iuxta ripam fluminis eduxerunt . Et prius illos uiros sanctissimos coram sancto martyre funibus in gutture eorum missis suffocari uniuersos iusserunt : Inter qnos† erant prædicti duo christianissimi uiri qui commitati fuerant a Cæsarea martyrem Christi Anastasium : Et cum interficerent eos dicebant sancto martyri : Quare disposuisti ut pessimam mortem ducas sicut isti ? Sed magis adquiesce Imperatori : et uiue : et accipe ab eo honorem et esto in palatio sicut unus ex nobis : et ne careas hac luce et dulci uita . At uero uictoriosissimus Christi martyr Anastasius aspiciens in cælum gratias agebat || domino : qui cousumauit† cursum eius : et adimpleuit eius desyderium et respondit ad eos : et dixit : Ego putabam membratim concidi a uobis propter amorem Christi : Quia uero ista est mors : quam minamini : gratias ago domino meo Iesu Cristo quia per modicum dolorem participem me fecistis gloriosæ passionis : atque simili morte defunctus est Postquam autem suffocauerunt eum : absciderunt eius pretiosum caput : et tollentes bullam adduxerunt ad Imperatorem : christianus igitur carceri præerat tribunus sicut prius iam dictum est : qui uoluit corpus martyris seorsum ponere : et cognitum a quæstionariis . Quare cognoscentes filii Deiesdim finem sancti martyris quia et pueri eorum simul secuti erant beatum Anastasium : quando : ducebatur ad mortem ut uiderent exitum rei : dederunt clam quæstionariis infinitam pecuniam : Et permiserunt separatim reponi corpus eius sanctum : et sequenti nocte accipiens secum frater ille qui eum secutus fuerat de monasterio sancti uiri pueros de filiis Deiesdim et quosdam monachos : qui ibidem erant ut tollerent corpus sancti martyris : et inuenerunt canes edentes corpora interfectorum corpus uero martyris seperatim iacens intactum . Pretiosa enim est in conspectu domini mors sanctorum eius : Et custodiuit dominus omnia ossa eorum ut unum ex eis non contereretur : Accipiens igitur corpus martyris et inuoluens linteaminibus pretiosis quæ dederant filii Deiesdim deducens sepelliuit in monasterium sancti martyris Sergii : milliario uno distans a præfato castro . Finitum est autem certamen et cursus et in Christo confessio uictoriosissimi martyris Anastasii uicessima et seconda die mensis Ianuarii indictione prima Anno semptimo decimo imperii piissimi Eraclii et quinto decimo anno Constantini eius filii . Alia autem die post transitum sancti martyris Anastasii duo quidam in custodia consolabantur adinuicem : dicentes uicissim : Scis quia uenerunt canes : et sederunt iuxta corpus illius monachi et non contingebant sed custodiebant illud : Item alius socius dixit ad eum : Et ego quando suppleui ui | giliam meam et ambulabam in domum meam : uidi sicut stellam lucidam super pauimentum : Et pergens : ut uiderem quis esset : etiam stellam non uidi : sed reperi corpus monachi illius ibidem iacentem . Hæc quidem custodes inter se erant dicentes . Alii autem christiani captiui erant in carcere inclusi . Dum ergo cognouissent aliquid de locutione Persica : ipsi nobis retulerunt : quid inter se

custodes confabularentur . Absoluti uero a uinculis et uenientes in sanctam ciuitatem hæc diuulgabant . Sed et alia adiungentes dicebant quia dum esset beatus Anastasius nobiscum in carcere sic nobis affatus est : Ut sciatis fratres quia per dei gratiam ego quidem crastino die finior : et transeo de hoc sæculo : post paucos dies uos relaxabimini . Iniquus autem et malignus rex interficitur . Sed deo prosperante ambulantibus nobis in sanctam ciuitatem ite at mansionem quæ dicitur Abbatis Anastasii : et dicite Abbati meo et fratribus hæc : Viri autem hi : qui audierunt ex ore sancti uiri et rerum exitum cognoscentes dominum glorificaueruut† : qui glorificat glorificantes eum . Mandatum uero sancti martyris impleuerunt : et propriis oculis quæ uiderunt et cognouerunt diligenter nobis declarauerunt . prædictus autem frater mansionis qui ei obsecundabat sepelliens corpus sancti martyris et cum omni diligentia reponens in præfato monasterio sancti Sergii mansit ibidem pertractans qualiter sine periculo remaneret cum abbate : et post dies decem prima die mensis februarii coniunxit se isdem partibus christianissimus et piissimus Eraclius imperator cum exercitu : Quos cum uidisset frater gauissus est ualde : et ipsi diligentius inquisierunt eum : quid ibidem faceret : et insinuauit ei minutius . At illi glorificauerunt dominum : et fratri quidem dixerunt : surge : et ueni nobiscum salua animam tuam : Et erat cum eis in multo honore cum essent in perside : et cum eis reuersus est per Armeniorum regionem . Post anniuersarium uero reuersus ad propriam mansionem deferensque secum collobium sancti martyris Anastasii . in || timauit uehementer præposito et fratribus minutius quæ circa martyrem acciderant et de eius glorioso fine et de sui itineris labore et glorificauerunt dominum : qui saluat sperantes in se . Factum est autem primum signum per collobium beati martyris Anastasii . erat quidam iuuenis in monasterio qui nequiter uexabatur a spiritu inimico : qui accipiens propositum collobium sancti martyris Anastasii induit eum : et protinus saluatus est per dei gratiam et interuentum beati Anastasii martyris . ad magnam gloriam et laudem omnipotentis dei et domini nostri Iesu christi : qui glorificatur in sanctis eius : cui honor et gloria et potestas atque maiestas per immortalia sæcula sæculorum Amen .

VITA SANCTI ANTONII ABBATIS AC ETIAM HAEREMITAE PRIMO SCRIPTA AB ATHANASIO ALEXANDRINO EPISCOPO IN GRECO : TRANSLATA AVTEM IN LATINVM AB EVAGRIO PRYSBYTERO† VTILIS VALDE MONACHIS .

Antonius nobilibus religiosisque parentibus ab Egypto oriundus : fuit tanta suorum nutritus cura : ut nihil aliud præter parentes domumque cognosceret : Et cum iam puer esset : non se litteris erudiri : non etiam ineptis infantium iungi passus est fabulis : sed omni desyderio flagrans secundum quod scriptum est innocenter habitabat domi . Ad ecclesiam sæpe cum parentibus conueniens : nec infantum lasciuias : nec puerorum negligentias sectabatur : tantum ea quæ legebantur auscultans utilitatem præceptorum uitæ institutione seruabat . Non suis ut sollet illa ætas pro uariis et delicatis cibis unquam tædio fuit : Non escæ melioris blandimenta sectatus est : iis solum quæ dabantur contentus : nihil amplius requisiuit . Post mortem amborum parentum annorum circiter decem et octo seu uiginti cum sorore ad modum† paruula derelictus : et domus | et sororis honestam curam gerebat . Necdum enim sex fluxerant menses : quibus post mortem parentum ad ecclesiam ut solebat occurens recordabatur : quomodo et apostoli omnibus spretis secuti fuissent saluatorem : et multi in actibus apostolorum facultatibus suis uenditis pretia ad pedes eorum detulissent egentibus partienda : quæ ue† ac quanta iisdem spes reposita esset in cælis : Talia secum uoluens ecclesiam intrauit : Et contigit : ut tunc euangelium legeretur : in quo dominus dixit ad diuitem : Si uis perfectus esse : uade : et uende omnia quæ habes et da pauperibus : et ueni . sequere me : et habebis thesaurum in cælis . Quo audito quasi diuinitus huiuscemodi ante memoriam concepisset : et ueluti propter se hæc esset scriptura recitata : ad se dominicum traxit imperium . statim egressus possessionem quam habebat in rure trecentas uidelicet arbores oliuarum huberes et optimas uicinis largitus est :

ne aliquando aut sibi aut sorori molestia gigneretur : cætera uero quæ in mobilibus possidebat uniuersa uendidit : et aggregato non exiguo precio indigentibus dedit : paruis ob sororem reseruatis quæ et sexu et ætate uidebatur infirmior . Rursus autem ecclesiam ingressus cum audisset dominum in euangelio dicentem : nolite cogitare de crastino : reliquam quoque portionem ipsis pauperibus distribuit : neque se ipsum uersari passus est domi . Sed sorore fidelibus ac notis uirginibus commendata : ut earum nutriretur exemplo : Ipse iam omnibus sæculi uinculis liber asperum atque arduum arripuit institutum . Nec dum autem tam crebra erant in ægypto monasteria : neque omnino quisquam aliam solitudinem nouerat : Et quicumque in Christi seruitute sibimet prodesse cupiebat : haud procul a sua uilula seperatus instituebatur . Erat igitur in agello uicino senex quidam uitam solitariam a prima sectatus ætate : Hunc Antonius æmulatus est ad bonum : Et primo quidem incipiens etiam ipse in locis paululum a uilla remotioribus manebat . Exinde autem si quem uigilantem in hoc studio com || periret . procedens quærebat : ut apis prudentissima : nec ad habitaculum suum ante remeabat : nisi eius quem cupiebat frueretur aspectibus : Et sic tanquam munere melius accepto abibat ad sua : tali ibidem institutus exordio cum per dies singulos ita animum roboraret : ut nec opum paternarum nec suorum meminisset affinium . omne etiam desyderium et solicitudinem erga id quod cœperat exerceret : operabatur manibus suis sciens scriptum esse : qui non operatur non manducet . Mercedem sane operis sui pretio panis excepto egentibus largiebatur : Orabatque frequenter : quippe qui didicerat : quod opporteret sine cessatione dominum rogare . Auditioni etiam scripturarum ita studium commodabat : ut nihil ex eius animo laberetur : sed uniuersa domini præcepta custodiens memoriam pro libris haberet : Sicque uitam suam instituens ab uniuersis fratribus puro diligebatur affectu : et omnibus ad quos studio discendi pergebat obediens proprias singulorum gratias hauriebat . Huius continentiam : iocunditatem illius sectabatur . istius lenitatem . illius uigilias . alterius legendi æmulabatur industriam . Istum ieiunantem . illum humi quiescentem mirabatur . alterius patientiam . alterius mansuetudinem prædicabat . Omnium quoque uicariam erga se retinens caritatem atque uniuersis uirtutum pastibus irrigans ad sedem propriam regrediebatur : Ibique secum uniuersa pertractans omnium in se bona exprimere nitebatur : Neque uero aduersum coæuos suos aliquando mouebatur : sed ea tantum flamma egregio uiro crescebat in pectore : ne secundus cuiquam in prædictis operibus inueniretur : et habita faciebat : ut cum omnis gloria ante iret : omnibus tamen carus esset . Nam et uicini et monachi ad quos sæpe ueniebat Antonium uidentes deicolam nuncupabant : Indultisque nature uocabulis quidam ut filium alii ut patrem diligebant . Dum hæc gereret Antonius : quibus omnium in se prouocaret affectum : inimicus nominis christiani Diabolus impatienter ferens tantas in adolescente uirtutes ueteranis eum aggressus est fraudi || bus : Et primo quidem temptans si quo modo posset ab arepto eum instituto detrahere imitebat ei memoriam possessionum : sororis deffensionem . generis nobilitatem . amorem rerum . fluxam sæculi gloriam . escæ uariam delectationem . aliqua uitæ remissioris blandimenta . postremo uirtutis arduum finem : et maximum perueniendi laborem . nec non corporis fragilitatem et ætatis spatia prolyxa . prorsus ei maximam cogitationum caliginem suscitabat . Postquam autem orationibus eius ad dominum per passionis fidem se intellexit elidi inimicus : consueta aduersum omnes adolescentes arma corripiens : nocturnis eum inquietabat illecebris : Et primum igitur noctibus infesta multitudine et horribili metu sonitus eum exagitare conabatur . per dies etiam apertis in eum tellis irruebat : ut nullus ambigeret : quin Antonius contra diabolum dimicaret : Nam et ille cogitationes sordidas conabatur inserere : et hic eas oratu summouebat assiduo . Ille titillabat sensus naturales carnis ardore . Hic fide ac ieiunio corpus omne uallabat . Ille per noctes in pulchræ mulieris uertebatur ornatum nulla omittens figmenta malicie . Hic ultrices gehennæ flammas et dolorem numquam morituri uermis recordans cogitationi libidinum obiiciebat . Ille lubricum adolescentiæ iter ad ruinam facile proponebat . Hic etiam futuri iudicii tormenta consyderans illesam animæ puritatem per temptamenta seruabat . Ista autem omnia ad confusionem diaboli fiebant : qui enim quondam similem se deo fieri posse estimauerat : nunc ab adolescente ut miserrimus deludebatur : et qui contra carnem et sanguinem magna cum exultatione gloriabatur : ab homine carnem gestante superа-

batur . Adiuuabat enim seruum suum dominus : qui nostri gratia carnem suscipiens uictoriam corpori contra diabolum largitus est : ut singulis ita certantibus apostolicum liceat proferre sermonem : non autem ego sed gratia dei quæ mecum est . Ad postremum cum nec hoc argumento destruere posset Antonium draco teterrimus : et uidemus se semper ab eius cogitationibus pelli secundum || quod scriptum est stridens dentibus et eiulans qualis est merito talis parebat : et uultu puer horridior atque niger ad eius se genua prouoluens humana uoce deflæbat : dicens Multos seduxi . plurimos decepi . Nunc autem ut a cæteris sanctis ita et tuo sum labore superatus : quem cum interrogaret Antonius quisnam esset : qui talia loqueretur : ait ego sum fornicationis amicus . ego multimoda turpitudinis aduersus adolescentes arma suscepi . ego etiam spiritus fornicationis uocor . quantos pudice uiuere disponentes fefelli ? quot tenuiter incipientes ad sordes pristinas redire persuasi? ego sum propter quem propheta lapsos increpat : dicens : spiritu fornicationis seducti estis : et re uera : per me enim illi fuerunt supplantati . ego sum qui te ipsum temptaui : et semper repulsus sum . Cum hoc Christi miles audisset : gratias agens deo : et largiori aduersum inimicum confortatus audentia ait : Multum ergo despicabilis es : multumque contemptus Nam et obscuritas tua et ætas infirmarum signa sunt rerum . Nulla mihi iam de te cura est . dominus mihi auxiliator est . et ego exultabo super inimicos meos : et statim ad uocem canentis phantasma . quod uidebatur euanuit . Hæc autem Antonio contra diabolum prima uictoria fuit : immo uirtus in Antonio domini saluatoris : qui peccatum in carne condemnauit : ut iustificatio legis in nobis impleretur : qui non secundum carnem ambulamus sed secundum spiritum . Sed neque Antonio securitatem dedit unus triumphus : nec diabolum semel fractæ defecere uires . Nam et iste ut leo rugiens quærebat aditum : per quem posset irrumpere : et ille scripturarum doctus eloquio multas esse dæmonum captiones solerti propositum labore seruabat consyderans : quia posset sathanas in carnis colluctatione superatus nouarum aduersum se artium machinas commouere . Id circo magis ac magis subiugabat corpus suum : ne uictor aliorum in aliis uinceretur . Disponens igitur durioris se uitæ lege constringere : cum omnes infatigabilem adolescentis mirarentur instantiam : sanctum toleran | ter ferebat laborem : et uoluntariæ seruitutis longo in dei opere studio consuetudinem in naturam uerterat . Inediæ autem et uigiliarum in tantum patiens erat : ut crudelitatem uiribus uinceret . Pernoctabat in oratione sæpissime . Edebat semel in die post solis occasum . nonnunquam biduo triduoque sic permanens : quarta demum die reficiebatur . Sumebat uero panem et salem potumque aquæ perpaululum . De carnibus uero et uino reticere melius puto : quam quicquam dicere : quando nec apud plurimos monachorum istiusmodi aliquid reperiatur . Quieti autem non concedens iunco contexto et cylitio utebatur . Aliquotiens etiam super nudam humum iacebat . unguenta penitus repudians : cum diceret minime posse abstinentiam : et præcipue iuuenum ieiunantium corpora roborari : si olei essent lenitate mollita : opportere e contrario asperos carni labores imperari secundum apostoli præceptum dicentis : quando infirmor tunc fortior sum . Asserebatque sensum animi reuiuiscere : si corporis fuissent impetus fatigati . Vnde . nec temporum longitudinem nec laborum quidem merita pensabat : sed amore et famulatu spontaneo semper tanquam in principiis constitutus ad profectum diuini metus concitabat desyderium : nouisque cupiens augere præterita supra memorati doctoris sermonum recordabatur : qui ait præterita obliuiscens et in futura conualescens . Meminerat quoque helyæ prophetæ dicentis : Viuit dominus : Cui assisto hodie ante ipsum : et disserebat : Cur hodie esset appositum : quia non computabat Hælias præteritum tempus : sed tanquam quottidie in certamine constitutus talem se præbere cupiebat : qualem sciebat dignum dei esse conspecttibus[†] : purum corde et paratum obedire uoluntati eius . Igitur secum reputans opportere dei famulum ex instituto magni helyæ exemplum capere : et ad illud spectaculum uitam suam debere componere : ad sepulchra haud longe a uilulla constituta secessit : uni e cognitis mandans : ut statutis diebus sibi alimenta deferret : et cum in una memo || ria supradictus frater eum clausisset : solus ibidem morabatur . Metuens ergo diabolus : ne accessu temporis heremum quoque habitari faceret : Ita eum aggregatis satellitibus suis uaria cæde lacerauit : ut doloris magnitudo et motum auferret et uocem . Nam et ipse postea referebat uulnera fuisse tam grauia : ut uniuersa homi-

num tormenta superarent . Sed dei prouidentia quæ nunquam in se sperantibus deest : Alio die is quem supradiximus frater aduenit cibos defferens assuetos : inuenitque eum fractis foribus in terra iacere quasi mortuum : et humeris impositum ad uilullæ domiculum deportauit : Quo audito ingens uicinorum atque affinium multitudo concurrens : triste in medio positi funeris reddebat officium . Et iam media noctis parte transacta : cum iam oportunus et gratus peruigiles omnium oculos uinceret sopor : Antonius anima paululum redeunte suspirans eleuauit caput : et postquam cæteris alta quiete prostratis : eum a quo delatus fuerat uigilare conspexit : nutu aduocans obsecrauit : ut nullo penitus excitato ad pristinum se referret habitaculum . Relatus ergo iuxta morem solus iterum permanebat : et stare quidem propter recentes plagas non poterat . orans uero prostratus post orationem clara uoce dicebat : Ecce hic sum ego Antonius non fugio uestra certamina : etiam si adhuc maiora faciatis : nullus me seperabit a caritate Christi . psallebatque : si constiterint aduersum me castra : non timebit cor meum . Talia eo dicente bonorum hostis diabolus admiratus quod post tot uerbera ausus fuisset reuerti : Congregatis canibus suis et proprio furore se lanians : uidetis inquit : quia nec spiritu fornicationis nec corporis doloribus superatus insuper audacter lacesit : omnia arma corripite . acrius a nobis impugnandus est . Sentiat sentiat . debet scire : quos prouocet . Dixit : et ad hortantis uocem audientium turba consensit : quia innumeras habet diabolus nocendi artes . Sonitus igitur repentinus increpuit : ita ut loco funditus agitato et parietibus patefactis multifaria dæmonum exinde | turba se funderet . Nam et bestiarum et serpentum formas inducentes omnem protinus locum inpleuerunt phantasiis . leonum . taurorum . luporum . aspidum . serpentum . scorpionum . nec non pardorum atque ursorum . et hæc singula secundum suam fremebant naturam . Rugiebat leo accedere uolens . taurus mugitu et cornibus minabatur . serpentis sibilus personabat . luporum impetus inhiabant . pardus discolori tergo auctoris sui caliditates uarias indicabat . truces omnium uultus . uocis horride dirus auditus . Antonius flagelatus atque confossus sentiebat quidem asperiores corporis dolores : sed interius durabat mente peruigili : licet gemitum uulnera carnis exprimerent : sensu tamen idem manens quasi de inimicis luderet loquebatur : Si uirium aliquid haberetis : sufficeret unus ad prælium : Sed quoniam domino uos eneruante frangimini : multitudine temptatis inferre terrorem : cum hoc infirmitatis indicium sit : quod irrationabilium formas induistis bestiarum . Rursumque confidens aiebat : Si quid ualetis : Si dominus in me uobis potestatem dedit : ecce præsto sum : deuorate . Si uero non potestis : quid frustra nitimini ? Signum et enim nobis crucis et fides ad dominum inexpugnabilis murus est . Illi autem multa contra eum minitantes fremebant dentibus suis : quod nullus temptamenta sequeretur effectus : sed maxima e contrario gigneretur illusio . Non oblitus Iesus colluctationes serui sui eidem protector est factus . Denique cum elleuaret oculos : uidit super tectum aperiri : et deductis tenebris : radium ad se lucis influere : post cuius splendoris aduentum : næc dæmonum aliquis apparuit : et corporis dolor extemplo deletus est . ædificium quoque quod paulo ante disolutum fuerat instauratum est . Illico præsentiam domini intellexit Antonius : et ex imo pectore trahens longa suspiria : ad uisionem quæ ei apparuerat loquebatur : Vbi eras Iesu bone ? ubi eras ? Quare non a principo† affuisti : ut sanares uulnera mea ? et uox ad eum facta est : Antoni hic eram : sed expectabam uidere certamen tuum . Nunc autem quia dimi || cando uiriliter non cessasti semper : auxiliabor tibi : et faciam te in omni orbe nominari . His auditis exurgens in tantum orabat : ut intelligeret plus se recepisse tunc uirium : quam antea perdiderat . Erat tunc Antonius annorum natus triginta quinque . Exinde cum uoluntati promptæ merita religiosa succreserent : uadens ad supradictum senem : precabatur : ut in deserto pariter habitarent . Causante illo senile æuum reique nouitatem : solus contendit ad montem : et heremi adhuc monachis ignotam prærupto meatu uiam conatus est pandere . Sed nec tunc cessauit infatigabilis aduersarius . Nam impedire eius propositum uolens : argenteum discum itinere proiecit : quo uiso Antonius calidi artificis cognouit astutiam : stansque intrepidus et discum toruis intuens oculis : auctorem doli in fantasmate obiurgabat argenti talia secum reputans : unde hic in deserto discus ? Auium hoc iter est . nulla sunt uestigia commeantium . Lapsus de sarcina præ magnitudine latere non potuit . Sed et qui perdiderat reuersus ob solitudinem locorum inuenisset profecto quod

ruerat . hoc artificium diabole tunm† est . Non impedies uoluntatem meam : argentum tuum tecum sit in perditione . Hæc autem illo dicente discus ut fumus a facie ignis euanuit . Dehinc non ut antea phantasiam sed ingentem massam auri iacentem in itinere conspexit : uerum hoc utrum diabolus simulauerit : an Ad Antonium comprobandum quia nec ueris operibus inescaretur uirtus cælestis ostenderit ignoratur . hoc tantum agnouimus : quia quod uisum est : aurum fuit . At ille magnitudinem admiratus radiantis metalli rapido cursu quasi quoddam uitaret incendium : ad montem usque perrexit . Ibi flumine transuadato inuenit castellum desertum plenum ob tempus et solitudinem uenenatorum animalium : in quo se constituens nouus hospes habitauit : Statimque ad eius aduentum ingens turba serpentium quasi persecutorem passa profugit . At ille obstructo lapidibus introitu panes mensium sex ut thebeis mox est secum recondens : nam crebro per | annum incorrupti durare solent : Necnon et aque exiguum habens solitarius perdurabat : nusquam inde procedens nunquam aliquem suscipiens in tantum : ut cum his† in anno pro tectum desuper panes acciperet nullum cum deferentibus haberet colloquium . multis igitur uidendi eum desyderio et studio requirendi ante hostium eius pernoctantibus audiebantur ut uulgi uoces aduersus Antonium tumultusque dicentium : Quid te nostris ingeris habitaculis? Quid tibi et deserto? Abscede a finibus alienis . non potes nostras insidias sustinere : Et primo quidem qui foris erant : estimabant aliquos homines scalis positis introisse : ibique contendere . Postquam autem per cauernam introspicientes nullum uiderunt : dæmones contra eum intellexerunt contendere : et nimio metu territi Antonii auxilium flagitabant : At ille magis hos audiens : quam curans de illis : hostio propinquans ad consolandos fratres ne timerent : atque ut inde recederent precabatur : trepidantibusque asserebat a dæmonibus incuti metum . Signate uos inquiens et abite securi : istosque sinite semetipsos deludere . Itaque illis reuertentibus hic remanebat illæsus : nec unquam in certamine lassabatur . Accedentium enim augumenta profectuum uel debilitas repugnantium maximum cum contentione ei leuamen addiderant : dum et animo constantiam suggerebant : rursumque ad heremum uenientibus turbis : quæ iam eum semimortuum existimauerant reperturas : ille psallebat intrinsecus : exurgat dominus : et dissipentur inimici eius : et fugiant : qui oderunt eum a facie eius : ut fumus minuitur deficiant : ut liquescit cera a facie ignis : ita pereant peccatores a facie dei . et iterum omnes gentes circumdederunt me : et in nomine domini uindicaui in eis . Sic annis uiginti solitarie transactis atque ab hominum segregatus aspctibus† : cum magna et propositum imitari cupientium : et notorum multitudo concureret : nec non et affinium infinita se caterua glomeraret : tandem per uim iam pene foribus euulsis quasi ex aliquo cælesti aditu consecratus apparuit . Obstupuerunt uniuer || si et oris gratiam et corporis dignitatem quod nec per quietem intumuerat nec ieiuniis dæmonumque certamine faciei pallor insederat : sed e contrario quasi nihil temporis egisset : antiquus membrorum decor perseuerabat . proh quanta miracula : quæ in illo animi puritas fuit : nunquam hilaritate nimia resolutus in risum est . nunquam nisi recordatione peccati tristitia ora contraxit . Non magnis stupentium elatus est laudibus . nihil in illo indecens solitudo . nihil asperum quottidiana cum hostibus bella contulerant : Sed temperata mens æquali ad cuncta ferebatur examine . Plurimos igitur ab immundis spiritibus et infirmitatibus uariis dei gratia per Antonium liberauit . Sermo eius sale conditus : consolabatur mæstos : docebat inscios . Concordabat iratos : omnibus suadens : nihil amori Christi ante ponendum : proponebat ante oculos bonorum magnitudinem futurorum : et dei clæmentiam retexebat et beneficia indulta quod : proprio filio non pepercit : sed pro nostra omnium salute eum tradiderit . Nec mora . plures audientium ad humanarum rerum contemptum hæc eius suasit oratio : et habitandæ heremi istud exordium fuit . Quid sane et in arsenoitarium oppido gestum sit : non transibo silentio nam cum fratres uellet inmisere : riuulum Nili qui corcodrilis et multis eius fluminis bestiis plenus erat transuadare esset necesse : tam eum cum comitibus suis transiuit illæsus quam inde rediuit incolumis . Rursusque in pristinis laboribus perseuerans multos magisterio suo fratres confirmabat : ita ut breui tempore plurima fierent monasteria . et nouos antiquosque monachos pro ætate uel tempore paterno uenerabatur affectu . Quadam autem die cum a congregatis fratribus rogaretur ut iisdem institutoria largiretur præcepta : cum fiducia prophetica exaltans

uocem aiebat : ad omnem quidem mandatorum disciplinam scripturas posse sufficere : sed et hoc optimum fore : si mutuis se inuicem fratres sermonibus consolarentur† . Et uos ergo inquit ut patres quæ nostis referre : et ego quæ per lon | gam ætatem consecutus sum quasi filius indicabo . Hoc sit autem primum cunctis mandatum : commune nullum in arrepti propositi uigore lacessere : sed quasi incipientem debere semper augere : quod cœperit . præsertim cum humanæ uitæ spatia æternitati comparata breuissima sint . Ita exorsus paululum siluit : et admiratus dei nimiam largitatem rursus adiecit dicens : In præsenti uita equalia sunt pro rerum commutatione commercia : nec maiora percipit ab emente : qui uændit : promissio autem uitæ sempiternæ nulli prætio comparatur : Scriptum est enim : dies uitæ nostræ septuaginta anni . Si autem multum octoginta quidquid reliquum est labor et dolor est : Quando ergo octoginta aut centum aut multos annos laborantes uixerimus in dei opere : non pari tempore regnaturi sumus in futuro : sed pro annis supradictis omnium nobis sæculorum regna tribuentur . non terram hæreditabimus sed cælum corpus quoque coruptum relinquentes id ipsum cum incorruptione recipiemus . Ergo filioli non uos aut tædium efatiget : aut uanæ glorie delectet ambitio . Non sunt enim condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis . Nemo cum despexerit mundum : reliquisse se arbitretur ingentia : quia omnis terra ad infinitatem comparata cælorum breuis ac parua est . Si ergo nec uniuerso orbi renunciantes dignum aliquid habitaculis possumus compensare cælestibus : se unusquisque consideret : et statim intelliget paruis agris et parietibus uel modica auri portione contempta nec gloriari se debere : quasi magna dimiserit : nec tædere : quasi parua sit recepturus . Vt enim contemnit aliquis unam æream drachmam ad centum aureas drachmas conquirendas : ita etiam qui totius orbis dominium derelinquit centuplum de melioribus premiis in sublimi sede percipiet . Ad summum ergo illud perspicere debemus : quod et si nostras uelimus retentare diuitias lege mortis ab ipsis diuellimur inuiti : ut in libro ecclesiastes scriptum est : Cur igitur non facimus de necessitate uirtutem : || Cur non ad lucranda regna cælestia ultro derelinquimus : quod lucis istius fine perdendum est? Nihil eorum curæ sit monachis quæ secum auferre non possunt . Iliud† potius debemus appetere : quod nos perducat ad cælum : sapientiam scilicet : castitatem iustitiam : uirtutem : sensum peruigilem : pauperum curam : fidem in Christo robustam : animum ire uictorem : hospitalitatem . Hæc sectantes mansionem nobis in terra quietorum secundum euangelium comparabimus . Consideremus domini nos esse famulos : et seruitutem debere ei : a quo creati sumus . Vt enim seruus præteriti gratia famulatus præsens aut futurum non contemnit imperium : nec audet asserere : quod ex labore transacto instantis operis habere debeat libertatem . Sed uigili studio sicut in euangelio scriptum est eandem semper exhibet seruitutem : ut et domino placere possit et meritum lucretur et uerbera : sic et nos diuinis congruit parere præceptis : scientes quod æquus ille retributor in quo quemque inuenerit : in eo sit iudicaturus : quod prophetica per Ezechiel uoce testatur : Nam et infelix Iudas propter unius noctis impietatem omni præteriti temporis labore priuatus est . Id circo tenendus est continuus instituti rigor habentibus dominum auxiliatorem : sicut scriptum :† est quia omni proponenti bonum dominus cohoperatur . Ad inhertiam autem calcandam apostoli præcepta replicemus : quibus se mori quottidie testabantur† . Similiter et nos humanæ conditionis uitam ancipitem retractantes non peccabimus . Cum enim excitati a somno ad uesperam nos peruenire dubitemus : et quieti corpora concedentes per noctem de lucis non fidamus aduentu : ubique naturæ ac uitæ incertæ memores dei nos intelligamus prouidentia gubernari† : non modo relinquamus aut aliqua fragili cupiditade† raptabimur : sed nec irascemur quidem aduersus aliquem : nec terrenos congregare thesauros ambiemus : quim† potius metu quottidiani recessus et seiungendi corporis iugi expectatione omnia caduca calcabimus . Cessabit mulieris amor . libidinis extinguetur incendium . inuicem nobis debita nostra donabimus ante oculos semper habentes ultimæ retributionis | aduentum : quia maior fortitudo iudicii et pœnarum timor horrendus et lubrice carnis incentiua dissoluit : et ruentem animam quasi ex aliqua rupe sustentat : Ideoque præcor : ut ad finem propositi omni labore tendamus . Nemo post tergum respiciens loth immitetur uxorem : præsertim cum dominus dixerit : nullum ponentem manum super aratrum : et respicientem retrorsum : dignum esse

regno celorum . Respicere retrorsum nihil aliud est : quam in eo pœnitere quod incœperis : et mundanis rursus desyderiis obligari . Nolite quæso uirtutes tamquam impossibile nomen pauere : nec peregrinum uobis aut procul positum uideatur hoc studium : quia ex nostro dei gratia præcedente pendet arbitrio : huius operis homini inserta est natura et eius modi res est : quæ nostram tantum expectat uoluntatem . Græcia transmarina studia sectetur et in alieno orbe constitutos inanium litterarum quærat magistros . Nobis nulla proficiscendi nulla trasferendi† necessitas imminet . in omni sede terrarum constituta sunt regna cælorum . Vude† et dominus ait : Regnum dei intra uos est . Virtus quæ in nobis est mentem tantum requirit humanam : cui enim dubium est : quin naturalis animæ puritas : si nulla fuerit extrinsecus sorde polluta : fons sit et origo uirtutis . bonam eam necesse est creauerit bonus auctor . quod si forte cunctabimur : audiamus Iesum filium naue populo dicentem : Rectum facite cor uestrum ad dominum deum Israel : Nec Iohannes dissonam tulit de uirtute sententiam : rectas prædicans facite semitas uestras . Si quidem hoc rectam esse sit animam : cum eius principalis integritas nulla uiciorum labe maculatur . Si natura mutatur : peruersa tunc dicitur . Si conditio seruetur : est uirtus . Animam nostram nobis commendauit dominus . Seruemus depositum : quale accepimus . Nemo causari potest extrinsecus situm : quod in se nascitur . Facturam suam qui fecit agnoscit : opus suum inueniat ut creauit . Sufficiat nobis naturalis ornatus . Nec deturpes homo : ne immutare uelis quod largitio diuina concessit : Opera dei immutare || uelle : polluere est . Illud etiam sollicite prouidere debemus : ut tyramnicam ire superemus insaniam : quia scriptum est : iracundia uiri iustitiam dei non operatur . Et iterum desyderium concipiens parit peccatum : quo perfecto mors gignitur Diuine præceptum uocis est : ut iugi custodia tueamur animum ?† quia exercitatos ad supplicandum habemus inimicos dæmones : contra quos nobis secundum apostolicam contestationem pugna sine fædere est . Ait enim : Non est nobis colluctatio aduersus carnem et sanguinem sed aduersus principes et potestates huius mundi et aduersus spiritualia nequitiæ in cælestibus . Ingens eorum turba per istum uolitat aerem : non procul a nobis hostium caterua discurrit : et diuersitatem quidem eorum non est meæ paruitatis exponere : sed hanc maioribus concedo rationem : quod autem in promptu est : ignorare non expedit : dolos scilicet aduersum nos compositos breuiter indicabo . hoc primum mentibus debemus affigere : nihil dominum fecisse : quod malum sit : nec ab eius constitutione dæmonum cepisse principium . Peruersitas ista non naturæ sed uoluntatis est uicium . Boni enim ut pote a deo conditi et proprio mentis arbitrio ad terras ruere de cælis : ibique in cœni sordibus uolutati gentilitatis impias instituere culturas : et nunc nostri torquentur inuidia : atque uniuersa commouere non cessant : ne pristinis eorum sedibus succedamus : Diuersa autem eorum et partita nequitia est . Quidam enim ad summum nocendi uerticem peruenere . alii ex comparatione priorum uidentur leuiores : atque omnes pro possibilitate uirium diuersa contra singulas causas asumpsere certamina . Id circo necessarium est donum spirituum discernendorum a domino petere : ut possimus tam fraudes quam etiam studia præuidentes aduersum disparem pugnam unum dominicæ crucis eleuare uexillum . Hoc munere paulus accepto docebat dicens : Non enim ignoramus eius astutias : Ad cuius exemplum etiam nos oportet ex his : quæ passi sumus mutuis nos inuicem instituere sermoni | bus . hostile illis contra omnes christianos maxime uero contra monachos odium est . eorum semitis laqueos prætendunt . eorum mentem impiis atque obscenis cogitationibus nituntur euertere . Sed nihil uobis in hoc terroris incutiatur . Fidelibus enim orationibus atque ieiuniis fauente domino statim corruunt . nec tamen cum paululum cessauerint : plenam rursus putetis esse uictoriam . Solent saucii grauius assurgere : mmutata† arte pugnandi cum in cogitatione nihil egerint : pauoribus terrent assumentes nunc mulierum nunc bestiarum et serpentum formas nec non et ingentia quædam corpora : et usque ad tectum porrectum caput infinitas species et militum cateruas : quæ omnia Ad primum quoque signum crucis euanescunt . His quoque agnitis fallaciarum modis incipiunt præsagire : et futurorum euentus uelle predicere : Cumque et his contempti fuerint : ipsum iam nequitiarum principem ac totius mali summitatem ad subsidium sui certaminis uocant . Crebro denique Antonius talem a se uisum diabolum asserebat : qualem et beatus Iob domino reuelante cognouerat . Oculi eius ac si species luciferi ex ore eius procedunt lampades

incensæ Crines quoque incendiis sparguntur : et ex naribus illius fumus egreditur : quasi fornacis estuantis ardore carbonum halitus eius ut pruna : flamma uero ex ore eius glomeratur . Cum huiusmodi terroribus uisus dæmonum princeps inquit Antonius et ingentia ut dixi sæpe promittens impietatis suæ defurit lingua magniloqua : de qua dominus triumphauit ad Iob dicens : Arbitratur enim ferrum ut paleas æramentum ut lignum putridum maria ut terras tartarum profundi tanquam captiuum : estimabit abyssum de ambulatorum† . Per prophetam autem increpat dicens : persequens compræhendam et omnem orbem terrarum manu mea ut nidum obtinebo et ut oua derelicta auferam . Sic iniquas funereasque euomens uoces bene uiuentium aliquos frequenter illaqueat . Sed nos nec pollicitationibus eius credere nec minas formidare debemus . Fallit enim semper : Nihilque uerum promittit . Nam si non mendacia cuncta || loqueretur : quomodo talia et tam infinita promittens hamo crucis ut draco aduncatus a domino : esset et capistro ligatus ut iumentum : et quasi mancipium fugitiuum uinctus circulo et harmilla labia perforatus nullum omnino fidelium deuorare permittitur . nunc miserabilis ut paser ad ludum irrætitus a Christo est : nunc comites suos quasi scorpiones et serpentes calcaneo christianorum substratos gemit . Ille qui maria uniuersa a se deleta plaudebat . Ille qui orbem terrarum olim tenere pollicebatur : Ecce a uobis uincitur . Ecce me aduersum se prohibere non potest disputantem . contennenda est filioli penitus cum inanibus uerbis superba iactatio . Fulgor ille quo lucere se stimulat non ueri splendor est luminis sed quibus arsuriis† est indicat flammas . nam dicto citius recedens suarum secum refert simulacra pœnarum . Solent etiam cum modulatione non nunquam apparentes psallere . proh nephas et impuro ore sacra scripturarum eloquia meditantur : frequenter legentibus nobis quasi echo ad extrema uerba respondent . Dormientes quoque excitant ad orandum : ut totius noctis somnum eripiant : plærosque etiam in monachorum nobilium habitu cohercent : et pristina quibus conscii sunt peccata imputant . Sed spernende sunt eorum et increpationes et admonitiones ieiunandi uigiliarum quoque fraudulenta suggestio . Ob id enim familiares nobis species assumunt : ut affinitate uirtutum nocens facilius uirus interserant : et innocentes quosque per spetiem honestatis elidant impossibile postea durumque hoc studium prædicantes : et dum onerosum uidetur esse quod cœptum est : ex desperatione tædium : et ex tædio succedat ignauia . Id circo propheta missus a domino luctuosa denuncians sublimi uoce dicebat : Ve qui potat proximum suum subuersione turbida : huiusmodi enim exhortamenta deprauatoria sunt itineris quod ducit ad cælum . Ideoque cum uenisset ad terras dominus : et uera de eo inuiti dæmones prædicarent : uere enim dicebatu† tn† es filius dei uociferantium ora claudebat : qui uinctas hominum soluerat | linguas : ne cum præconio ueritati peruersitatis uenena miscerent : et ut nos eius exemplo etiam si profutura suaderent : in nullo eius accomodaremus assensum : quia perfecto non congruit post libertatem a domino concessam et scirpturarum† præcepta uitalia a diabolo uiuendi capere consilia : qui suum deserens ordinem sacrum Christi temerauit imperium . Propterea etiam dominus eum de scripturis : loquentem iubet tacere : quia peccatori dixit dominus : Quare tu enarras iusticias meas : et assumis testamentum meum per os tuum? Omnia dæmones simulant et colloquuntur sæpe cum fratribus : et eos sæpe conturbant . inconditos excitant sonitus . manus apræphendunt† . sibilant . insipienter cachinnant : ut in puncto peccati christianum pectus introeant : Cumque ab uniuersis fuerint repulsi : ad extræmum debilitatem suam lamentatione testantur : Et dominus quidem quasi deus et suæ conscius maiestatis obmutescere his imperabat : Nos autem uestigiis sanctorum inhærentes eadem gradiamur uia : qua memoratas subtilius fallacias peruidentes canebant : Cum consisteret aduersum me peccator : obmutui : et humiliatus sum : et silui a bonis . et iterum : Ego uero tanquam surdus non audiebam : et tanquam mutus non aperiens os suum factus sum ut homo non audiens . Christus silentium imperauit : ut dominus . Nos nihil eis credamus : et uincemus . Si orare compellunt si ieiunia suadent non ex eorum nos monitis : sed ex nostra consuetudine dirigamus . Denique etiam si irruentes mortem nobis intentare uideantur : deridendi sunt potius quam timendi : quia cum sunt debiles : minantur cuncta et non faciunt : Et quidem de istis transitorie iam dixisse me memini : attamen eadem explicanda sunt latius : quia non mediocrem affert repetitio cautellam . Adueniente domino destructus est inimicus : et omne eius

penitus robur elanguit : Propter quod pristinæ uirtutis memor quasi tyramnus iam senescens cum ruisse se uideat : in pernitiem crassatur humanam : nec tamen potest firmum deo pectus co || gitationum et cæterarum fraudum arte peruertere . Nam luce clarius est : quod aduersarii nostri : cum nec humana carne sint septi : causari non ualeant . Id circo nos a se non posse superari : quia clauso hostio introire non ualent : Et re uera si fuissent hoc fragili corpore colligati obserato introitu iisdem negaretur accessus . Cum autem ut diximus hoc impedimento sint liberi et obstructa penetrent : atque in omni licenter uolitent aere : manifestum est ob neruationem eorum permanere corpns† ecclesie illæsum . Denique satellites impii cum principe suo diabolo quem saluator in euangelio homicidam et patrem ab initio malitiæ fuisse affirmabat nobis aduersum se dimicantibus fortiter nullo modo cessissent : si potestas eorum non fuisset ablata . Nam si mentior : cur nobis sathana parcis : qui ubique discurris? Cur qui nullo clauderis loco : aduersum te uiuentium et disputantium non potes labefactare constantiam . Sed fortasse nos diligis : quos quottidie conaris obruere? Aut credibile est : te esse bonitatis magistrum : et fauere magis optimis quam nocere? Aut quid tam carum potest tibi esse : quam lædere : maxime eos : qui tuis sceleribus uiriliter repugnant? secundum quod scriptum est : quia abominatio est pietas peccatori : Quis tam fæcundum ad malitiam possidet pectus? Quis tam meditatas implere conatur insidias? Scimus impudentissimum cadauer : Scimus quoniam id circo uiuimus christiani : et contra te secura est nobis congressio : quoniam infirmatus es a domino . Ideo te tuis configis iaculis : quia minationem non sequitur effectus . quod si fallimur : cur cum magno terrore simulato : cur cum magnitudine corporum nostram agrederis fidem? quod si uoluntatem sequitur possibilitas : tantum tibi uelle sufficiat . Hic enim potentiæ mos est : non extranea fallaciæ adiumenta conquirere : Sed sua uirtute implere : quod cupiat . At nunc dum theatrali mutatione formarum quasi rudem infantiam scenia niteris simulatione deludere : exhaustas uires manifestius probas . Nunquid uerus ille ange | lus contra Assirios missus a domino aut populorum eguit societate : aut sonitus quæsiuit aut plausus : et non potius tacitam exercens potestatem : Centum octoginta quinque milia hostium sermone uelocius iuxta iubentis domini prostrauit imperium . Vos uero cum fragiles sitis in uiribus : perpetuus uos consequetur interitus : At dicet aliquis : Cur ergo diabolus egrediens beati Iob omnem in ruinam depulit domum? Cur opibus eius penitus dissipatis parietum quoque fundamenta subuertens : unum numerosæ sobolis coaceruauit sepulchrum? Cur ipsum ad extremum diri uulneris nouitate percussit? qui hoc opponit . Audiat e diuerso : non diabolum hoc potuisse sed dominum a quo potestas aduersum nos dupliciter datur : uel ad pœnam si delinquimus : uel ad gloriam si probamur : quin potius ex hoc animaduertat : nec contra quidem unum hominem diabolum quidquid potuisse : si non potestatem accepisset a domino . Nullus enim quod suæ dicionis est : ab alia deprecatur . Sed quid Iob memorem*: quem nec expetitum potuit uincere : nec contra iumenta quidem eius et contra oues : cum nec contra sues in euangelio sine concessu dei proprium robur exercuit : sicut scriptum est : Dæmones autem rogabant eum dicentes :

Si eiicis nos : mitte nos in gregem porcorum : Quemadmodum igitur qui porcorum expetunt mortes imaginem dei hominem : et tam carum conditori animal suo ualebunt iure peruertere? Magna dilectissimi aduersum dæmones arma sunt uita sincera et intemerata ad dominum fides . Credite mihi experto : pertimescit Sathanas recte uiuentium uigilias . orationes . ieiunia . mansuetudinem . uoluntariam paupertatem . uanæ gloriæ contemptum . humilitatem . misericordiam . iræ dominatum et præcipue purum erga Christum amorem. Nouit teterrimus coluber ex præcepto domini sub iustorum se iacere uestigis† : qui ait . Ecce dedi uobis potestatem calcare super serpentes et scorpiones et super omnem uirtutem inimici. Sin autem et diuinationes se habere simulantes uenturos fratres || nunciauerint : et affuerint : quos uenire prædixerint : nec sic fides est commodanda mendacibus . Ob id enim præcessere uenientes : ut credulitas sibi pararetur ex nuncio : et postea habeant aditus ex credulitate fallaciæ . Verum in hoc nullum christiano debet esse miraculum : Cum non tantum dæmones : qui leuitate naturæ per cuncta discurrunt ualeant præuenire gradientes . Sed homines quoque equorum uelocitate præuecti nuncient affuturos . Non enim ea que nundum fieri cœpta sunt referunt : quia dominus solus est conscius futurorum :

Sed quorum conspiciunt in actu initium : eorum sibi tanquam fures apud ignaros uendicant notionem : Nam quot nunc putatis uelocitate puerili istum cœtum nostrosque contra se sermones ante relatum alicuius hic positi longe manentibus indicare ? quod dico . his perspicuum fieri potuit exemplis : Si quis a thebaide aut alicuius regionis oppido cœperit proficisci : et hunc iam dæmones in itinere uiderint ambulantem : pernicitate memorata possunt prædicere uenientem . Ita et de Nili inundatione solemni cum multas in Ethiopia uiderint pluuias e quibus fluuius intumescens ultra alueum effluere consueuit : præcurrentes ad Egiptum nunciant amnis aduentum . hoc autem et homines : si tantæ celeritatis esset eorum natura : facile nunciarent . Vt enim speculator beati Dauid ad uerticem loci celsioris ascendens prior quam ii qui in terram erant prospiciens uenientes non quedam incerta de futuris : sed hos qui uenire cœperant nunciabat : sic et dæmones cura peruigili omnia consyderantes rapido sibi inuicem nunciant cursu . Sed si forte contigerit : ut nutu dei ad finem cœpta non ueniant : hoc est : si aut uiator de media regrediatur uia : aut suspensæ nubibus aquæ ad altum cæli cardinem defferantur : tunc decipientum una cum credentibus error aperitur . Hæc gentilitatis fuere principia. His præsagiorum dolis apud delubra dæmonum quondam credebantur oracula : quæ in aduentu domini nostri Iesu Christi indicto sibi silentio obmutuerunt : | suosque perdidere captiuos . Quis rogo aut medicum ex obseruatione morborum cum animæ æstuantis incendia de uenarium† pulsu leui digitorum scrutatur attactu : diuinam arbitratur habere notitiam? Quis aut gubernatorem nauigationis suæ uiam inter cæli sydera requirentem maiestatis honore ueneratur? Quis agricolam aut de aridis æstatis feruoribus aut de hyemali aquarum largitate uel frigore disputantem non potius experientia laudat quam dei consecret nomine ? Verum ut concedamus paulisper dæmones uera nuntiare : respondete mihi : quis fructus est nosse uenientia uel uenientium rerum prouentus ? Nunquid aut sciens hæc aliquando laudatus est : aut punitus est nesciens ? In hoc unusquisque sibi præparat seu tormenta seu gloriam : si uel negligat scripturarum mandata : uel faciat . Nullus ob id nostrum hanc arripuit uitam : ut habeat præscientiam futurorum : Sed ut præceptis domini obediens : amicus esse incipiat de seruo : Curandum est ergo non præscire :† quæ ueniant sed implere :† quæ iussa sunt : nec instituti boni hanc flagitare mercedem : cum magis debeamus uictoriam contra diabolum ab auxiliatore domino postulare . Sed si forte aliquis hoc libenter assumit : ut futura cognoscat : et habeat purum cor : quia credo animam deo seruientem : si in ea perseuerauerit integritate qua nata est : plus scire posse quam dæmones ipsos . Talis erat anima sancti hælisei : quæ aliis incognitas uirtutes uidebat . Nunc iam cæteras uobis dæmonum explicabo fallacias .

Solent nocte uenientes angelos dei se fingere . laudere† studium . mirari perseuerantiam . futura præmia polliceri . quos cum uideritis : tam uos quam domos uestras crucis armate signaculo : et confestim dissoluentur in nihilum : quia metuit illud tropheum : in quo saluator aerias expolians uirtutes : eas fecit ostentui . Solent etiam uariis saltationibus membra torquere : et nostris procaciter perferre sensibus : ut mentem pauore corpus horrore concutiant . Sed et in hoc fides deuota fugat eos quasi infirma ludibria . Non est autem difficilis bo || norum spirituum malorumque discretio : quæ sic deo tribuente pandetur . Sanctorum angelorum amabilis et tranquilus aspectus est : quia non contendunt : neque clamant : neque aliquis audit uocem eorum : uerum tacite leniterque properantes gaudium exultationem fiduciamque peccatoribus infundunt : Si quidem cum illis est dominus : qui fons est et origo letitie . Tunc mens nostra non turbida : sed lenis et placida angelorum luce radiatur . Tunc anima cælestium præmiorum auiditate fragrans : effracto si possit humani corporis domicilio : et membris exonerata mortalibus : cum his quos uidet abire fenstinat† ad cælum . Horum tanta benignitas est : ut si quis pro conditione fragilitatis humanæ miro fuerit eorum fulgore perterritus : omnem ex corde continuo aufferant metum . Ita Gabriel cum Zachariæ loqueretur in templo : angeli cum diuinum uirginis partum pastoribus nunciarent : Et qui dominici corporis agebant excubias securis uidentium se mentibus ostendentes : ne metuerent imperabant . Metus enim non tantum ex pauore animi quantum ex magnarum rerum sæpe cutitur aspectu . Pessimorum uero uultus truces : sonitus horrendi : sordidi cogitatatus† : Plausus motusque in disciplinatorum adolescentium uel latronum : e quibus confestim timor animæ sensibus torpor

incutitur odium monachorum mæror tædium : suorum recordatio : metus mortis : cupido nequitie : lassitudo uirtutis : cordis hebetatio . Si igitur post timorem horrore contempto successerit gaudium : et ad dominum fiducia atque ineffabilis caritas : uenisse sciamus auxilium : quia securitas animæ præsentis maiestatis indicium est . Sic namque et Abraam patriarcha uideus† dominum gauisus est : et Iohannes cum Mariam superuenisse sentiret : quæ in sacro uentris hospitio uniuersitatis gestabat parentem : exultauit nec dum natus in gaudio . Sin autem incussa formido permanserit : hostis est : qui uidetur : quoniam nec refouere nouit : ut Gabriel pauentem uirginem : ne timeat iubet . Sicut pastores nuntii consolati sunt : quinimmo pauorem duplicat : et usque ad pro | funda impietatis foueam ut sibi homines prosternantur impellit . Exin misera gentilitas dominicæ interdictionis ignara falso dæmones deos opinata est . christianorum autem populos his fallaciis irretiri non passus est dominus : qui diabolum in euangelio audacter sibi principatum omnium præsumentem repulit dicens : Vade retro Sathana . Scriptum est enim dominum deum tuum adorabis : et illi soli seruies . Horum uerborum etiam nobis est tributa licentia : quia id circo locutus est talia : ut similitudo temptamentorum auctoris nostri frangatur eloquiis . Illud quoque mihi carissimi admoneo : ut uitæ magis uobis quam signorum sit solicitudo . Nullus ex uobis hæc faciens aut ipse superbia intumescat : aut despiciat eos : qui facere non possunt . Conuersationem magis scrutari singulorum in hac et imitari uos quæ perfecta sunt conuenit : et implere quæ desunt . Signa facere non est nostre paruitatis : Sed domini potestatis : qui ad discipulos gloriantes in euangelio ait : Ne gaudeatis : quia dæmones uobis subiecti sunt : sed quod nomina nostra† scripta sunt in cælis . Nominum enim in libro uitæ scriptio : testimonium est uirtutis et meriti . Expulsio autem Sathanæ largitio saluatoris est. Vnde his qui non inuite laboribus sed in .† prodigiis exultabant dicentibus : non ne in nomine tuo dæmonia eiecimus et in tuo nomine uirtutes multas fecimus : Respondebit dominus : Amen dico uobis : non noui uos . Non enim nouit dominus uias impiorum . hoc magnopere postulemus : ut donum spirituum discernendorum mereamur accipere : quo secundum sententiam scripturarum omni spiritui non credamus : Volueram quidem iam finire sermonem : et silentio premere quecumque meæ acciderant paruitati : sed ne putetis frustra me commemorasse : quæ euenire non possint : Id circo licet insipiens fiam : tamen quia dominus qui secretorum mentis inspector est nouit me non causa iactantiæ sed uestri gratia profectus hoc facere pauca replicabo de plurimis . Quotiens me nimiis laudibus efferre conati sunt : cum a me in nomine || domini maledicta reciperent : quotiens augumenta Nili futura dixerunt : cum a me audirent : et hoc ad uestram quid pertinet curam : Quotiens minitantes ut milites armati scorpionibus equis beluis et uariis serpentibus circundedernnt† me et domum : in qua eram repleuerunt : cum ego e contra psallerem : hii in curribus et hii in equis nos autem in nomine domini dei nostri magnificabimus† : et statim christi misericordia fugarentur . Quodam autem tempore cum ingenti uenientes luce dixerunt : uenimus Antoni nostrum tibi præbere fulgorem . Ego uero clausis oculis quia lucem diaboli dedignabar aspicere : orabam : et dicto citius impiorum lumen extinguebatur . Post menses autem paucos cum coram me psallerent : et de scripturis sibimet sermocinarentur tanquam surdus non audiebam . Commouetur aliquando monasterium meum : et ego mente immobili dominum præcabar . Sæpe strepitus sæpe saltationes sæpe sibilos ingesserunt : et psallentes : sonus eorum in uoces flæbiles uertebatur . Creditis ne filioli : quod dicturus sum ? Vidi aliquando celsum diabolum corpore : qui se dei uirtutem et prouidentiam ausus est dicere : et ait ad me : Quid uis quod a me donetur Antoni? At ego sputa in eum maxime : in os eius ingeminans totum me in eum Christi nomine armatus ingessi : et statim ille procerus aspectu inter medias manus exoleuit : Ieiunanti etiam mihi uisus est ut monachus : et panes offerens his sermonibus suadebat : ut uescerer et huic aliquid indulgerem corpusculo : Et tu homo es : et humana fragilitate circundaris : labor paululum conquiescat : ne ægritudo surripiat . Illico luridam faciem serpentis agnoui : Et cum ad consueta Christi munimenta confugerem tanquam si per fenestram fumus laberetur euanuit . Auri quoque decipulam mihi in deserto frequenter tetendit : quod ideo offerebat : ut aut uisu irrætiret : aut tactu obligarer . Cum uapularem autem : Nam sæpe a dæmonibus non me denego uerberatum : canebam : nullus me seperabit a caritate Christi . Ad huius uocis

auditum in se inuicem defurentes : non | meo : sed domini fugabantur imperio : qui ait : Vidi Sathanam quasi fulgur cadentem de cælo . Hæc ego filioli apostolici memor eloquii in me transformaui : ut propositum uestrum nec dæmonum terror nec aliqua lassitudo dissoluat : sed quoniam ob uestram utilitatem multa memorando insipiens factus sum : et huius rei uobis impartiri cupio notionem : quam ueram esse nullus ambigat audientium : Egrediens† uideo hominem enormi sublimitate porrectum . pulsauit aliquando monasterii mei hostium : Cum ab hoc quisnam esset inquirerem : ait : Ego sum Sathanas : Et ego inquam : Quid igitur hic quæris? Respondit : Cur mihi frustra imputant monachi? Cur mihi omnes christianorum populi maledicunt? Et ego : Iuste faciunt : quibus enim frequenter molestamur insidiis . At Ille ait : Nihil ego facio : sed ipsi se inuicem turbant : Nam ego miserabilis factus sum . Rogo : non legistis : quia inimici defecerunt frameæ in finem et ciuitates destruxisti : Et nullum iam habeo locum nullamque possideo ciuitatem . Iam mihi nulla sunt arma per omnes nationes cunctasque prouincias Christi personat nomen . Solitudines ipse monachorum stipantur choris : Se quæso tueantur : et me sine causa non lacerent . Tunc ego domini gratiam cum alacritate miratus sic ad eum locutus sum : Non tuæ ueritati quæ nulla est tam inauditam et recentem adscribo sententiam . Nam cum fallaciæ caput sis : Hoc sine mendacio coactus es confiteri . Vere et enim Iesus tuas funditus subruit uires : et honore nudatus angelico uolutaris in sordibus . Vix uerba compræseram : et ille sublimis saluatoris nominatione deletus est . quæ ergo iam filioli poterit residere cunctatio? quæ trepidatio manebit ulterius? Quis nos poterit eorum turbo conuellere? Securæ sint animæ singulorum . Non sibi fingat cogitatio uana descrimina† . non aliquis timeat a diabolo sublatum ad præcipitia se posse deferri . Pellatur omnis anxietas . Dominus enim qui nostros prostrauit inimicos manens ut promisit nobis : a uariis nos Sathanæ muniuit incursibus . || En : ipse diabolus qui huiusmodi cum suis satellitibus exercet astutias nihil se posse contra christianos fatetur . Iam iam curæ monachorum esse debet : ne per eorum inertiam uires dæmonibus præbeantur . Nam quales nos et nostras reppererint cogitationes : tales se nobis præstare consueuerunt : Et si quid in pectoribus malæ mentis et pauoris sæmen inuenerint quasi latrones : qui deserta obsident loca : cœptos cumulant timores : et crudeliter imminentes infelicem puniunt animam . Sin autem alacres fuerimus in domino : et futurorum bonorum nos cupido succenderit : et semper omnia manibus dei committamus : nullus dæmonum ad expugnandum ualebit accedere : magis autem cum munita in Christo corda conspexerint : confusi reuertentur . Ita et Iob firmatum diabolus refugit : et infelicissimum Iudam spoliatum fide uinculis captiuitatis inuenit . Vna est igitur ratio uincendi inimicum : lætitia spiriituals† et animæ dominum semper cogitantis iugis recordatio : quæ dæmonum ludos quasi fumum expellens persequetur aduersarium potius quam timebit . non est enim meritorum suorum nescius Sathanas . ignium flammas futurorum et æstuantis gehennæ copiosa nouit incendia . Sed ut mea iam claudatur oratio : Illud in fine commemoro : Cum aliqua se uobis obtulerit uisio : audacter requirite : quis sit ille : et unde uenerit : ac sine mora si sanctorum fuerit reuelatio ex angelica consolatione timor uertetur in gaudium : si uero diaboli fuerit oblata temptatio : fidelis animæ percunctationibus euanescet : quia maximum est securitatis indicium interrogare : quisnam est : et unde . Sic et naue filius auxiliatorem interrogando cognouit : nec Danielem percunctantem latere potuit inimicus . Postquam Antonius dicendi finem fecit : lætantibus cunctis in aliis uirtutis cupido exardescebat . aliis infirma refouebatur fides . ex aliorum mentibus falsæ opiniones pellebantur : et aliorum sensibus inanium terrorum refellebatur accensio : Simulque uniuersi cum iam dæmonum insidias contempnerent : mirabantur in Antonio tantam gratiam discernendorum spi | rituum : quam domino tribuente perceperat . Erant igitur in monte monasteria . tanquam tabernacula plena diuinis choris psallentium legentium . orantium : tantumque ieiunandi et uigiliarum ardorem in cunctorum mentibus sermo eius afflauerat : ut futuræ spei auiditate ad caritatem mutuam et misericordias indigentibus exhibendas iugi studio laborarent . Quid infinita? Regionem quandam et oppidum a mundana conuersatione seiunctum pietatis atque iustitiæ intuitu uidebantur incolere . Quis tantum monachorum agmen aspiciens . quis uirilem illum concordie cœtum cernens : in quo nullus nocens : nulla detractio susurronis : sed multitudo abstinentium et certamen officiorum erat : non in hanc statim erumperet

uocem : quoniam bonæ domus tuæ Iacob et tabernacula tna† Israel tanquam nemora umbrantia : et tanquam paradisus super fluuios sed tanquam tabernacula quæ fixa sunt a domino et tanquam cedri circa aquas . Dum ita hæc gererentur : quibus in dies beatæ uitæ studium cresceret : Antonius mansionum in cælo positarum recordans : et præsentis uitæ despiciens uanitatem : quasi parua essent quæcumque iam gesserat : seperatus a fratribus instituebatur . Cumque eum siue cibum siue somnum indulgere corpusculo aut alias naturæ necessitates cogeret humana condicio : miro afficiebatur pudore : quod tantam animi libertatem modici carnis termini cohercerent . Nam frequenter cum fratribus sedens : acibo† qui fuerat apositus memoria escæ spiritualis abstrahebatur edebat tamen : ut pote homo : sæpe solus sæpe cum fratribus . Et cum hæc mira ut prædixi ageret sine confusione animæ adhibendam magnopere diligentiam persuadebat dicens : non corpus esse penitus necandum : ne operatio contra uoluntatem creatoris dissolueretur : et ob id omne studium animæ conferendum : ne uitiis superata corporeis ad æternas inferni tenebras traderetur : quinimo indultum sibi carnis imperium uendicans domicilium suum : ut apostolus Paulus ad tertium cælum subleuaretur : asserebatque hoc esse a salvatore præceptum : in quo ait : || Nolite soliciti esse animæ uestræ : quid manducetis : neque corpori uestro quid induamini : et ne quæsieritis : quid manducetis : aut quid bibatis : quia hæc gentes quærunt . Vester autem pater nouit : quia indigetis his omnibus : Quærite primum regnum dei et iustitiam eius : et hæc omnia adiicientur uobis . His rebus ita transactis : cum persecutio impiissimi Maximiani furore uesano uastaret ecclesiam : sanctis martyribus Alexandriam perductis : relicto et ipse monasterio : secutus est securus et ipsas futuras Christi uictimas dicens : pergamus ad gloriosos fratrum triumphos : ut aut ipsi congrediamur : aut expectemus alios præliantes : et amore quidem iam martyr erat : Sed cum tradere se ultro non uellet : et ministraret confessoribus in metalis uel in carceribus constitutis : magna cura et libertate intrantes ad inuicem exhortabatur : ne terrore impiorum subacti dominum denegarent . Iamque sententia coronatos exultans quasi ipse uicisset : usque ad locum sanguinis felicis prosequebatur : quam obrem† motus iudex Antonii sotiorumque eius constantia præcepit nullum penitus monachorum aut obseruare iudicium : aut in ciuitate uersari : Et cæteris quidem omnibus in illa die placuit abscondi . Antonius autem impauidus neglecto persecutoris imperio lauit ependiten sunm† : Et cum alia die stans in quodam eminenti loco candenti præcinctus ueste præcedentem iudicem suo prouocabat aspectu flagrans cupiditate martyrii : ostendebatque nobis contemptorem pœnarum et mortis in christianis animum perseuerare debere in tantum : ut contristaretur : quia uolenti pati pro nomine Christi : martyrium non dabatur : Sed dominus qui suo gregi parabat magistrum : seruauit Antonium : ut institutio sicuti factum est monachorum non solum oratione eius : sed et conspectibus firmaretur : Nunquam tamen a confessorum uestigis† seperatus est : quin anxia circa eos cura et uinculis caritatis colligatus magis carcerem pateretur exclusus . Postquam autem persecutionis turbo defluxerat beato episcopo Petro iam ob martyrii gloriam coronato : ad pristinum monasterium regres | sus quottidianum fidei ac conscientiæ martyrium merebatur : acrioribus se ieiuniis uigiliis que conficiens . uestimento intrinsecus cylicino desuper pelliceo utebatur nunquam corpus lauans nunquam pedibus sordes abluens nisi cum eum per aquam transire necessitas compulisset . Nullus denique Antonii corpus nudum antequam moreretur uidit umquam : Quodam autem tempore cum ab omnium se remouisset oculis : et clauso monasterio neminem omnino susciperet : Matinianus militum præpositus cuius filia immundi spiritus infestationibus quatiebatur pulsans hostium obsecrabat : ut suo pignori subueniret : et exiens dominum pro filia precaretur . Tum ille quidem minime aperire uoluit. Prospiciens uero desuper ait : Homo quid meum poscis auxilium . Mortalis et ego sum : et tuæ socius fragilitatis . Si autem credis in Christum : cui deseruio : uade : et secundum fidem tuam ora dominum : et sanabitur . Confestim ille credens abiit et inuocato Iesu : filiam reduxit incolumem . Multa et alia mirabilia per illum dominus operatus est et merito . Qui enim promisit in euangelio dicens : petite : et dabitur uobis : inuento qui mereretur accipere : suam potentiam non negauit . Nam plures uexatorum ante monasterium eius clauso introitu dormientes fidelibus per eum ad Christum precibus purgabantur . Hæc illi multitudo uenientium desyderatam solitudinem auferens tædio fuit . Metuens

itaque ne signorum concessio copiosa aut suos animos extolleret : aut alios plus de se quam uidebant in ipso cogeret existimare ad superiorem Thebaidem pergere cogitauit : ut ibi eum nullus agnosceret : Et a fratribus acceptis panibus sedebat super fluminis ripas transitum nauis obseruans . Illo talia cogitante : uox ad eum de super facta est : Antoni quo pergis : et quare ? At ille intrepide : et quasi consuetam uocem loquentis agnosceret : Respondit : quoniam me non sinunt quiescere populi . Id circo ad superiorem Thebaidem ire optimum duxi : præcipue quia et ea exigor quæ uirtutem meæ paruitatis excedunt : Et uox ad illum ait : || Si ad Thebaidem uadas et ad pastoralia ut cogitas pergis : maiorem ac duplicem sustinebis laborem . Si autem uere requiescere cupis : uade nunc ad interius desertum : Cumque Antonius diceret : et quis mihi locum inuium poterit ostendere : ignarus enim sum locorum : Confestim iis† qui loquebatur saracenos indicauit : qui mercandi gratia ad Egyptum uenire consueuerant . His appropinquans Antonius rogauit : ut se pariter adducerent in desertum . Nullus obnixus est : sed tanquam a deo missum comitem suscipientes amplexi sunt eius societatem . Tribus autem diebus et noctibus itinere confecto inuenit montem ualde excelsum : ad cuius radices fons aquæ dulcis labebatur : et campus haud magnus totum ambiens : qui palmis perpaucis et his neglectis consitus erat . Hunc Antonius locum quasi a deo sibi offerretur amplexus est . Is enim erat : quem sibi ad fluminis ripam sedenti qui loquebatur ostenderat . Et primo quidem accipiens a comitibus panes solus remansit in monte : nullo alio cum eodem conuersante : quasi enim propriam domum agnoscens habebat locum illum . Sarraceni quoque uidentes eius fiduciam : optato per eum transitu panes ei cum lætitia deferrebant : nec non palmarum mediocri licet tamen aliquanto solatio refouebatur . Exin cum fratres agnito loco tanquam ad patrem filii sollicite alimenta trasmitterent† . Videns Antonius quod ob suum refrigerium multis onerosus labor indiceretur : et parcens etiam in hoc monachis : rogauit unum de aduenientibus : ut sarculum sibi cum bisacuto et frumento deferret : quibus allatis circuiens montem haud grandem culturæ aptum reperit locum : ad quem deriuata aqua de super poterat influere : Ibique seminauit : atque exinde sibi annuum panem laborans gaudebat : quod sine cuiusquam molestia et propriis manibus uiueret in deserto . Sed cum rursus etiam illuc quidam uenire cœpissent : misertus est lassitudini eorum : et olus in paruo terræ cespite coluit : ut post asperum iter aliquando uenientes solatio refouerentur . hoc fratrum fuit refrigerium : et paruulam messem bestiæ quæ propter aquam | illuc adueniebant depastæ sunt : e quibus unam apprehendens dixit omnibus : Cur me læditis : nihil a me læsæ ? Abite in nomine domini : ne huc appropinquetis ulterius : Quis non credat post hanc denuntiationem quasi timentes nunquam illuc bestias propinquasse ? Sic Antonio penetralia montium et deserti intestina captante orationibus etiam dedito introeuntes fratres magnis uix precibus extorserunt ut oliuas et legumina et oleum : quod post menses aliquot ministrabant dignaretur accipere : et senili modicum laxaret ætati . Porro quantas ibi conuersans expertus est luctas ? Vere secundum quod scriptum est : non illi aduersus carnem et sanguinem fuisse colluctationem sed aduersus principatns† et potestates ab iis : qui ad eum ingrediebantur cognouimus . Illi enim tumultus et uoces populi armorumque sonitus prorsus plenum montem dæmonum multitudinem se uidisse referebant etiam quasi contra inimicos palam resistentem : et fortiter colluctantem : qui tamen et aduenientes suo refouebat hortatu : et flexis genibus armisque orationum omnem Sathanæ prosternebat exercitum . Admiratione plane dignum est in tam immani solitudine hominem unum nec dæmonum quotidianas expauisse congressiones : nec tantarum bestiarum quadrupedum siue reptilium diuersæ cessisse feritati : iuxta quod Dauid cecinit : Qui confidunt in domino : sicut mons Syon non commouebitur in æternum : immobilem atque tranquillam retinens animi firmitatem : Dæmones fugabat et feras sicut scriptum est : secum pacificabat . Sed et diabolus : ut supradictus propheta ait : obseruat peccator iustum : obseruans eum frendebat dentibus suis : et ille saluatoris auxilio ab uniuersis tutus perseuerabat insidiis . Quadam igitur nocte dum peruigili animo obsecraret dominum : tantos in monasterio eius bestiarum greges coaceruauit : ut omnes heremi bestias circum se aspiceret : Quæ cum rictu oris morsus corpori minitarentur : intellexit hostis astucias : dixitque : Si a domino uobis est in me tributa licentia : De || uorare concessum . Sin autem dæmonum huc uenistis impulsu : abite quantocyus : quia Christi famulus sum . Ita

factum est : et cum iubentis uoce omnis belluarum multitudo quasi uerbere maiestatis cæderetur aufugit . Non multi post hæc fluxerant dies : et alia oritur contra eum cum eodem hoste temptatio . Operante illo nam semper ut uenientibus pro iis quæ sibi detulerant aliquod munusculum rependeret : laborabat : traxit quidam sportellæ quam texebat tertiam siue funiculum : ad cuius motum exurgens : uidit bestiam bubetonus humanam faciem præferentem : quæ exinde in asinum finiebatur : post cuius aspectum uexilium † crucis in sua fronte depingens : Hoc tantum ait : Christi seruus sum : si ad me missa es : non fugio : nullum in medio spatium : et statim informe prodigium . dum ocyus cum satellitum turbis fugit : in medio cursu ruens extinctum est . Ista autem explosi mors atque enecati prodigii : dæmonum erat communis interritus : qui omni studio laborantes Antonium a deserto deducere non ualuerunt . Mirandis plus miranda succedunt . Non grande post ista tempus excesserat : et tantarum uictoriarum homo fratrum precibus uincitur . A monachis enim rogatus ut eos dignaretur inuisere : una cum his profectus est impositis camelo aqua et panibus : quia nusquam post monasterii locum ex quo hauserant . potabilis aqua per arentem uiam reperiebatur . Verum in medio itinere bibendi subsidia deficiunt . Ardor nimius . æstus intollerabilis . mortis efigiem prætendebat . Illi tamen cuncta rimantur : circueunt . quærunt saltem collestam † pluuiis lacunam . nihil prorsus remedii nihil ocurrit penitus ad salutem . Camelus quasi periturus et ipse dimittitur : estuans pectus exuritur : et sitis desperatione feruescit . Mouit senem fratrem † secum commune discrimen et uehentissime † contristatus ingemuit : De hinc ad solita precum auxilia confugiens paululum ab eis secessit : ibique genibus fixis supplices manus tetendit ad dominum : nec mora : et ad primas rogantis lachrymas : orationis locum fons ebuliens | rupit . Ibi extincta sitis : et plenis utribus aqua : inuentum quem derelinquerant potant camelum . Accidit enim : ut fune circa lapidem obuoluto teneretur . tandem confecto itinere ad monachos qui inuitauerant peruenitur . Tum uero quasi patri omnes obuiam currunt : et honorifico salutatu in oscula eius et amplexus certatim ruunt . proposito feruenti gaudent . Antonius lætantibus de aduentu suo cunctis quasi enxenia a monte deportans specialia impartitur alimenta . laudat ueterum studia . hortatur nouorum . Sororem quoque iam uetulam uirginem uidens et aliarum puellarum magistram mira exultatione sustollitur . Exinde quasi diu abesset ab heremo : rursus festinabat ad montem : Plurimis iam ad illum uenientibus : cum etiam uexati a dæmonibus malo necessitatis coacti auderent deserta penetrare : quos ille consolans et monachis in commune præcipiens aiebat : Credite in Iesum . fideliter mentem a malis cogitationibus . carnem ab inmunditiis seruate puram : et iuxta eloquia diuina ne seducamini in saturitate uentris . Odite uanam gloriam . Orate sæpissime : psallite uespere et mane . et meridie : et mandata scripturarum reuoluite . Recordamini gestorum : quæ sancti quique fecerunt : ut exempli memoria animam incitet ad uirtutem : refrenet a uitiis . Suadebat etiam iugi meditatione retinendum apostoli sermonem : quo ait : Sol non occidat super iracundiam uestram : Non tantum autem super iracundiam solem occidere non debere interpretabatur : Sed super omnia delicta hominum : ne peccatorum unquam nostrorum aut in nocte luna aut in die sol testis abscederet : Illius quoque admonebat præcepti memores esse : quod dicit : de his iudicate uosmet ipsos et probate : ut rationem diei noctisque facientes : si in se delictum rephendissent † : peccare desisterent : si autem nullus error decepisset perseuerantes : instarent potius in cœpto quam arrogantia tumidi aut alios contemnerent : aut sibi iusticiam uindicarent iuxta supradicti doctoris eloquium dicentis : Nolite iudicare ante tempus : magis || debere eos Christo : Cui soli occulta patent reseruare iudicium . multas esse ut scriptum est uias : quæ uidentur hominibus iustæ : Sed fines earum ad profundum inferni respicere . Sæpe nostra non posse nos intelligere peccata . Sæpe falli in oratione iustorum . Aliud esse dei cernentis cuncta iudicium : qui non ex superficie corporum sed ex mentium iudicat archanis . æquum autem esse nos nobis compati : inuicem onera nostra portare : ut concesso examine saluatori proprias conscientias nosmet ipsos iudicantes intueremur . Nec non præcipiebat magnam esse uirtutis uiam : Sed si singuli uel obseruarent : quid gererent : uel uniuersas mentium cogitationes fratribus referrent . Non enim aliquem posse peccare : cum relaturus esset ad alium : quæcumque peccasset : et subire pudorem in publicum turpia proferendi . denique nullum peccantem coram aliquo

audere peccare etiam si peccet : posse tamen testem uitare peccati : mentiri magis ei : et negare : et uetus delictum nouo inficiandi augere delicto . Igitur quasi sub oculis aiebat nostris et cogitatu confundimur et actu : si omnia referenda faciamus . Multo autem magis si peccata nostra fideliter describentes digeramus in ordinem . Tunc uero annotatio delictorum fratrum uidebitur oculis : si timebimus pecati celare conscientias : ipsi nos arguent apices et quomodo meretricibus membra miscentes confunduntur ad præsentiam cæterorum : ita nos erubescimus ad litteras si hæc agamus : hanc uirtutis gradiamur uiam : et corpora mentibus subiugantes . perniciosas diaboli conteramus insidias Talibus sermonum hortamentis et uenientes ad se monachos incitabat ad studium : et patientibus condolebat : pluresque eorum dominus per Antonium liberauit . Nunquam tamen aut de incolumitate curatorum est inflatus ad gloriam : aut contristatus de obsessis adhuc corporibus murmurauit . Magis autem semper eodem animo et uultu manens gratias deo referebat : suadens occupatis ut correptione† qua uexabantur patientius ferrent . Non enim Antonii aut cuiusquam hominum omni | no hanc esse medicinam sed dei solius : qui et quibus uellet : et quo uellet tempore daret sanitatem . Ita consolatione sua uexatos æquanimiter ferre temptationem : et iam liberatos non sibi sed deo gratias referre docebat . Pronto autem quidam uir ex palestinis : qui infestissimo dæmonio uexabatur : nam et linguam eius laniabat dentibus· . et oculorum nitebatur lumen extinguere : perrexit ad montem : rogabatque beatum senem : ut pro se dominum rogaret . Orauit Antonius : dixitque ad eum : Vade : et curaberis . Illo incredulo sibi et uiolenter ibi contra præceptum remorante : eadèm geminabat Antonius dicens : hic curari non poteris . egredere : et calcata ægypto statim te christi misericordia consequetur . Tandem credidit : et profectus est : ac uisa ægypto secundum professionem senis : quam ei dominus oranti reuelauerat : infestatio inimici cessauit . Virgo ergo quædam quæ a tripolitanæ regionis ciuitate ibidem uenerat : inanditis† et flæbilibus morbis laborabat : et enim narium purgamenta oculorum lachryme aurium putridus humor in terram cadens confestim in uermes uertebatur . Augebat calamitatem corpus paralyxi dissolutum . oculos quoque peruersos contra naturam habens : hanc parentes eius deferrentes : cum ad Antonium monachos ire didicissent : credentes in domino : qui pertinacem sanguinis fluxum in euangelio tactu fimbriæ stare præceperat : rogauerunt : ut miserabilem filiæ comitatum susciperent : Illis renitentibus eam usque ad Antonium perduxere : remansere parentes foris cum filia debili apud beatum Pasmitium confessorem monachum ; qui effosso pro christo oculo sub Maximiano persecutore tali dehonestamento corporis plurimum gloriabatur : Peruenerunt igitur monachi ad Antonium ; Cumque de morbo puellæ narrare disponerent ; relationem eorum senis sermo præuenit : et omnem debilitatis atque intineris† usque ad sanctum Pasmitium causam quasi ipse interfuisset exposuit . Rogantibus autem eum monachis : ut parentibus cum filia permitteretur ingressus : non concessit : sed ait : Ite : et inuenietis || puellam : si non est mortua : curatam . Nullus debet ad meam humilitatem uenire : quia largitio curationum non est humanæ misericordiæ : sed Iesu christi : qui ubique in se credentibus præstare consueuit auxilium . quam ob rem et illa pro qua petitis : suis præcibus liberata est : Et cum ad dominum orarem ego : mihi præsentia sanitatis eius indulta est : Dixit : et uerba eius puellæ incolumitas consecuta est . Nam exeuntes foras ad beatum Pasmitium et filiam sospitem et parentes lætos reppererunt . Non multos autem post dies cum duobus fratribus euntibus ad Antonium aqua in itinere defecisset : et uno siti mortuo alter iaceret in terra mortem expectans : Antonius sedens in monte celeriter duos monachos ad se uocat : qui forte ibidem sunt reperti : et festinato præcepit : ut laguenam aquæ assumentes inuaderent iter : quod ducit ad ægiptum : dixitque : unus ex fratribus huc aduenientibus modo migrauit ad dominum : alter : si non cucurreritis addetur . Hoc enim nunc oranti mihi reuelatum est : sic ait : et iuxta præceptum eius monachi festinantes extinctum corpus inueniunt : terraque id operientes alterum refocillatum suo iunxerunt comitatui . Erat autem spatium itineris unius diei . Fortasse aliquis hoc quærat : Cur non antequam moreretur : Antonius dixerat . Incongruo prorsus christianis argumento : quia non Antonii sed fuit dei iudicium : qui et de recedente quam uoluit sententiam tulit : et de sitiente reuelare dignatus est . Hoc tantum in Antonio mirabile est : quod in monte remotissimo sedens corde peruigili cuncta procul posita domino indicante cognosceret . Alio rursus tem-

pore cum sederet in monte : et oculos subito tetendisset in cælum : uidit nescio quam animam lætantibus in eius occursu angelis ad cælum pergere : Cuius spectaculi nouitate stupefactus beatum dixit sanctorum chorum : orauitque : ut sibi rei præsentis agnitio panderetur : Et statim uox facta est ad eum : inquiens : istam esse Hammonis monachi animam : qui Nitriae morabatur . Erat autem Hamon uir grandæuus : qui perseueranter a pueritia usque ad senectutem in sanctitate uixe | rat . Itinere quoque dierum quattuordecim a Nitria locus in quo sedebat Antonius diuidebatur . Videntes autem eum monachi admirantem qui uenerant : deprecati sunt : ut causam hylaritatis diceret : quibus ait modo Hammonem quieuisse : quem propter frequentem eius ad Antonium comeatum et propter celeritatem indultorum ei a domino signorum optime nouerant : De quibus etiam hoc unum dicendum est : Necesse fuit ei aliquando flumen nomine Lycum subitis aquis inundatis transuadere : rogauitque Theodorum : qui cum eo erat : ut paululum a suo seperaretur aspectu : ne nuditatem corporis inuicem uterque conspicerent . Recessit Theodorus . Nihilominus ille se ipsum cum nudare uellet erubuit . Cogitantem eum in alteram ripam uirtus diuina transposuit : Rursusque Theodorus uir et ipse deo deuotus transiens ad senem mirari cœpit : quod tam uelociter fluuium transuadasset : Cumque nihil humoris in pedibus nulla in uestibus eius aquæ signa conspiceret : rogauit eum : ut tam incredibilem translationem quasi filio pater exponeret . Nolente illo dicere : quæ acciderant : amplexus est pedes eius : iurauitque non se dimissurum : priusquam sibi illud quod celabat referret . Videns ergo senex contentiose uincere uolentem fratrem : exegit uicissim ab eo : ut nulli hoc ante suam mortem indicaret : atque ita confessus est : se subito in alteram ripam fuisse transpositum : neque omnino undis impressisse uestigia : dominici corporis exemplo hoc tantummodo priuilegium asserens : et eorum quibus ipse ut apostolo Petro donauerit : ut aquarum leuitati humanum corpus insisteret . Hæc autem Theodorus promisso tempore non dixit . post eius mortem retulit . Monachi ergo quibus dixerat Antonius de morte Hammonis notauerunt diem : et uenientibus de Nitria fratribus post dies triginta sciscitantes reppererunt illo die illaque hora dormisse Hammonem : qua animam eius ferri senex uiderat . Vtrique igitur puritatem mentis in Antonio mirati sunt : quomodo rei tam longe gæste† statim ad eum fuisset prolata || cognitio . Archelaus quoque comes cum inuenisset in exteriore monte : rogauit : ut oraret pro Polycratia : quæ in Laodicia erat admirabili et Christo dedita uirgine : patiebatur enim pessimos stomachi et lateris dolores : quos ieiuniis uigiliisque contraxerat : et erat penitus toto debili corpore : Orauitque Antonius : et diem quo oratio facta fuerat annotauit Archelaus : et rediens in Laodiciam : inuenit uirginem incolumem . percunctatus diem sanitatis reperit tempus mædele† cum annotatione congruere : et omnes admirati sunt agnoscentes eo tempore illam a domino fuisse a doloribus liberatam : quo orans Antonius pro ipsa bonitatem saluatoris inuocauerat . Sæpe etiam ad se uenientium turbarum ante dies et menses et causas prædixit tempora . Nam quosdam uidendi eum tantum desyderium : alios imbecilitas : nonnullos obsessa a dæmonibus corpora pertrahebant . Nemo tamen umquam uexationem aut detrimentum laboriosi itineris conquestus est . Regrediebantur omnes spiritali cibo pleni . At ille præcipiebat non suæ laudi hanc admirationem ab eis applicari debere sed domini : qui sui notionem hominibus pro capacitate mortalitatis indulserit . Quodam autem tempore cum exisset ad exteriora monasteria : et rogatus esset a fratribus : ut in naui quadam cum monachis profisciscentibus† oraret : ascendit : et solus ex omnibus odorem sensit teterrimum . Asserebant cuncti piscium salsorum et tarricorum in naui positorum hunc esse putorem . At ille alterius rei fætorem se sentire affirmabat . Adhuc illo loquente adolescens quidam possessus a dæmone : qui procidens iuxta carinam se nauis absconderat : repente exclamauit : Quo statim per Antonium in nomine domini nostri Iesu Christi curato : intellexerunt uniuersi : diaboli illum fuisse putorem . Alius quoque ad eum uir inter suos nobis dæmoniacus adducitur tanta oppressus insania : ut non sciret se esse apud Antonium : nec non et corporis sui superflua comederet . Quam ob rem rogatus senex ab his qui adduxerant : ut pro illo dominum oraret : in tantum iuueni misero condoluit : ut tota nocte cum eo peruigi | lans : aduersus patientis insaniam laboraret : Sed cum iam lucesceret : et adolescens obsessus impetu in Antonium facto uæhementer eum impulisset : irasci cœperunt : qui adduxerant : Cur seni fecisset iniuriam : quibus Antonius ait : Nolite alienam

culpam iuueni misero ascribere : Furor iste obsidentis est : non obsessi . Id circo autem in hanc prorumpit dolens hostis audaciam : quia dominus ad aridam regionem ire eum iussit : et in expulsi Sathanæ indicium : iste aduersum me impetum fecit . Nulla post uerba mora : et adolescens recepto sensu et gratias agens deo et locum ubi esset agnouit : et toto Antonium amplexans deosculatus est affectu . Innumera et alia huiusmodi signa sunt quæ monachorum concordi sæpe relatione cognouimus . Verum non tantum his adhibendus stupor : quia multo plus quæ sequuntur conditionem nostre fragilitatis excedunt . Hora circiter nona cum ante cibum orare cœpisset : raptum se sensit in spiritu : et ab angelis in sublime ferri : prohibentibus transitum aeris dæmonibus : cœperunt angeli contradicentes requirere : quæ esset causa retinendi : nullis existentibus in Antonio criminibus : Illis uero ab exordio natiuitatis replicare peccata nitentibus : calumniosa angeli clauserunt ora dicentes : non debere eos a natiuitate eius delicta narrare : quæ iam Christi esset bonitate sopita . Si qua autem scirent ex eo tempore quo factus est monachus et deo se consecrasset : licere proferri : Accusabant dæmones multa procaciter mentientes : et cum deessent probamenta fallacibus : liber Antonio consensus aperitur : Et statim in sese rediens in eo loco in quo stare cœperat : hoc se rursum uidit esse quod fuerat . Tunc uero oblitus escæ : ex illa hora noctem gemitu ac lamentatione transegit : reputans secum humanorum hostium multitudinem et colluctationem tanti exercitus et laboriosum per aerem iter ad cælum : et hoc apostoli dictum quo ait : Non est nobis colluctatio aduersus carnem et sanguinem sed aduersus principatum et potestates huius aeris : qui sciens aerias potestates ob id semper temptare || luctari et contendere : ne nobis liber transitus esset ad cælum . hortabatur monens : Assumite arma dei : ut possitis resistere in die malo : ut nihil mali habens : quod de nobis dicere possit : inimicus confundatur . Nos uero apostoli recordemur dicentis : siue in corpore nescio : siue extra corpus nescio : dominus scit : Et Paulus quidem usque ad tertium cælum raptus est : ibique auditis uerbis ineffabilibus descendit . Antonio autem usque ad aerem sublato post colluctationem liber conscensus apparuit : habebat etiam istiusmodi donum : si cuius rei sedens in monte ignarus fuisset : et eiusmodi secum inquireret notionem : oranti ei a domino reuelabatur : et erat secundum quod scriptum est doctus a domino . Denique cum a fratribus haberetur iste tractatus et ab eo sedule scisitarentur[†] : quemadmodum se post corporis sarcinam anima gereret : quique ei locus post exitum concederetur : proxima nocte uox de super nomen eius inclamitans ait . Antoni exurge . exi : et uide . Qui exurgens egressus est : Sciebat enim quibus respondere deberet . Eleuatis ad cælum oculis uidit quendam longum atque terribilem caput usque ad nubes attolentem . Vidit etiam quosdam pennates se eleuare cupientes ad cælum : atque illum extensis manibus prohibere transgressum : e quibus alios aprehensos elidebat ad terram : Alios frustra retinere nitens : dolebat super se ad cælestia transuolare : et maximum gaudium mixtum mærori uicti uictoresque tribuebant : Statimque ad eum uox facta est : Animaduerte : quod uides : Et tunc cœpit illuminato corde intelligere animarum esse conscensum : et diabolum prohibentem : qui et sibi retinere obnoxios et in sanctorum quos decipere non poterat cruciaretur uolatu . his uisionum incitatus exemplis : quottidie ad meliora crescebat : Neque uero id quod sibi reuelatum fuerat causa iactantiæ fratribus indicabat : sed cum orans iugiter dei laudaret auxilium interrogantibus compellebatur dicere : nec spiritales filios pura in christo anima ocultare quicquam uolebat : præsertim cum eiusmo | di signorum relatio et amorem ministraret proposito et fructum laboris ostenderet : Nunquam ille aut ira subita concitatus patientiam rupit : aut humilitatem erexit in gloriam . Nam omnes clericos usque ad ultimum gradum ante se orare compellens : episcopis quoque atque præsbyteris quasi humilitatis discipulus ad benedicendum se caput submittebat . Diacones uero qui ad eum utilitatis causa ueniebant : cum pro adiutorio eorum eis præsentibus disputaret : ad orandum dominum sibi præponebat : non erubescens et ipse dicere : Nam et interrogabat frequenter eos : cum quibus erat : et si aliquid ab eis necessarium audiret : se fatebatur adiutum : habebat autem et in uultu magnam gratiam : Et admirabile a saluatore hoc munus acceperat : Si quis enim ignarus eius inter multitudinem monachorum eum uidere desyderasset nullo indicante cæteris prætermissis ad Antonium currebat : Et animæ puritatem agnoscebat in uultu : et per speculum corporis gratiam sanctæ mentis intuebatur . Nam

semper hylarem faciem gerens : liquido ostendebat se de cælestibus cogitare : sicut scriptura ait : Corde lætante uultus floret : et in mærore constituto tristatur . Ita iacob cognouit Laban socerum suum insidias sibi machinantem : et dicens ad filias eius : non est patris facies uestri sicut heri et nudiustertius . Sic Samuel agnouit Dauid : lætificatos enim habebat oculos et dentes sicut lac candidos . Similiter agnoscebatur Antonius : quia semper eandem faciem inter prospera et aduersa retinens : nec secundis extollebatur : nec frangebatur aduersis : erat autem et in uultu et in fidei puritate mirabilis . Nunquam enim scismaticorum se miscuit communioni antiquam eorum sciens prauitatem atque transgressionem . Nunquam Manichæis aut aliis hæreticis saltem amicabilia uerba largitus est : nisi tantum ea : quæ eos possent ab iniquitatis errore reuocare . Denuncians talium amicicias atque sermones perditionem esse animæ . Sic etiam arrhyanos detestabatur : ut omnibus diceret : nec iuxta eos quidem esse accedendum : Nam cum uenissent quidam arrhyo || nianite reperta eorum post examinationem infedilissima† secta effugauit eos de monte dicens : multo serpentibus deteriores eorum esse sermones . Mentientibus autem arrhyanis aliquando : Antonium ita ut se credere : hinc ipse admiratus eorum audaciam : et iusti doloris ira commotus : rogatusque ab episcopis atque uniuersis fratribus Alexandriam descendit : ibique arrhyonianitas sermone publico condemnauit : ultimam hanc esse hæresim : et præcursorem antichristi affirmans : prædicauitque in populo filium dei non facturam non ex nullis existentibus : sed propriæ et unius cum patre substantiæ : ne creatura aut adoptio aut appellatio uideretur . impium esse dicens : uel mente concipere : erat : quando non erat . Cum uerbum dei deus qui est : semper patri sit coæternus : quia ex eo natus est patre : qui semper est : Vnde aiebat : Cum arrhyanis nulla sit coniunctio : Que enim societas luci ad tenebras? Vos fideliter credentes christiani estis . Illi enim uerbum filium qui ex patre deo est : creaturam dicentes nullo autem interuallo a gentibus seperantur : qui seruiunt creaturæ potius quam creatori : qui est benedictus in sæcula . Ipsa mihi credite irascuntur elementa et omnes contra arrhianum furorem : secundum apostoli dictum congemiscit creatura : quod dominum suum per quem omnia in quo omnia facta sunt uideat aggregari . hæc tanti uiri prædicatio exprimi non potest : quantum ad fidem populos roborauerit : lætabantur quippe hostilem et Christi inimicam hæresim anathematizari ab ecclesiæ columna : Tunc nulla ætas nullus sexus domi remansit . Taceo de christianis : pagani quoque et ipsi idolorum sacerdotes ad dominicum imperium conuolabant dicentes : precamur : ut hominem dei uideamus : quia hoc apud omnes conspicuum erat nomen Antonii . Ambiebant quoque saltem fimbriam uestimenti eius attingere : multum et sibi uel tactum credentes prodesse : quot tunc diabolica obsidione et uariis infirmitatibus liberati : quot simulacris exempta sunt spolia? quanti etiam ab errore gentilium retractti† nostro iun | cti sunt gregi? Tanti certe : ut paucorum dierum spatio et ydolorum superstitione conuersio omnem per annum credentium uinceret turbam . Præterea cum irruentem multitudinem comites repellerent : existimantes tædio illi conuentum populi fore : Ipse tranquilo animo dicebat : Nunquid hic cœtus dæmonum maior est turbis? Nunquid obsequentium multitudo colluctarum in monte nostrorum cateruis est numerosior? Accidit etiam ubi cum eum redeuntem circa portam prosequeremur : a tergo quædam mulier clamitaret dicens : Expecta homo dei filia mea atrocissimo uexatur dæmonio . Expecta obsecro . expecta : ne et ego corruens in terram . Hoc audito ad mirabilis senex a nobis admonitus uolens tamen et ipse paululum substitit : Cumque appropinquante muliere puella iaceret explosa : orauit tacitus Iesum . et ad comminationem eius statim spiritus impurus egressus est . Puella incolumis : populus in laudibus dei : mater in gaudio fuit . ipse autem letabatur : quia ad desyderatam solitudinem reuertebatur . Erat autem ualde sapiens : et hoc in se mirabile habebat : quia cum litteras non didicisset : ingeniosissimus et prudentissimus erat .

Aliquando et enim philosophi duo gentiles uenerunt ad eum : putantes Antonium se posse decipere . Erat enim in superiore monte : quos cum uidisset : paganos intellexit ex uultu : et procedens ad eos per interpretem ita cœpit appellare : Quare tam longe ad stultum hominem sapientes se uexare uoluerunt? Illis autem dicentibus : non esse illum stultum sed nimium sapientem : uigilanter respondit : Si ad stultum uenistis : superfluus est labor uester . Si autem putatis me esse sapientem et sapientiam

habere : bonum est : imitemini : quæ probatis : quia bona conuenit imitari . Si ego ad uos uenissem : uos imitarer : Sed quia uos ad me quasi ad sapientem uenistis : Estote sicut et ego sum christiani . Abscesserunt philosophi utrumque mirantes et acumen ingenii et dæmonum expulsiones . Alios quoque mundi sapientes similiter qui eum irridere cupiebant quia lit || teras ignorabat talli disputatione colligauit dicens : Respondete mihi : quid est prius sensus aut litteræ : et quid cuius exordium est an sensus ex literis : littere exorientur ex sensu? Illis asserentibus : quia sensus esset auctor atque inuentor litterarum : ait : igitur si cui sensus incolumis est : hic litteras non requirit : Quis præsentium post hanc coluctationem non exclamauerit? Cum obstupuerint et ipsi : qui uicti sunt . tantam in imperito litterarum sagacitatem animi admirantes . Neque enim ut solitudine et montibus uersatus : atque ibidem omnem exigens uitam : agrestis et rigidus erat : sed iucundus atque affabilis sermone : secundum apostoli præceptum diuinum sermonem conditum sale proferebat ita ut inuidia careret : et amore omnium potiretur . Inter hæc quasi parum esset his gentilitatem fuisse superatam : Tertio uenerunt omnes uiri sæcularis prudentiæ nube cæcati atque uniuersis philosophiæ studiis : quia litteras ignorabat : artium suarum estimatione doctissimi : Hii cum ab eo rationem exigerent fidei : quam in Christo habemus : et niterentur arguta sophismatum interrogatione de diuina cruce eum illudere : inter silentium paululum uoce compræssa : primum eorum miseratus est errorem : Deinde per interpretem qui eius diligentissime in grecum solebat exprimere sermonem : ita exorsus est dicens : Quid enim pulchrius est : quid ue honestius : crucem colere an adulteria? paricidium uel incœstum his assignare quos colitis : Cum in altero contemptus mortis insigne uirtutis sit : in altero turpis religio sit obscenitatis magistra . Quid melius est dicere : quod dei uerbum manens ut erat : ob salutem nostram humanum corpus assumpserit : ut societate mortalitatis nos eueheret ad cælum : participesque naturæ cælestis efficere : nam ut ipsi asseritis diuinæ mentis haustum ad terrena ueneranda summittere et pecudum atque serpentium formis cæleste includere nomen? Quo ore christianorum credulitatem audetis irridere dicentium christum filium dei sine detrimento sui : et cœpisse esse : | quod non erat : et mansisse : quod fuerat : Cum animam ipsi de cælestibus detrahentes non tantum hominum sed et serpentium et peccudum soleatis sepelire corporibus : christiana credulitas pro salute mundi dominum uenisse testatur : uos uero innatam animam prædicantes ultro citroque transfertis : christiana fides quæ omnipotentiam clæmentiamque ueneratur : consequenter incarnationem dicit deo fuisse posibilem : ita tamen : ut non euacuaret incarnato dignitatem dei . Vos qui animam ex splendidissimo dei fonte manantem turpiter decidisse iactatis : qui mutabilem et conuertibilem eam post sui dimnitionem† auderis asserere : iam illam quoque naturam dominam sæculorum per animæ contumelias impia lingua temeratis . Imago enim quæ secundum uos naturalem sui similitudinem retinet auctoris : cui una est ex qua defluxit : eademque substantia : humilitates proprias et iniurias consequenter ad suam originem remittit . Igitur animaduerte† contumelias animarum : ad patrem earum per uestram blasphemiam rednndare† . Crux Christi domini nostri uobis ut appellatis ingeritur . Interrogo : quæ hic est religionis obscenitas? Non ne potius est crucem aut alicuius generis mortem ab iniquis hominibus illatam patienter sustinere : quam miseros plangere post hos uagos incertosque decursus? Pudeat quæso uos insidiarum typhonis . Pudeat saturni fuge et deuorationis crudelissime liberorum . Erubescite parricidium Iouis et incœstum : erubescite raptum eius et ortum mulierum atque puerorum : Ille sicut uestri fingunt poetæ : ad explendum immanissime libidinis furorem molles dedit in amore uagitus : Ille in Daneas fluxit sinus ipse amator et pretium : Ille modulans ales ledæs petunt† amplexus . Ille in proprium sæuiens sexum : regium puerum ministris auibus polluit . Hæc uos creditis . Hæc colitis . Hec sunt nostrum ornamenta templorum . Ego precor pro uestra salute . nostra dicta pensate iudicio . cunsta†? An nihil credendum est in libris christianis? Si nihil nec crucis quoque cui detrahitis nomen agnoscitis . Si autem uniuersa || credenda sunt : Cur cum iisdem libris crucis resurectio non copuletur? Passionem diuinam stolido laceratis eloquio : et non statim iungitis cæcorum uisum : surdorum auditum : Claudorum cursum : lepræ emundationem : seruiens ambulanti deo suo mare : dæmonum fugas : resurrectionem mortuorum : et defunctorum reditus ab inferis . Hæc omnia scripturis quas impulistis inserta sunt : et isdem uoluminibus continentur præ-

conia in mortis maiestate dedecora : Quam ob rem odio quo imbuti estis abiecto : inuenietis illico et deum uerum esse Iesum et salutis humanæ fragilem assumpsisse naturam . Vestram tamen nobis : si non pudet narrate religionem : Sed quas error infelix poterit referre culturas de tanta rerum fæditate atque uecordia : nisi forte fabulosas asseritis deorum uestrorum et obscenitates et credulitates et mortes allegoricis uelaminibus : liberum raptum terram : Semiclaudum Vulcanum : debilem ignem . Iunonem : Aerem . Apollinem : Solem . Dianam : Lunam . Neptunum : Mare . et libidinum principem Iouem ætherem interpretantes : Nec post hanc excusationis procacitatem deum : sed creaturas contempto creatore suscipitis . Quod si pulchritudo uos elementorum ad sui traxit uenerationis modum : fas erat custodire et oportebat imitari tantum nec colere : ne facturæ ueneratio creatoris esset iniuria : Nam istiusmodi quam uos sequimini ratione præpostera : et Architecti honor migrabit ad domum : et medici ad remedia scientia conferetur : Omnium quoque artificum merita uel laudes ad operationem transferentur : Quid ad hæc dicitis : ut agnoscamus : quæ sit crucis ridiculæ uobis ignominiosa confessio ? Hac disputatione conuertentibus inter se philosohis† oculos simulque musitantibus subridens Antonius rursum per interpretem ait : Elementa quidem ut memoraui ex conspectu ipso suam comprobant seruitutem : Sed quoniam uos obseruatione dialectica necessaria ut putatis quæque colligitis . Hoc quoque artificio etiam nostram religionem compellitis affirmare : Respondete mihi : Cogni | tio dei quemadmodum manifestius approbatur per lectionem uerborum : an per operationem fidei ? Et quid antiquius est operatio fidei : an disputatio per argumenta procedens ? Illis autem respondentibus firmiorem sermonibus operationem esse : et hanc liquidam de deo cognitionem bene esse : et ipse dixisse consensit : quia operationem quæ ex fide descendit : animi gereret affectus : dialectica uero disputationem ex artificio componentium sumpsisse compositionis exordium . Cum ergo ait operationem fidei animo sitam quis habuerit : superflua erit uerborum compositio : per quam conceptam sensui nostro credulitatem temptatis euellere : et tamen sæpe uestras explicare negligentias non ualetis . Ita solidiora sunt mentis opera quam sophismatum fraudolenta conclusio . Nos Christiani misterium uitæ nostre non in sapientia mundi habemus repositum : sed in uirtrte† fidei quæ nobis a deo tributa per christum est : Hanc orationis meæ ueritatem rerum quæ quottidie geruntur ordo commendat : nobis imperitis et litterarum uestrarum ignaris ad dei cognitionem eius solum uerba sufficiunt . Ecce nos tot gentilitatis gregibus abstracti in uniuersum orbem quottidie propagamur . Vobis autem post aduentum domini nodosæ sophismatum defecere uersutiæ . Ecce nos Christi fidem simplicem docentes ydolatriam debellauimus : et prædicatione ignominiosæ crucis aurata templa ceciderunt : Vos si potestis ostendite : quibus contestatione uerborum gentilitatem Christo præponere suaseritis : per omnes terras iam uerus dei filius Christus est agnitus : Nihil eloquentia sophismatum : nihil disputatio philosophiæ multitudini potest obesse credentium . Crucifixum nominamus : et uniuersi dæmones quos uos ut deos colitis rugiunt : atque ex obsessis corporibus ad primum dominicæ crucis signum fugantur . Vbi sunt illa fabulosa oracula : Vbi ægyptiorum Incantationes : quo profecere magorum carmina ? certe tunc uastata sunt omnia : cum de sua cruce mundo christis† intonuit : Nihilominus uos prætermissis debilitatorum cater || uis gloriosam dei mortem irridere conamini . Illud quale autem est quod nunquam infestatione regali concussa gentilitas immo sæculo cara et hominum præsidiis fulta iam corruit ? Famuli Christi quo plus punimur : eo magis assurgimus : et floremus . Vestra simulacra quæ ornatis quondam septa parietibus uetustate colapsa sunt . Christi autem doctrina quæ uobis stultitia uidetur et ludus : licet tyrannica persequentium principum temptamenta pertulerit : licet uariis sit incursata terroribus : nullo terrarum orbe concluditur : nullo gentium barbararum fine prohibetur : Quando enim diuinæ scientiæ tantus splendor illuxit ? Quando tot simul conuenere uirtutes ? Continentia in matrimonio : Virginitas in ecclesia floret : martyrum pro domino gloriosa constantia : quorum omnium Crux Christi principium est . Cur interim uos inter tantos uirtutum choros sillogismorum rætia tenditis : et uerarum rerum lucem tenebrosis conamini argumentationibus obuoluere ? Ecce nos : ut dixit doctor noster : non in gentili persuasione sed in fide apertissime suademus : quæ uerborum affirmationem præuenire consueuit . Assunt quippe sapientes a dæmonibus uexati : quos cum in

medium perduxisset : uerba repetiuit dicens : Nunc uos colligationibus uestris et quo uultis malefico carmine deos uestros quos putatis expellite . Sin autem non potestis : uictas summittite manus : et ad Christi trophea confugite : et statim crucifixi credulitatem maiestatis potentia consequetur . Dixit et inuocato nomine Iesu cum uitale signum in sacro numero trinitatis præsisset in frontibus : una cum expulsis dæmonibus uana præsentium philosoforum confutata est sapientia : Expauerunt enim stupentes hominem : Cui post tantum ingenium affluueret signorum diuina largitio . At ipse uniuersa Christo qui curat ascribens : usus est affatu reciproco : Et ait : Nolite me putare his sanitatem dedisse : Christus per seruos suos ista facit mirabilia . Credite et uos : et uidebitis : quia deo deuota fides non eloquentiæ inanis tumor talia signa mereatur . Confugite ad crucifi | xi legem : nosque eius imitamini famulos : et scientiæ fide contenti nulla deinceps sæcularis imprudentiæ argumenta quæratis . Hactenus Antonio dicente : miro philosophi stupore perculsi et honorifico salutatu ab eo recedentes multum eius sibi profuisse confitebantur conspectum . Hoc uero in eo mirabile est : ut hominem in extremo mundi limite conditum et fauor principum et omnis celebraret aula regalis : Nam et Constantinus augustus et eius liberi Constans et Constantius talia cognoscentes crebris ad eum quasi ad patrem missis litteris obsecrabant : ut reciprocis eos scriptis exhilararet . At ille ipse eiusmodi permanens qualis : et antequam litteræ ad eum uenirent : fuerat : nec salutatione principum mouebatur : et tanquam non acceptis litteris conuocans monachos aiebat : Reges sæculi ad nos epistolas miserunt . Quæ hic christianis admiratio adhibenda est . Licet enim diuersa sit dignitas : attamen eadem nascendi moriendique conditio est . Illa uero sunt ueneratione omni percolenda : Illa toto animi affectu retinenda : quod deus hominibus legem scripserit quod per filium suum propriis ecclesias ditauerit eloquiis : Quæ monachis est ratio cum epistolis regum ? Cur accipiam litteras : quibus nesciam consueta reddere salutationis obsequia ? Igitur rogatus ab uniuersis fratribus : ut Christianos reges suis littteris† refrigeraret : ne scilicet per silentium eius exasperarentur : ad susceptas epistolas conuenientia rescripsit . Laudauit primum quod Christum colerent : deinde salutaria persuasit : ne magnam putarent regiam potestatem : ne præsentis carnis imperio tumentes et se homines esse nescirent : et iudicandos a Christo obliuiscerentur . Ad postremum clementiæ circa subiectos et iustitiæ curæque inopum admonuit atque unum sempiternum regem esse omnium sæculorum Iesum Christum epistolis testatus est . His litteris principes susceptis uæhementissime lætabantur . Sancta quoque apud cunctos Antonii flagrabat opinio : ita ut eius se filios cuperent nominari . Magna et enim cum || aduenientibus affabilitas omnium in se studia conuerterat . Postquam ergo gentiles confutati : reges admoniti : fratres ab eo sunt consolatione releuati : ad interiorem montem et ad rigorem solitum regressus est : Ibique sæpe cum introeuntibus deambulans ac residens stupebat : sicut in Daniele scriptum est : et interiectis horarum spatiis consequentia respondebat : ut intelligeretur aliqua reuelationis uidisse secreta . Nam et in monte positus ea quæ in egypto longe gerebantur præuidens episcopo Serapioni ibi constituto narrauit . Lamentabilis sequitur uisio et omnium lachrymarum fonte plangenda : Cum enim fratribus circa se sedentibus operaretur intente : fixit oculos in cælum gemens atque suspirans : Et post aliquantum spatium reuelationis inceptæ nimio dolore contremuit : Et statim fixis genibus ante dei uultum prouolutus orauit : ut clæmentia sua futurorum euerteret scelus . Succedunt orationi lachrimæ : metus ingens inuadit præsentes : ut exponeret uisionem obsecrant tantæ calamitatis . Singultus occupat uocem . lingua flætibus præpeditur : et in medio conatu sermo interrumpitur . Vix tamen cum uociferatione luctuosa ait : Melius erat O filioli impendens piaculum cita morte lucrari : Sic incipiens rursum lachrymis uincitur : et erga suspiria tandem pectori commodans uocem : Magnum inquit quoddam et uniuersis inauditum sæculis imminet nefas . Magno fides catholica turbine subuertitur : et homines iumentis similes Christi sancta diripiunt . Vidi enim altare domini mulorum circundatum multitudine : qui crebris calcium ictibus omnia dissipabant . Hæc enim causa gemituum : quos audistis : Et facta est uox domini dicens : Abominabitur altarium meum . Nec mora uisionem sequitur effectus : Nam post annos duos sæua arrhyanorum erupit insania . Tunc ecclesiarum rapinæ . tunc diuinorum temeratio uasorum . tunc pollutis ethnichorum manibus sacra polluta sunt ministeria . tunc paganorum opificum præsidia aduersus

Christum comparata cum assumptione palmarum : quod ydolatriæ apud Alexandriam insigne | est : ad ecclesiam pergere compellebantur Christiani et† arrhyanorum populi crederentur . Propter scelus horret animus replicare : quæ sunt gesta . uirginum matronarumque ereptus est pudor : sanguis ouium in Christi templo fusus ueneranda respersit altaria . Baptisterium pro uoluntate gentilium pollutum est : Nihil defuit uisionis ueritati : ut monstrauit effectus : quod calcitrantium mulorum indisciplinatio arrhyanorum esset impietas : Sed istam tristitiam consequentis reuellationis prosperitate solatus est : Et ait : Nolite filioli mei a re penitus uos cedere : Vnde enim iratus est dominus : sic rursum miserebitur : et suum cito ecclesiæ recuperabit ornamentum : eosque qui in persecutionibus fidem domini seruauerint : solito uidebitis fulgore lucentes . Reuertentur ad foueas suas serpentes : et religio longius propagabitur : tantum uidete : ne fidei uestræ sinceritas arrhyana labe sordescat . Non apostolorum sed dæmonum et patris eorum diaboli ista doctrina est . Ob id per insipientiam iumenti similis peccudum eorum expressus est animus . Hucusque Antonius . Sed nos minime conuenit diffidere tam grande miraculum per hominem potuisse portendi . Saluatoris est enim promissio ista dicentis : si habueritis fidem sicut granum sinapis : dicetis huic monti : transfer te : transferetur : et nihil impossibile erit uobis : Et iterum amen amen dico uobis : omne quod petieritis patrem in nomine meo dabit uobis . Petite : et accipietis . Ipse enim suis discipulis et uniuerso credentium gregi nunc subiectionem dæmonum : nunc uariarum infirmitatum pollicens curationem aiebat : Gratis accepistis : gratis date . Nunquid suæ uirtutis imperio curabat Antonius ipse? Nunquid suæ possibilitatis arbitrabatur esse : quod fecerat orationibus? Non præceptis dæmones morbique cesserunt : sed ad Christi dei nostri nominationem semper uniuersa perfecta sunt : Nemo sapientum sanitatum admirationem ascribat Antonio : sed domino Iesu : qui solitam erga creaturas suas exhibens beniuolentiam : nunc quoque per electum famulum suum indulgenter exer || cuit . Antonius tantum orabat : et ob uitæ eius merita cuncta dominus largiebatur : Sæpe autem et contra uoluntatem ad exteriorem montem a fratribus perducebatur : Et cum iudices qui ad interius archisterium propter asperitatem itineris : et obsequentium multitudinem et horridam solitudinem non poterant peruenire : et quesierunt : ut eius fruerentur aspectu : nec impetrare possent : quia molestissime ferebat uexationem discursuum ipsos catenatos : quos aut noxietas aut uigor publicus constrinxerat : ad eum destinabant : scientes tales ab Antonio non posse contemni : quorum flætibus superatus pertrahebatur ad exteriorem montem : agnoscens laborem suum utilem miseris esse . Suadebatque iudicibus : qui eum inuitauerant : ut in sententiam proferendam et odio et gratiæ dei timorem anteponerent : nec ignorare eos debere : quod scriptum est : Quocumque iudicio iudicaueritis : in eo iudicabitur de uobis : Et tamen inter medios sermones caræ sibi solitudinis recordabatur . Post coactam itaque præsentiam quam duces preces et quod uerius est miserorum flætus extorserant : post salutaria monita : Post eorum commendationem quorumdam uero et absolutionem postulanti duci ut Paulo largius eidem suam præsentiam ingereret ait : non posse ibi diutius morari : grato usus exemplo : quod sicut pisces ex aqua extracti mox in arenti terra moriuntur : ita et monachi cum sæcularibus retardantes humanis statim resolui confabulationibus . Ob id ergo inquit conuenit : ut pisces ad mare : ita nos ad montem festinare : ne tardantibus nobis aliqua propositi succedat obliuio . pro tanta hominis sapientia dux miratus iustam de eo tulit ueramque sententiam dicens : uerum dei istum esse famulum : nec in rustico homine potuisse tantam inesse aliquando sapientiam : nisi diuino amore regeretur . Præterea cum Valachius qui sub Nestorio præfecto Alexandriæ dux Egypti fuit homo arrhyanæ iniquitatis studiosissimus fautor ita Christi ecclesiam persequeretur : ut animo uesano uirgines monachosque nudatos uerberaret in publico Ad eum Antonius litteras misit : quarum | ista sententia est . Video iram dei uenientem super te . Desine persequi Christianos : ne te ira occupet : quæ proximum iam tibi minatur interitum . Legit infelix epistolam : et irrisit : atque in eam execrans proiiecit in terram . portitores quoque multis afficiens iniuriis Antonio talia renunciare præcepit : Quoniam tibi cura magnopere monachorum est : etiam ad te mei uigoris transiet disciplina . Sed confestim minitatorem oppressit supplicium : et post quinque dies os effrenatum ultio diuina compescuit . egreditur enim ad primam mansionem Alexandriæ : quæ appellatur Cereum cum supradicto ægypti præfecto Ne-

storio . Veheuntur equis omnes : quos inter Balachii equus erat : quos mansuetissimos nutriebat . Cum igitur pariter solido sibimet equi alluderent : mitior horum quo Nestorius uehebatur morsu repentino Balachium decussit in terram : ac sic in eum inhians femora eius lacerauit : atque corrosit : ita ut statim perlatus ad ciuitatem post tertium diem moreretur : uniuersique cognoscerent minarum ab Antonio prædictarum effectum quantocyus consecutum : digno persecutoris fine completo . Cæteros ad se uenientes mira cum modestia admonebat : ut oblita sæculi dignitate remotioris uitæ beatitudinem appeterent . Si qui autem maiori potestate premebantur : et non poterant obtinere iusticiam : ita eos obnixe defendebat : ut ipse pro illis pati uideretur iniuriam . Multis utilis fuit præclari senis oratio . multi magnis diuitiis et altiori gradu militiæ derelicto : eius hærere curriculis cupiebant : Et ut infinita breui sermone compræhendam : bonum ægypto medicum Christus indulserat : Quis non tristitiam apud Antonium mutauit in gaudium? Quis non iram uertit in pacem? Quis non orbitatis luctum non ad eius temperauit aspectum? Quis non mærore paupertatis quo præmebatur abiecto statim et diuitum despexit opulentias : et in sua lætatus est paupertate? Quis post lassitudinem monachus : non eius uegetatus est hortamentis? Quis adolescens ætatis ardoribus succensus : non ex eius admoni || tu pudicitiæ amator fuit? Quis uexatus a diabolo sine medela rediit? Quis inimici cogitationibus distractus : non cæca tempestate sopita sereno regressus est animo? sciebat enim : quo quisque laboraret incommodo : et ex uitæ meritis discretionem spirituum agnoscens adhibebat morborum prout uulnera erant sanitatem . Vnde effectum est : ut post eius doctrinam omnes diaboli panderentur insidiæ . Multe quoque ad eius conspectum desponsate puellæ ab ipso pene thalamo recedentes in ecclesiæ matris gremio consederunt : Quid plura? Totius orbis homines ad eum confluebant : et uniuersarum gentium uarietas belicosissimum contra dæmones uirum conspicere gestiebat . Nullus se frustra illuc uenisse conquestus est . omnibus delectabile atque iucundum laboris comercium fuit . Fatigatio enim itineris emolumentum uiatici reportabat : sicut rei probauit effectus . Nam post resolutionem eius quasi communi uulnere orbitatis excepto proprium singuli luxerunt parentem : Quis autem finis eius uitæ fuerit : dignum est et me commemorare : et uos cum desyderio audire : quia et hoc in eum imitabile cunctis fuit iuxta consuetudinem ad uisendos fratres qui in exteriore monte erant uenit : ibique a diuina prouidentia de sua morte condiscens : ita exorsus est : Vltimam filioli patris audite sententiam . Non enim arbitror quod in hoc sæculo iterum nos uisuri simus . Cogit conditio naturæ ut post centenarium numerum quem annis quinque supergredior : iam resoluar : Ita locutus audientium pectora contristauit : gemitus lachrymæque dicta merentia consecuta sunt . Amplexabantur eum uniuersi : quasi iam de sæculo recessurum : At ille tanquam alienam deserens ad propriam patriam proficisceretur : magna cum lætitia præcipiebat desidiam instituto non debere surripere : sed tanquam quottidie morituros : ut antea prædixerat a sordidis cogitationibus animam custodire : et omnem æmulationem ad sanctos quosque conuertere : Ad scismaticos uero ne prope quidem accedere : Scitis enim aiebat eorum antiquam peruersitatem : Neque cum arrhyanis in communio | ne iungamini : quia impietas eorum iam omnibus manifesta est . His etiam illud addebat : nullum debere christianum cum sæculi uiderit potestates pro arrhyanorum et militianorum pugnare nequitia . Facile interim ita a Christi discedere ueritate : Mortalium illam esse defensionem nec diu falacem permanere posse phantasiam : Quapropter aiebat : Custodienda est filioli pia fides in Christo et patrum religiosa traditio : quam et scripturarum lectione et crebro meæ paruitatis didicistis admonitu : finito sermone fratres eum uæhementissime retardabant gloriosi patris cupientes termino decorari : sed multas ob causas et silentio demonstrabat : præcipue tamen ob præsumptam ægypti consuetudinem contradixit : Mos et enim ægyptiis est nobilium et precipue beatorum martyrum corpora linteamine quidem obuoluere : et studium funeri solitum non negare : terra uero non abscondere : sed super lectulos domi posita reseruare : hunc honorem quiescentibus reddi ueteratæ consuetudinis uanitas tradidit . De hoc Antonius episcopos sæpe precatus est : ut populum ecclesiastica contestatione corrigerent : et laicos uiros ac mulieres rigidus ipse conuenit : nec legitimum hoc esse dicens nec deo placitum : quippe cum patriarcharum et prophetarum sepulcra quæ ad nos usque perdurant hæc facta conuincerent . Dominici quoque corporis exemplum intueri iubebat : quod

in sepulcro posito lapide usque ad resurectionis diem tertium clausum fuit : Atque his modis uitium circa defunctos ægypti : et si sancta essent corpora : coarguebat dicens : Quid maius aut sanctius corpore potest esse dominico : quod iuxta consuetudinem gentium cæterarum humo conditum est ? Hæc iusta persuasio multorum insitum euulsit errorem : et repositis in terra cadaueribus deo gratias pro bono ministerio retulerunt . Metuens igitur consuetudinem supradictam : ne eodem etiam circa se laberentur errore : celeriter uale monachis dicens : qui confluxerant : ad amicum uirtutis habitaculum reuersus est : Post autem menses paucos cum mediocre || incommodum senilia membra turbasset : uocatis ad se duobus fratribus quos ibidem ante quindecim annos modico interuallo seiunctos iustituerat : quique ei iam seni cœperant ministrare ait : ego quidem filioli secundum eloquia scripturarum patrum gradior uiam : iam enim me dominus inuitat . iam uidere cupio cælestia . Sed uos o filioli uiscera mea admoneo : ne tanti temporis laborem perdatis repente . Hodie uos religiosum studium arripuisse arbitramini : et quasi uoluntatis cœptæ fortitudo succresceret : uarias dæmonum nostis insidias . uidistis eorum impetus feroces et uires effeminatas : Iesum suspirate : et credulitatem nominis eius uestris figite mentibus : et a certa fide uniuersi demones fugabuntur . Mementote etiam admonitionum mearum et incertæ conditionis . Vitam quottidie ancipitem retractate : et cæleste uobis præmium sine cunctamine tribuetur . Scismaticorum quoque et hæreticorum uenena uitate . meum circa eos studium sectamini . Christi sunt inimici . Scitis ipsi : quod nullus mihi pacificus sermo quidem cum eis aliquando fuit propter prauam eorum uoluntatem et pertinax contra Christum bellum . Ideo hoc autem magis estote solliciti : ut præcepta domini seruetis : ut post mortem uestram sancti quique quasi notos et amicos in æterna uos recipiant tabernacula . Hæc cogitate : hæc retegite : hæc sapite : Et si qua mei uobis cura : si qua patris memoria est : si mihi uicarium repræstatis affectum : nullus ad ægyptum meas perferat reliquias : ne uano corpus honore seruetur : ne uituperati ut nostis a me exitus etiam circa me seruentur obsequia . huius enim rei gratia maxime huc sum regressus . Vos igitur humo tegite . uos patris operite corpusculum : et illud quoque senis uestri custodite mandatum : ut nemo præter uestram dilectionem locum tumuli nouerit . Confido in domino : quia necessario resurectionis tempore hoc corpusculum resiliet incorruptum . Vestimentorum autem meorum sit ista diuisio : melotem et pallium tritum cui semper iaceo Athanasio episcopo date : quod ipse mihi | nouum detuderat† . Serapion episcopus alium accipiat melotem . Vos cylicium habetote uestimentum : et uelate uiscera mea . Antonius enim migrat : et iam non erit in præsenti sæculo uobiscum : Et cum uerba finisset : exosculantibus eum discipulis : extendens paululum pedes : mortem lætus aspexit : ita ut ex hilaritate uultus eius sanctorum angelorum qui ad perferendam animam eius descenderant præsentia nosceretur : Hos intuens tanquam amicos uideret animam exhalauit : et additus est patribus secundum testimonium scripturarum . Seruauerunt uero mandata discipuli : Nam inuolutum corpus ut præceperat humo operientes : et nemo alter præter eos usque ad hunc diem ubi conditus sit nouit . Legatarius autem Antonii benedicti qui tritum pallium cum meliore imperio eius meruerat accipere : Antonium in Antonii muneribus amplectitur : et tanquam magna hæreditate ditatus lætatur . per uestimentum imaginem recordatur sanctitatis . Hic Antonio uitæ terminus fuit . ista principia meritorum : quæ licet parciore ut ita dixi sermone narrauerim : tamen ex his potestis aduertere : qualiter a pueritia homo dei ad senectam usque peruenerit : quod omni delectatione calcata nec langori nec longæ quicquam ætati aliquando concesserit . Magis autem æqualitatem propositi tenens nec uestimentum mutauit : nec pedes lauit : nec escam sectatus est molliorem . Oculorum quoque acumen et numerum dentium : licet paululum ob ætatem uiderentur attriti : nec non et pedum incessum : totius etiam corporis firmitatem ita contra iura naturæ meritorum gratia custodiuit : ut lautorum corporum quæ balneis atque deliciis confouentur hilarior eius caro uideretur . Hoc etiam fratres quod per omnes prouincias amor eius famaque uolitauit : quem nec librorum disseminatorum oratio luculenta nec mundanæ sapientiæ disputatio nec nobilitas generis nec opum infinita congestio commendauit : Cui omnium ore est ascribendum nisi Christo : cuius hoc donum est? qui deuotum eius animum erga suam præuidens maiestatem hominem pene alio orbe cælatum et inter tantas po || situm soli-

tudines Africæ : Hispaniæ : Galiæ : Italiæ . Illyrico : ipsi etiam quæ urbium caput est Romæ : ut in exordio promiserat demonstrauit . Creatoris est ista benignitas : quæ famulos suos licet nolentes nobilitare consueuit : ut uirtus possibilis nec extra humanam esse naturam sanctorum doceatur exemplis : et ad beatæ uitæ imitationem ex fructu laboris optimus quisque impleatur . Hunc itaque fratribus librum magnopere legere curate : ut agnita fidei uita sublimum christianorum et monachorum sciant : quod saluator noster Iesus Christus glorificantes se glorificant† : et seruientibus sibimet non tantum regna cælorum sed etiam hic in ipsis mentium secretis latere cupientibus fame tribuit dignitatem uel nobilitatem : scilicet et ipsi fruantur laude meritorum : et cæteri eorum prouocentur exemplis . Sin autem necessarium fuerit : et gentilibus legite : ut uel sic agnoscant : quia dominus noster Iesus Christus non solum est deus dei filius : sed etiam his qui eum sollicite collunt et in eum fideliter credunt hanc dedit potestatem : ut dæmones quos illi deos arbitrantur conculcent : atque eiiciant deceptores scilicet hominum et totius coruptionis artifices . Depositus est sanctus Antonius sexto decimo calendas februarias .

VITA BEATI ANTONII CONFESSORIS ET† ORDINIS MINORVM .

In hispania urbe Vlixbona : quæ ad occidentalem regni portugaliæ plagam in extremis terræ finibus sita est : quædam prægrandis ecclesia fabricata extat : in qua pretiosum beati Vincentii martyris corpus honorifice quiescit : a cuius occidentalium ualuarum liminibus uenerabiles beati Antonii parentes non longe commorantes felicem hunc in primo iuuentutis flore filium genuerunt : quem Ferdinandum in sacro baptismatis lauacro nominauerunt et in eadem ecclesia educandum et litteris imbuendum tradiderunt . | Cui dum post annos pueriles simpliciter domi transactos fallax mundi species ac petulantia carnis suggererent : nequaquam concupiscentiæ frena laxauit : sed uoluntate soli deo seruire disponens euidentius id processu temporis opere declarauit . Spretis namque mundi et carnis illecebris ad quoddam cœnobium ordinis sancti Augustini præfatæ ciuitati uicinum se contulit : ibique deuotus habitum religionis assumpsit . Vbi dum pacem pectoris eius importuna carnalium amicorum frequentia perturbaret : peractis ibidem ferme duobus annis ad sanctæ crucis de Colimbria aliud scilicet eius ordinis monasterium transuolauit . Ad quod tandem ob morum ipsius grauitatem uix ueniam superioris obtinuit : quo ad optatam mentis quietudinem obtinendum perueniens : tantum ibi in omni religionis perfectione profecit : quod translatio sui facta leuitati cordis imputari non potuerit . Propellebat autem iam spiritus quodam futurorum præsagio ad diuinarum studia litterarum : in quibus iugiter meditando non solum qualiter in agro alieno uitia extirpando uirtutes insereret : sed semetipsum sollicite primitus excolendo cognouit : uerum etiam qualiter fidei normam astrueret : ac confutaret errores firmissimis patrum sententiis se muniuit atque ita factum est : ut illo aspirante qui interuallo temporis in docendo non indiget non multo post uir dei sapientiæ spiritu plenus esset . Funditur interea apud Marochium sanguis innocentium a prophanis : dum ibidem contra ipsum desæuiens in fratrum minorum necem gladium exerit rex immanis : ubi et plurimis claruit prodigiorum indiciis : quoniam is qui de cælo descendit pro quo passi sunt morientium merces factus est uitæ panis : Quorum uenerandas reliquias uir quidam clarus nomine Petrusinfans a Marochio deferens per ipsorum merita sui ipsius a grauibus periculis liberationem celebremque eorumdem passionis ordinem diuulgauit : cuius et auribus Ferdinandi non inaniter facti rumor insonuit .

Nam subito Elephantis more ad prælium ex aspectu sanguinis animati ita totus a fidei || feruore surripitur : Christique iniuriam et martyrum necem miranda in se compassione retorquens : nihil se prorsus reputat agere : nisi et ipse tyramnicæ ferocitati occurrens eandem pro Christo cum præfatis martyribus palmam obtineat : Felix iste quem non formidine mortis gladius persecutoris eneruat : sed in melius ut patebit : perfecte caritatis ardor immutat . Igitur æstuanti animo quid facto opus sit excogitans : habitum ordinis taliter pro Christo defunctorum assumere uitamque sequi deliberat : ut uel sic efficacius ad optatum fidei agonem ualeat pertingere .

Cumque fratres iam dicti ordinis prope ciuitatem Colimbriam moram trahentes : ad ipsum ex more monasterium die quodam pro eleimosyna petenda diuerterent : uidens eos domini seruus : nequaquam ultra se continere potuit : sed benigne clam deductis omnem animi sui conceptum aperuit . Gaudet non modicum ad hoc fratrum pura simplicitas : diemque quo hoc ipsorum gaudium impleatur instituunt . quam ob rem læti deo gratias agentes abscedunt . Ipse uero prælati sui uenia et si difficile obtenta gaudens ad condictum se præparat : sed et fratres iuxta promissum redeunt : eique in ipso monasterio suæ habitum religionis eum induunt : Ille uero post habitus mutationem mox cum fratribus inde recessit . Quidamque ex concanonicis super hoc grauius se dolere præ cæteris indicans abeunti in amaritudine cordis dixit : uade inquit . uade : quia forsitam† sanctus eris : cui humiliter is respondit : cum mo† sanctum audieris : deum utique collaudabis . Venit ergo : ubi simplicium fratrum congregatio morabatur : qui certe locus sanctus Antonius dicebatur : iuxta quod nomen Antonium se deinceps appellari rogabat : ut et sic requirentium ipsum sollicitudinem prima cautella deluderet : eorumque importunitates : sub ignoto facilius nomine declinaret . Feruens igitur ut dictum est ad martyrium dum aduersus Christum rex terræ desæuit : nullatenus ab hoc proposito quiescere potuit : donec tandem iuxta promissam ueniam ad terram Sarracenorum transiuit : Verum quantumcumque ad hæc quæ dicta sunt conami | ne niteretur : suum tamen in his desyderium dominus non impleuit : de quo rex regnantium dominus aliud asensu† humano decreuit . Nam graui nimis et diutino langore coreptus nihil secum pro uoto prosperum agi prospexit : donec ipsa necessitate compulsus ad partes fidelium remeare disposuit . Cumque nauigando ad redeundum in Hispaniam iter arriperet : contigit ut in partes Siciliæ uentis non secundis applicaret et sic penitus a proposito se fraudatum conspiceret . Instabat autem eo tempore fratrum generale capitulum propediem apud assisium celebrandum . Quod ut Antonio perfecte innotuit : illuc uti erat debilis et infirmus utcumque peruenit . Soluto igitur ex more capitulo : fratribusque ad sua circumquaque dimissis : solus Antonius a nemine petebatur : qui sicut erat ignotus de se litteraturæ uel cuiuscumque alterius utilitatis habita mentione ad fratrem Gratianum qui tunc fratribus romagnolæ præerat humilis accessit : rogans ut ipsum a ministro generali petitum colligeret : collectumque disciplinis regularibus erudiret : quem idem frater Gratianus benigne susceptum in romagnolam secum duxit : locumque solitudinis requirentem ad heremum montis Pauli transmisit . Quo postquam quandam ibi pro optato cellam in crypta semotam a fratribus orationibus congruam repperit : quam suis usibus a fratre quodam qui sibi ipsi eam parauerat impetrauit : Illic solitariam : quantum licuit : uitam duxit . Illic sacris meditationibus contra temptationes spiritum roborans in diuino se amore firmauit . Ibi nocturnis uigiliis solus in orationibus perstitit Ibi se totum dispositioni diuinæ commendans sursum firmissimæ spei ancoram collocauit . Ibi etiam cibi et aquæ tanta corpus abstinentia macerauit : ut testibus his qui aderant hora refectionis aliquando rediturus ad fratres nutante præ nimia debilitate uestigio semetipsum supportare non posset . Hic igitur uir dei Antonius cum dono sapientiæ plenus esset : multo tempore simplicem inter simplices uitam duxit . Sic arrogantiæ fastum humili corde declinans sub indocti facie sic diu gratiæ lumen abscondit . Licet ei uelut ex premissis patet || feruentissimum domus dei zelum haberet : tamen a suo desyderio iam semel diuino nutu fraudatus a semetipso iterum temerariæ sibi gloriæ pondus assumere non præsumpsit : donec eo cui se iam tutius commendauerat disponente manifesto post indicio eius in conuentu simplicium fama creuit : Post multum namque temporis fratres pro suscipiendis ordinibus missi ad ciuitatem Forliuii confluxerunt : inter quos et Antonius necnon et quidam fratres prædicatores affuerunt : Cumque refectionis hora minister loci prædicatores ipsos sollicitaret : ut exhortationis uerbum fratribus adunatis quis eorum proponeret : nutu dei factum est : ut omnes loqui renuerent : et omninó se ad hoc imparatos asserent . Tunc demum ad Aatonium† idem minister instigante se fortiter spiritu conuersus est : cumque de eius scientia nihil sibi constaret : in hoc opus appellat : ut proponat in medium fratribus : quidquid illi spiritus suggereret : Ad quod se minus idoneum humiliter seruus dei respondit : quippe quia exercitatior habebatur in abluendis coquinæ utensilibus . cæterisque huiusmodi uilitatis officiis quam in exponendis diuinorum eloquiorum

mysteriis . Sed quid immorer multis : plane cum tantam de super gratiam accepisset : ut memoria pro codicibus uteretur : nullum tamen aliud in eo scientiæ perpendebatur indicium : nisi quod pauca tantum litteraliter loquebatur . Denique quanta poterat uirtute renitens contraire tamen imperanti non ualuit : Et licet inuitus ad extremum tamen consentiens cum timore domini primo simpliciter fari cœpit . Sed cuius lucernam dudum sub modio positam et nunc super candelabrum dominus statuere uoluit : tanta ex progressu sermonis uerborum luculentia tantaque mysticarum sententiarum profunditas eluxit : ut nimirum extemporanea oratione cuncti qui aderant uæhementer mirarentur : et uix audisse se talia faterentur . Non modica igitur fratres consolatione repleti uenerabantur eum . deinceps in uiro reuelatam diuinitus supernæ sapietiæ† claritatem . et deinceps in uiro reuelatam nihilominus humilitatis iam probatæ uirtutem excollebant . Non multo post ad aures | generalis ministri res gesta peruenit : qui mox in publicum prodire Antonium compellens : officium sibi prædicationis iniunxit . Et quidem digne uerbi ministerio traditur : quippe qui diuina sapientia pollens : pauperum in collegio primitus pauper spiritu iam probatus sibi honorem impudenter non accipit : sed uocatus . At uero ne facta diuinitus hæc uocatio dubitetur : ex ipsius hoc incolatu pariter et morte probatur . Constitutus uero in hac peregrinationis miseria et uita floruit et doctrina : quarum prior idest uita uoluntaria uilitas simplex innocentia curaque discipline commendatur . Altera uero quæ est doctrina zelo iuncta caritas ueritas et modestia comprobatur.. Sed hæc omnia quam excellenter in ipso claruerint : quoniam per singula breuiter explicare non possem : tangam tamen succinte : quomodo cunctis æqualiter annunciauerit ueritatem . Hæc siquidem uirtus in ipso claruit in oculis omnium : quæ quidem miraculis fortior est : quia illa plærumque fallaciter in uita decipiunt . Hic itaque sanctus in doctrinæ poculis mirabiliter afluens tanto iustitiæ libamine singulis sua reddebat : quod siue magnis loqueretur siue paruulis : æque cunctos ueritatis iaculo feriebat . Nempe qui iam antea calicem passionis tam auido corde sitierat : nullius magnitudini nec metu mortis pro ueritate cedebat : sed miranda strenuitate etiam magnatorum tyrannidi resistebat . Tanta namque quosdam repræhensibiles et qui in amplo essent gradu corripuit seueritate : ut alii plærumque clari prædicatores hoc audientes ad intrepidam uiri constantiam trepidarent : et quodam pusillanimitatis rubore perfusi longe abesse potius quam adesse nolentes† confusas manu uel ueste frontes obducerent . Erat tamen sermo ipsius pro diuersis opportunitatibus semper in gratia sale conditus . Erat inquam gratiosus pariter et seueriis† : ut audientibus simul amorem ingereret ac timorem . Sic igitur huius peregrinationis incolatus doctrina et uita præclarus diuinam in sancto uocationem euidentissime probat : quam ut in fine patebit multiplex post mortem miraculorum claritas necessaria conclusione confirmat . Antonius itaque præ || dicandi auctoritate sucepta† officium sibi iniunctum non segniter exequi studuit : sed quietem heremi qua sibimet hactenus inuigilauerat : iam tunc in laborem insolitum pro fraterna ædificatione conuertit . Nam longe lateque per ciuitates et rura circuiens uerbum uitæ feruentissime prædicauit : cælitusque instructus in omnibus pro diuersitate audientium singulis congruentia sibi proposuit . Mirabantur autem in eo uiri litterati tantam ingenii subtilitatem linguamque adeo disertam . discurrente autem eo et ob animarum zelum requiem sibi prorsus negante : contigit eum ad ciuitatem ariminensem cælitus applicuisse : Vbi cum multos hæretica cerneret prauitate delusos : conuocato mox totius ciuitatis populo in feruore spiritus prædicare cœpit : Et qui philosophorum non nouerat argutias : uersuta hereticorum dogmata sole lucidius confutauit . Ita demum uerbum eius et doctrina salutaris in cordibus audientium radices fixit : ut eliminata erroris spurcitia non parua credentium turba domino fideliter adhæreret : In quibus hæresiarcham Bonillum nomine ab annis triginta errore infidelitatis abdutum per seruum suum Antonium dominus ad uiam ueritatis conuertit : qui et accepta pœnitentia mandatis sanctæ ecclesiæ romanæ usque in finem obtemperauit . Post hæc autem cum urgente familiari causa minister ordinis seruum dei Antonium ad curiam destinasset : tali eum fauore apud uenerables† ecclesiæ principes donauit altissimus : ut a summo pontifice et uniuersa cardinalium multitudine ardentissima deuotione illius audiretur prædicatio . Nempe talia et tam profunda de scripturis facundo eructabat eloquio : ut ab ipso domino Papa familiari quadam prærogatiua

archa testamenti uocaretur . Sermo namque ipsius in gratia sale conditus non mediocrem audientibus gratiam conferebat . Mirabantur maiores uirum pubetenus idiotam spiritualia spiritalibus subtiliter comparantem . Stupebant minores peccati causas et occasiones uellentem et uirtutum mores cautius inserentem . Omnis demum conditionis ordinis et ætatis uiri congruentia sibi uitæ documenta suscepisse lætati sunt : Nulla prorsus flectebat eum personarum | acceptio . Nulla fauoris humani permulcebat opinio : sed iuxta propheticam uocem quasi plaustrum triturans rostra habens serrantia montes cominuit : et colles sicut puluerem posuit . Verum quia uirtutum æmulus hostis antiquus bonis operibus obuiare non cessat : uolens seruum inflectere : nocturnis eum illusionibus lacescere satagebat . Rem narro non fictam sed per sanctum seruum dei : dum adhuc uiueret : cuidam fratri reuelatam : cum nocte quadam circa quadragessimæ principium anno quo sancta eius anima felici transitu ad cælos migrauit : occupatione fatiscentes artus somni beneficio recrearet : ecce diabolus gutur uiri dei ausus est uiolenter comprimere : ac prænixus est suffocare . At ille inuocato gloriosæ uirginis nomine fronti signum uiuificæ crucis impræssit : fugatoque humani generis inimico confestim leuamen sensit : Cumque fugientem cernere cupiens oculos aperuisset : ecce tota in qua iacebat cella luce cælitus illustrata fulgebat : quod nimirum lumen diuinæ uirtutis auctoritate cellæ illapsum credimus : cuius radios ferre non sustinens tenebrarum cultor recedebat confusus . Anno siquidem dominicæ incarnationis . Mcc . xxxi . quarto die mensis Iunii indictione quarta beatissimus pater ac frater noster Antonius natione hispanus in ciuitate paduana in qua per eum nomen suum magnificauit altissimus : apud cælam in loco fratrum uiam uniuersæ carnis ingressus ad cælestium spirituum mansionem feliciter transmigrauit . Hic cum quadam die a cella sua quam in nuce construi fecerat : uocante ut uulgo aiunt campana : ad horam prandii descendisset : cum fratribus cæteris ex more discubuit . Facta est autem ibi super eum manus domini : totius corporis uiribus cœpit repente destitui . Crescente igitur infirmitate pro uitando fratrum apud quos morabatur grauamine : sanctus pater currui imponitur paduam deducendus . Fratribus tamen loci pro uiribus renitentibus ne ad locum alterum deferretur : quia tamen beatissimum patrem Antonium hoc uelle cernebant : inuiti negotio cesserunt : Cumque appropinquasset ciuitati : occurrit || ei uir quidam religiosus et bonæ famæ Inuotus nomine : qui uisitandi gratia ibat ad uirum dei : Quem cum cerneret aggrauatum iacore† nimia infirmitate : rogare cœpit : ut diuerteret ad domum fratrum : Erant enim ibi fratres prope monasterium dominarum pauperum commorantes : et iuxta consuetudinem ordinis illius diuina administrantes . Seruo igitur dei beato Antonio in cella cum fratribus constituto aggrauata est super eum uæhementius manus mediocris signa dabat anxietatis : Cumque paruo temporis spatio quieuisset : facta confessione necnon et accepta absolutione hymnum gloriosæ uirginis mariæ cantare cœpit : ac dicere : O gloriosa domina excelsa supra sydera . Quo dicto erectis mox in cælum oculis attonitisque luminibus in directum prolyxius respiciebat : quem cum frater qui eum sustentabat : quid cerneret interrogasset : Respondit : uideo dominum meum . Cumque dimidiam fere horam : postquam inunxerant eum fratres oleo sacro : substitisset : sanctissima illa anima corporis ergastulo soluta in abyssum claritatis absorta est . corpus uero dormientis omnino speciem prætendebat . Nam et manus in candorem conuersæ pristini coloris pulchritudinem uicere : Cætera uero membra pro contrectantium libitu ductibilia se præbebant : oh uere sanctum altissimi seruum : qui uno tempore uiuere meruit et deum uidere . Oh sanctissimam animam : quam et si crudelitas persecutoris non abstulit : desyderium tamen martyrii et compassionis gladius eum millies pertransiuit . Te ergo digne pater deuotionis hostiis prosequentes benignus assumme : et quibus per se nondum licet accedere : uultui dei pro nobis precator assiste : cui honor est et gloria in sæcula sæculorum Amen . Fratribus igitur studiossissime ab extraneis et ab amicis ac notis cautissime felicem eius transitum celantibus : ne populorum sequentium premeretur incursu : pueri per ciuitatem cateruatim incedentes clamabant dicentes : Mortuus est pater sanctus iterum iterumque exultantes mortuus est sanctus Antonius . Audientes autem hoc populi conglomeratis agminibus ad cellam | currunt : et artis suæ penitus obliti cuius beneficio uictum suum consequi debuissent : quasi apes locum fratrum circundant . Præ cæteris uero ciues qui caput pontis

inhabitant in multitudine graui et copiosa fortium iuuenum ocius aduolant : et mox armata manu custodes in gyro ponunt . concitatur uniuersa ciuitas eo maxime : quod delictum in communem omnium redundabat iniuriam . Adhuc autem illis uociferantibus auditum est : ciues qui australem plagam inhabitant armata manu comminus aduenisse . At ciues capitis pontis hoc audientes ex aduerso ordinatis pugnatorum cuneis parati ad prælium stabant : si uel domos eorum cæteri tangerent uel beati Antonii corpus ad locum alium deportarent . Sed qui non obliuiscitur misereri deus adiutor factus est in opportunitatibus . Nam et qui prouidentiæ suæ dispositione non fallitur : ad maiorem suæ gloriæ cumulum gentes ad modicum turbari permisit : ut mirabiliore fine concluderet : quod facere disponebat . Post hæc autem pacificato populo episcopus cum uniuerso clero et potestas cum grandei† ciuium multitudine ad cellam conuenerunt : et ordinatis processionibus corpus beati Antonii cum hymnis et laudibus spiritalibus per medium capitis pontis ad ecclesiam sanctæ dei genitricis mariæ cum mira exultatione omnium transportarunt : Cumque ibi uentum fuisset finita processione : episcopus celebratis missarum solemniis beati Antonii corpus honorifice condidit : ac solutis humanitatis exequiis cum exultatione ad propria remeauit . Statim autem eodem die quo sepultum fuit : quam plures allati sunt uariis infirmitatibus detenti : qui mox beati Antonii meritis pristinæ restituti sunt sanitati : quamcito enim infirmus aliquis arcam tetigerat : mox depositus ab omni morbo liberatum se esse gaudebat . Qui uero præ multitudine uenientium infirmorum coram arca manere non poterant : extra hostium ecclesiæ delati uidentibus cunctis in platea salui fiebant . Ibi re uera cæcorum oculi aperti sunt . Ibi aures surdorum patent . Ibi claudus sicut ceruus salit . Ibi solutæ sunt mutorum linguæ uelociter : et plane dei laudes accla || mant . Ibi etiam dissoluta paralyxi membra in usus pristinos solidantur . Ibi gibbus gutta febris et morborum pestes uariæ mirabiliter effugantur . Ibi denique optata fidelibus beneficia quæque præstantur . Salutarem suæ petitionis affectum† ex diuersis mundi partibus uenientes uiri fœminæque consequuntur.

PASSIO BEATI ANDREAE APOSTOLI .

Diacones ecclesiarum Acahie† scripsimus uniuersis ecclesiis : quæ sunt in oriente et occidente et meridiano et semptentrionem in Christi nomine constitutæ : pax uobis et uniuersis : qui credunt in unum eum† et in trinitatem perfectam : Verum patrem ingenitum : et uerum filium unigenitum et uerum spiritum sanctum procedentem ex patre et filio : et hoc esse unigenitum filium : quod est : et ille qui genuit : hanc fidem didicimus a sancto Andrea apostolo domini nostri Iesu christi : cuius passionem : quam coram positi uidimus : prout possumus explicicemus† . Proconsul itaque Aegeas Patras ciuitatem ingressus cœpit compellere credentes in Christum ad sacrificia idolorum : Cui occurrens sanctus Andreas dixit : Opportebat quidem te : qui iudex esse hominum comprobaris : iudicem tuum qui est in cælis cognoscere : et agnitum colere : et colendo eum : qui uerus deus est : ab his qui ueri dii non sunt animum reuocare . Cui Aegeas dixit : Tu es Andreas : qui destruis templa deorum : et suades hominibus superstitiosam sectam : quam nuper delatam romani principes exterminari iusserunt? Andreas respondit : romani principes nondum cognouerunt ueritatem : et hoc quod pro salute hominum ueniens dei filius docuerit : ista idola non solum deos non esse sed esse dæmonia pessima humano generi inimica : quæ hoc docent homines : unde offendatur deus : et dum offensus fuerit auertatur : et non exaudiat : et cum auersus fuerit : et non exaudierit : teneantur ipsi cum diabolo captiui : et tandiu eos deludit : quandiu de cor | pore exeant rei et nudi : nihil secum præter peccata portantes : Aegeas dixit : ista superstitiosa et uana uerba sunt : Nam Iesus uester dum hæc prædicaret : Iudei illum crucis patibulo affixerunt . Andreas respondit : O si uelis scire mysterium hoc crucis quam rationabili caritate auctor humani generis pro restauratione nostra hoc crucis patibulum non inuitus sed sponte suscepit . Aegeas autem tunc dixit : Cum traditus asseratur a discipulo suo : et a Iudeis tentus : et ante præsidem adductus : ad petitionem iudeorum a militibus sit crucifixus : quomodo tu dicis spontaneum crucis subisse patibulum?

Andreas respondit : Ideo ego dico spontaneum : quoniam simul cum ipso fui : cum a suo discipulo traderetur : et ante quam traderetur : dixit nobis : quod tradendus esset et crucifigendus pro salute hominum : et die tertia resurrecturum se esse prædixit : Cui cum frater meus Petrus diceret : propicius esto tibi domine : non fiat istud. Indignatus ait illi : uade retro a me sathana : quia non sapis ea : quæ dei sunt : sed quæ hominis : et ut plenius nos instrueret : quod sponte passionem suciperet† : dicebat nobis : potestatem habeo ponendi animam meam : et potestatem habeo iterum summendi eam : Ad ultimum dum cenaret nobiscum : et diceret nobis : unus uestrum me traditurus est : et ad istam uocem omnes contristaremur : ne suspensos cogitatio trucidaret : ait : cui dedero panis fragmentum de manu mea : ipse est : Cumque dedisset uni ex condiscipulis nostris : et futura quasi præterita iam narraret : dixit se uoluntate tradendum : qui nec traditorem fugiendo deseruit : et in loco in quo illum sciebat uenturum esse permansit . Aegeas dixit : miror te prudentem uirum : istum uelle sectari : quem quocumque pacto aut sponte aut inuitum cruci tamen confiteris affixum . Andreas respondit : hoc est mirum : quod me dixisse iam retines : magnum esse mysterium crucis : quod mysterium si forte uolueris audire retexam : Aegeas dixit : mysterium non potest diei sed supplicium . Andreas respondit : ipsum supplicium restaurationis mysterium esse humani generis si patienter audias comprobabis . Aegeas dixit : ego || quidem patientes† audiam . Sed tu si non me obtemperanter audieris : ipsum mysterium crucis in temetipsum excipies . Andreas respondit : Ego si patibulum crucis expauescerem : crucis gloriam non prædicarem : Aegeas dixit : Insanus sermo tuus prædicat crucem supplicii : quia per audaciam pœnam mortis non times . Andreas respondit : Non per audaciam sed per fidem non timeo pœnam mortis : mors enim iustorum preciosa. Mors autem peccatorum pessima . Et ideo audire te uolo crucis mysterium : ut agnitum credas : et credens ad restaurationem tuæ animæ quocumque pacto pertingas . Aegeas dixit : Restauratur hoc : quod perisse docetur . nunquid anima mea periit : ut ad eius restaurationem oporteat me uenire per fidem nescio quam tu afferis ? Andreas respondit : Hoc est : quod te discere desyderabam : ut dum perditas animas hominum doceo : istam restaurationem earum per crucis mysterium pandam . Primus enim homo per lignum præuaricationis mortem induxit : et necessarium erat generi humano : ut per lignum passionis mors quæ ingressa fuerat pelleretur . Et quoniam de immaculata terra factus fuerat homo primus : qui per lignum præuaricationis mundo mortem intulerat : necesse erat : ut de immaculata uirgine natus perfectus homo id est dei filius : qui primum fecerat hominem : uitam æternam quam perdiderant homines per Adam repararet : ac de ligno crucis lignum concupiscentiæ excluderet : penderentque in cruce immaculatæ manus pro manibus incontinenter extensis : et pro suaui cibo arboris uetitæ escam fellis acciperet : et in se suscipiens mortalitatem nostram : suam nobis immortalitatem offerret . Aegeas dixit : ista uerba illis narrare potes : qui tibi credunt : mihi autem nisi hoc consentias : ut sacrificium diis omnipotentibus offeras : in ipsa cruce quam laudas et fustigatum affigi præcipiam . Andreas respondit : omnipotenti deo qui uiuus et uerus est ego omni die sacrifico non turis fumum nec taurorum mugientium carnes nec hyrcorum sanguinem : sed immaculatum agnum in altari crucis sacrifico : cuius carnes posteaquam omnis populus cre | dentium manducauerit : et eius sanguinem biberit : agnus qui sacrificatus est integer perseuerat et uiuus : et cum uere sacrificatus sit : et uere carnes eius manducatæ sint a populo : et sanguis eius sit bibitus : tamen ut dixi integer permanet et immaculatus et uinus . Aegeas dixit : quomodo potest hoc fieri ? Andreas respondit : Si uis scire : quomodo possit fieri : assumme formam discipuli : ut possis doceri : quod quæris : Aegeas dixit : ego a te tormentis exigo huius rei noticiam . Andreas respondit : miror te prudentem hominem ad tantam stulticiam deuolutum : ut putes tormentis me tibi diuina pandere sacramenta . Audisti mysterium sacrificii . Si credideris Christum filium dei : qui crucifixus est a iudæis uerum dominum esse : pandam tibi : quo ordine occisus uiuit agnus : qui cum sacrificatus fuerit et comestus : integer tamen et immaculatus in suo regno permanet . Aegeas dixit : et quomodo agnus in suo regno permanet : cum sit occisus : et ab omni populo ut asseris comestus ? Andreas respondit : Si credideris ex toto corde tuo : discere poteris : Si uero non credideris nunquam penitus tu ad indaginem huius ueritatis attinges . Tunc iratus Aægeas iussit eum in carcerem recludi : ubi dum esset inclusus : uenit ad eum multitudo pene totius prouinciæ ita :

ut Aegeam uellent occidere : et Andream fractis ianuis liberare : quos sanctus Andreas his uerbis ammonuit dicens : Nolite quietem domini nostri Iesu christi in sedicionem diabolicam excitare . Nam traditus dominus omnem patientiam præbuit . non clamauit . non contendit : nec in plateis eum aliquis clamantem audiuit . habete silentium et pacem : et non solum meum martyrium nolite impedire : uerum etiam et uos ipsos quasi athletas domini præparate : ut uincatis minas intrepido animo : plagas autem per tolerantiam corpus[†] superetis . Si enim terror timendus est : ille est utique metuendus : qui finem non habet . Nam humanus timor fumo similis est : et subito cum extinctus fuerit euanescit : et si dolores timendi sunt : illi sunt utique metuendi : qui incipiunt : et nunquam finiuntur . Isti enim dolores aut leues sunt : et tolerari possunt | aut graues sunt . et cito animam eiiciunt . Illi autem dolores æterni sunt . ubi est quottidianus fletus et mugitus et luctus : et sine fine cruciatus : ad quem Aegeas procedere non timet . Ergo magis estote parati ad hoc : ut per tribulationes temporales ad æterna gaudia pertingatis . semper lætemini . semper floreatis : semperque cum Christo regnetis . Hæc et his similia sancto Andrea apostolo Christi per totam noctem populum ammonente : lux diei mane rupit . Tunc iussit Aegeas : et fecit ad se adduci sanctum Andream : sedensque pro tribunali dixit : existimaui te nocturna cogitatione animam tuam reuocare a stultitia : et a Christi tui laude cessare : ut possis nobiscum non amittere gaudia uitæ . Stultum est enim ultro uelle ad passionem crucis ire : et ignibus et flammis se ipsum pessimis destinare . Andreas respondit : Gaudia tecum habere potero si credens Christo amittas culturam idolorum . Christus enim me misit ad istam prouinciam : in qua non paruum populum domino acquisiui . Ageas[†] dixit : Ideo te sacrificare compello : ut isti qui per te decepti sunt populi : relinquant uanitatem tuæ doctrinæ : et ipse diis offeras grata libamina . Nulla namque remansit in Achaia ciuitas : in qua non templa deorum derelicta sint et deserta : et nunc per te restauretur cultura deorum : uti et dii qui contra te irati sunt placari possint : et in nostra possis permanere amicicia : Sin autem diuersa pro deffensione deorum patieris supplicia : Et post omnia crucis : quam laudasti patibulo suspensus defficies . Andreas respondit : Audi fili mortis et stippula æternis parata incendiis. Audi me seruum dei et apostolum Iesu christi . Nunc usque mitius tecum egi censura fidei et rationis capax et ueritatis defensor effectus : ut ydola uana contempneres : et dominum qui in cælis est adorares : Sed quia in impudentia tua perdurans me putas minas tuas formidare posse : quidquid tibi uidetur in suppliciis magis excogita . Tanto enim meo regi ero acceptior : quanto pro eius nomine fuero permanens in tormentis confessor . Tunc Aegeas iussit eum tormentis cædi : | et extensus in equuleo : cum septem terniones transissent eleuatus est atque adductus ante eum : Cui Aegeas dixit : Audi me Andrea : et ab effusione tui sanguinis consilium reuoca : quod si non feceris : crucis te faciam interire patibulo . Andreas respondit : ego crucis Christi seruus sum : et crucis tropheum optare potius debeo quam timere . Tu autem cruciatus æternos qui tibi debentur poteris euadere : si postquam probaueris perseuerantiam meam : uel sic credideris Christo . ego enim de tuo interitu timeo non de mea passione conturbor . passio enim mea aut unius diei spatium occupat aut duorum aut multum trium . tuus autem cruciatus nec per millia annorum peruenire poterit ad finem : Vnde iam desine miserias tuas augumentare : et ignem tibi tu ipse in æternum accendere . Tunc indignatus Aegeas cruci eum affigi præcepit mandans quæstionariis : ut ligatis pedibus et manibus quasi in uehiculo tenderetur : ne clauis affixus cito deficeret : sed cruciaretur potius longo cruciatu . Cumque eum carnifices ducerent : concursus factus est populorum clamantium et dicentium : Iustus homo et amicus dei quid fecit : ut ducatur ad crucem . Andreas uero rogabat populum : ne impediret passionem eius gaudens enim et exultans ibat : et a doctrina non cessans . Cum ergo peruenisset ad locum : ubi crux parata erat : uidens eam a longe exclamauit uoce magna dicens : Salue crux pretiosa : quæ in corpore Christi dedicata es : et ex membris eius tanquam margaritis ornata : ante quam in te ascenderet deus timorem terrenum habuisti : modo uero amorem cælestem : obtinensque uoto suspenderis . Scires enim a credentibus : quanta in te gaudia habeas : quanta munera præparata . Securus ergo et gaudens uenio ad te : ita ut et tu exultans suscipias me discipulum eius : qui pependit in te : quia amator tuus semper fui : et desideraui amplecti te . O bona crux : quæ decorem et pulchritudinem de membris domini suscepisti diu desyderata solicite quæsita et iam concupiscenti

animo præparata accipe me ab hominibus : et redde me magistro meo : ut per te me recipiat : qui per te me redemit : Et hæc dicens ex || poliauit se : et uestimenta sua tradidit carnificibus : qui accedentes leuauerunt eum in cruce et extendentes funibus corpus eius sicut eis iussum fuerat suspenderunt stantibus turbis fere uiginti millium : inter quos Aegeas frater nomine Stratocles simnl† clamabat cum populo : iniusto iudicio sanctum uirum hoc pati . Sanctus uero Andreas tantum in domino confortabatur tolerantia temporali : docens : nihil esse dignum passionis ad remunerationem compensationis æterne . Interea uadit omnis populus cum clamore ad domum Aegeæ omnes pariter clamantes et dicentes : uirum sanctum . pudicum . ornatum moribus . bonum doctorem . pium modestum rationabilem non debere hoc pati : sed debere deponi de cruce : quia iam secunda die in cruce positus ueritatem prædicare non cessat . Tunc Aegeas expauescens populum : et promittens eum deponi simul cum populo ire cœpit : quem uidens sanctus Andreas dixit : quid tu ad nos Aegea uenisti? Si uis credere Christo sicut promisi : aperietur tibi uia indulgentiæ : si autem uenisti ad hoc tantum : ut me soluas : ego penitus hinc de ista cruce uiuens in corpore deponi non potero . Iam enim regem meum uideo . iam adoro . iam in conspectu eius consisto . ubi angelorum concordia . ubi ipse solus imperator regnat . ubi lux sine nocte est . ubi flores nunquam marcescunt . ubi dolor nunquam sentitur . Vbi tristitia audita non est . ubi læticia et exultatio finem non habent . O crux benedicta sine amore tuo ad illam regionem nullus ingreditur : sed de tuis miseriis Aegea doleo : quia paratus expectat te æternus interitus . Curre miser : dum potes adhuc : ne tunc incipias uelle : cum non poteris . Mittentes autem manus ad crucem carnifices non poterant contingere eum : et exinde alii atque alii ingerentes se : ut eum soluerent : nullus poterat pertingere ad eum . Stupebant enim brachia eorum : quicumque se extendissent ad soluendum illum . Tunc beatus apostolus adiurans populum dixit : Oro uos omnes fratres : ut prius unam orationem ad dominum nostrum fundam : et ita me solui patimini eo quoque adiuuante† acquieuit plebs . Tunc beatus | Andreas apostolus cum ingenti clamore dixit : Non me permittas domine famulum tuum ex hac hora a te seperari . tempus enim est : ut commendes terre corpus meum : et me ad te uenire præcipias : qui uitam tribuis sempiternam . Tu es magister meus ipse : quem dilexi : quem uidi : quem secutus sum : quem cognoui : quem in ista cruce confiteor : Et sicut ego te uno uerbo audiui : sic in isto uerbo me modo exaudi : et antequam corpus meum de cruce soluatur : assumme me . Tunc sanctus Andreas uoce magna dixit : Domine Iesu Christe magister bone iube me de ista cruce non deponi : nisi ante spiritum meum susceperis : Et cum hoc dixisset uidentibus cunctis splendor nimius sicut fulgur de cælo ueniens : ita circundedit eum : ut potius præ ipso splendore occuli eum humani non possent aspicere : Cumque permansisset splendor fere dimidiæ hore spatio abscedente lumine emisit spiritum : simul cum ipso lumine pergens ad deum . Tunc Maximilla quædam potentissima matronarum in specula posita statim ut cognouit apostolum perrexisse ad dominum : accessit ad crucem : et suorum solatio cum omni reuerentia deposuit corpus eius : condiuitque aromatibus : et in loco quo se constituerat sepelliendam eum sepeliuit . Aegeas uero iratus contra populum disponebat contestationem publicam facere : Et ad Cæsarem accusationem contra Maximillam et populum destinare . Sed cum hæc ordinat : in conspectu officii sui a diabolo arreptus est : et medio foro ciuitatis uolutatus expirauit : Cumque nuntiatum esset fratri eius cui nomen erat Stratocles quam miserabiliter Aegeas uitæ suæ finem fecisset : sic ait : quæ tua sunt : tecum pergant Aegea in perditionem : mihi autem sufficit unus dominus meus Iesus christus : quem per Andream famulum eius cognoui . Tunc misit seruos suos : et dixit eis : ut inter Biothanatos sepelirent eum . Ipse autem de facultatibus eius nihil quæsiuit : dicens : non mihi permittat dominus meus Iesus Christus cui credidi : ut ego de bonis fratris mei aliquid contingam : ne me polluat crimen eius : qui apostolum dei ausus fuit amore pecuniæ || occidere . Hæc autem gesta sunt in Achaya prouincia ciuitate patras pridie calendas decembres : Vbi etiam prestantur beneficia gloriosa usque in præsentem diem . Tantus autem timor inuasit uniuersos : ut nullus remaneret : qui non crederet saluatori nostro deo : qui uult omnes saluos fieri : et ad agnitionem ueritatis uenire : Ipsi gloria et imperium in sæcula sæculorum .

DE VIRGINE QVADAM ANTIOCHENA .

Virgo quædam Antiochiæ fuit : cuius hystoriam Ambrosius in secundo libro de uirginibus recitat : in hæc uerba : Antiochiæ nuper uirgo quædam fuit fugitans publici uisus : sed quo magis uirorum uitabat occulos : aspectus eo incendebat etiam pudicos pulchritudo eius audita : nec uisa plus desideratur . duobus stimulis cupiditatum amoris et cognitionis : dum et nihil occurrit : quod minus placeat : et plus putatur esse : quod placeat : quod ubi iudex oculus explorat : sed animus amator exoptat . Itaque sancta uirgo : ne diutius alerentur pociendæ sepæ cupiditates : integritatem pudoris professa sic restrinxit improborum faces : ut iam non amaretur : sed perderetur : Ecce persecutio . puella fugere nescia . certare pauida . ne incideret in insidiatores pudoris : animum ad uirtutem parauit : tam religiosa : ut mortem non timeret : tam pudica : ut mortem expectaret . uenit enim corone dies : maxima omnium expectatio . producitur puella duplex professa certamen : et castitatis et religionis : Sed ubi uiderunt constantiam professionis metu pudoris paratam ad cruciatum : erubescentem ad aspectum : excogitare cœperunt quemadmodum spe castitatis religionem collerent† : cum id abstulissent quod etiam erat amplius : etiam id eriperent : quod derelinquerent : aut sacrificare uirginem : aut lupanari prostitui iuberent . Quomodo colluntdeos suos : qui sic uindicant : aut quemadmodum ipsi uiuunt : qui ita iudicantur . hæc puella non quo de religione ambigeret : sed quo de pudore | trepidaret ipsa secum inquit : Quid agimus hodie : aut martyr aut uirgo altera nobis inuidetur corona . Sed nec uirginis nomen agnoscitur : Sed uirginitatis auctor negatur . Nam quemadmodum uirgo : si meretricem colas : quem admodum† uirgo : si adiutorium diligas : quemadmodum uirgo si amorem petas . Tolerabilius est mentem ipsam uirginem quam carnem habere : utrumque bonum si liceat . si non liceat : saltem non homini castæ sed deo simus : et Raab merentrix† fuit . sed postquam deo credidit : salutem inuenit : et Iudit se ut adultero placeret ornauit : Quod tamen quia hæc religione non amore faciebat nemo eam adulteram iudicauit : Vnde successit exemplum : Nam si illa quæ se commisit religioni : et pudorem seruauit et patriam fortasis : et nos seruando religionem seruabimus etiam castitatem : quod si pudicitiam religioni præferre uoluisset : perdita patria etiam pudicitiam perdidisset . Itaque talibus informata exemplis simul animo tenens uerba domini quibus ait : quicumque perdiderit animam suam propter me inueniet eam . fleuit et tacuit ne eam illis loquentem adulter audiret : nec pudoris elegit iniuriam sed Christi recusauit . Extimate utrum adluterare† potuerit corpus : quæ nec necesse adulterauit . Iam dudum uerecundabatur oratio mea : et quare adire gestorum seriem criminosam atque explanare formidat . Claudite aures uirgines dei : uirgo profiteri potest adulterari non potest . Vbicumque uirgo dei est : templum est . nec lupanaria infamant castitatem : sed castitas etiam loci abolet infamiam . Iungens petulantium decursus ad fornicem . Discite martyrum miracula sancte uirgines . Discite locorum uocabula : clauditur intus columba . strepunt accipitres : forisque certant singuli : qui prædam primus inuadat : At illa manibus ad cælum leuatis quasi ad domum orationis uenisset non ad libidinis diuersorium : Christe inquit domuisti uirgini feros leones potes domare et hominum feras mentes . Chaldæis rorauit ignis . Iudæis se unda suspendit . misericordia tua . non natura sua . Susana ad susplicium† genu fi ‖ xit . et de alulteris† triumphauit . Aruit dextera : quæ templi tui dona uiolabat . Nunc templum attentatur ipsum ne patiaris incœstum sacrilegii : qui non passus es furtum . benedicatur et nunc nomen tuum : ut quæ ad adulterum† ueni : ubi ego descendam? uix compleuerat orationem : et ecce uir militis spetie terribilis irrupit . quemadmodum enim uirgo tremuit : cum populus tremens cessit : Sed non illa immemor lectionis Daniel inquit supplicium Susanæ spectaturus aduenerat : et quam populus damnauerat : unus absoluit : potest et in hoc lupi habitu ouis latere . habet et Christus milites suos : qui etiam legiones habet : ut fortasse percussor intrauit? Ne uerearis anima : et tales solent martyres facere : Cui miles : O uirgo fides tua te ipsam saluam fecit : Quæso : ne paues† soror : frater huc ueni saluare animam non perdere . Serua me : ut ipsa serueris : quasi adulter ingressus : si uis martyr egrediar . uestimenta mutemus . Conueniunt mihi tua et mea tibi : sed uterque Christo . Tua uestis

me uerum militem faciet et mea te uirginem . Bene tu uestieris . ego melius exuar : ut persecutor me agnoscat . Summe habitum qui abscondat fœminam : trade qui consecret martyrem . Indue chlamydem : quæ occultet membra uirginis : seruet et pudorem . Summe pileum : qui tegat crines : abscondat ora . Solent erubescere : qui lupanar intrauerunt . Sane cum egressa fueris : ne respicias retro memor uxoris Loth : quæ naturam suam : quia impudicos licet castis oculis aspexit : amisit : Nec uereare : ne quid pereat sacrificio . Ego pro te hostiam deo reddo : tu pro me militem Christo habens bonam militiam castitatis : quæ stipendiis militat sempiternis : loricam iustitiæ quæ speciali munimine corpus includat : Scutum fidei quo uulnus repellas . Galeam salutis . ibi enim est præsidium nostræ salutis : ubi Christus : quoniam mulieris caput uir : uirginis Christus : et inter hæc uerba chlamydem exuit . Suspectus tamen adhuc habitus et persecutoris et adulteri : uirgo ceruicem : chlamydem cœpit miles offerre . quæ pompa illa ? quæ gratia illa ? cum in lupanari de martyrio certarent ? addantur personæ miles | et uirgo : hæ dissimiles inter se natura : sed dei miseratione consimiles : ut compleatur oraculum : Tunc lupi et agni simul pascentur . Ecce agna et lupus non solum simul pascuntur : sed etiam immolantur . Quid plura ? mutato habitu euolat puella de laqueo iam non suis alis : ut pote quæ spiritualibus ferebatur : et quas nulla unquam uiderunt sæcula : egreditur de lupanari uirgo : sed Christi . At illi qui cernebant oculis non uidebant corde ceu raptores : ad agnam lupi . Vnus qui erat immodestior introiuit : Sed ubi hausit occulis rei textum : quid inquit est ? puella ingressa est . uir uidetur . Ecce non fabulosum illud cerua pro uirgine : sed quod uerum est : miles ex uirgine . At etiam audieram : et non credideram : quod aquas Christus in uina conuertit : iam mutare cœpit et sexus . recedamus hinc : dum adhuc quod fuimus : sumus . Nunquid et ipse mutatus sum : qui aliud cerno : quam credo ? ad lupanar ueni . cerno uadimonium : et tamen mutatus egrediar : pudicus exibo : qui adulter intraui . Iudicio rei : quia debebatur tanto corona uictori : damnatus est pro uirgine : qui pro uirgine depræhensus est . Ita de lupanari non solum uirgo : sed etiam martyres exierunt . Fertur puella ad locum supplicii concurrisse : certasse ambos de nece : Cum ille diceret : ego sum iussus cædi : te absoluit sententia : quando me renuit . At illa clamabat : non ego te uadem mortis elegi : sed præsidem pudoris optaui . Si pudor : quare manet sexus ? si sanguis exposcitur : fideiussorem non desydero : habeo unde soluam . In me lata est ista sententia : quæ pro me lata est . Certe si pecuniæ te fideiussorem dedissem : absente me iudex tuum censum fœneratori adiudicasset . eadem me sententia conuinceres : meo patrimonio soluerem tuos nexus . Si recusarem : quis me indignam morte censeret : quanto maior capitis huius usura . moriar innocens : ne moriar nocens . nihil medium est . hodie aut rea ero tui sanguinis : aut martyr mei : si cito redii : quis me audeat excludere : si moram feci : quis audeat absoluere ? plus legibus debeo rea non solum fugæ meæ sed etiam cædis alienæ || sufficiant morti : quæ non sufficiebant iniuriæ : Et in uirgine uulneris locus qui non erat contumeliæ . ego obprobrium declinaui non martyrum† . tibi cessi uestem non professionem mutaui : quod si mihi præripis mortem : non redemisti me : sed circumuenisti . Caue quæso ne contendas . Caue ne contradicere audeas . Noli eripere beneficium : quod dedisti : dum mihi hanc sententiam negas . illam restitui superiorem . sententia superiore mutatur . Si posterior . me non tenet : superior tenet . possumus utrique sacrificare sententie : Sed me prius patiaris occidi . In te habent aliam quam exerceant pœnam in uirgine obnixius pudorem . Itaque gloriosior eris : si uidearis de adulterio martyrem fecisse : quam de martyre adulteram redidisse . Quid expectatis : quo contendunt : et ambo incurrunt : nec diuisa est corona : sed addita . ita sancti martyres inuicem sibi beneficia conferentes . Altera principium martyrio dedit alter effectum . At etiam phylosophorum gymnasia Damonem et Sitiam pythagoreos incolas ferunt : quorum unus cum esset morti adiudicatus commendandorum suorum turpe poposcit . Tiramnus autem astutissimus qui reperiri non posse exstimauit : pettiuit ut sponsorem daret : qui pro se feriretur : si ipse faceret moram . quod de duobus præclarius nescio : utrumque præclarum . alter uadem mortis inuenit . alter se obtulit . Itaque cum reus moram supplicio faceret : fideiussor sereno uultu mortem non recusauit . Dum duceretur : amicus reuersus est : ceruicem substituit . colla subiecit . Tunc admiratus tiramnus cariorem philosophis amiciciam quam uitam fuisse : petiuit : ut ipse ab ipsis quos damnauerat in amiciciam reciperetur : tantam uirtutis esse gra-

tiam et tyramni inclinaret digna laude sed minora nostris . Nam illic ambo uiri . Hic una uirgo . qui primo etiam sexum uinceret . Illi amici . Isti in cogniti . Illi tyramno se obtulerunt . Isti tyramnis pluribus etiam crudelioribus quod :† ille pepercit isti occiderunt . Inter illos in uno obnoxia necessitas . In hiis Amborum uoluntas libera . hoc quoque illi prudentiores : quod illis studium : finis amicitiæ gratia . Isti corona marty | rii . Illi enim certauerunt hominibus . Isti deo Hæc Ambrosius .

VITA SANCTI AVGVSTINI EPISCOPI ET CONFESSORIS .

Beatissimus Augustinus ex prouincia Aphricæ ciuitate thagastensi parentibus honestis et christianis progenitus fuit . alitusque et nutritus eorum cura . Impensiusque sæcularibus litteris eruditus apprimæ omnibus uidelicet disciplinis imbutus : quas liberales uocant . Nam et grammaticam prius in ciuitate sua et rethoricam in Aphricæ capite Carthagine post ea docuit . Consequenti etiam tempore transmare et in urbe Roma et apud Mediolanum : Vbi tunc imperatoris Valentiniani minoris comitatus fuerat constitutus . In qua urbe tunc episcopatum amministrabat acceptissimus deo et Hominibus uiris præclarissimus sacerdos Ambrosius . huius interea uerba dei prædicatoris Ambrosii frequentissimis in ecclesia disputationibus astans intendebat . Verum aliquando manicheorum apud Carthaginem adolescens fuerat errore seductus : et ideo cæteris suspensior aderat : ne quid pro ipsa uel contra ipsam hæresim diceretur : Et præuenit dei liberatoris clæmentia sui sacerdotis cor pertractantis : ut contra illum errorem incidentes ei soluerentur quæstiones : Atque ita edoctus sensim atque paulatim hæresis illa miseratione diuina eius ex amino pulsa est : ac protinus in fide catholica confirmatus . proficiendi in religione eidem amoris ardor innatus est : quo propinquantibus diebus sanctis paschæ salutis aquam perciperet : et factum est diuina opitulatione : ut per illum tantum ac talem uirum Ambrosium et salutarem doctrinam ecclesiæ catholicæ diuina perciperet sacramenta : Moxque et intimis cordis medulis spem omnem quam habebat in sæculo dereliquit . Iam non uxorem non filios carnis non diuitias non honores sæculi quærens : sed deo cum suis seruire statuit . in illo et ex illo grege esse studens : || quem dominus alloquitur dicens : Nolite timere pusillus grex quoniam complacuit patri uestro dare uobis regnum . uendite : quæ possidetis : et date eleimosynam . Facite uobis sacculos non ueterascentes thesaurum non deficientem in cælis et cætera : et illud quod dicit iterum dominus facere cupiens : Si uis esse perfectus : uænde omnia : quæ habes : et da pauperibus : et ueni . sequere me . Et super fidei fundamentum ædificare desyderans non ligna et stipulam sed aurum et argentum et lapides pretiosos . Erat autem tunc annis maior triginta sola superstite matre sibique adhærente et de suscepto eius proposito seruiendi deo amplius quam de carnis nepotibus exultante . Nam eius iam pater antea defunctus erat . Renunciauit etiam uiris scholasticis : quos rethor ipse docebat : ut sibi magistrum alium prouiderent : eo quod seruire deo ipse decreuisset . At inde placuit ei præcepta gratia cum aliis ciuibus et amicis suis deo pariter seruientibus ad Aphricam et propriam domum agrosque remeare Ad quos ueniens et in eis constitutus ferme triennio et a se iam alienatis cum his qui eidem adhærebant deo uiuebat in ieuiniis† et orationibus ac bonis operibus In lege domini meditans die ac nocte : et de his quæ sibi deus cogitanti atque oranti intellecta reuellabat : et præsentes et absentes sermonibus ac libris docebat : Contigit forte eodem tempore : ut quidam ex his quos dicunt agentes in rebus apud Hipponem regiam constitutus bene christianus deumque timens comperta eius bona fama atque doctrina desyderaret atque optaret eum uidere : et promittens se posse mundi huius omnes contemnere cupiditates atque illecebras : si aliquando ex eius ore dei uerbum audire meruisset : quod cum ad se fidei fuisset delatione relatum liberare cupiens animam ab huius uitæ periculis morteque æterna ad memoratam ultro atque confestim uenit ciuitatem : et hominem nisum† alocutus frequentius atque exhortatus est : quantum dominus donabat : ut quod nouerat† domino reddidisset : Ac se ille facturum de die in diem pollicebatur : nec tamen in eius tunc impleuit præsentia . Sed uacuum itaque et inane esse non potuit : quod per tale uas mundum et domino | utile ad omne opus bonum paratum in omni loco diuina agebat

prouidentia . Eodem itaque tempore in ecclesia hyponensi catholica Valerius sanctus episcopatum gerebat : qui cum flagitante ecclesiastica necessitate de prouidendo et ordinando presbitero ciuitati plebem dei alloqueretur : et exhortaretur : iam scientes uiri catholici Augustini propositum et doctrinam manu iniecta : quoniam et idem securus in populo et ignarus quod futurum esset astabat . tenuerunt eum . Solebat enim laicus : ut nobis dicebat : ab eis tantum ecclesiis quæ non haberent episcopos suam abstinere præsentiam . Eum ergo tenuerunt : et in talibus : ut consuetudo est : episcopo ordinandum intulerunt . Omnibus id uno consensu et desyderio fieri : perficique petentibus magnoque studio et clamore flagitantibus hubertim eo flente . Nonnullis quidem lachrimis† eius ut nobis ipse postea retulit tunc superbe interpretantibus et tanquam eum consolantibus : ac dicentibus : quia et locus presbyterii licet ipse maiore dignus esset : propinquaret tamen episcopatui : Cum potius ille homo dei ut nobis retulit maiore consyderatione intelligeret : et gemeret : quam multa et magna suæ uitæ pericula de regimine et gubernatione ecclesiæ impendere ac prouenire speraret : atque ideo flæret . Eorum ergo tunc ut uoluerunt completum est desyderium . Factus uero presbiter monasterium intra ecclesiam mox instituit : et cum dei seruus† uiuere cœpit secundum modum et regulam sub sanctis apostolis constitutam . Naxime† ut nemo quicquam proprii in illa societate haberet : sed eis essent omnia communia : et distribueretur unicuique : prout opus erat : quod iam ipse prior fecerat : dum de transmarinis ad sua remeasset . Sanctus uero Valerius ordinator eius ut erat uir pius et dominum timens exultabat : et deo gratias agebat suas a domino exauditas fuisse preces : quas se frequentissime fudisse narrabat : ut sibi diuinitus homo concederetur talis : qui posset uerbo dei et doctrina salubri ecclesiam domini ædificare : Cui rei ipse homo natura græcus minusque latina lingua et litteris instructus || minus utilis prouidebat . Eidem itaque præsbytero potestatem dedit e† coram in ecclesia prædicandi : ac frequentissime tractandi contra usum quidem et consuetudinem africanarum ecclesiarum : unde etiam non nulli episcopi detrahebant . Sed ille uir uenerabilis ac prouidens in orientalibus ecclesiis id ex more fieri sciens atque utilitati ecclesiæ magis consulens obtrectantium non curabat linguas : dum modo factitaretur a præsbytero : quod a se episcopo impleri minime posse cernebat . unde accensa et ardens lucerna super candelabrum leuata omnibus qui in domo erant lucebat : Et postea currente et uolente† huiusmodi fama bono præcedente exemplo accepta ab episcopis potestate præsbiteri non nulli coram episcopis tractare cœperunt . Sane in illa tunc hipponensi urbe manicheorum pestilentia quamplurimos uel ciues uel peregrinos et infecerat et penetrauerat : seducente et decipiente eiusdem hæresis quodam præsbyero† nomine Fortunato ibidem conuersante atque manente . Interea hiponenses ciues uel peregrini tam catholici quam etiam donatiste adeunt beatum Augustinum : atque deposcunt : ut cum illo manichæorum præsbytero : quem doctum credebant : de lege tractaret : quod beatus Augustinus minime renuit . Sed utrum etiam hoc Fortunatus fieri dellet scisitatus† est . At illi confestim ad ipsum Fortunatum id detulerunt : petentes et exhortantes ac flagitantes : quod id minime recusaret . Sane quoniam idem Fortunatus iam apud Carthaginem sanctum nouerat Augustinum adhuc in eodem secum errore constitutum cum eodem congredi pauitabat : ueruntamen suorum maxime instantia coactus ac uerecundatus promisit in commune se esse uenturum : certamenque disputandi subiturum . Vnde condicto die et loco conuenerunt : in unum concurrentibus quamplurimis studiosis turbisque curiosis : et apertis notariorum tabulis et disputatione cœpta prima et secunda peracta est dies : in qua ille manicheus præceptor : ut gestorum continet fides nec catholicam assertionem potuit euacuare nec manichæorum sectam ueritate subnixam ualuit comprobare . Vnde ab omnibus | apud quos magnus et doctus uidebatur nihil ualuisse et in suæ sectæ assertione defecisse iudicatus est . Qua ille confusione affectus : et sequenti tempore de hipponensi ciuitate profectus ad eam amplius non remeauit : ac si per beatum Augustinum omnium cordibus uel qui aderant uel : qui absentes illa quæ gesta sunt cognouerant : error ille ablatus : et catholica est intimata ac retenta sincera religio . Tunc temporis cœpit prædicare beatus Augustinus priuatim et publice in domo et in ecclesia salutis uerbum aduersus Africanas hæreses maximeque contra donatistas . Manichæos et paganos : libris confectis et repetitis sermonibus ineffabiliter ammirantibus christianis et collaudantibus : et hoc ipsum ubi poterant non tacentibus et diffamantibus . Hinc

adiuuante domino leuare in Africa ecclesia catholica exorsa est caput : quæ multo tempore illis conualescentibus hæreticis præcipue rebaptizatis donati parte maiore multitudinis Afrorum seducta prostrata et pressa iacebat . Libros uero beati Augustini siue tractatus gratia diuina repletos ipsi quoque hæretici concurrentes cum catholicis ingenti ardore audiebant : prout quisque uoluit et potuit : notarios adhibentes et ea : quæ dicebantur excepta† describentes . Inde iam per totum Africæ corpus præclara eius doctrina odor suauissimus Christi diffusa et manifestata est . Ille uero beatus senex Valerius episcopus metuere cœpit : ut est humanus animus : ne ab alia ecclesia sacerdote priuata ad episcopatum quæreretur : et sibi auferretnr† : Nam et id prouenisset : nisi hoc idem episcopus cognito ad locum secretum eum transire curasset occultatum a quærentibus minime inueniri fecisset : Vnde egit secretis litteris apud primatem episcoporum Carthaginensem allegans imbecilitatem corporis sui ætatisque grauitatem et obsecrans : ut hipponensi ecclesiæ ordinaretur episcopus : qui suæ cathedræ non iam succederet . sed consacerdos accederet Augustinus . Quæ igitur beatus Valerius optauit et rogauit satagens scripto impetrauit post || quam petitionem ad uisitandum aduenientе ecclesiam hipponensem tunc primate Numidiæ Megalio Calanensi episcopo et Valeriano antistite episcopis forte qui aderant et clericis omnibus hipponensibus et uniuerse plebi inopinatam cunctis suam insinuat uoluntatem . Omnibus audientibus gratulantibus atque id fieri perficique ingenti desyderio clamantibus episcopatum suscipere contra morem ecclesiæ suo uiuente episcopo beatus Augustinus recusabat : Dumque illi fieri licere ab omnibus suaderetur : atque id transmarinis et Africanis ecclesiæ templis probaretur : compulsus atque coactus sucubuit : episcopatusque curæ ordinationem suscepit : quod ipse postea fieri non debuisse ut uiuo episcopo alius ordinaretur et dixit : et scripsit . Propter concilii uniuersalis uetitum quod iam ordinatus edidicit : nec quod sibi factum esse doluit : aliis fieri uoluit . Episcopatu itaque suscepto factum est : ut multo instantius ac frequentius maiori auctoritate . non adhuc in una tantum regione sed ubicumque rogatus uenisset : uerbis salutis æterne alacriter ac gnaniter† pullulante atque crescente domini ecclesia prædicaret . Paratus semper poscentibus reddere rationem de fide et spe : quæ in deo est : Cuius dicta atque excepta hæretici maximeque donatistæ in eadem hipponensi ciuitate ad suos episcopos deferebant . Nam et epistolas priuatas ad quoscumque eiusdem erroris episcopos eminentes scilicet et laicos dedit ratione reddita ammonens atque exhortans : ut ab illa se prauitate corrigerent uel certe ad disputationem uenirent . Illi uero causa diffidentie nihil rescribere uoluerunt : sed irati furiosa loquebantur : et seductorem deceptoremque animarum Augustinum esse et priuatim et publice conclamabant : et uelut lupum occidendum esse in deffensione scilicet gregis sui dicebant . tractabant omnia peccata a deo indubitanter esse credendum posse dimitti : his qui eum occidere atque interficere uoluissent : nec homines erubescebant . Habebant etiam iidem donatistæ per suas pene omnes ecclesias inauditum hominum genus peruersum ac uiolentum uelut sub professione continentium ambulantes . qui | circuncelliones dicebantur : Et erant ingenti numero et turbis per omnes pene Africanas regiones constituti : qui malis doctoribus imbuti audacia superba et temeritate illicita nec suis nec alienis aliquando parcebant . Contra ius fasque in causis intercedentes hominum : et nisi obedissent damnis eos grauissimis et cædibus afficiebant armati diuersis telis uaginantes per agros uilasque : et usque ad sanguinis effusionem ac cædem non metuentes . Sed dum uerbum dei sedulo predicaretur : et cum his qui oderant pacem pacis ratio haberetur : illi pacem loquentem debelabant gratis : Cumque aduersus eorum dogma ueritas innotesceret : qui uolebant : et poterant se se inde uel eripiebant uel subducebant : et paci atque unitati ecclesiæ cum suis quibus poterant cohærebant . Dum illi sui erroris minui congregationem uidentes atque augumentis ecclesiæ inuidentes accensi exardescebant ira grauissima : et intollerabiles persecutiones unitati ecclesiæ coniunctis faciebant : ipsisque catholicis sacerdotibus et ministris agressiones diurnas atque nocturnas diruptionesque rerum omnium inferebant . Nam et multos dei seruos cædibus debilitauerunt : aliquibus etiam calcem cum aceto in oculos miserunt : aliosque occiderunt : Vnde etiam idem donatistæ rebaptizatores suis in odium ueniebant . Aliquando uero etiam in uias armati iidem circuncelliones famulum dei Augustinum obsederunt : dum forte iret rogatus ad uisitandas instruendasque et exhortandas catholicas pelbes† : quod ipse frequentis-

sime faciebat : Et aliquando contigit : ut illi subcenturiati hactenus perderent captionem : Euenit enim dei prouidentia ductoris hominibus errore : ut per aliam uiam cum suis comittibus sacerdos dei quo tendebat uenisset : atque per hunc quem postea cognouit errorem manus impias euasisset : et cum omnibus liberatori deo gratias egisset : et omnino suo more illi nec clericis nec laicis pepercerunt : sicut publica contestantur gesta . Interea silendum non est : quod ad laudem dei pro† illius tam egregii in ecclesia uiri studium domusque dei cælum† aduersus præuaricatores rebaptizatoresque do || natistas gestum et perfectum est . Cum forte unus episcopus ex iis quos de suo monasterio et clero propagauerat ad suam curam pertinentem Calanensis ecclesiæ diocesim uisitaret : et quæ didicerat pro pace ecclesiæ contra illam hæresim prædicaret : factum est : ut medio itinere eorum insidias incurrisset : et inuasum cum omnibus illum comitantibus sublatis animalibus et rebus iniuriis et cæde eum grauissima affecissent : De qua re ne paci ecclesiæ amplior prouectus impenderetur : Crispinus qui eisdem donatistis in Calanensi ciuitate et regione episcopus fuit : Cum apud proconsulem se negaret hæreticum : proconsularis et libellarii sententia est pronunciatus hæreticus : pro quo ipso apud cognitorem catholicus episcopus intercessit : ne auraria multa exigeretur . et ei est beneficium impetratum . Vnde cum ingratus ad piissimum principem prouocasset : ab imperatore relationi debitum est responsum solutum : et consequenter præceptum nullo prorsus in loco hæreticos donatistas esse debere : et eos ad uim legum omnium contra hæreticos latarum ubique teneri debere : Ex quo et iudex et officium et idem Crispinus : quod minime fuerat exactum : coacti sunt denas auri libras fisci uiribus† inferre . Sed protinus opera data est per catholicos episcopos : præcipue per sanctæ memoriæ Augustinum : ut illa omnium condemnatio principis dimitteretur indulgentia : et domino adiuuante perfectum est : Qua utique diligentia et studio multum creuit ecclesia : et id maxime factum est post collationem : quæ ab uniuersis episcopis catholicis apud Carthaginem cum isdem donatistarum episcopis : post modum facta est id iubente glorioso imperatore Honorio : propter quod perficiendum etiam a suo latere tribunum et notarium Marcelinum ad Africam iudicem miserat : in qua controuersia illi omnimodis confutati atque de errore catholicis conuicti : sententia cognitoris notati sunt : et post eorum appellationem piissimi regis responso iniusti inter hæreticos condemnati sunt . Ex qua ratione solito amplius eorum plurimi cum suis clericis et plebibus communi | cauerunt : et pacem tenentes catholicam multas eorum persecutiones usque ad membrorum amputationem et interuetionem† pertulerunt : Et totum illud bonum : ut dixi : per sanctum Augustinum et cœptum et perfectum est . Porro post illam quæ cum donatistis facta est collationem : et in cesariensi Mauritaniæ ciuitate constitutus aderat uenerabilis memoriæ Augustinus : quo eum uenire cum aliis eius coepiscopis sedis apostolicæ litteræ compulerunt ob terminandas alias ecclesie necessitates . Hac ergo occasione prouenit : ut Emeritum eiusdem loci Donatistarum episcopum quem suæ sectæ præcipuum in illa collatione habuerant defensorem uideret : et cum eodem publice in ecclesia astante diuersæ communionis auctore ex hoc ipso disputaret . Ille amplius dicere illis gestis nec uoluit nec ualuit : nisi quantum iam illa gesta continent apud Carthaginem inter episcopos confecta : utrum uicerimus an uicti fuerimus : Et alio loco dum a notario ut responderet ammoneretur : ait : Nolo : Et cum reticeret : factaque esset eius cunctis manifesta diffidentia : ecclesiæ dei augumenta prouenerunt . Scio ego non solum Possidius præsul hanc conscripsi qui uitam uerum etiam alii fratres et conserui qui nobiscum tunc inter hipponensem ecclesiam cum eodem sancto uiro uiuebant dixisse : Aduertistis hodie in ecclesia meum sermonem eiusque initium et finem contra meam consuetudinem processisse : quoniam non eam rem terminatam explicui : quam proposueram : sed pendentem reliquerim : Cui respondimus : ita nos eo in tempore fuisse miratos : et scimus et recognoscimus . At ille credo ait forte aliquem errantem in populo dominus per :† nostram obliuionem et errorem doceri et curari uoluerit : in cuius manu sumus et nos et sermones nostri . Nam cum propositæ quæstionis latebras pertractarem in alium sermonis excursum perrexi : atque non conclusa uel explicata quæstione disputationem terminaui : et magis aduersus manichæorum errorem : unde mihi dicere decreueram disputans quam de his : quæ asserere proposueram : et post hæc ni fallor ecce alia die uel post biduum uenit quidam Firmus nomine negotiator et inter monasterium sedenti sancto || Augu-

stino nobis coram ad pedes eius genibusque prouolutus se se iactauit : lachrymas fundens : et rogans : ut pro suis delictis sacerdos dei cum sanctis dominum precaretur : confitens : quod manicheorum sectam secutus fuisset : et in ea quamplurimis annis uixisset : Et propterea pecuniam multam ipsis manichæis uel eis : quos dicit electos in cassum errogasset : ac se in ecclesia domini misericordia fuisse eius tractatibus nuper correctum atque catholicum factum : quod et ipse uenerabilis Augustinus et nos qui tunc aderamus audiuimus ab eodem diligentius inquirentes . ex qua re potissimum in illo tractatu sibi fuerit satisfactum : Et referente eo nobisque omnibus sermonis seriem recognoscentibus : profundum consilium dei pro salute animarum ammirantes et stupentes glorificauimus eius nomen sanctum : et benediximus : qui cum uoluerit : et unde uoluerit : et quomodo uoluerit : et per nescientes operatur salutem animarum . Ex eo ille homo proposito seruorum dei adhærens negotiatoris dimisit actionem : et proficiens in ecclesiæ membris in alia regione ad presbyterii quoque dei uoluntate petitus et coactus accessit . Officium custodiuit et propositi sanctitatem cum quodam etiam Felice de numero eorum quos : electos dicunt manichæi publice in hipponensi ecclesia notariis excipientibus disputauit beatus Augustinus populo astante : Et post secundam uel tertiam collationem ille manichæus frustrata uanitate et errore ipsius sectæ ad nostram conuersus est fidem : atque ecclesiam sicut relicta doceri poterit scriptura . Præterea cum quodam etiam Panscentio comite domus regiæ arrhyano : qui per auctoritatem suæ personæ fisci uæhementissimus exactor fidem catholicam atrociter ac iugiter oppugnabat : et plurimos sacerdotes dei simpliciori fide uiuentes dicacitate et potestate exagitabat : et perturbabat . Interpositis nobilibus et honoratis uiris apud Carthaginem ab illo prouocatis coram contulit . Beatus utique Augustinus miscuit cum eo sermonem : atque asseruit quid crederet : et ab illo quid teneret : audiuit : et uera ratione atque auctoritate scripturarum pro | lata docuit : et ostendit nostræ fidei fundamenta . Illius autem asserta nulla ueritate nulla scripturarum sanctarum auctoritate : suffulta docuit et frustrauit . Aduersus pelagianistas quoque nouos nostrorum temporum hæreticos et disputatores callidos arte magis subtili et noxia scribentes : et ubicumque poterant publice et per domos loquentes : per annos ferme decem elaborauit . Librorum multa condens uolumina edidit : et in ecclesia coram populis : et eodem errore frequentissime disputauit . Et quoniam iidem peruersi sedi apostolicæ per suam ambitionem eamdem perfidiam persuadere conabantur instantissime : tunc in conciliis africanis sanctorum episcoporum gestum est : ut sancto urbis papæ et prius uenerabili Innocentio et præterea sancto Cosimo † eius successori persuaderetur : tamen illa secta catholicæ fidei et abominanda et damnanda fuisset . At illi tantæ sedis antistites suis diuersis temporibus eosdem notarios reprobantes atque a membris ecclesiæ præcidentes datis litteris et ad africanas occidentis et ad orientales partes ecclesie eos anatematizandos et deuitandos ab omnibus catholicis censuerunt . Et hoc tale de illis ecclesie dei catholicæ prolatum iudicium etiam piissimus imperator Honorius audiens ac sequens suis eos legibus damnatos inter hæreticos haberi debere constituit . Vnde nonnulli ex his ad sanctæ matris ecclesiæ gremium unde resilierant redierunt : innotescente et præualescente aduersum illum detestabilem errorem recte fidei ueritate . Cernens itaque beatus Augustinus manichæos . donatistas . pelagianistas : et paganos magna ex parte defecisse : et ecclesiæ dissociatos esse : congaudebat prouectibus dominicis : ut dixi : de lucris semper gaudens et dampnis mærens . Interpellatus autem beatus Augustinus a christianis uel alicuius sectæ hominibus causas audiebat diligenter ac pie : Cuiusdam uero sententiam aute oculos habens dicebat : se malle inter incognitos quam inter amicos causas audire : eo quod de incognitis per qualibet arbitra æquitate iudicare amicum posse acquirere . De amicis uero unum esse contra quem sententiam profer || ret perditurum . Nouimus quoque eum a suis carissimis litterarum intercessu apud sæculi potestatem postulatum assensum non dedisse : dicentem cuiusdam sapientissimi seruandam esse sententiam : de quo scriptum esset : quod multam suæ famæ contemplationem amicis non præstitisset : et illud nihilominus suum addens : quoniam plerumque quem petit premit . Cum uero intercedendum esset rogatus uidelicet tam id honeste et temperate agebat : ut non solum onerosus ac molestus non uideretur : uerum etiam mirabilis extitisse . Nam dum exorta esset necessitas : ut suo more apud quendam africæ uicarium nomine Macedonium pro

supplice quodam litteris interueniret : atque ille paruisset : hoc modo rescriptum misit : Miro modo afficior sapientia tua : et in illis quæ dedisti : et in his quæ interueniens pro sollicitis mittere non grauaris . Nam et illa tantum habent acumen scientiæ et sanctitatis : et hæc tantum uerecundiæ : ut nisi faciam : quod mandas : culpam penes me remanere non in ipso negocio esse iudicem . Sanctorum concilia sacerdotum per diuersas prouincias celebrata : cum potuit frequentauit : non in eis quæ sua sunt quærens : sed quæ Iesu christi : ut uel fides sancte ecclesiæ catholicæ inuiolata maneret : uel nonnulli sacerdotes et clerici siue per fas siue per nefas excommunicati uel ligarentur : uel absoluerentur . In ordinandis uero sacerdotibus uel clericis consensum maiorum christianorum et consuetudinem ecclesiæ sequendam arbitrabatur . Mensa usus est frugali et parca : quæ quidem inter olera et legumina etiam carnes aliquando propter hospites uel quosque infirmiores habebat . De uino autem sumendo apostoli extabat sententia : uino inquit modico utere propter stomachum et frequentes tuas infirmitates . In ipsa mensa magis lectionem quam epulationem potationemque diligebat . Et contra pestilentiam humanæ consuetudinis in ea scriptum ita habebat :

> Quisquis amat dictis absentum rodere uitam :
> hanc mensam indignam nouerit esse sibi .

Et ideo omnem conuiuam a superfluis et noxiis fabulis se se abstinere debere ammonebat . Nam et quosdam suos familiarissimos coepiscopos illius scriptu | ræ oblitos et contra eam loquentes tam aspere aliquando reprehendit : ut diceret : aut delendos esse illos de mensa uersus : aut de media refectione ad suum cubiculum resurrecturum : quod ego et alii qui illi mensæ interfuimus experti sumus . Compauperum uero semper memor erat : eisque inde erogabat : unde sibi suisque omnibus secum habebat . Domus ecclesiæ curam omnemque substantiam ad uices ualentioribus clericis delegabat : et credebat . Ab eis etiam domus præpositis cuncta accepta et errogata notabantur : quæ anno complêto eodem præsente recitabantur : quo sciretur quantum acceptum quantumque dispensatum fuerit : uel quid dispensandum remanserit . Domum uero uel agrum seu uilam nunquam emere uoluit . uerum si forte ecclesiæ a quoquam sponte tale aliquid uel donaretur uel titulo obligati dimitteretur : non respuebat : sed suscipi iubebat . Nam et aliquas eum hæreditates recusasse nouimus . Non quia pauperibus esse inutiles possent . sed quoniam iustum et equum esse uidebat : ut a mortuorum uel filiis uel parentibus uel affinibus magis possiderentur : quibus ea deficientes dimittere noluerunt . In his quoque quæ ecclesia habebat et possidebat intentus amore uel implicatus non erat : sed de inueniendis diuinis rebus ut cogitaret : uel de iam inuentis aliquid dictaret : aut certe ex iam dictatis atque transscriptis aliquid emendaret : Et id agebat in die laborans et in nocte lucubrans . Fabricarum quidem nouarum nunquam studium habuit : deuitans in eis implicationem sui animi : quem semper liberum habere uolebat ab omni molestia temporali . Non tamen illa uolentes et ædificantes prohibebat : nisi tantum immoderatos . Fœminarum inter domum eius nulla umquam conuersata est . nulla mansit nec quidem germana eius soror : quæ uidua deo seruiens multo tempore usque in diem obitus eius . præposita ancillarum dei uixit : Sed nec fratris sui filiæ quæ pariter deo seruiebant : quas utique personas sanctorum episcoporum concilia exceptas posuerunt . Dicebat uero quia et si de sorore et neptibus secum morantibus nulla posset nasci malla suspicio : || tamen quoniam ille personæ sine aliis necesariis secumque manentibus fœminis esse non possent et quod ad eas etiam aliæ a foris intrarent : de his posset offendiculum aut scandalum infirmioribus nasci : et illi qui cum episcopo uel quolibet clerico forte manerent ex illis omnibus fœminarum personis possent una commorantibus aut conuersantibus temptationibus humanis perire aut certis malis hominum suspicionibus defamari . Ob hoc dicebat nunquam debere fœminas cum seruis dei etiam castissimis una manere in domo : ut dictum est : ne aliquod scandalum uel offendiculum tali exemplo poneretur infirmioribus : et si forte ab aliquibus fœminis : ut uideretur uel salutaretur : rogabatur : nunquam sine clericis testibus ad eas intrabat : uel cum solis umquam est locutus : nec si secretorum aliquid interesset . In uisitationibus uero modum tenebat ab apostolo difinitum : ut non nisi pupillos et uiduas in tribulationibus constitutos uisitaret : et si forte ab ægrotantibus hoc peteretur : ut pro eis in præsenti dominum rogaret : eisque manum impo-

neret : sine mora pergebat . Fœminarum autem monasteria non nisi urgentibus necessitatibus uisitabat . Igitur dum beatus Augustinus in tantæ mundiciæ cautella duceret uitam : imperante Theodosio Arcadii filio constantii in Rauenna suscepto imperio : subito effera gens uandalorum alanorum et gothorum ab hyspanis ad Africam transiens omnia ferro flamma rapinis simul et arrhyana impietate fædauit . Tunc temporis una cum prædicto patre ad mensam constitutis et confabulantibus cœpit nobis coram dicere . Noueritis me hoc tempore nostræ calamitatis dominum rogasse ita : ut hanc ciuitatem ab hostibus circundatam liberare dignaretur : aut si aliud ei uideretur : seruos suos ad perferendam suam uoluntatem fortes faciat : aut certe de hoc sæculo me magis accipiat . Quæ ille dicens nosque instruens deinceps cum eodem et nos et cum nostris omnibus et his qui in eadem fuerant ciuitate cum summo dominum similiter studio petebamus : Et ecce tertio illius obsidionis mense decubuit lectulo febribus fatigatus : et illa ultima exercebatur ægritudine : nec suum sane dominus famulum fructu | suæ precis fraudauit . Nam et sibi ipsi et eidem ciuitati quod lachrymosis depoposcerat precibus in tempore impetrauit . Noui quoque et eundem præsbyterum et episcopum pro quibusdam energuminis petentibus : ut oraret : rogatumque eum in oratione lachrymas fundentem dominum rogasse : et dæmones ab hominibus recessisse : Item cum ad ægrotantem ipsum et lecto uacantem quidam cum suo ægroto uenisset : et rogauisset ut ei manum imponeret : ut sanus esse posset : respondisse : si aliquid in iis posset : sibi hoc utique primitus præstitisset : Et ille dixit se uisitatum fuisse : sibique per somnum dictum esse : uade ad Augustinum episcopum : ut eidem manus imponat et saluus erit . Quod dum comperisset : facere non distulit : et illum infirmum dominus sanum ab eodem discedere fecit . Sanus autem prædictus uir dei dicere nobis inter familiaria colloquia consueuerat . post perceptum baptismum etiam laudatos christianos et sacerdotes atque† digna et competenti pœnitentia exire de corpore non debere : Nam sibi iusserat psalmos dauiticos qui sunt paucissimi de pœnitentia scribi : ipsosque quaterniones iacens in lecto contra parietem positos diebus suæ infirmitatis intuebatnr† et legebat : et hubertim ac iugiter flæbat . Denique ne intentio eius a quoquam impediretur : ante dies ferme decem quam exiret de corpore : nobis postulauit præsentibus : ne quis ad eum ingrederetur nisi his tantum horis : quibus medici ad inspiciendum intrabant : et cum ei refectio inferretur : Et ita obseruatum et factum est : ut omni illo tempore orationi uacaret . uerbum dei usque ad ipsam suam extremam ægritudinem impretermisse alacriter et fortiter sana fide sanoque consilio in ecclesia prædicauit . Sed ne ut supra egimus ciuitatis suæ ruinam uideret : tertio obsidionis eius die migrauit ad dominum quinto calendas Septembris : Cum uixisset annos septuaginta sex . In clericatu autem uel in episcopatu annos ferme quadraginta . Ante proximum uero tempus obitus sui a se dictatos et edictos libros recensuit siue eos quos primæ sue tempore conuersionis laicus siue quos præsbyter siue quos epi || copus† dictauerat : et quæcunque in his cognouit aliter quam se se habet ecclesiastica regula a se fuisse dictata et scripta . cum adhuc ecclesiasticum usum minus sciret : minusque sapuisset : a semteipso† et repræhensa et correcta sunt : Vnde etiam duo conscripsit uolumina : quorum est titulus de retractatione librorum Præreptos etiam sibi quosdam libros ante diligentiorem emendationem a nonnullis fratribus conquerebatur : licet eos postmodum emendasset . Imperfecta etiam quædam librorum suorum præuentus morte dereliquit . Quæque prodesse omnibus uolens et ualentibus multa librorum legere et non ualentibus ex utroque diuino testamento ueteri et nouo : præmisa quoque ratione præcepta diuina a se petita ad uitæ regulam pertinentia exhausit : Et enim ex his unum codicem fecit : ut qui uellet legere in eo : uel quam obediens deo inobediensque esset agnosceret : et hoc opus uoluit speculum appellari. Vir denique iste debellator hæreticorum defensor fidelium et famosorum palma certaminum in quibusdam libris nimia difficultate reconditus : in quibusdam sic est planissimus : ut etiam paruulis probetur acceptus : Cuius opera plana . suauia sunt : obscura uero magnis utilitatibus farcita pinguescunt . huius autem ingenii uiuacitatem si quis nosse desiderat : libros ipsius confessionum legat : ubi refert se omnes mathematicas disciplinas sine magistro compræhendisse : quas aliis sub doctis expositoribus iux† datur attingere : Fertur itaque : quod Marcus terentius uarro apud latinos innumerabiles scripserit libros apud grecos calcidonis miris in scibendo† attollitur laudibus . De nostris utique apud græcos origenes ad sex millia legitur librorum scripsisse .

Horum hominum denique studium Augustinus noster ingenio uel scientia sua uicit . Nam tanta priuatim dictando tantaque in ecclesia diuersisque locis disputando conscripsit : ut uix quisquam studiorum non solum scribendo libros eius . sed nec legendo nosse occurrat : De quo quidam catholicus doctor quasi cum ipso loqueretur uersificans sic ait :

Mentitur qui te totum legisse fatetur .

Iste uero in sancta ecclesia in | ter nos post mortem uiuens nobiscum loquitur semper iuxta cuiusdam gentilis poætæ epigramma quod suo scribere iussit sepulchro : hoc modo :

uiuere post obitum uatem uis nosse uiator ?
Quid legis : ecce loquor : uox tua nempe mea est .

Hic dum in hipponensi sepultus esset regione propter immundiciam et crudelitatem gentilium inde ablatus : in Sardinia repositus est . Decurentibus itaque a die obitus eius ferme ducentis octoginta annis . usque ad tempora Luidprandi regis lombardorum audiens rex ipse christianissimus : quod sarraceni depopulata Sardinia etiam loca fædarent illa : ubi ossa sæpe dicti patris ob uastationem barbarorum olim translata et honorifice recondita fuerant : misit : et dato magno pretio accepit : et transtulit ea Ticinum : Quæ utique ossa in basilica beati apostoli Petri : quæ a ticinensi populo cælum aureum nuncupatur cum debito tanti patris honore recondidit . Iure igitur in appostolica est collocatus ecclesia : qui pro apostolica dimicans fideliter fide uiuens uerbis : et hactenus scriptis diabolicas hæreticorum fraudes patefaciendo disperdidit : adiuuante Iesu christo fidei nostræ auctore : qui cum patre et spiritu sancto uiuit et regnat per cuncta sæcula seculorum amen .

PASSIO SANCTI APOLLINARIS MARTIRIS .

In diebus Claudii Cæsaris ueniente Petro apostolo Iesu christi nazareni ab Antiochia in urbem Romana† multi cum eo christiani administrantes ei : Romam uenerunt : qui statim ad synagogam hebreorum descendens : dedit eis notitiam Petrus dicens : quod et ipse etiam hebreus esset : et avidam propter fratrum caritatem aduenisset : Cum uero multis diebus sermocinaretur cum Iudæis : introducebat eis de Christi nomine : quod esset uerus dei filius : qui saluum fecit omne genus humanum : indicans illis : quantam operationem et uirtutem in Isarael† feeisset† secundum prophetieas uoces . multi uero ex Iudæis agentes pœnitentiam pro ignorantia sua || credebant in Iesum prædicante Petro non solum Iudæi : sed etiam Romani suscipientes uerbum gauisi sunt : quod uisitatione uisitasset deus genus humanum mittens filium suum renouare mundum : et credentes in Iesum baptizabantur . Post multum uero tempus ait beatus Petrus apostolus Apollinari discipulo suo : quid sedes nobiscum ? Ecce eruditus es de omnibus quæ fecit Iesus . surge . accipe spiritum sanctum : simulque pontificatum : et perge ad urbem : quæ uocatur Rauenna . multitudo enim populi illic moratur . prædica eis de nomine Iesu : et ne formidaueris . constat enim apud te : quod uere dei sit filius . qui mortuis uitam reddidit : Et ægris intulit uerbo medicinam : et post multa dans ei orationem beatus Petrus : et ponens manum super caput eius ait ei : mittat dominus noster Iesus Christus angelum suum : qui præparet iter tuum : et quæ postulaueris annuat tibi : et osculans eum emisit a se . Cum peruenisset beatus Appollinaris non longe ab urbe Rauenna : mansit apud quendam militem Asiaticum nomine Ereneum : cui indicans unde aduenisset : et quid ageret ait ad eum :† ille miles hospes filius meus excæcatus est . Sed si qua uirtus est prædicationis tuæ adhibe medicinam : ut uideat et sequar dominum tuum credens in eum : quem puerum hilariter Apollinaris ad se perduci iussit : et uidentibus cunctis :† qui aderant nihil aliud quam signum crucis super oculos cæci faciens dixit : deus qui non localiter sed ubique es intromitte cognitionem filii tui domini nostri Iesu christi in istam ciuitatem : ut non solum istius corporalis† oculos illumines : sed et interiores oculos gentilium commorantium in loco isto aperias : ut celeriter agnoscentes Christum Iesum filium tuum suum esse deum : et locus mihi prædicationis tribuatur cum

magno effectu . Explectis† his sermonibus uidit cæcus : et prouolutus ad pedes beati Apollinaris una cum parentibus suis credentes in Iesum Christum baptizati sunt in fluuio non longe ab urbe Rauenna . Matrona uero cuiusdam tribuni militum nomine Tecla per annos plurimos grauissima tenebatur infirmitate : quam nullus medicorum poterat erigere factum est :† ut miles | christianus astaret ante tribunum : et orta fabula tribuno de coniuge infirma : ait miles : est apud me quidam peregrinus prouecta ætate : qui etiam filium meum absque ullo medicamine illuminauit : si permittis mox illum uidere : conualescet . ait ei tribunus : et is unde aduenit ? qui respondit : ab urbe Roma . tribunus dixit : ergo romanus genere est ? respondit : nescio plus tamen Græcus esse uidetur . dicit ei tribunus : secrete perduc eum in domum meam : ut ipse cognoscam uera esse : quæ dicis . Cumque ingressus fuisset urbem Rauennam Apollinaris : signans se dixit : deus qui operaris cum Petro meo magistro : operare et mecum : ut clarificetur nomen tuum : et fiat uoluntas tua : et ingressus domum tribuni est susceptus officiosissime . aitque ad eum tribunus : bene adueuisti† medice : et quid dulcius quam æstuanti frigida aqua . cui beatus Appollinarius† ait : requiescat in uos pax dei et domini nostri Iesu Christi . Tribunus dixit : quis est : de quo dicis? ait filius dei uiui : qui sæculum perditum renouauit . Tribunus ait : ut uideo tu galileus es . beatus Apollinaris respondit etiam . tribunus dixit : Nosti curationes ? Respondit Apollinaris : Nihil sine nomine Iesu . Ait tribunus : Et quæ uirtus in Iesu ? Apollinaris respondit : Conuoca hic milites tuos : et cunctis uidentibus agnosces uirtutem Iesu : Cumque astarent : ait tribunus : Ecce mulier mea lecto tenet† infirma annis plurimis : cui omnis medici cura contraria extitit . Si qua est uirtus in te : operare : Cui respondit Apollinaris : Aperiat deus oculos cordis uestri : ut uidentes mirabilia eius : credatis Iesum deum esse . Tunc apræhendens manum mulieris ait : Surge in nomine domini nostri Iesu christi : et crede in illum : et ne amplius dixeris : quod alius similis sit isti . Statim surgens mulier descendit sana de lectulo clamans : et dicens : quod non sit alius deus præter Iesum : quem prædicat Apollinaris . Videns uero tribunus et milites obstupuerunt dicentes : quia uere hic est deus : qui talia facit . potest etiam si diligatur iste etiam inter bella præstare auxilia . Interea ipse tribunus cum uxore et filiis et || familia sua credentes in Iesum baptizati sunt . Sed et multi alii ex paganis qui interfuerunt receperunt fidem Iesu christi : Intrauit interea in domum tribuni in urbem Rauennam beatus Apollinaris : et quottidie ad eum ueniebant multi ex populo : et docebat eos secrete dicens : Credite in Iesum : quoniam ipse est deus cæli et terre : et credentes baptizabantur . Multi uero nobiles dabant filios suos beato Apollinari ut ab eodem sacris litteris erudirentur . His uero : qui in Christo credebant : intra domum tribuni missam et baptismum beatus Apollinaris agebat cum discipulis suis . Itaque intra duodecim annos duos presbyteros Aderitum et Calocerum ordinauit . Martianum nobilissimum uirum et Leochadium philosophum diachones fecit . Sex enim clericos statuit : cum quibus die noctuque psalmos deo canebat : Cumque cresceret opinio Apollinaris de prædicatione Iesu Christi : et multitudo populi credidisset fidem Christi : iam non poterat latere Nunciatum est de eo duci Saturno : qui perducens eum statuit ante pontifices capitolii Rauennatis : et interrogauit eum dux : quid uelis esse ? qui respondit libera uoce : christianus sum . Dux ait : quis est Christus? Apollinaris respondit : filius dei uiui : per quem omnis creatura uiuit : quæ in cælo : et que in terra : et quæ in mari est . Cui dux ait : Et te ipse misit ad nos : ut euacuares culturam deorum nostrorum ? An ignoras sacrum nomen Iouis : quia magnus est : quia est habitator capitoli† huius ciuitatis? Cui te opportet humiliari . Apollinaris respondit : Quis est habitator ignoro : et quale templum possidet ignoro . Aiunt pontifices : Veni : et uide magnum templum et mire exornatum : ibique cernes simulacrum inuictissimi Iouis : Cumque introissent capitolium : beatus Apollinaris subridens ait pontificibus : Ista tanta ornata aurea et argentea melius poterant pauperibus erogari : quam ante conspectum dæmonum appendi . Tunc irruentes pontifices paganorum cum populo super eum nimia eum cæde mactauerunt : Et eiicientes eum ad mare semiuiuum reliquerunt : quem colligentes discipuli eius absconderunt in domo cuiusdam mulieris ui | duæ christianæ adhibentes ei curam : Et post menses sex Nobilissimus uir nomine Bonefacius ciuis urbis Classis subito obmutuit : Cui dum plurimi medicorum nihil prodessent : indicatum est : quod famulus dei Apollinaris uiueret : et apud uiduam lateret : mittensque ad eum coniunx

eius obsecrauit : ut ad uirum eius uisitationem suam impenderet : cumque peruenisset domum eius : puella de ipsa domo habens spiritum immundum exclamauit : dicens : Recede hinc O serue dei uiui : nam facio te pedibus ligatis de hac trahi ciuitate : Cui ait sanctus Apollinaris : Obmutesce diabole : et exi ab ea : et ne ultra in hominibus loquaris : Qui statim recessit ab ea . tunc ascendens ipse beatissimus uir domum Bonefacii : uidit eum iacentem mutum : et ait : domine Iesu christe qui clausisti os istius hominis : ne amplius inuocaret ydola :† in auxilium suum aperi continuo os eius : ut tuum nomen quod est benedictum inuocet : et credat : quia tu es deus uiuens in sæcula sæculorum : Cum a christianis dictum fuisset amen : eadem hora soluta est lingua eius : et laudabat deum dicens : Non est alius deus quam is : quem beatissimus prædicat Apollinaris . In eodem die amplius quam quingenti homines crediderunt in Iesum christum agentes gratias deo et Apollinari famulo eius : per quem illuminati sunt omnes . Non post multos dies inflati sunt quidam paganorum a spiritu immundo suam facientes uoluntatem : tenuerunt ergo eum : et diutius cæsum fustibus prohibebant ne de nomine Iesu mentionem aliquam faceret : Qui iacens in terra clamabat : quod uere Christus est deus : qui sponte pro omnium salute homnium† corporaliter pati uoluit . non ferentes pagani hoc testimonium : beatum Apollinarem nudis pedibus super prunas stare fecerunt : Qui amplius Christo testificabatur: Pagani autem ab urbe classe eum proiecerunt dicentes ei : quamuis curationes facias: urbem noli ingredi : et uiues . Erat enim beatissimus Apollinaris iacens foras muros : et prædicans de nomine Iesu incessanter . Veniebant autem ad eum multi de ciuitate timentes deum : et ministrabant ei . Non enim parua erat || plebs christianorum maxime nobilium : habebant enim Christiani tugurium non longe a muro ubi missam faciebant . Baptizabantur autem in mari in nomine patris et filii et spiritus sancti . post plures annos beatissimus Apollinaris ad Hæmiliam perrexit docendo secrete populos : quos trahere uerbo poterat . Interea Calocerus præsbyter gubernabat† ecclesiam : quæ erat Rauenne latenter faciens multas uirtutes in nomine Iesu Christi . Non post multum tempus regressus ab hæmilia beatus Apollinaris a christianis cum omni gaudio susceptus est . Eodem tempore Ruffus patricius et ex consul ducatum agebat Rauennæ : cuius unica filia infirmabatur . Indicatum est ei de nomine Apollinaris sacerdotis : quem iussit mox domum suam uenire : ut filiam suam uisitaret . Vt uero ingressus est domum cum clericis suis : statim defuncta est puella : Cumque lamentationes audisset beatus Apollinaris : cognouit : quia transisset . Descendens increpabat eum Ruffus patritius cum lachrymis dicens : Atque utinam domum meam non introisses . Dii enim magni indignati sunt : et noluerunt filiam meam saluare . Tu uero in quo poteris curare eam ? Et omnes qui aderant flæbant cum eo scui† beatus Apollinaris dixit : fidutialiter age patrici : et iura mihi per salutem Cæsaris : quod permites puellam sequi saluatorem suum : et modo cognosces uirtutem domini nostri Iesu christi . Ruffus patricius respondit : Scio : quoniam mortuua† est puella : et non uiuit . tamen si uidero eam stantem : et loquentem : laudabo uirtutem dei tui : et non prohibebo eam sequi saluatorem suum . Omnis uero multitudo flæbat amare . Ipse uero fiduciam habens in domino Iesu accessit : et tetigit puellam dicens : Domine Iesu christe deus meus qui magistro meo Petro apostolo tuo dedisti locum impetrandi apud te : quæ desyderat . tu suscita hanc puellam : quia tua est creatura : et non est alius deus præter te : Et respiciens ad puellam ait : quid iaces? Surge . confitere creatorem tuum : quæ statim surrexit : et loquebatur uociferans et dicens: magnus est deus : quem prædicat Apollinaris famulus eius : et nullus est alius præter eum . | Factum est autem in illa hora gaudium magnum coram omnibus et coram christianis : quia magnificatum est nomen domini nostri Iesu Christi . Baptizata est uero puella cum matre et familia promiscui sexus animæ trecentæ uiginti quatuor . Sed et multi alii ex paganis crediderunt Christo . Ruffus uero patricius timens Cæsarem occulte diligebat beatum Apollinarem : et ministrabat ei : filia uero eius consecrata est Christo : et permansit uirgo . Nunciatum est hoc Cæsari a paganis : quidam uir ueniens ab Antiochia magicis artibus et incantationibus nomen Iesu hebrei introduxit in urbem Rauennam : et magna multitudo obedit illi : etiam domus Ruffi patricii : Cui Cæsar mittens successorem scripsit ad uicarium prefecture : ut præsumptorem huiuscemodi : aut diis inclinaret : aut longe in exilium mitteret . Accersiuit itaque Messalinus uicarius Apollinarem in prætorium suum : et ait ad eum

coram sacerdotibus capitolii : Quid diceris ? Respondit : Apollinaris dicor . Inquit uero Messalinus : Vnde huc aduenisti ? Respondit : ab Antiochia . Mesalinus dixit : quam artem agis ? Apollinaris respondit : christianus sum et discipulus apostolorum . Vicarius dixit : Et quis est Christus ? Respondit Apollinaris : filius dei uiui : qui fecit cælum et terram mare et omnem animam uiuentem . Mesalinus dixit : Tu de illo Christo dicis : qui ante paucos annos dum se filium dei diceret : a iudæis interfectus est . utique si hic deus erat : nec mori poterat : nec contumeliis afligi . Sed superbe agens iniuriatus est : et morti traditus est . hunc tu qua ratione in numero deorum computes : ignoramus . Apollinaris respondit : hic de quo loquimur Iesus et erat deus et est in eternum : Sed uolens genus humanum a seruitute dæmonum eripere : exinaniuit semetipsum : et incarnatus est per spiritum sanctum natus de uirgine : quæ uirum non cognouit umquam . Vicarius dixit : Auditum est hoc apud nos : Sed difficile credi potest . Apollinaris respondit : Audi iudex quæ dico uiriliter . Deus erat manens in corpore mundo . faciebat mirabilia insignia . quod autem a Iudæis tentus est : siue crucifixus : Caro || quæ ex uirgine sumpta est patiebatur . deus enim impassibilis permansit et immortalis : qui etiam ipsam carnem tertio die a mortuis excitauit : et apparens multis ascendit in cælum : unde descenderat . Deus uero tantam tribuit potestatem in se credentibus : ut in nomine eius dæmonia eiiciantur : infirmi conualescant : mortui resurgant . Vicarius dixit : tu mihi persuadere non poteris : ut et ego deos sequar ignotos : qui a senatu recepti non sunt . Sed his postpositis accede ad capitolium : et manibus tuis pone tura magno deo Ioui : et imola diis : ut possis uiuere . Nam per salutem Cæsaris uerberatum te diuersis pœnis in exilium dirigam . Apollinaris respondit : Iam me perductum in capitollium existima : securus esto : quia manibus meis tura non ponam dæmoniis : Sed domino meo Iesu Christo incensum offeram laudis et suauitatis : et clamantes pontifices dixerunt : Ignoras iudex : quia is sibi nomen imposuit pontificis : ut sub nomine nostro seducat turbas . Sed examina eum de prosumptionibus suis . Vicarius dixit ad officium : exuite eum : et cædentes dicite : resipisce : et imola diis . Cum cæderetur : clamabat christianus sum fact† quod tibi uidetur . Dum hæc circa famulum dei geruntur : unus de pontificibus dæmonum dixit ad uicarium : Eculeo apendatur : ut tortus diutius det honorem diis immortalibus . beatus Apolinaris dum torqueretur dicebat dominum Iesum Christum deum uiuum esse confiteor : et aliud non dico . Messalinus uicarius dixit : dic mihi pestifer : quæ remuneratio tibi erit pro his pœnis . Apollinaris respondit : Si quis perseuerauerit usque in finem in Christo : hic saluus erit : et si in Christo mortuus fuerit : uiuet . Hæc est remuneratio christianorum . Tunc uniuersi qui aderant audientes glorificabant dominum cæli et terræ : quia fortior erat Apollinaris dum pateretur iis : qui ministrabant ei tormenta . Iudex dixit tortoribus : Denuo uerberetur : et super plagas aqua buliens mittatur . De hinc cum sub præcone ad nauem perduceretur et cum graui pondere ferri in exilium ad partes Illyrici relegaretur : quidam qui sæuior erat :† in famulum dei areptus a dæmonio subito expi | rauit : Cumque eleuatus fuisset a terra beatissimus Apollinaris Ait uicario : Impiissime quare non credis in filium dei : ut euadas tormenta æterna ? Tunc indignatus iudex iussit saxo os eius contundi . Videntes christiani tantam impietatem commoti sunt : et irruentes super paganos : tanta allisio fuit : ut subito amplius quam ducentos homines impios interficerent . Sed et uicarium perimere cogitabant . Perturbatus uero iudex reclausit se . Apollinarem uero cum grauissimo pondere ferri iussit in carcere horrifico claudi : et in ligno extendi et nihil illi ministrari ut deficeret . Angelus enim domini nocte ueniens ad eum uidentibus custodibus pauit eum : et confortans abiit . Quarto igitur die cognouit iudex : quod adhuc uiueret . Qui secrete cathenatum eum in nauem posuit : et in exilium dirrexit . Secuti sunt autem eum tres uiri e clero : qui ei ministrabant . Interea ecclesia quæ erat Rauennæ gubernabatur per præsbyteros et diaconos crescente numero christianorum : Cumque littora corynthi maris nauigarent : subito nata est tæmpestas : et data naue in siccum comminuta est . Et eiecti sunt in littore beatus Apollinaris cum clericis suis et duobus militibus : cæteri uero mortui sunt in mari . Aiunt autem ad beatum Apollinarem milites : domine pater quo ibimus ? quid faciemus ? quibus ait beatus Apollinaris : Baptizemini in nomine Iesu Christi uiuentis . Qui statim renunciantes idolis baptizati sunt in nomine patris et filii et spiritus sancti . Tunc cœperunt pergere de loco in locum : et transierunt

Nussiam . prædicantes ibi uerbum : et nemo eos recipiebat . Cuiusdam uero primi et magni uiri frater leprosus effectus est : Cumque uidisset eum beatus Apollinaris : dixit ei : Vis sanus fieri? Qui respondens ait : uolo . beatus Apollinaris dixit ei : Crede in dominum Iesum christum . At ille ait : qui me sanum fecerit ipse est deus meus . et inuocans beatus Apollinaris nomen domini nostri Iesu christi tetigit eum : et statim sanus factus est : qui etiam et ipse renuncians simulacris credidit in dominum Iesum christum : et baptizatus est : et mansit apud || eum per dies plurimos : et inde pertransit ad rippas Danubii : et multos sociauit ad dominum . Cumque innotuisset paganis quod beatus Apollinaris inimicus esset idolorum : uolebant eum occidere : Qui fugiens descéndit in partes Thraciæ : et mansit ibi dies multos . Erat autem in ciuitate templum Seraphis† : qui in ipsis diebus nullum responsum suis dare uoluit . Sed dum multa illi offerrent : Vix tandem aliquando spiritus dæmonum locutus est dicens : Nescitis quia discipulus Petri apostoli Iesu christi . Roma huc uenit : et ligauit me prædicans Iesum . Hic si expulsis† non fuerit ab his locis : nos uobis responsa dare non posumus . Facta autem inquisitione : inuentus est beatus Apollinaris : quem discutientes : quid faceret in illis finibus : narrauit eis quia Christianus sum : et pro Christi nomine ab urbe Rauenna huc in exilium missus sum . Qui exuentes eum diutius fustibus cæsum usque ad mare perduci fecerunt : rogantes rectorem prouinciæ usum nauis currentis ad Italiam : ut Apollinaris beatus cum suis omnibus superponeretur : dicentes : melius est enim : ut ibi unde uenit habitet : et subuertat populum quam hic euacuet culturam deorum nostrorum . Itaque post tertium annum Rauennam ciuitatem ingreditur : quem suscipientes christiani gauisi sunt gaudio magno : et glorificauerunt deum : qui eis suum patrem et doctorem reuocauit . Multa enim mirabilia per eum dominus in littore Dalmatiarum dum regrederetur ostendit . Contigit uero post multum tempus dum apud christianos missas caneret in suburbano Pirinci senatoris : subito sedicio orta est in ciuitate a paganis de nomine Apollinaris : Et irruentes populi super eum : ligatum ad forum perduxerunt cædentes et uulnerantes eum : quem uidentes pontifices capitolii indignati sunt dicentes : Non est dignus iste præsentari magno deo Ioui : qui frequenter eum illusit . Sed ducatur ad templum Apollinis : ibique cognoscat uirtutem deorum immortalium . Cumque perductus fuisset : multi nobiles uiri tam pagani quam christiani una cum populo secuti sunt eum . Dicebant enim pagani : uideamus | si homo iste resipuerit : Et dum uenisset ad templum : et uidisset simulacrum Apollinis : Ait beatus Apollinaris astantibus : Nunquid iste est deus : in quo auguramini ? Responderunt pagani : et dixerunt : etiam primus inter deos et custos ipse est ciuitatis . beatus Apollinaris respondit : Nunquam huic sit bene : At is destructus erit . Custos erit christianorum commorantium in isto loco : dominus Iesus Christus : qui uere est deus et dans orationem simulacrum solutum est et templum diaboli destructum . pagani uero uidentes quæ facta sunt clamabant dicentes : Senex iste interficiatur : per quem omnia diminuta sunt . christiani gratias deo referebant dicentes : quod uere ille est deus : qui talia per hunc patrem nostrum operatur . Et commota pars paganorum tradiderunt eum iudici : cui nomen erat Taurus : ut eum interficeret : Qui congregans omnem nobilitatem urbis in prætorium suum ita loqui cœpit : Rogamus te : prode nobis : in qua uirtute tanta exerces : aut ubi facis congregationem et signum : et ut tanta turba te sequatur ? Beatus Apollinaris respondit : Virtus alia non est quam domini nostri Iesu Christi : domum enim dei in cordibus nostris habemus : tamen si fabricam quæris : non est longe ab urbe . Illic Christianis eloquia tradimus diuina . Taurus iudex dixit : sunt tibi aliqui adiutores ? Cui Apollinaris respondit : etiam plurimi . Taurus iudex dixit et uere sunt modo . Respondit Apollinaris : in hac urbe Rauenna sunt ad quem Taurus : est in te aliqua uirtus diuinitatis . cui Apollinaris : Iam dixi tibi : est uirtus superna domini nostri Iesu Christi . dixit Taurus : Ecce apud me est filius naturalis cœcus natus . Inuoca nomen istius : quem crucifixum a suis asseritis : et aperi oculos eius : et credimus : quia uere deus ipse est . Sin alias trademus te pro tuis sceleribus ad comburendum . Beatus uero Apollinaris dixit : ueniat in medium cæcus . Cumque uenisset : ait ad eum : In nomine domini nostri Iesu christi aperi oculos tuos : et uide : qui statim aperiens oculos recepit lumen : Stupefactus autem omnis potentatus qui aderant dicebant : quod uere hic est deus : qui talia operatur . Multi autem credi || derunt in dominum Iesum Chri-

stum . Tunc Taurus iudex eruit eum de populo : et misit noctu in prædium suum quasi custodiendum . is uero mansit ibidem annos quattuor . Erat enim ab urbe milliario sexto ibi ocurrebant ad eum omnes christiani : et docebantur ab eo . Quicunque ad eum æger perductus fuisset reuertebatur sanus quacunque fuisset infirmitate detentus . Temporibus autem Vespasiani augusti tam inuidiosa relatio pontificum capitolii Rauennatis : qui erant super aras trecentas cucurit Romam aduersus beatum Apollinarem : ut dicerent : Si hunc seductorem Apollinarem non mortificaueritis : qui contra religionem uestram et contra salutem populi romani prædicans romanas cerimonias in exterminium tradit . Non enim parua multitudo ab eodem est seducta : quottidie iniuriis deorum immortalium bachatur . Iste enim magicis artibus templa destruxit . Sed solus Apollinaris incuruata ætate uita priuetur : et nomen romanum permaneat . Direxit itaque Vespasianus Cæsar talem iussionem : ut diis qui temerario ore iniuriam in ferret patinæ deorum aut satisfaciat : aut urbe priuetur . Non enim iustum est ait : nos deos uindicemus . Sed ipsi de inimicis suis ulcisi† poterunt : si irascuntur . bene ualete . Mox enim data iussione præcepit ad Demostenem illustrem uirum atque Patricium sed omnino paganissimum : qui missa executione Apollinarem sibi exhiberi iubet : Quique iam incuruatus nimia ætate et diuersa passione cum adstaret in conspectu iudicis clamatum est a paganis . Nihil ab eo inquiras : omnes scimus : quia christianus est et destructor templorum . Aut puni eum : aut longius proiice ab hac urbe : ne pereamus . Demostenes Patricius dixit : Dic mihi antique seductor cuius religionis es ? Beatus Apollinaris dixit : Non ego gloriæ uestræ sed uerum dico christianus sum : et eruditus a beato Petro apostolo : et ab ipso in hanc felicissimam urbem directus sum : ut per nomen Iesu Christi salutem consequi mereantur credentes huius habitatores . Demostenes Patricius dixit : Quid multa ? tempus est a uanitate tua recedens satisfacias diis . Beatus Apolli | naris respondit : Sacrificium me ipsum offero pro salute filiorum meorum : quos acquisiui mihi . Si quis non recesserit a cultura dæmonum : et adorauerit dominum cæli et terræ et maris : qui cum domino Iesu christo et spiritu sancto regnat in æternum erit consumptus in igne perpetuo . qui autem crediderit : et baptizatus fuerit : habebit requiem æternam et diuitias incommutabiles . Tunc iudex accensus furore tradidit eum in custodiam cuidam Centurioni : qui et ipse iam christianus erat occulte cogitans : quibus cruciatibus in eum ageret . Accipiens autem eum Centurio duxit ad classem in domum suam . post aliquos uero dies ait Centurio Apollinari : Domine mi pater noli tam cito te morti tradere : quia uita tua nobis necessaria est . Sed egredere noctu : et uade in uicum : quo infirmi habitant : donec furor populi conquiescat : et in medio noctis laxauit eum silentio : ut fugeret : Cumque id cognitum fuisset a paganis : secuti sunt eum : quem adpræhensum non longe a porta : tandiu cæsus est : quandiu existimatus est mortuus . Exinde ante lucem collectus a discipulis suis perductus est in uicum : ubi leprosi morabantur : et ibi inter christianos iacens septem dies superuixit ammonens ecclesiam : ne a fide christi discenderent† . Annunciansque multas futuras persecutiones esse pro Christi nomine . Sed post has plurimas temptationes etiam principes ad fidem Christi accedere : et omnia nomina dæmonum euacuare : et libere in toto orbe terrarum hostias a christianis deo uiuo offerri . Si quis autem perseuerauerit in fide Iesu Christi : uita uiuet : et non morietur . His et aliis multis expletis eloquiis defunctus est beatus martyr et episcopus Christi Iesu Apollinaris : et sepultus est foras muros Classis in arca saxea a discipulis suis : quæ archa sub terra missa est propter metum paganorum . Gubernauit autem ecclesiam suam annos uiginti et octo et dies quattuor . passus est autem beatus Apollinaris sacerdos domini et Christi martyr . sub Vespasiano augusto die decimo calendarum augustarum : regnante domino nostro Iesu christo : cui est honor et gloria in sæcula sæculorum . Amen . ||

VITA BEATISSIMI ARNVLFI EPISCOPI METENSIVM VRBIS .

In omnipotentis dei nomine et Christi Iesu domini nostri filii eius uitam uel acta sanctissimi Arnulfi antistitis auxiliante spiritu sancto : qui in ipso requieuit stilo :† dicere adgrediar : præcipienteque domino qui ait de bonis : Aperi os tuum : et ego

adimplebo illud . Ergo reticenda non sunt quæque in exemplum bonæ actionis diuulgata proficiunt : atque suis sectatoribus proculdubio municipatum tribuunt cum sanctis . Beatus igitur Arnulfus prosapiæ genitus francorum altus satis nobilibus parentibus atque opulentissimus in rebus sæculi fuit : sed nobilior deinceps et sublimior in fide Christi permansit . Huius itaque laudabilia facta quæ gessit : non nulla ego a familiaribus illius narrantibus plæraque per memetipsum : quæ scribenda adsunt cognoui : Qua de re operæ precium censeo : ut ab ipsius natiuitatis die exordium loquendi summamus . Erat igitur quidam peregrinus contiguo illo in loco habitans de Italiæ ueniens uir dei nomine Stephanus . cum huic autem reuelata fuissent huius natiuitatis exordia : silentio paulisper interposito : tandem cælitus sibi responsum datum præsaga uoce exorsus ait : Scitote omnes : et attendite : quoniam puer iste : qui natus est sublimissimus atque summis honoribus gestandus : magnus erit apud deum et homines : quos† et deinceps uerax probauit euentus . Post hæc autem laudabilis indolis plenus gratia dei iam tempus aduenit : cum litterarum studiis imbuendus daretur . mox itaque traditus præceptori inter cæteros contubernales suos sagax ingenio et memoriæ capax amabilis fulsit : Eratque Christo in se habitante cunctis subditus : sed fide et caritate celsior omnibus : Cumque iam bene doctus ad roboratam peruenisset ætatem : Gundulfo subregulo seu etiam rectori palatii uel consiliario regis exercitandus in bonis actibus traditur . Hunc ille cum accepisset per multa deinceps experimenta probatum : Iamque Tendeberti† regis ministerio dignum aptauit . Nam uirtutem belli gerendi seu potentiam illius deinceps in armis | quis enarrare queat : præsertim cum sæpe flanges : Quapropter effectus est demum omnium primus : qui dudum pene cunctorum ultimus uidebatur : ita ut se prouinciæ quas tunc et nunc totidem agunt domestici sub illius administratione solius regenerentur† imperio . Nam sedulus in oratione in ieiuniis in misericordia pauperum incumbebat . Interea uix cogentibus ab inclyta et nobilissima gente puellam . quia deus sic uoluit præclaris moribus duxit uxorem : Nam illud eidem dominus speciale munus ueluti duarum gemmarum splendidum decus in mundo indulsit : Vt ex eadem egregia fœmina duorum filiorum gaudio suscepisset : Dum hæc itaque agerentur : sicut iam supra diximus : diuersis in palatio honoribus et ministerio primus floruit : sed iugis illius meditatio circa monasteria uel loca sancta inuigilabat . Temporibus autem illis erat in ministerio regis uir egregins† nomine Romaricus : qui desyderio illius sancto familiari iungebatur affectu . Cum hoc igitur consilio inito secundum præceptum domini : qui dixit : Vade uende omnia : que habes : et da pauperibus : et habebis thesaurum in cælo : et ueni . sequere me . Relictis omnibus lermum usque monasterium ad peregrinandum propter Christum iter agere disposuit . Sed utriusque desideriis in hac causa obfuit uoluntas altissimi . Neque enim fas omnipotens deus fore censuit : ut hi duo uiri qui demum veluti duæ lampades fulserunt in sæculo sub unius modii articulo occulerentur . Dicente domino : Nemo accendit lucernam : et ponit eam sub modio : sed super candelabrum : ut luceat omnibus : qui in domo sunt : Cumque in his atque diuersis bonis tanquam potentissimus auriga iugiter inuigilaret : forte fuit : ut urbs Metensium præsule indigeret : Tunc una uox populorum Arnulfum domesticum atque consiliarium regis dignum esse episcopum acclamauit . Ille autem lachrymans et compulsus quia deo ita placitum fuit : urbem ad gubernandum suscepit : Sicque deinceps episcopales gestans infulas : ut etiam domesticus factus sollicitudinem atque primatum palatii ac si nolens teneret : Mox autem tanta profusa munificentia in heleimosynis pauperum accreuit : ut etiam de longinquis regionibus atque ciuitatibus fama currente innumera caterna† pauperum ad || sanctum Arnulfum pontificem refocilanda festinaret : Erat namque iugiter sollicitus atque intentus in cunctis bonis actibus : præsertim in susceptione monachorum seu peregrinantium deuotissimus inuigilabat : Ita que ut quos hospitio recepisset manibus propriis pedes abluebat : illosque refectos deducens mox alios refocillandos suscipiebat . Porro abstinentiæ illius normam narrare quis ualeat? maxime cum interdum post triduana seu amplius protracta ieiunia pane hordeaceo seu lymphæ poculo uictitaret . Indutus namque iugiter intrinsecus tunica occulte cylicio : sicque exesis iam membris uigiliis atque ieiuniis geminum ingerebat cruciatum . Miracula autem aliqua saltem de multis quæ gessit narranda aggrediar . In contiguis namque partibus prædio sancti Stephani cum uir sanctus affuisset : quædam mulier nomine Betila nequiter a dæmonio arrepta discrimine suæ uitæ sæpe fortiter quatie-

batur : Cumque hæc coram sancto præsule debachare cœpisset : is quippe pietate ut erat semper inmensa ductus ait : heu miserrimum humanum genus : ut quid tantum preualuit inimicus : ut ubi Christus debuit habitare ille domicilium infelix possideat? Super uentura igitur nocte mulierem in uigiliis adsistere cœpit : Cumque uir sanctus se se orationi dedisset : Nox dæmon clamans et eiulans a muliere discessit : Illico gaudentibus omnibus iussit illam abire incolumem et lætam : quæ dudum fuerat ab inimico oppresse infirma . per diem namque tempus quo triduanum ieiunium uniuersalis celebrare consueuit ecclesia : uir sanctus extra ciuitatem cum crucibus atque promiscuo populi genere orandi gratia secundum morem ex urbe processit : et ecce ex mediis cateruis fœmina arrepta a dæmonio clamare cœpit : Hanc ille cum uidisset : uexilo crucis iniecto mox ab aduersario ereptam sanauit . Alio quoque tempore infra urbem ad orationis munus lucrandum ad basilicam sanctæ crucis accessit : ibique puellam nequiter debacchantem reperit : quam cum uidisset misericordia motus archidiacono suo dixit : Nunc igitur frater hac nocte pro ista miserrima orationum uigilias celebremus : et superueniente diluculo istic pariter reuertemur . Cumque deinceps crastina die secundum condictum affuissent : puellam ab hoste antiquo liberatam | repererunt : Sicque factum est : ut sancti huius uiri etiam absentes longeque positos curaret : Temporibus denique Dagoberti regis cum in pallatio esset : eidem quidam leprosus clamare cœpit uictum seu etiam uestimentum deposcens : at ille statim iussit eum in hospitium duci : Cum erga illum secundum os suum solitam impenderet pietatem : scisitari† uoluit quia barbarus erat : si sacra unda baptismatis ablutus fuisset : repente ille nequaquam ait : Domine mi . Nam infelix ego abiectus in populo : et quis mihi gratiam baptismi tribueret? Tunc idem inquit : Ne uerearis frater : possibile est : tantum modo crede in Christum : et erit domini uoluntas : ut geminam idest animæ et corporis tui capias medelam . Cum accepisset ergo a sancto uiro baptismi sacramentum repente de corpore illius lepra discessit : et factus est deinceps in utraque substantia sanus : qui prius fuerat peccator et maculosus . Post hæc autem cum Patrias turingorum cum eodem rege inuiscendas† intrasset : forte fuit ut quendam procerum nomine Noddilum puerum atque parentum† suum quoniam† satis diligebat suppremis funeraret flætibus . Nam et sanguinitatis propinquo et amicitia eidem insolubili iungebatur affectu . Rege autem iam quantocyus ex eadem properante uilla nihil angustianti aliud consilii aderat : nisi languentis capite amputato more gentilium cadauer ignibus comburendum traderetur . sed ut credimus omnipotentis dei tunc uoluntate id actum est ut sanctus Arnulfus a mansionibus nondum egressus fuerit . Quo comperto Noddilus ad eundem ueloci perrexit gressu : et causam infelicitatis potius singultibus quam uerbis exposuit . Confestim igitur egregius uir cum festinatione ad languentis perrexit lectulum : ubi cum humiliter fuisset prostratus : diutissime orauit . Tunc demum semiuiuo homini : ut illius mox† erat : alloquitur : pœnitere inquit fili : si quid male fortasis gessisti : ut duplicem accipias medicinam . Ille autem uenisse hominem dei exultans uix uerbis affatur : quod corde uolebat : quia extremis quatiebatur conatibus . Quid plura? Calefacta affertur aqua : et manibus propriis uir sanctus faciem ægroti : Pedes et manus cum ingenti abluit diligentia : atque oleo sancto corpus illius perunxit : sicque factum est : ut eadem die tanquam nullam infirmitatem passus cum cæteris uiam egredien† || incolumis lætusque iter arriperet . Quidam deinde homo scelestus nomine Nodo aliquando aluo refecto uinoque æstuans cum complicibus suis uiro sancto derogare ausus est : Non esse scilicet cultorem dei sed potius hominem uoluptati deditum : ad cuius lectum nocturnis horis non solum rex uerum etiam regina tanquam consilium flagitans properaret : Cum uero stratum una cum detrahente socio petisset : iubente domino ut casus fieret : omnia uestimenta illorum flamma circundans uallauit : Illico exilientes aquam urgentibus uocibus deposcebant . Sed aqua iniecta flammam diuinitus missam non extinguebat : Ardebant nequiter circa nates uel genitalia loca camisiæ illorum : nec se ardentia uestimenta exuere præualebant . Quid plura? Quia aliud facere non potuerant : exiliunt foras et instar porcorum in lutum uolutabri se se uociferantes inuoluunt . sed magis ac magis genitalia loca ipsorum ignis immissus cremabat . Tunc quippe ut reor impletum est : quod scriptum est : Detrahentem occulte in proximum suum hunc persequebar : Sic diuina censura iubente actum fuit : ut de quibus pontifici sancto detraxerant : ipsi pœnam sentirent : Nam non multum post temporis in tantis transgressionibus ipse Nodolo

depræhensus est : ut scelera illius una cum uita : regalis gladius iuste amputasset : ne solus filius ipsius moreretur . Per idem uero tempus cum iam pene omnes thesauros in usus pauperum errogasset : adhuc super erat eidem Discus argenti habens pondus librarum septuaginta duarum . hunc Vgo primas inter proceres datis alimoniis uel iis quæ pauperibus necessaria erant comparauit : sed omnipotens deus non passus est : ut ille† homo laicus frueretur : qui in honore beati Stephani protomartyris iam olim consecratus fuisset . Nam supradicto Vgone repentina morte prostrato præfatus discus Lothario regi allatus est : qui cum a narrantibus comperisset hunc a sancto Arnulfo ob alimoniam pauperum uenumdatum fuisse : mox miro dei instinctu iubet eundem uelociter centum aureis additis ad pontificem deferri : et ita factum est : ut et matricularii seu cæteri pauperes dei sustentationum alimoniam haberent : et rex† sanctorum quibus semel data fuerat : abs | que ullius rei redderetur dispendio : Cum denique hæ et similes uirtutes per illum cœpissent crescere in populo : mox remotiora a fragoribus uulgi expetiit loca : in quibus sæpe ergastulo retrusus soli deo orationibus sacris studiosissime uacaret monente altissimo : qui dixit : Vacate : et uidete : quoniam ego sum deus : Nam crebro in uilla Dodiniaca contigna† uosago agro : interdumque calciaco non multum longe ab urbe celula retrusus cælum diebus ac noctibus præcibus pulsabat : Sed dum in his atletha Christi contra diabolum sanctissime et fortiter dimicaret : conscientia tactus : ne plebs sibi a domino credita illo remoto æternæ uitæ pabula quidem minus acciperet : repente intentissime a principe flagitauit : ut successorem sui præsulem daret : misitque epistolas per internuncios se indignum huius operis seque peccatorem clamitans : et ut talem eligerent pontificem : qui prædicationis uerbum dignus sæminaret in populum : quibus relictis mox Lotharius non modicis repletus angoribus ab omni se consilio destitutum conquerens : si Arnulfus episcopus a frequentia pallatii cessaset : Cui inter cætera sic scripsit : sed domine pater quia per epistolam tuam petis ut in loco tuo alium debeamus eligere successorem : hoc enim nostra præsumptio facere nulla ratione præsummet : Immo domine pater si qua libet deuotione compulsus pro boni operis actu alicubi uacare deliberas : petimus ut nos sine pace tua uel communione non deseras . Nam præfatus rex Lotharius tanta eum fide et amore dilexit ut cum prolem suam Dagobertum in principatus culmine sublimasset : eidem regnum ad gubernandum in manu tradidit : quem ille acceptum ita altissima et profunda erudiuit sapientia : ut in Sycambrorum natione rex nullus illi similis fuisse narraretur : Sed cum insolubili desyderio ad heremum properare disponeret : suspicatus est rex prudens Dagobertus eum minis terreri : scilicet ut ab ipsius consilio non discederet : Dilectissimi inquit filii tui : quia ita admissum habet : nisi nobiscum consistas caput amputabo . Ad hæc ille : Filii mei uita in manu dei est : iam tu tuam non possides uitam : quando ab insontibus uitam auferre disponis . Tunc rex iratus aduersus eum : dependentem ex poplite mucronem manu arripuit . Arnulfus uero regis morituri par || uipendens iram dixit : Quid agis miserrime ? mala pro bonis mihi uis rependere . nunc excute arma in sanguinem meum ut tuis libet animis . Ego pro illius mandatis mori non dubito : qui mihi et uitam dedit : et pro me mortuus est . Tunc unus procerum ait : Noli impie contra temetipsum agere . O bone rex an non uides uirum sanctum destinatum et cupidum esse ad martyrium ? Aut cur non pertimescis Christi seruum lacessere ? Et his dictis iubente domino ira eius irrætita paulisper conticuit : Interea adest et regina reminiscens culpæ suæ : uterque ad pedes sancti corruunt : et ut illis misereatur cum lachrymis sic orant . Perge domine ad heremum quo uis dum placatum te habeamus : quem molestum usurpantes æxaggerauimus . Tunc sanctus uir data illis uenia a palatio egreditur : et ecce reperit pro foribus claudorum cæcorum atque pauperum pene innumeram multitudinem astantem : quo uiso omnes uociferare cœperunt : O sancte pastor cui nos miseros derelinquis : quis miserebitur nostri : quis tribuet nobis uictum aut uestitum nuditate scilicet atque fame consumptis : ne nos ipsos derelinquas . Tum ille lachrymans blanda uoce sic ait : Dabit uobis deus pastorem : qui uos pascat in miseratione et misericordia : paccati inuicem benigni misericordes : ut dum instar Lazari mendici ista nunc in paupertate et miseria torquemini : in futura felicitate regnetis : Et his dictis statim ad orationum certamina pergit : Paucis post temporibus actis uiro iusto iugi intentione pulsante : sanctus Georicus cognomento Abbo huius successor elligitur : Quo audito uir egregius Romaricus a partibus Vosagi egressus ad beatum pergit Arnulfum : atque ex

cumbentia utriusque infra uasta heremi aptum eidem præparat locum . Sed mox in eadem superuentura uenerat nocte : quod miraculum per Arnulfum infra urbem gestum fuerit silere non debeo . Forte contingit : ut prompturarium† regis ignis uorans uexaret, atque eructans excelssima† flamma domus circum quaque ad fines minaciter lamberet . Repente exurgens omnis ciuitas uidentes sui exitum† in eiulatu atque clamore conuersa est : quo audito ueloci gressu ad domum uiri sancti peruenimus et reperimus eundem sicut illius iugiter mos erat psalmodiæ mox personantem : statim apprehensa manu | illius ait Romaricus : Egredere domine : ecce absunt† pro foribus equi nostri : ne quod absit : te in hac urbe ignis consumat . Ad hæc ille nequaquam inquit dilectissime . Sed ducite me illuc : et uideamus quid hoc impium crassatur incendium : et ponite me uicinum illi . Et si ita uult deus : ut ardeam : Ecce in manu eius sum : Tunc nos tenentes sanctas manus illius ad mulierem peruenimus : et mox iubente illo in oratione prostrati : capitulo dicto surreximus omnes . Tum ille eleuans manum contra ingentes flammas uexilum crucis iecit . Mox mirum in modum tanquam cælitus percussus nil alibi nocens infra parietes in semetipsum totus retrorsus ignis interiit . Nosque iam deinceps securi de periculo subacto gratias agentes deo : dictis matutinis ad lectulos nostros remeauimus . Illico cuidam e fratribus talis apparuit uisio . Intuens in cælum uidit tanquam flammam ignis signaculum crucis depictum : et statim in cælo extolli : quo crucis uox facta est dicens : Cernis hoc inquit signum? Hac nocte Arnulfus episcopus per ipsum totam ciuitatem istam ab incendio liberauit : Mirantibus nobis omnibus uirtutem quam uidimus de igne prostrato frater ille hanc uisionem narrauit . Post hæc autem beatus Arnulfus relictis cunctis sæculi rebus atque bene perfecteque pauperibus erogatis : iamque fidus et securus de thesauro in cælo recondito : non multis delapsis diebus : pauper quidem propter Christum in sæculo effectus : sed iam diues uirtute domini ueluti nouus Helias ad heremum properans et inter bestias syluæ paruulis mansionculis meditatione laudes deo personauit . adscitis quippe aliquantulis secum monachulis necnon leprosis : quibus manibus fidelissimam seruitutem iugiter impendebat : calciamenta a pedibus detrahens atque detergens capita et pedes illorum crebro abluens : necnon electos† ipsorum reciprocis diebus studiosissime compositos parabat . Nam et coquinæ seruitium abhorrens idem episcopus sanctus et coquus sepæ exuriens ipse suos contubernales pascebat . Sed et lectum eius uile quidem in oculis hominum : pulcherrimum uero in obtutibus angelorum : spretis duntaxat mollibus et pretiosis uestibus cylicia ornabant . In his igitur atque cæteris innume || rabilem bonis dum angelicam ageret uitam iamque omnipotens deus suum atletham ad destinatum brauium uolens destinare : ad ultimum uocauit diem : quo comperto adest et uir religiosissimus Romaricus cum cæteris monachis gloriosum eius præstolans egressum . Tunc electus dei et sanctus pontifex eum alloquens ait : Bone uir ora pro me . Iam adest dies quo iudici meo præsentandus apparebo : quid faciam? Nil boni gessi in hoc sæculo : omnibus sceleribus et peccatis uallatus coherceor : pro quibus domino ut ueniam merear obsecro supplicate . Hæc uir sanctus : quia scriptum est Iustus in principio sermonis accusator est sui . Interea uenit hora : ut sancta illa anima manibus sanctorum angelorum ad Christum gestaretur : Fit illico gaudium magnum procul dubio supernarum uirtutum in cælo et ingens Luctus pauperum Christi atque monachorum in sæculo . Adest mox iuxta morem sanctum sacrum euangelium quod lector inter psallentium luctus et cantus personat uoce : Sicque demum uir egregius Romaricus allatum sanctissimum corpus illius cum dignitate et honore quo ualuit in Castello habendo sepulturæ tradidit . Post annos fere octo successor eius Georicus episcopus coaceruata clericorum laicorumque ingente caterua adscitis quoque duobus episcopis secum : una pergunt ad heremum : quo in loco excubias cum reuerentia celebrantes : sancta membra ab urna lapidis auferentes grabato imponunt : atque mox cum gaudio remeant ad urbem . Nam suauitatis odor ex his sacris membris cunctos replebat uæhementer : dum autem gestantes ueniunt ad quendam riuum : cuius ripparum tumescentis aque euntibus conuallem atque lubricum pandebat meatum . Tunc posteriores qui feretrum portabant casu corruunt . priores uæhentes nullo retardantes gressu sed grabato in aere sublato gradiuntur libere . qui lapsi fuerant iam surgunt transmeataque conualle se se collegis iungunt . post etiam illo in itinere mox aliud emicuit miraculum : Quidam homo in pago Caluomotense incestuosus fuit . Hunc ille cum sæpius

redarguens ad pœnitentie emendationem perducere non potuisset in hac uita impenitentem reliquit : forte fuit : ut in eiusdem incœstuosi uilla oratorium esset : Quo in loco itinerantibus illis congruum erat : ut mansio pararetur : Ideo uel maxime quia sanctum corpus opportebat excubiis in Basilica ho | norari . Venientes autem ad terminos terræ hominis incœstuosi : repente figitur gressus portantium : ita ut ulterius uectandi sacra membra facultatem non haberent : Et ecce angustia sacerdotibus[7] et uniuerso populo : quoniam ad mansionem quo uerteretur ignorabant : præsertim cum iam dies declinata esset ad uesperum . Tunc Notto dux qui unus erat ex uehentibus ait : Videtis quia terram incœstuosi huius ingredi despicit . Est enim ualde procul uilla mea ubi nox ante nos includet : quam illo uenire ualeamus : sed deest mihi inibi potus uel paratus : quo tantam multitudinem reficere possim nisi tantummodo ut comperi in imo uasculi modicum quiddam ceruisiæ : quibus auditis uniuersus populus iter retorquens in tanta uelocitate pergunt : ut potius geruli semetipsos portari quam portare sentirent . At diei adhuc lucem habentes ad destinatum perueniunt locum . Tunc Notto ait : Nunc igitur beatus Arnulfus pascat uos nocte ista : quoniam quod deest nobis ipso intercedente adesse potest . Statim in tanta exuberantia accreuit tanta modicitas potus illius : ut omnibus affatim satiatis adhuc in crastinum superesset . Post hæc autem cum magna prosperitate et lætitia ad urbem perueniunt . Et ecce mox omnis ciuitas cum crucibus et cereis atque ingenti gaudio et admiratione obuiam occurrit : et pastorem suum quem dudum ueluti fugacem amiserant cælo iam regnantem recipiunt : atque sacrum corpus illius in basilica apostilorum[7] sanctorum grandi cum reuerentia et exultatione sepulture recondunt . Mox quippe sepultus quid apud Christum in heremo mercatus fuisset suis ciuibus miraculis demonstrauit . Nam mulier quædam Iulla olim cæcata ad sepulchrum eius accessit : ubi cum prostrata fideliter orasset : absque mora lumen recepit : atque exitus uiarum quos externa auxiliante manu calcare consueuerat : propriis cernens luminibus ad diuersorium læta remeauit . Ceucirella nomine in suburbano medio ausa fuit dominica die operari Sed mox diuinitus uerberata : utraque manu contracta est : quæ cum ad sancti Arnulfi sepulcrum uenisset orationique prostrata : Statim digiti illius qui iam dudum palmis inhæserant ad pristinam sospitatem redierunt : et mox remeat læta quæ tristis uenerat et contracta . De plurimis huius sancti uiri miraculis hæc pauca scribenda delegi ad honorem dei cuius est omnis honor et gloria . ||

PASSIO SANCTORVM MARTYRVM BABYLE ET TRIVM PARVVLORVM .

Numerianus rex cum immolasset immundis idolis : Voluit intrare in domum dei . Sed sanctus Babylas episcopus : qui bene didicerat oues regere . quæ sub ipso erant audiens ingressurum Numerianum dixit presente populo : Fortes estote filii : et expectate hic . Lupus enim incipit introire in domum dei : et si non deus anticipet nos perimus : quique obedierunt : et expectauerunt . ipse autem ante ianaum stans expectabat : Numerianus autem cum aduenisset : conatus est introire . et stans seruus dei Babilas prohibuit ei dicens : Non intres habens manus coinquinatas . Numerianus autem contendebat introire : Et stupens in fiducia uiri simulque erubescens propter openionem[†] : quæ erat circa eum statim tacuit : Et iussit eum custodiri in crastinam diem fortiter : et altera die sedens Numerianus in palatio : iussit eum exibitum introduci coram omnibus : et dici ei : miser homo quid pre oculis ausus es occurrens prohibere me? An ignoras : quoniam rex tibi loquitur : per astrea quæ super omnes : hoc est sollemne iuramentum gentilium : non effugies manus meas . uideamus si iuuabit te deus tuus . Babylas episcopus dixit : ego quidem homo sum humilis : complacuit uero deo ordinare me pastorem populi sui . ex quo uidens lupum uenientem in gregem dei festinaui non despicere : ut non aliquem perdam de grege et reddam rationem deo meo . Numerianus dixit : Lupus apud te existimatus sum et non rex? Babylas dixit : Secundum concessionem dei es rex : secundum nostra peccata lupus es : ut uel sic lacerati conuertamur . Ego enim te regem uerum non dico : quoniam non cognoscis : qui præstitit hunc honorem . Si enim cognosceres :

ipsum tantum adorares et non creaturas eius : in operibus quoque tuis irritas eum : qui te fecit ex eo | quod non eras : in eo quod es : qui te honorificauit : ut tu similiter honorifices eum . Dico autem rem communem . si quis de iis qui sub tua potestate sunt constituti recesserit : et ierit ad alium regem : hoc est ad alienigenam : num irasceris ? Numerianus dixit : per deos rationabiliter respondisti sicut sapiens doctor et secundum opinionem : quæ circa te est . unum autem tibi deest scientia deorum . Poteras enim homo bonus esse . Babylas dixit : insipiens es et impius et superbus tyramnus iniuria enim mihi est honor tuus : et quæ dicuntur a te laudes infamiam mihi præstant . Repletus enim sum omni bono deum cognoscens : et non lapides adorans . Numerianus dixit : iam non te sustineo sed boias tibi impono super collum et compedes circa pedes tuos quasi malo seruo : qui iniuriam domino suo fecit . Babilas dixit : Ego deum habeo dominum dominos autem et fratres timentes deum . unde et tu crede domino deo : et pedes tuos osculor . honos autem mihi est : quomodo putas iniuriam te fecisse . Hæc autem patiens non sum dignus seruus dei sed inutilis . Beati autem : qui propter deum hæc patiuntur . Numerianus uictorino duci dixit : uolumus Babylam insipientium doctorem corripi . iubeo autem in colum eius mitti boias similiter autem et in pedes compedes ad infamiam . non enim paruas mihi fecit iniurias . Victorinus dux dixit per clementiam tuam olim suggerere uolui timori tuo de hoc homine et de gente eius impiissima : quoniam iniuste et alia pro aliis docet : qui multiplicant nobis laborem : dum non obediunt nobis . Numerianus dixit interim ut tibi uisum est : fac in contemptorem Babylam et paulatim gentem hanc expendo . dum autem posuit in collum Babilæ boiam et in pedes eius similiter : dimisit eum procedere cum custodia : ut ab omnibus uideretur : qui ab ipso regebantur . Babylas dixit deo meo gratias ago : qui ad hunc honorem me adduxit propter confessionem meam quæ est in ipso . Tibi autem duci non ago gratias nec regi tuo . Altera die dixit .† Numerianus : uocate Babylam doctorem paruulorum qui insipienter monet et uocatus Babylas || dixit : doctor sum quidem paruulorum horum : qui in aliquantis quoque sapienter occurrunt : et resistunt his : qui ueritatem euertere uolunt . insipientium autem qui uobis similes sunt non sum doctor . Numerianus dixit . per deos decet te boia : et quæ circa pedes tuos sunt posita . Babylas dixit : tu quidem insipienter motus derides . per filium dei tantum me decet quantum necte† decet diadema : quod circumpositum est capiti tuo . Numerianus dixit : immola diis : et libera te de tormentis istis : quæ te expectant : et noli seduci ab infantibus : quos doces . Babylas dixit : Quod paruulorum sum doctor : iam dixi tibi . uis autem uidere : quæ est conuersatio paruulorum et doctrina : quæ est in deo ? habeo tres paruulos : qui nutriuntur secundum deum . iubeo eos uocari : et uidebis constantiam eorum : quia deus cum ipsis est Forte enim per meum experimentum non credidisti . sed quasi delirum et uerbosum me conspexisti . Numerianus iussit adduci paruulos : quos insimiauit† Babylas cum autem adducti fuissent : Numerianus dixit : Matrem habetis ? Qui dixereunt† : habemus enim plus matrem qui nos nutriuit . Babylam dominum nostrum . Numerianus iussit matrem paruulorum introduci : Et cum introducta fuisset : Numerianus dixit : filii tui sunt hi an non : quæ dixit Ego quidem genui eos . deo autem obtuli illos per pastorem meum . Babylam : et ipse erudiuit eos de . ıculturaNumerianus dixit : Alapis eam fortiter tundite coram infantibus suis dicentes ei : noli proterue respondere . paruuli autem uidentes matrem suam uapulantem simul clamauerunt dicentes : Tyranne noli occidere matrem nostram sine causa . bene enim nata est . Vere enim benediximus : quod ipsa nos genuit : sed qui nutriuit nos dominus noster est Bablyas† et si iterum irasceris domisnus noster est . ipse enim dei timorem nos docuit . Et iratus Numerianus iusit totos tres paruulos leuari cathomo . Et uni quidem dedit de loco duodecim : secundo nouem : tertio septem : Quique infantes simul quasi | ex uno fonte dixerunt : Benedictus es deus qui propter te hæc patimur . Numerianus : dixit matri eorum : primus filius tuus quot annorum est ? Quæ dixit : duodecim . Numerianus dixit : Secundus quot ? Quæ dixit : nouem . Numerianus dixit : Tertius quot ? Quæ dixit : septem : et exclamauit mater eorum dicens : Magnus est deus cristianorum : quoniam quisque filiorum meorum secundum quantitatem annorum suorum ita et cæssus est a te : qui perficis et coronas filios meos . Numerianus iussit foris mitti matrem paruulorum : et induci Babylam : et dixit : doctor Insipientium et eruditor paruulorum quæ putabas probanda per paruulos : inuentus es mendax . Vocaui enim infantes . promisserunt :

et constituerunt Immolare diis . Babilas dixit . Male mentitus es contra salutem tuam : nichil extra faciens . Filius enim es tu patris tui sathanæ : qui semper mentitur : et non potes uincere aliquem neque tu neque pater tuus nisi mentiti fueritis . Numerianus dixit per Asclepium quia dissimulo sermones tuos et tormentis te paulatim afficio . Et si non obedieris et Immolaueris : statim caput tuum facio incidi . Babylas dixit : uere derideri ueremini . Numerianus dixit : Deliras . In qua re deridendi sumus? Babylas dixit : si audierint cæteri dii tui : quia Asclepium solnm† nominasti : non irascuntur tibi ? Et maxime egea . Vere ego confundor in insipientia uestra : quoniam non intelligitis : quid expediat uobis . sed adoratis deos : quos nec infantes adorauerunt siue crediderunt . Numerianus dixit Si audierit christus tuus : non irascetur quomodo solum deum nominasti ? Quid facies . Babylas dixit : Non quidem dignus es audire scientiam christianorum . tamen propter hos populos qui hic stant dico : ut non per tuam improbitatem uera scientia fraudentur . Cum christiani chrstum† nominant : profitentur et patrem . Cum patrem nominant : profitentur et filium . Non est enim separatus : neque pater a filio : neque filius a patre nec conparatio deo || cum dæmonibus : quos adoras : sicut scriptum est : Quæ communicatio luci cum tenebris? Infantes enim erant suspensi cum Babyla in tantis horis . Numerianus autem iussit torqueri eum habentem compedes uel boiam super collum eius : et cum essent grauia propter quod suspensus erat diu : læserunt eum . Illi autem qui propter ipsum ibi stabant cum ei noti essent : dicebant ei quasi dolentes pro ipso : profitere : et immola : et libera te a tromentis† . Babylas dixit : Non tantum lugeo hunc insipientem : qui sedet . quantum uos qui ei commissi estis : et perdidistis uitam uestram . Tamen huic ego non consentio nec eum iam audio . Mihi enim tormenta hæc uita sunt . Releuat enim ea : propter quem patior . unde nec sentio . Numerianus insuper iussit eum torqueri . Infantes autem suspensi clamabant Tyranne impiissime quid dominum nostrum et bonum pastorem torques crudeliter et sine causa : quoniam omnium dominum bene collit : Sed hoc faciens honorem merebatur non tormenta . per ipsius autem salutem non effugies manum dei . sed igni gehennæ habes tradi . Numerianus iratus iussit et ipsos torqueri . Infantes autem quasi una uoce dixerunt : Non erubescis impiissime a paruulis uictus præsente populo tanto? Tu enim magis torqueris : quam nos per eum : qui potest tibi celerrius retribuere : non sentimus tormenta Numerianus iussit deponi Babylam . quem depositum abscondit in cella : ut secrete interrogaret infantes : et cœpit dicere infantibus : Filioli audite me : et multos honores uobis dono : quos non potest uobis alter donare . qui quasi ex uno fonte dixerunt : Multiformis et subdole noli nobis mortem ingerere . omnia enim dona tua gehenna plena sunt : Ex quo enim dedit nobis doctor signaculum : perfecti sancti sumus : et abiecimus mentem ætatis infirmioris : et fortiore esca accepta parati sumus mori propter dominum : quam irritare seruum dei pastorem nostrum Putasti enim quia separasti pastorem nostrum : uincere nos per filium dei qui po | test pastorem nostrum ubicunque fuerit et nos liberare de coinquinatis manibus tuis : qui et hoc tempus potest mutare celerius . non negabimus deum : neque confundemus pastorem nostrum orantem pro grege suo : ne quemquam perdat . Omnia autem audiebat beatus Babylas : cum esset in cella secreta .

Numeriamus dixit : Inducatur Babylas : et dixit ei . hii infantes filii tui sunt an non? Babylas dixit : filii mei uere sunt secundum deum . mulierem autem coram deo meo non cognoui : ex quo natus sum . Numerianus dixit : Quomodo ergo similes tibi sunt in ominibus† ? Babylas dixit : Oratio est mihi : ut in omnibus similes sint mihi præter peccata mea . Numerianus dixit : Ego tibi dixi : libera te a tormentis et a pœnis : quas incipies sustinere et non es persuasus . Si autem uis obedire : obsecro te : et satis tibi facio de tormentis . presuade† autem et infantibus : ut non cum sint paruuli finem uitæ reddant . Babylas dixit : Insipientissime omnium hominium† et impiissime tyranne credo deo patri christi : sicut uictus es a nobis : ita et ab aduersaaiis† tuis uinceris . promissiones autem tuas da filiis tuis et prouidentia tua tecum sit in perditione . Non enim tanta potes donare : quantum conaris auferre Numerianus iratus dedit ei sententiam et tribus paruulis . Cum accepisset autem Babylas sententiam cum tribus paruulis adiurauit adstantes dicens : per dominum uos adiuro : qui omnia conspicit cum hiis quæ sunt in pedibus meis et in collo meo ponite me in testimonium tyranni huius qui habet in sempiterno torqueri igne : qui non extingue-

tur . Et exiens per portam psallebat dicens : Saluasti enim nos ex affligentibus nos et odientes nos confudisti : et respondebant ei Infantes . Eum quoque qui exierat decollare eos rogauit beatus Babylas : prius infantes percuti et ita se . Statuit uero eos infantes dextra læuaque : et dixit : Ecce ego et pueri quos mihi dedit deus . Et uidens consumatos paruulos dixit : Benedictus es deus chri || stianorum : qui fecisti secundum magnam misericordiam tuam : Ista enim ex ore infantium et lactantium perfecisti laudem . Et ipsius incisum est caput : et positus est cum infantibus : et cum boia et compedibus in pace . regnante domino nostro Iesu chrysto cui est honor et gloria in sæcula sæculorum amen.

PASSIO SANCTI BARNABAE APOSTOLI.

Redemptor et saluator noster dominus iesus chrystus antequam de interitu sathanæ triumphans uictor et exultans penetraret regna polorum : sanctam ecclesiam quam pretioso sanguine acquisiuit per beatos apostolos et apostolicos uiros immobiliter muniens fundauit : et mirabiliter corroborans solidauit . Scilicet ut et ipsa inuiolata semper et gloriosa maneret : et illorum prædicatione nouam sibi progeniem plurimosque filios aggregaret E quorum consortio et collegio æstans beatissimus Barnabas . tanta deuotione pro ipso decertare studuit : quanta diuinitus per spiritus sancti gratiam cum beato paulo apostolo ad apostolatus gloriam uocatum se esse cognouit Ergo cum sanctorum apostolorum natalitia celebramus : dignum equidem atque salutare uidetur ut eius solemnitatem deuotissime celebremus . Quoniam quidem et si non est in ordine duodenario apelatus eorum : non tamen deest cathalogo prædicationis excellentia miraculorum : quæ cum beato paulo sicut lucas euangelista refert in actibus apostolorum mirabiliter patrauit a tempore uidelicet : quo per inuocationem et gratiam spiritus sancti tertio decimo post domini passionem anno cum ipso paulo ad apostolatus ordinem atque celsitudinem et prædicationem diuinitus ellectus est uocante illos eodem spiritu sancto et dicente : Segregate mihi Barnabam et paulum in opus : quo assumpsi eos . Sed qualiter uir iste domini Barnabas deuotissime fidem catholicam prædicando et corda infidelium ab errore iniquitatis redimendo . opprobria et contumelias | pro chrysti amore sustinendo certauerit . ac deinde per martirii gloriam ad paradisi palmam peruenerit : per autenticam seriem et auctoritatem præfati lucæ euangelistæ et iohanis cognomento marci discipuli atque ex adelphi eius gradientes fida relatione pandere curamus . Denique iste est ille Barnabas sanctissimus : qui et ioseph dictus unus ex septuaginta discipulis domini saluatoris : qui secundum nominis sui presagium dignitatem pro meruit . Nam Barnabas hæbraice : latine autem filius consolationis dicitur . communiter cum sanctis apostolis degebat : et consolationem maximam prebebat eis : in quibus uidelicet erat cor unum et anima una : nec quisquam eorum quæ possidebat aliquid suum esse dicebat . sed erant illis omnia communia . Et quotquot possessores erant agrorum aut domorum uendentes pretia eorum afferebant . et ad pedes discipulorum ponebant . Sic et enim scriptum est : Ioseph autem qui cognominatus est Barnabas ab apostolis quod est interpretatum filius consolationis leuites cyprius genere cum haberet agrum : uendidit illum : et attulit pretium : et posuit ad pedes apostolorum .

Postmodum uero cum beatus Paulus conuersus fuisset ad fidei gratiam eodem anno : quo dominus passus est : et resurrexit : iste Barnabas in ipso initio fidei eius . illum apprehendere dignus fuit : et ducere ad apostolos . Vnde et sequitur : Barnabas autem apprehensum illum duxit ad apostolos : et narrauit illis : quomodo . in uia uidisset dominum : et locutus est ei et quomodo in Damascho fiducialiter egerit in domino Iesu . Plane diligenter considerare et ammirari condecet : quantum illum diuina gratia dilectum quantumque amabilem atque dignum habuit : quando inter tot discipulorum cateruas non alium ad instruendum et docendum suum nouum militem miserit : nisi Illum qui consolationis filius dicebatur scilicet ut illi . Saulo qui nouus tyro nouamque tyrocinii gratiam perceperat dul || cem sanctæ fidei gratiam dulceque mysterium sagaciter ministraret . Cuique dante gratiam deo dare quem non pœnitet unquam : quantum eius instructio in nouum Christi militem fructificauerit : quan-

tumque inter sanctos apostolos gloriosus enituerit repletus spiritu sancto : audiamus . Peruenit autem sermo ad aures ecclesiæ quæ erat hierusolymis super istis : et miserunt Barnabam Antiochiam : qui cum uenisset : et uidisset gratiam dei : gauisus est ualde : et hortabatur omnes manere in domino : quia erat uir bonus et plenus spiritu sancto et fide : et apposita est multa turba in domino . Nonne quia illum cognouerant sancti dei apostoli esse uirum bonum : sed quod gloriosius est atque beatius plenum spiritu sancto : ideo illum ad prædicandum mittere studuerunt : Ideoque ei sancti† spiritus turbam multam subiicere atque ad cognitionem domini nostri Iesu chrysti mirabiliter perducere dignatus est . Sed quia non solummodo istos domino acquirere cupiebat : ne nouum tyronem obliuioni traderet : inhianti studio illum sibi comitem ad prædicandum summere studens profectus est inquit euangelista tharsum : ut quereret Saulum : quem cum inuenisset : perduxit antiochiam : et annum totum conuersatus est cum eo in ecclesia : et docucrunt† turbam multam : ita ut cognominarentur primum antiochiæ discipuli chrystiani . Verum quia non tantummodo in prædicationis gratia sed etiam in hospitalitatis misericordia benignus extiterat : cum sancti apostoli hierosolymis eleimosynam destinare curarent : istum præ omnibus : et inter omnes eligere statuerunt . Sic enim astruit euangelista . Discipuli autem pro ut quisque habebat in ministerio proposuerunt mittere habitantibus in Iudæa fratribus : quod et fecerunt mittentes ad seniores per manus Barnabæ et Sauli . Interim quantum talis obedientiæ talisque eleimosynarum uirtus domino deo placuerit : quantamque uicisitudinem ex inde postquam reuersi sunt in antiochiam perceperunt : sequens lectio demon | strat . Barnabas autem et Saulus reuersi sunt hierosolymis expleto ministerio . Erant autem in ecclesia quæ erat antiochiæ : prophetæ et doctores : in quibus Barnabas et Saulus . Ministrantibus illis domino et ieiunantibus dixit spiritus sanctus : Segregate mihi Barnabam et saulum in opūs† : quo assumpsi eos . Ecce beate Barnaba apostole domini nostri Iesu chrysti quanta tibi diuina gratia tribuit dona pro digno munere : quod dignus recte patrasti : Scilicet ut spiritus almificus te deuote uocaret : mitteretque ad populum cælestia dicta ferentem . Sequitur beati euangelistæ ad clarificanda eius miracula diuina lectio . Et ipsi quidem dimissi a spiritu sancto uenerunt Seleutiam et inde nauigauerunt cyprum . Repletus namque spiritu sancto beatissimus Barnabas quid decebat : ut ageret cum dillecto collega nisi illud : quod nemo mortalium sine gratia spiritus sancti patrare ualet : sicut in presentiarum manifestissime declaratur . Nonne postquam illum Barien qui helimas dicebatur lumine priuarunt : et Sergium paulum proconsulem a quo beatus apostolus de saulo paulus uocatus est ad fidem catholicam conuerterunt : plurimam multitudinem ad lucem ueritatis perduxerunt . Sic utique sacra scriptura denuntiat : Secuta est inquit multitudo iudeorum et colentium aduenarum paulum et Barnabam : qui loquentes suadebant eis permanere in gratia dei : Et sequenti sabato pene uniuersa ciuitsa† commota est audire uerbum dei . Audientes autem gauisi sunt : et glorificabant dominum : et crediderunt quotquot erant præordinati ad uitam æternam O ammirabile stupendumque mysterium diuinæ dispensationis . O prædicandum et glorificandum sacramentum domini saluatoris : qui sibi recte famulantibus tantam gratiam conferre dignatus est : ut resistentes lumine priuarent : et humiliter famulantes ad claritatem perpetuæ beatitudinis perducerent . Sed quia superbi unde respicere debent : inde inflamantur ad iram : sedicionem facientes eiece || runt apostolos de finibus suis . Illi autem gaudentes repleti spiritu sancto et prædicantes conuerterunt ad dominum Iudæorum et grecorum copiosam multitudinem Interea quia unus inerat eis spiritus et una fides sicut in cæteris apostolis : ne minores uiderentur esse in miraculis : qui æquales erant in amore sanctæ religionis : congruum fuit : ut sicuti beatus petrus et Iohannes claudum ex utero matris curauerunt : beatus paulus et Barnabas similiter agerent : et dispensante deo ita peractum est . uenientesque listris : claudum ex utero matris mirabiliter curarunt : adeo ut tale miraculum turbæ conspicientes deos illos existimarent dicentes : Dii facti similes hominibus descenderunt ad nos . Et uocabant Barnabam Iouem paulum uero Mercurium : quoniam ipse erat dux uerbi . Sacerdos quoque Iouis tauros et coronas deferens uolebat sacrificare Quare itaque hoc ? Quare Barnabam Iouem : paulum uero uocabant Mercurium ? Quare tauros quare coronas sacerdos ferebat ? Propter hoc namque Barnabam Iouem uocabant : quia secundum ethnicam fatuitatem defensorem suum illum esse credebant . Paulum uero Mercu-

rium : quia ipsum credebant eloquium lingue prestare mortalibus : unde mercurim† hoc est medium currentem inter aures linguasque dicebant . Tauros uero ad uictimam : coronas autem ut quasi diis sacerdos Iouis illis imponeret . Sancti itaque apostoli reminiscentes precepti domini dicentes† : qui se humiliat exaltabitur : tale facinus prorsus abominantes et respuentes scissis tunicis clamabant : uiri quid hoc facitis ? Et nos mortales sumus similes uobis homines annunciantes : ut conuertamini ad deum uiuum : qui fecit celum et terram . Exinde in derben uenientes euangelizabant : et docebant multos : uere digne uere iuste gratia Chrysti preeunte et dispensante multos docebant : ut qui se in mundanis rebus humiles fecerant : in diuinis sublimes existerent : ut plurimos docerent : tenebrisque retentos ad lucem ¦ ueritatis reducerent . Plurimas itaque prouincias peragrantes uerbum domini annunciando tandem peruenerunt hierosolymam : Qui suscepti a sanctis apostolis annunciabant gaudentes : quanta deus cum eis mirabiliter fecisset . Bene autem non utique tristes sed gaudendo annunciabant quia promissum habebant : Gaudete itaque et exultate : quoniam nomina uestra scripta sunt in cœlo . Verumtamen quia in achaia quæstio exorta erat ab improbis : consilio inito sancti apostoli quos destinare curauerunt ad tale facinus extirpandum : nisi hunc beatissimum atque fidelem dominum barnabam filium scilicet consolationis cum collega fido beatissimo paulo : quo consolando atque prædicando elisos erigeret : ac perditos reuocaret : quod donante deo ita patratum est . Præterea quantam dilectionem erga hunc beatissimum Barnabam sancti apostoli habebant : quantamque benignitatem sanctus euangelista denunciat . Placuit inquiens nobis collectis in unum eligere uirum : et mittere eum ad uos cum carissimis nostris Barnaba et paulo : qui tradiderunt animas suas pro nomine chrysti : uere dignum et iustum atque salutare decretum : quia destinare curauerunt : quos gratia sancti spiritus iam pridem elegerat . Namque antiochiam cum apostolica epistola properantes impiam hæresim destruxerunt : Erantque docentes et euangelizantes uerbum domini nostri . Iesn† chrysti . Porro quia omnem sollicitudinem erga sanctam ecclesiam habebant : ne in aliquam hæresim inciderent : placuit ut reuertentes uisitarent ecclesias : quibus prædicauerant uerbum dei . Sciebant enim callidam esse astutiam Sathanæ : ideoque prouidebant : ne corda reuocata sanctorum pestifero genere zizaniorum fedaret . Postmodum uero ait euangelista : Visum est eis ut beatus paulus reuerteretur hierosolymis : Barnabas autem repeteret cyprum insulam : de qua assumptus erat : assumpto predicto iohane cognomento Marco . Bene utique prouidentes bene intelligentes : et unus pergeret ad uisitandum fundamentum || sanctæ ecclesiæ et relligionis : alter uero ad prædicandum et liberandum ethnicos a nece perditionis . Ergo non omnis sequestratio mala sed illa psorsus† quæ irrationabiliter agitur nullo iusto iudicio flagitante : Diuisi namque admodum connexi erant . Quare itaque hoc ? Quoniam illos cathena caritatis annexos habebat ille : qui eis docuerat In hoc cognoscent omnes quia ueri mei discipuli eritis : si dilectionem meam in uobis habueritis . De sessione autem huius sanctissimi apostoli barnabæ nemo in scrupulum dubitationis incidat ut non sedeat cum domino sicut cæteri apostoli ad iudicandum pro eo : quod non est de duodenario illorum numero : quando quidem sicut sancti docuere patres : per duodenarium numerum uniuersitas designatur : Ergo proculdubio sedebit : et cum sanctis martyribus et cum apostolis gloriosum officium exhibebit . Quia quomodo non defuit de catalogo prædicationis ita non deerit a gloria sessionis . Igitur quia exortus de sessione illius sermo rationabiliter disertus est : opere precium uidetur et utile : ut liquidius intelligamus : quot sint partes eorum : qui iudicant : et qui iudicantur . Ergo sanctorum patrum documenta sequentes ueraciter teneamus : quia duæ sunt differentiæ uel ordines hominum in iudicio hoc est ellectorum et reproborum . Quæ tamen duæ partes diuiduntur in quatuor : Perfectorum enim ordo est unus : qui cum domino iudicat . et alius qui iudicatur : utrique cum domino regnabunt . Similiter ordo reproborum duas habet partes eorum scilicet qui intra sanctam ecclesiam sunt mali iudicandi : et dampnandi sunt Qui uero extra ecclesiam inueniendi sunt : non sunt iudicandi : sed tantum damnandi . Nos ergo interim fratres carissimi hæc considerantes huius sancti et gloriosi apostoli et martyris Barnabæ uitam et deuotionem ammirantes eiusque uestigia sequentes in hac illius festiuitate spirituali iocunditate lætemur : quatenus illo interueniente a peccatorum uinculis exuti in iudicio domini inter iustos inueniamur : et cum eis uitam ¦ æternam percipere mereamur . Huc usque beati Bar-

nabæ gloriosum agonem . et ueneranda magnalia declarantes ex autentica auctoritate lucæ euangelistæ ut predictum est breuiter deflorare curauimus Sed quia idem sequendo beatum paulum apostolum sancti barnabæ apostoli finem cernere non potuit : cætera quæ sequuntur : In aliis eius actibus autenticis reperiuntur : de quibus aliqua breuiter hic inserenda duximus . In diebus apostolatus sui Barnabas apostolus comitantibus secum fratribus Romam uenit : cum nondum petrus et paulus ibi fuissent : et ibidem primus chrysti euangelium per dies aliquot prædicauit : cumque ipso illic existente de plærisque locis et ciuitatibus mentio haberetur : audiuit inter alias nominari imperialem et celebratam ciuitatem mediolani : Atque illuc proficiscens festinare disposuit assumpto secum sancto dei uiro Anathalone comite fidelissimo cum aliis quibusdam æque sociis in ministerium euangelii . Cum igitur Mediolani beatus Barnabas chrysti euangelium prædicaret : et insistens prædicationi operam daret : cohoperante domino magnam illorum ciuium multitudinem in breui conuertit : et ad fidem ueritatis adduxit .

Quo autem ordine æd† martyrii coronam peruenerit : ex greco eloquio prædicti Iohannis exadelphi eius transferentes sensum magis quam uerba sequentes fideliter declaremus . Iohannes igitur qui et Marcus famulus domini nostri Iesu chrysti . discipulus uero sanctorum apostolorum pauli et Barnabæ mystica dei opera quæ diuinitus uidi et diligenter cognoui gradiendo scilicet cum predictis apostolis sanctis dei famulis in ministerio eorum de omnibus fidelibus in chrysti ecclesia commorantibus per gratiam domini fideliter pando . Denique cum essem ethnicus et famulator ydolorum : commorando scilicet in ministerio cyrilli quondam pontificis nefandissimi templi Iouis annuente domini nostri Iesu chrysti gratia baptizatus sum per beatum || paulum et Barnabam : qui digni fuerant uocatione dei in loco : qui dicitur yconium Posteaque uero sacrum baptisimum† suscepi : uidi in uisione uirum splendidum atque mirabilem : amictum stola candida : qui dixit mihi : Constans esto Iohannes : et crede fiducialiter quoniam quidem non Iohannes sed Marcus id est excelsus uocaberis : et gloriam excelentiæ tuæ ubique prædicari : et glorificari oportet : pro eo scilicet : quia tenebræ quæ hactenus fuerunt in te : penitus effugatæ sunt . Et data est tibi gratia et intellectns† : ut cognoscas mysteria dei omnipotentis . Comendo itaque beato Barnabæ hanc reuelationem Obstupui fateor ut seriatim illi omnia quæ a predicto uiro agnoui professus sum . Interea beatus paulus non ibi erat : quando hæc secreta pandere studebam beato Barnabæ . Postquam uero idem beatus Barnabas diligenter animaduertit nostram reuelationem : commouit me dicens : Præcaue diligenter : et pone custodiam ori tuo : ne alicui uirtutem mysterii quam uidisti asseras . Nam et mihi similiter hac nocte apparuit dominus Iesus christus dicens : Constans esto Barnaba credendo uerissime : quoniam pro sancta deuotione qua reliquisti generationem tuam et tradidisti animam tuam pro nomine meo in ea perseuerando premia æterna percipies . Attamen conuoca Iohannem ministrum tuum quandoquidem ipse similiter uidit quedam mysteria . Interim conserua omnia : quæ audisti et iudisti† : quia ueniet tempus : quando manifeste appareas : In hac communione commorati sumus in prædicto yconio per dies aliquot : in quo erat quidam homo iustus et timoratus : qui nos recepit : et hospitalitatem exibuit digne : cuius domum beatus paulus placide benedixit . Inde autem nauigantes uenimus cyprum : eramque in ministerio eorum donec egrederemur ex cypro : uenimus pergen panphiliæ . Illis autem euntibus ad prædicandum : commoratus sum ibi mensibus duobus : Cumque disponerem ire in partes occidentis : prohibuit me spiritus sanctus . | Igitur cnm† audissem quod iidem sancti apostoli paulus et Barnabas antiochiæ essent : continuo perrexi ad illos : Inuenique beatum paulum fatigatum ex itinere : et in grabato quiescentem : Qui cum me cerneret : gauisus est . sed arguere cœpit me pro eo : quod moram fecissem uenire de pamphylia : et detinuissem librum prædicationis . recreati autem ex itinere cœperunt prædicare uerbum domini . Ad quorum prædicationem plurimi iudæorum atque gentilium illuminati crediderunt in dominum Iesum chrystum . Expleta itaque prædicatione statuerunt ire ad prædicandum in orientem : et tamen demum reuertere ad cyprum : ut uisitarent ecclesias : in quibus uerbum domini prædicauerant . Sed beatus Barnabas rogabat : ut prius iret in cyprum ad uisitandos parentes suos : et postea communiter hyerusalem pergerent . Inter hæc autem angelica uisio facta est per noctem beato paulo dicens :

Celerius propera hyerusalem : nec moram facias : quandoquidem fratres ualde præstolantur aduentum tuum . Quod cum beato barnabe panderet : ait : Quia uoluntati dei contradicere non expedit : fiat uuluntas† domini . tantum obsecro : intercede pro me ad deum : ut decertatio mea fiat acceptabilis in conspectu eius secundum deuotionem : quia famulati sumus in ministerio : quod nobis datum est . Nunc autem propero cyprum : ibique finem complebo uitæ : faciem tuam heu proh dolor corporaliter non uisurus . Hæc præloquens procidit ad pedes eius et flæuit diu amare : Cuius dolori beatus paulus compatiens noli inquit merere frater : non enim hoc sine ministerio diuino agitur . Namque apparuit mihi in hac nocte dominus dicens . Ne prohibeas Barnaban ire in cyprum : quoniam illic præparata est ei gratia dei : ad illuminationem multorum et sacrum martirium percipiendum . Tu autem perge hyerusalem ad loca sacra uisitanda . Tunc positis genibus orantes : et osculantes nos inuicem uale fecimus : et nauigantes descendimus laodiciam decertantes : ut ueniremus cyprum || Deinde uenimus in ciuitatem quæ uocatur anemoria : in qua inuenimus quosdam uiros quanquam ethnicos tamen sagacitate pollentes : qui nos certantes sagaciterque interrogantes cœperunt dicere : O uiri qui estis? Vnde? Quo? uel quæ res attulit uos in nostris horis? Animaduertens autem beatus Barnabas illorum sagacitatem : sagaciter eis respondere studuit : Si nosse inquit cupitis : qui nos sumus : unde et quo : uel quam ob rem uenimus : scitote : quia famuli sumus domini nostri Iesu chrysti creatoris cæli et terræ . Venientes autem ab hierosolymis pergimus utique ad prædicandum nomen eius : quia ipse est filius dei omnipotentis qui crediderit in illum : non morietur : sed uitam percipiet sempiternam . Veruntamen si cognoscere cupitis : exuite uos uestimentis : quæ ueterascunt : et pereunt et induite uos stola immortalitatis : quæ non perit : sed gloriosa et splendida permanet in æternum . Hæc audientes attoniti ualde conpuncti sunt corde annunciantes : et dicentes : Mira res : quam dicitis . Quis enim deus præpotens talia præbere ualet? Ad hæc beatus apostolus : Si enim uultis nosse : quæ dicimus : confitemini peccata uestra credentes in dominum Iesum chrystum et percipientes sacrum baptismum : et proculdubio accipietis : quæ uobis promittuntur : Cumque illi respondissent cuncta se uelle patrare : breuiter sanctæ trinitatis mysterium exponendo descendit cum illis in fontem : et baptizauit eos in nomine patris et filii et spiritus sancti : induitque uestibus sanctæ relligionis . Cum autem se cognouissent esse chrysticolas : et uirtutem se accepisse spiritus sancti : cœperunt gaudere : et glorificare dominum chrystum . Conferentes autem quædam subsidia conuocatis pauperibus distribuit apostolus illis : prout cuique opus erat instruens et commonens : ut permanerent in gratia dei : quam acceperant . Nauigantes autem peruenimus cyprum : ibique inuenimus Thymonem et Aristonem famulos domini . Thymon autem | urebatur magnis febribus : Cui cum manus imposuisset beatus Barnabas : et sacrum euangelium per inuocationem saluatoris domini : statim febris curata est et adeo corroboratus est : ut continuo nos cum gaudio sequeretur . Ex doctrina namque sanctorum apostolorum beatus Barnabas euangelium sancti mathæi apostoli secum ferebat : et ubicunque inueniebat infirmos : ponebat illud super illos : et continuo sanabantur . Exeuntes autem inde inuenimus hominem nomine Eradium : quem beatus paulus apostolus cum sancto Barnaba baptizauerat : et recepto spiritu sancto episcopum ordinauerat ad communionem fidelium . Hic nos cum gaudio excipiens hospitalitatem præcipuam exibuit . Post hæc autem inuenimus quendam uirum nomine Rodonem quamuis ethnicum tamen iustum atque benignum Huic cum beatissimus apostolus sanctam fidem exponeret : continuo credidit in deum : et baptizatus secutus est nos . His ita gestis obuium habuimus impium et maleficum nomine Barien : quem olim beatus Paulus lumine priuauerat . Hic namque cum cognouisset beatum apostolum malicia commotus prohibuit nos introire in paphum . Proinde reuertentes Inuenimus locum : in quo ethnici uiri et fœmine ludendo nudi currebant . Hæc cum uidisset beatus Barnabas indignatus est super tale facinus : maledixit continuo templum : Statimque pars orientis funditus corruit : magnaque contritio ex ethnicis facta est : qui sub ruina ipsa mortui sunt . Cæteri autem qui euaserunt : fugerunt in templum Apolinis . Nemo itaque miratur : quod predictus Barien postquam a beato paulo apostolo lumine priuatus fuerat : uisum receperit : cum non illum perpetualiter sed ut conuerteretur ad tempus percusserit : dicens : Erisque cæcus usque ad tempus . Ergo

liquidius constat : ut ad preces sergii proconsulis per beatum Paulum apostolum conuersus lumen receperit . Postmodum uero sicut Simon magus apostatando transgressor fieret : Introeuntibus itaque nobis in Salaminam : inueni || mus synagogam Iudeorum in qua beatus apostolus exorare cœpit : ut per euangelium sancti mathei apostoli chrysti gratiam introduceret . Hæc dum præfatus comperisset barien : et quia plurimi iudeorum recepissent prædicationem sancti apostoli : omnem maliciam iniquitatis suæ ostendit : et seditione facta contra sanctum apostolum comprænhenderunt† eum : et quærebant tradere consuli eiusdem salamine ciuitatis : affligentes eum multis supplitiis et uariis cruciatibus . De hinc cum iam maceratum et diuersis quassatum pœnis ducerent ad iudicandum : accidit : ut ueniret in eandem cyprum uir quidam magnus et potens nomine Eusebius scilicet de progenie Neronis imperatoris . Comperientes autem Iudæi aduentum eius uerentes nimium : ne illum eriperet de manibus illorum ligantes funem in collo eius nocturno tempore dilaceratum a synagoga in hipodromum pertraxerunt : et inde foris portam . Post hæc autem circundantes illum igne crudeliter cremauerunt : Sicque beatus apostolus post multos agones et diuturna certamina pro chrysti amore adustus migrauit ad gaudia sempiterna . Impii autem Iudæi non satiati de nece illius zelo odii concitati tulerunt sacratissimum corpus eius : et in locello plumbeo concludentes in mare precipitare disponebant . Interim ego præfatus Iohannes qui et Marcus uua† cum predictis Thymone et Rodone occulte nocturnis horis tulimus illud : et collocauimus in criptam : que olim fuerat habitatio Iebusæorum tertio idus Iunii : hoc est undecimo die ipsius mensis . Propter hanc itaque collocationem plurimis annorum curriculis venerabile corpus eius latuit : nec inueniri a chrysticolis ualuit . Sed deus omnipotens non patitur occultari gloriam sanctorum suorum . Tempore igitur Zenonis imperatoris et sancti Gelasii eodem sancto apostolo reuelante inuentum est : atque hymnis et laudibus mirifice collocatum . Beatus autem Dorotheus Barnabam Rome ait prædicasse et Mediolanensem episcopum | fuisse consecratum . Ad honorem et gloriam domini nostri Iesu Chrysti : qui cum patre et spiritu sancto uiuit : et regnat per omnia sæcula seculorum Amen .

DE SANCTO BASILIO .

Basilius Venerabilis episcopus et doctor precipuus : cuius uitam scripsit amphilochius yconii episcopus : quante sanctitatis extiterit : cuidam heremite nomine Effrem in uisu monstratnm† est . Cum enim dictus Effrem in extasi positus esset : uidit columnam ignis cuius caput usque ad cælium† pertingebat et uocem de super dicentem audiuit : Talis est magnus basilius qualis hæc columna ignis quam cernis . Veniens igitur in ciuitatem in die epiphanie ut tantum uirum uidere posset : cum uidisset eum stola candida indutum cum clericis uenerabiliter procedere : ait intra se : ut uideo in uacuum laboraui . Iste enim cum tali honore sit positus nequaquam talis esse potest quemadmodum uidi . Nos uero qui portauimus pondus diei et estus : nil tale consecuti sumus : et hic cum in tali honore et constitutione positus sit : columpna ignis est? Miror ista . Basilius igitur in spiritu hec uidens fecit ipsum ad se introduci . Qui cum introductus esset : uidit linguam igneam per os eius loquentem : et ait efferem† : uere magnus Basilus† : uere columpna ignis Basilius : uere spiritus sanctus loquitur per os eius . Dixitque illi efferem† : Obsecro domine ut mihi impetres quod grece loquar . Cui Basilius : rem difficilem postulasti : tamen pro eo orauit et continuo grece loqui cœpit . Quidam alius heremita uidens Basilium alias in pontificali habitu procedentem : eum despexit iudicans eum in corde suo quod in tali pompa plurimum delectaretur . Et ecce facta est uox ad eum dicens : Tu amplius dele || ctaris in palpando caudam gatte tue : quam delectetur Basilius in apparatu suo . Valens imperator fautor arrianorum ecclesiam quandam a catholicis abstulit et arrianis dedit : ad quem accedens Basilius ait : Imperator scriptum est : Honor regis iuditium diligit et iterum iudicium regis iusticia : et cur cor tuum imperauit ut catholici de ecclesia eiicerentur et arrianis daretur? Cui Imperator : Iterum ad contumeliam reuerteris . O Basili . Non decet te . Et ill : edecet† me etiam

pro iusticia mori Tunc demostenes prefectus epularum Imperatoris fautor arrianorum loquens pro eis fecit barbarismum . Cui ait Basilius : Tuum est de pulmentariis regis cogitare non dogmata diuina decoquere . Qui mox confusus tacuit . Dixit imperator : Basili uade et iudica inter eos sed non secundum immoderatum amorem populi . Abiens ergo dixit coram catholicis et arrianis ut fores ecclesie clauderentur : et utriusque partis sigillo munirentur et a quorum oratione aperirentur : sua esset . Quod cum omnibus placuisset : orantibus arrianis tribus diebus et noctibus et uenientibus ad fores ecclesie : non sunt aperte . Tunc Basilius processione ordinata uenit ad ecclesiam et facta oratione leui ictu de baculo pastorali fores tetigit dicens : Tollite portas principes uestras et eleuamini porte eternales : et introibit rex glorie : et continuo sunt aperte . Et intrantes deo gratias reddiderunt : et ecclesia reddita est catholicis . Fecit autem imperator promitti multa basilio : ut in hystoria tripartita legitur si sibi consentiret . Et ille : pueris ista conueniunt . Nam qui diuinis saginantur eloquiis corrumpere de diuinis dogmatibus nec unam sillabam patiuntur . Tunc imperator indignatus ut ibidem dicitur dum de eius exilio sententiam uellet scribere : primus secundus et tertius calamus fractus est . Deinde tremor magnus eius manum inuasit . Vnde indignatus cartam fregit . Vir quidam uenerabilis nomine Eradius filiam unicam habebat : quam consecrare domino disponebat . Sed diabolus humani generis inimicus hoc aduertens unum de seruis predicti Eradii in amorem puelle plurimum inflamauit : Verum cum impossibile cerneret ut ipse qui seruus erat in amplexus tam nobilis puelle accedere posset : ad unum de maleficis accessit : promittens ei multam peccunie quantitatem : si ad hoc eum iuuare uellet . Cui dixit maleficus . Ego hoc agere non possum : sed si uis mittam te ad dominum meum diabolum . Et si feceris quæ ipse tibi dixerit : tuum desiderium obtinebis . Et dixit iuuenis . Quæcumque dixeris mihi faciam . Ille ergo maleficus ad diabolum fecit epistolam et eam per predictum iuuenem in hæc uerba transmisit . Quoniam quidem domine mi oportet me festinanter et sollicite quoscumque a chrystianorum religione abstrahere et tuæ adducere uoluntati : ut pars tua quottidie multiplicetur : misi tibi hunc iuuenem cupiditate in talem puellam exarsum : et postulo ut suum desiderium assequatur et in isto glorietur : et alios tibi de cætero fidelius : ualeam aggregare . Et dans ei epistolam dixit uade et tali hora noctis sta supra monumentum gentilis et ibi demones acclama : et hanc cartam in aera exalta : et aderunt tibi statim . Qui uadens demones inuocabat : et cartam in aere proiciebat . Et ecce adest princeps tenebrarum uallatus multitudine demonum . Qui cum epistolam perlegisset ait ad iuuenem : credis in me ut tuam compleam uoluntatem ? Qui ait credo domine . Cui diabolus . Et abnegas chrystum tuum ? Qui ait : abnego . Dicit ei diabolus : perfidi estis uos chrystiani : quia quando quidem me opus habetis ad me uenitis . Quando autem desiderium uestrum assecuti estis : statim me negatis et ad chrystum uestrum acceditis . ille autem quia clementissimmus est suscipit uos . Sed si uis ut tuam compleam uoluntatem fac mihi manu tua scriptum : in quo confitearis te ab renunciare christo et baptismati et chrystianæ professioni : et meus sis seruus . et mecum in iudicio condemnandus . Qui statim manu sua scriptum fecit || qualiter chrysto abrenunciaret et se seruituti diaboli manciparet . Continuo igitur diabolus accersiuit spiritus : qui erant super fornicationem iubens eis : ut ad predictam puellam accederent : et cor eius in amorem iuuenis inflamarent . Qui accedentes : cor eius adeo succenderunt : ut puella se in terram proiceret et ad patrem lamentabiliter exclamaret : Miserere mei pater miserere mihi : quia dire torqueor propter amorem talis pueri nostri . Miserere uisceribus tuis et paternum amorem mihi ostende : et puero quem amo et pro quo crucior me coniunge . Sin autem : post modicum me morituram uidebis : et pro me in die iudicii rationem reddes . Ipse autem Eiulans dicebat : Heu me miserum : quid contigit : miserere filie mee : quis meum thesaurum furatus est ? Quis dulce lumen occulorum meorum extinxit ? Ego te uolebam celesti sponso coniungere : et per te saluari putabam et tu in amorem lasciuie insanisti . Sine filia ut te sicut disposui deo coniungam : ne ducas senectutem meam cum dolore ad inferos . Illa autem clamabat dicens . Pater mi : Aut cito desiderium meum comple : aut morituram post modicum me uidebis . Cum ergo illa amarissime fleret et quasi insaniret : pater eius in magna desolatione positus et amicorum consiliis deceptus : suam uoluntatem compleuit : et eam puero in uxorem dedit : ac uniuersam substantiam sibi tribuit dicens : uade

filia uere misera . Cum ergo insimul permanerent : iuuenis ille ecclesiam non introibat : nec sibi crucis signaculum faciebat nec deo se commendabat . Vnde de hoc uocatus est a nonnullis : qui uxori suæ dixerunt : Scis quia uir tuus : quem tibi elegisti chrystianus non est nec eclesiam ingreditur . Quod audiens illa uehementer extimuit . et humo se prosternens : ungulis se ipsam discerpere cœpit : et pectus suum contundere ac dicere : Heu mihi misera : cur nata sum : et nata continuo capta non snm† ? Cum ergo uiro suo quæ audierat retulisset : et ille nequaquam | rem sic esse assereret : sed omnino falsum quod ipsa audierat affirmaret : Illa ait : si uis ut credam tibi : Ego et tu cras eclesiam ingrediamur . Videns ille quod latere non posset : narrauit totum ordinem gestæ rei . Quod illa audiens uehementer ingemuit : et ad beatum Basilium properauit : eique omnia quæ a uiro suo et sibi contingerant enarrauit . Basilius autem puerum uocans : et omnia ab eo audiens : dixit ei . Vis fili reuerti ad dominum ? Qui ait utique domine : sed non ualeo . quia diabolo sum professus : et chrystum abnegaui : et mee abnegationis scriptum feci : et diabolo ipsum dedi . Cui basilius : Non sit tibi cure : benignus est enim dominus : et te penitentem suscipiet et continuo puerum apprehendens : Signum crucis in eius frontem fecit : et ipsum post tres dies reduxit . postea eum uisitauit et dixit Quomodo te habes fili? Qui ait : In magna sum defectione nec sufferro clamores eorum et terrores seu dilapidationes : tenentes enim manu scriptum meum causantur me dicentes . tu uenisti ad nos et non nos ad te . Tunc dixit sanctus Basilius noli timere fili tantummodo crede . Et dans ei modicam escam faciensque signum crucis iterum eum reclusit et pro eo orauit . Post aliquot dies eum uisitauit et ait . Quomodo habes fili . Qui ait pater a longe clamores eorum : et minas audio sed eos non uideo . Et dans iterum ei escam et signans et claudens hostium abiit et pro eo orauit et . vi . die rediens dixit : Quomodo te habes? Respondit bene habeo sancte dei . uidi enim te hodie in uisu pugnantem et diabolum uincentem . Post hæc eum educens omnem clerum et religiosos et populum conuocauit : et Omnes pro eo orare ad monuit : tenensque manum pueri ducebat eum ad eclesiam . Et ecce diabolus cum multitudine demonum ad eum uenit et inuisibiliter apprehendens puerum conabatur eum rapere de manu eius : Et cepit clamare puer . Sancte dei adiuua me . Et tanta eum improbus instantia agressus est ut etiam sanctum impelleret || Trahens puerum : Qui ait ad eum : Improbissime non sufficit tibi perditio tua : nisi et dei mei temptes plasma? Diabolus autem dixit ad eum multis audientibus præiudicas mihi o Basilii† . Tunc omnes clamauerunt kyrieleison : dixitque ad eum Basilius : Increpet te deus diabole : Qui ait preiudicas mihi o Basili : non abii ego ad eum : sed ipse uenit ad me . Abnegauit chrystum suum : et professus est mihi . Ecce scriptum eius in manu habeo . Qui ait : non cessabimus orare : donec reddas scriptum : Et orante Basilio et tenente manus in crucem : Ecce cartha per aerem delata et ab omnibus uisa uenit : et imposita est manibus Basilii : quam ille suscipiens dixit puero : cognoscis has litteras frater Et ille : etiam domine manu mea scriptæ sunt : Et frangens Basilius scriptum perduxit eum ad ecclesiam : et dignum eum fecit sancto ministerio et bene instruens : et regulam sibi dans reddidit mulieri . Mulier quædam peccata multa habens et ea in cartha conscribens in fine quoddam cæteris grauius conscripsit : et scriptum ipsum beato Basilio tradidit rogans : ut pro ea oraret : et suis orationibus peccata ipsa deleret : Qui cum orasset : et mulier cartham aperuisset : omnia peccata preter istud grauius deleta inuenit . Que ait ad basilium : miserere mei serue dei : et pro hoc indulgentiam mihi impetra : sicut pro aliis impetrasti . Qui ait ad illam : Recede a me mulier : quia homo peccator sum indigens indulgentia sicut et tu . Cum autem illa instaret : dixit ei : uade ad sanctum uirum effrem : et ille tibi quæ postulas poterit impetrare : Quæ cum abisset ad sanctum uirum effrem : et cur ad eum a beato Basilio missa sit : intimasset : Ille ait : Recede quia homo peccator sum : sed redi filia ad Basilium : et qui tibi pro cæteris ueniam impetrauit : pro isto quoque impetrare ualebit . Festina cito : ut eum uiuum inuenias : quæ cum in ciuitatem uenisset : Ecce Basilius ad tumulum ferebatur . Illa autem post eum clamare cœpit : ac dicere : uideat deus : et Iudicet inter me et te quia ualens placare de | um : ad alium me misisti . Tunc proiecit cartham super feretrum : Et post modicum illam recipiens ac aperiens : illud peccatum penitus deletum inuenit . Sicque ipsa et omnes qui aderant deo immensas reddiderunt gratias . Ante autem quam uir dei a

corpore migraret positus in infirmitate qua et mortuus est : quendam iudæum nomine Ioseph medicinali arte ualde peritum : quem uir dei plurimum diligebat : eo quod se illum conuersurum ad fidem præuidebat : ad se quasi eius opera indigeret : uocauit . Ille uero eius pulsum tangens : et ex tactu mortem in ianuis esse cognoscens : dixit familiæ : Quæ ad sepulturam sunt necessaria præparate : quia continuo morietur . Quod Basilius audiens dixit ei : Nescis quid dicas : Cui Ioseph : Credo domine : quia sol cum sole occidet hodie : idest tu cum sole occides hodie : Cui basilius quid dices si non moriar hodie? Cui Ioseph : non est possibile domine . Et Basilius : Et si in crastinam usque ad horam sextam superuixero : quid facies? Et Ioseph : Si usque ad illam superuixeris horam : utique ego moriar Et basilius : etiam moriaris peccato . uiuas autem chrysto . Et ille : scio : quid dicis . Et si usque ad illam horam superuixeris : faciam quod hortaris . Tunc beatus Basilius licet secundum naturam illico moriturus esset a domino tamen mortis inducias impetrauit et usque crastinum in horam nonam uixit : Quod Ioseph uidens : et stupens : in chrystum credidit . Basilius autem uirtute animi imbecillitatem corporis superans de cubiculo suo surrexit : et ecclesiam ingrediens : eum suis propriis manibus baptizauit . Postea uero ad lectulum suum rediit : et statim spiritum deo feliciter reddidit . Floruit circa annos Domini . CCC . LXX .

PASSIO SANCTE BARBARAE VIRGINIS ET MARTIRIS .

Regnante impiissimo tyramno Maximiano : principabatur autem Martianus in quo erat persecutio christianorum : et erat in regione orientali quæ uocabatur Solis ciuitas : ubi habitabat quidam nomine Dioscorus diues ualde . Habebat autem filiam unicam nomine Barbaram . Fecit autem ei turrem excelsam Dioscorus pater eius : et inclusit eam ibi : ut nemo uideret eam propter spetiem uultus eius . Quærebant enim eam ciues loci illius patri eius : ut desponsarent eam . Pater uero eius ascendit in turrem : et dixit ei : Filia mea dulcissima : quidam de honoratis ciuibus locuti sunt mihi de te nubendi causa . Quid tibi uidetur : dic mihi . Illa aspexit in fatiem eius cm† furore : et respondens dixit ei : noli mihi molestus esse pater : quia hoc facere nolo . Si autem cogis me : interficiam ego me ipsam . Ille autem discessit ab ea : et introiuit : ut uideret turrem quam ei iusserat fabricari . posuerat enim magistros plurimos : ut consumaretur fabrica turris cito . Designauerat eam Dioscorus pater eius quomodo eam fabricaret : et dedit unicuique mercedem suam : et profectus est in regionem longinquam Descendit autem famula dei Barbara post tempus modicum : ut uideret opus : quod laborauerant : et uidit in partem meridianam fenestras statutas : et dixit ad Artifices : Quare duas fenestras tantum fecistis? Quæcumque dixero uobis† facite mihi ut tertiam fenestram esse ad orientem mihi faciatis : ubi orationem domino offeram : qui in celis habitat . Illi autem dixerunt ad eam : Timemus domina Barbara : ne forte cum uenerit pater tuus indignetur aduersum nos : et non possimus sustinere furorem eius . Quid faciemus? Dixit autem ei Beatissima Barbara : Quodcumque dixero uobis facite sine dubio : quia cum uenerit pater meus : suadebo ei . Illi autem hoc audientes : fecerunt et aliam fenestram : sicut præceperat ei sancta Barbara . Perambulabat autem bea | ta barbara esse orientem ad piscinam aquæ : et digitis suis sculpsit marmor pretiosum : in quo fecit signum sanctæ crucis . hec uerba legentibus conctis : hoc est signum pretiosæ crucis : ad remedium uidentibus . Ingrediente autem ea in piscinam aquæ : mersit se tribus uicibus in nomine sanctæ trinitatis in aqua : ubi omnes sanitatem et saluationem accipiunt : et dixit . Hoc enim lauacrum similis Iordanis est : in quo omnipotens inclinauit sanctum indicem suum : et suscepit sanctum baptismum a præcursore suo Iohanne . Hoc lauacrum simile est piscinæ Sylœ : in qua a natiuitate cæcus uidit lauando . hæc assimilabitur probatione pisciuæ† : in qua paraliticus uerbo domini curatus est . hæc est piscina : quæ curauit omnem langorem et omnem infirmitatem . hæc est enim piscina aquæ uiuæ : quam mulier samaritana petiuit a domino . Per hoc lauacrum sanitatis perambulabat martyr chrysti Barbara . Ascendente ea in turrem : uidens simulacrum quod colebat pater eius : accepit spiritum sanctum domini mirificum : benignum : in operibus confirmantem : sta-

bilem et indiuisum . Ingressa est eam gratia domini habentem uirtutem et fortitudinem in omnipotentem deum excelsum . Hæc enim gloriosa mattyr† chrysti : fide præcincta uicit aduersarium diabolum . Ipsa uero beatissima Barbara : ut uidit simulacra surda et muta : expuit in faciem illorum dicens : Similes fiant qui faciunt ea et omnes qui confidunt in eis : Et ascendit in turrem : et erat ibi in oratione persistens . Finita uero turre atque composita : regressus est pater eius : et uidit tres fenestras : ait ad artifices : Quare tres fenestras fecistis? Illi autem dixerunt ei : Filia tua hoc precepit nobis . Ille autem dixit ad filiam suam : Filia : tu iussisti : ut tres fenestras facerent? Illa autem dixit : Etiam pater . et enim bene precæpi . Tres enim fenestæ† illuminant omnem hominem uenientem in hunc mundum : quoniam duæ obscuræ sunt . Et accepit eam pater eius : et descendit cum ea || in lauacrum : Et dixit ad eam pater eius : Quomodo illuminant tres fenestræ magis quam duæ? Dicit ei famula domini Barbara : In tribus fenestris intuere patrem et filium et spiritum sanctum . Tunc ira repletus pater eius : exemit gladium ut percuteret eam . Orante autem sancta Barbara scissa est petra : et suscepit eam ab intus : et eduxit eam in montem . Erant autem ibi pastores pascentes gregem in ipso monte : qui uidebant eam fugientem . Adueniens uero illuc pater eius interrogauit pastores pro ea : Et unus quidem ex eis uolens eam liberare : cum iuramento negauit : quod non uidisset eam Aluis† ucro† casu digito indicauit eam patri eius : Et occurens pater comprehendit eam . Et conuertit beatissima Barbara oculos suos : et uidit illum : qui eam indicauerat : et maledixit illum et peccora eius : et conuersi sunt statim in statuam marmoris : quæ usque in hodiernum diem permanet circa sepulchrum eius in eodem loco . Pater autem eius flagellauit eam et tenuit eam per uerticem capitis eius et deposuit de monte : in quo illam inuenit : et reclusit eam in domo pauperum : Constituitque ei custodiam : ne quis ei aperiret usque dum nunciaret de ea duci Martiano : et traderet eam ad tormenta . Venit autem Dux Martianus : precepitque eam adduci . Cum adduceretur autem beatissima Barbara : ueniens psallebat dicens : Ad te leuaui oculos meos : qui habitas in cællo : Quia sicut ocnli† ancillæ in manibus dominæ suæ : ita oculi mei ad dominum deum meum Miserere mihi domine . misere mihi : et adiuua ancillam tuam in tormentis : quæ mihi minatur facere Dioscorus pater meus . Tunc pater eius tradidit illam in manus Martiani ducis : et adiurauit eum per salutem deorum suorum : ut diuersis pœnis eam interficeret . Martianus autem dux sedens pro tribunali : et intuens spiritum uultus eius dixit ei : Puella quare uis uitam perdere : et mortem acquirere? Parce animæ tuæ . et sacrifica diis . Alioquim† acerbissimis tormentis inter | ficiam te . Beatissima autem martyr chrysti dixit illi : Audi me dux Martianæ . Parata sum ego ancilla chrysti sacrificium laudis offerre saluatori meo qui fecit cælum et teram mare et omnia : quæ in eis sunt De hiis autem quos tu colis : sanctus propheta loquitur dicens : Os habent : et non loquentur : oculos habent : et non uidebunt : Aures habent : et non audient : Nares habent : et non odorabunt : Manus habent : et non palpabunt : Pedes : habent : et non ambulabunt : Non clamabunt in gutture suo . neque enim est spiritus in ore ipsorum Similes illis fiant : qui faciunt ea : et omnes qui confidunt in eis . Tunc Martianus furore repletus præcepit eam expoliari et fortiter cædi : et cum cylicio corpus eius fricari : quousque e membris eius sanguis flueret : Et iussit eam retrudi in carcerem : quousque cogitaret quali tormento eam interficeret Media autem nocte lux magna illuxit in carcere : et apparuit ei saluator mundi dicens . Confide : et confortare martyr dilecta mea pro quo magna certamina habes in terra cum duce Martiano pro nomine meo : et ne timeas plagas tyramni . Ego enim sum tecum : et eruam te de omnibus quæ superuenerint tibi plagis : Et disparuit ab oculis eius . Hæc dicente domino : signauit eam : et sana facta est : Gaudebat autem et exultabat martyr chrysti in reuelatione domini .

Quædam uero mulier domini cultrix et timens dominum . nomine Iulliana sequebatur beatissimam Barbaram et uidens mirabilia domini : quæ fiebant in ea : et plagæ eius quia sanatæ sunt : tradidit . semetipsam ad flagellandum . Mane autem facto præcepit eam adduci ante se : et uidens plagas eius curatas : dixit ei : Ecce quid tibi fecerunt dii mei : et quomodo dilligunt te : quoniam et plagas tuas curauerunt . Respondit famula dei Barbara : et dixit ad principem : Similes tui sunt dii surdi et cæci et muti : qni† neque erigere se possunt : neque mouere se . Et quomodo possunt plagas meas curare : qui se ipsos adiuuare non possunt? Me autem curauit deus || meus Iesus

chrystus filius dei uiui : quem tu non uides : ideoque et cor tuum obcæcatum est a diabolo . Tunc ira repletus princeps iussit corpus eius lacerari : et ad latera ignem accendi : ut cremaret totum corpus eius . Sancta autem Barbara intuens in cælum ait : Domine Iesu chryste scrutans renes et corda : tu scis qnia† uoluntarie confugi ad te . Ne derelinquas me : sed succipe† me cum ancilla tua et sorore mea Iulliana . Cum autem talia tormenta sustinerent præcepit princeps amputari cum nouacula mamillas earum . Cum autem præciderentur mamille earum : in tuens† in cælum beata Barbara orauit dicens : Domine ne auertas faciem tuam a nobis : et spiritum sanctum tuum . ne auferas a nobis . Redde nobis ancillis tuis lætitiam salutaris tui : et spiritu principali confirma nos in timore tuo . Et cum talia tormenta paterentur : iussit princeps sanctam Iullianam in custodiam mitti : et diligenter custodiri . Sanctam uero Barbaram præcepit nudam deportari per totam regionem illam : et diuersis uulneribus flagellari . Respiciens uero in cælum beata Barbara martir christi ait : Qui operis cælum nubibus esto adiutor et protector meus : et protege me a facie impiorum : qui me affligunt . Cum autem hæc fortiter sustinuisset : iussit princeps Martianus amputari caput eius una cum sorore sua in chrysto Iulliana . Tunc cum furore et ira Dioscorus pater eius accepit eam a Martiano principe : et ascendit in montem cum beatissima Barbara . Martyr autem chrysti orabat dominum : ut coronam certaminis sui consumaret cum beata Iulliana . Et facta est illi uox dicens : Veni dilecta mea Barbara : et requiesce in regno patris mei in cælis cum Iulliana socia tua et amabili mea . Hæc audiente beata Barbara martyre christi : peruenit ad locum : ubi decolanda erat : et decolauit eam Dioscorus pater eius . Consumatum est martyrium eius in bonam confessionem una cum sancta Iulliana : quæ simul passa est cum ea | et amputatum est caput eius a Centurione in eodem loco . Descendente autem de monte Dioscoro : ignis dei cecidit de cælo : et deuorauit eum una cum Martiano principe : ita ut nec cinis ex eis inueniri potuisset . Passa autem est sancta Barbara una cum sancta Iulliana pridie nonas Decembris . Quidam uero homo pius nomine Valentinus quæsiuit sanctarum reliquias : et inuenit eas : posuitque in Ciuitate in habitaculo religioso : ubi et sanitates percipiunt omnes male habentes . ad laudem et gloriam sanctæ trinitatis : Cui est honor et gloria et uirtus et Imperium : qui coronat sanctos suos in sæcula sæculorum amen .

PASSIO SANCTI BARTOLAMAEI APOSTOLI .

Indiæ tres esse ab historiographis asseruntur : Prima est India : quæ ad æthiopiam mittit : Secunda quæ ad Medos : Tertia quæ finem facit . Nam et in uno latere habet regionem tænebrarum : et ex alio latere mare oceanum . In hac ergo India ingressus Bartolamæus apostolus : ingressus est templum : in quo erat Idolum Astaroth : et quasi peregrinus ibi manere cœpit . In hoc Idolo talis Dæmon erat : qui diceret se curare languentes : sed hos sine dubio quos ipse lædebat . Erant enim sine domino uero : et necesse erat : ut a domino falso ludifiearentur† . Dominus enim falsus arte hac illudit eos : qui dominum uerum non habent . Facit eis dolores : infirmitates : dampna : pericula : et dat responsa : ut sacrificent ei : ut quasi sanentur ab eo : hoc uidetur stultis : quod sanet eos . Illi autem non sanando subueniunt : sed a læsione cessando . Et dum desinunt lædere : curasse creduntur . Vnde factum est ut sancto Bartolamæo ibi manente : nulla responsa daret . Astaroth : et nulli poterat ex eis quos læserat sub || uenire : Cumque iam plenum esset languentibus templum : et quottidie sacrificantibus nullum daret Astaroth responsum : Infirmi ex longinquis regionibus adducti iacebant . Sed cum in ipso templo nullum posset dæmon dare responsum : et neque sacrificando neque se ipsos more suo laniando : perrexerunt in aliam ciuitatem : ubi alius dæmon colebatur : cui nomen erat Berith : et illic sacrificantes cœperunt quærere : quare deus eorum Astaroth non eis daret responsa . Respondens autem Berith dæmon dixit : Deus uester sic captiuus et religatus cathenis igneis strictus tenetur : ut neque spirare neque loqui ualeat ex illa hora : qua illuc apostolus . Bartolamæus ingressus est . Dicunt ei illi : Et quis est ille Bartolamæus . Respondit dæmon : Amicus est dei omnipotentis : et ideo uenit huc in istam prouinciam : Vt

omnia numina : quæ colunt Indi euacuet . Dixerunt autem cultores ydoli : Dic nobis signa eius : ut possimus inuenire eum : Quia inter multa millia hominum non possumus cognoscere eum . Respondens autem dæmon dicit† : capillo nigro capitis et crispo : caro eius candida : oculi grandes : Nares æquales et directæ : aures cohoperte crine capitis : Barba prolyxa habens paucos canos . Statura æqualis : quæ nec longa possit esse nec breuis . Vestitur colobio albo clauato . Purpura iuduitur . pallio albo per singulos angulos . Gemmas purpureas singulas habet . Viginti sex anni sunt : et nonquam sordidantur uestimenta eius et nonquam ueterascunt . Similiter et Sandalia eius stramentis latis per uiginti sex annos nonquam ueterascunt . Centies flexis genibus per diem centies per noctem orat dominum . Vox eius quasi tuba uæhemens est Ambulant cum eo Angeli domini : qui non permittunt eum fatigari : nec exurire . Semper eodem uultu eodem animo perscuerat† . Omni hora hylaris est : et lætus permanet . Omnia prouidet : omnia nouit : omnem linguam omnium gentium et loquitur et intelligit . Ecce et hoc quod uos interogatis : et ego do uobis respon | sum de eo : iam nouit ille . Angeli enim domini famulantur ei : et ipsi nunciant ei . Et cum cœperitis eum quærere : si uult ostendet se uobis : si non uult non poteritis eum uidere . Rogo autem uos : ut dum eum inueneritis : rogetis eum : ne huc ueniat : ne hoc mihi faciant angeli : qui cum eo sunt : quod fecerunt collegæ meo Astaroth . Et hæc dicens dæmon conticuit . Reuertentes autem cœperunt circuire omnium peregrinorum uultus et habitus : et per duos dies non inuenerunt . Factum est autem ut quidam plenus dæmonio clamaret : et diceret : Apostole dei Bartolamæe : incendunt me orationes tuæ . Tunc apostolus dixit ei : Obmutesce : et exi ab eo : Et statim liberatus est homo : qui per multos annos fuerat fatigatus ab eo . Polymius autem Rex ciuitatis eiusdem cum haberet filiam lunaticam : nunciatum est ei de hoc dæmonioso : et misit et rogauit apostolum dicens : Filia mea male a dæmonio uexatur : peto ut sicut liberasti Pseustium : qui per multos annos passus est : ita et filiam meam libera . Exurgens autem perrexit cum eo . At ubi uidit eam apostolus cathenis strictam : quia morsu omnes attrectabat : et quos poterat tenere scindebat : et cædebat : et nullus erat ausus accedere ad eam : iussit eam solui . Dicunt ei ministri : Et quis est ausus manum mittere ad eam ? dicit eis apostolus : Iam ego uinctum teneo inimicum qui cum ipsa erat : et uos adhuc timetis eam ? Ite et soluite eam : et leuate eam : et reficite : Et crastina die mane adducite eam ipsam ad me . Euntes autem fecerunt sicut iussit apostolus : et ulterius non potuit dæmon uexare eam . Tunc rex onerauit camelos auro et argento gemmis et uestibus : et cœpit quærere Apostolum : et penitus non inueniebat eum : et reportata sunt omnia ad palatium eius . Factum est autem cum transisset nox : et aurora futuri diei inciperet : aparuit Bartolamæus apostolus cum solo Rege in cubiculo : et dixit ei : Vt quid me quæsisti tota die cum auro et argento gemmis et || uestibus ? Ista munera his sunt necessaria : qui terrena quærunt . Ego autem nichil terrenum : nichilque carnale desidero† . Vnde scire te uolo : quia filius dei dignatus est per uterum uirginis nasci cum homine : Ita ut homo in uirginis utero conceptus de spiritu sancto : in ipso secreto uirginis haberet deum : qui fecit cælum et terram mare et omnia : quæ in eis sunt . Hic simul cum homine natus in partu uirginis cœpit habere initium nascendo cum homine qui nunquam : habuit initium : sed ipse semper initium fuit : et omnibus initium dedit : siue inuisibilibus siue uisibilibus creaturis . Hæc autem uirgo cum execraret omnem uirum : et ipsa seruandæ uirginitatis uotum prima deo omnipotenti uouisset : prima autem ideo dixi : quia ex quo homo factus est ab initio sæculi : nulla hoc uotum deo obtulit . Hæc ergo prima inter mulieres hoc constituit in corde suo : ut diceret deo : Domine offero tibi uirginitatem meam . Cum hoc autem a nullo homine nec uerbo didicisset : nec exemplo : ad imitationem inuitata : constituit ut uirgo pro amore dei specialiter permaneret . Huic subito in cubiculo clausæ splendens sicut sol Gabriel angelus apparuit : Quæ cum terrore percussa expauisset : ait ad illâm angelus : Noli timere maria quia concipies . At illa timore deposito constanter ait : Quomodo fiet hoc : quia uirnm† non cognosco : id est hoc constitui : ut non cognoscam : Cui Angelus respondit : propter hoc spiritus sanctus superueniet in te : et uirtus altissimi obumbrabit tibi : Ideoque et quod nascetur ex te sanctum : uocabitur filius dei . Hic ergo cum natus esset : passus est se temptari a diabollo illo : qui primum hominem uicerat suadendo : ut de arbore uetita a deo manducaret : ipsum ergo permisit ad se accedere : ut sicut dixerat Adæ

id est primo homini per mulierem : manduca : et manducauit . et ideo de paradiso proiectus primus homo in isto mundo exulatus est : hicque genuit omne humanum genus : ita et isti diceret : dic lapidibus : ut panes | fiant : et manducabis : et non esuries . Cui respondit : Non in pane tantum uiuit homo sed in omni uerbo domini . Hic ergo diabolus qui per manducantem hominem uicerat : uictoriam suam per ieiunantem et se continentem amisit . Par enim erat : ut qui uirginis uicerat filium : a filio uirginis uinceretur . Dicit ei Rex : et quomodo dixisti primam hanc esse uirginem : ex qua natus est homo cum deo . Apostolus respondit : Ago domino gratias : qnia† sollicite audis . Primus ergo homo : Adam dictus est . Hic de terra factus est . Terra autem mater eius : ex qua factus est : uirgo fuit : quæ nec sanguine humano polluta fuerat : nec ad sepulturam alicuius mortui aperta . Par ergo erat ut dixi : ut qui filium uirginis uicerat : a filio uirginis uinceretur . Et quoniam in deo uicit : quia arte egit callida : ut manducaret contra uetitum : et de paradiso pelleretur : et expulsus homo clausum haberet paradisum : Ita egit iste filius uirginis : ut artem diaboli ad se uenire permitteret . Ars autem eius talis fuit : ut sicut accipiter rapit auem : quam potest : Ita raperet hæc filium hominis et uirginis : et poneret eum inter feras in deserto : et per quadraginta dies : non dixit ei manduca : quia non uidit eum esurientem . hoc enim statuerat ipse diabolus in corde suo : ut si per quadraginta dies transactos non esuriret : pro certo nosset : quia deus uerus est . Deus autem uerus erat : imo et est . Sed dixi : sic deus uerus : ut homo etiam permanens uerus : Non se intelligi permitteret nisi ab his : qui puro corde et piis operibus perseuerant . hoc autem Sathanas ubi uidit post quadraginta dies deum esurire : quasi securus effectus : quod deus non esset : dixit ei : Quare esuris ? Dic : ut lapides isti panes fiant : et manduca : Et dominus ad eum audi diabole : Si ideo hominibus dominaris quia pater hominum Adam suasioni tuæ obtemperans dei legem sibi positam contempsit : Ecce ego legem domini custodiens non manducabo : ut seperem† te ego homo ut eiiciam te de omni dominatione : quam tibi per deiectionem primi hominis usur || pasti . Vidit se exclusum : et alterum angelum apostaticum qui mamona dicitur sibi sociauit : et protulit immensa pondera auri et argenti et gemmarum et omnem gloriam : quæ in hoc sæculo est : et dixit ei : hæc omnia tibi dabo : si procidens adoraueris me . Dicit ei : Vade retro Sathana : scriptum est enim : Dominum deum tuum adorabis : et ipsi soli seruies . Fuit et alia temptatio superbiæ : quam in excelso super pinnam templi exercuit : Vt qui semel uicerat hominem terræ uirginis filium : a sanctæ uirginis filio homine tripliciter uinceretur . Et sicut qui uictor extiterat tyramni : mittit comites suos : ut in omnibus locis ubi tyramnus possidet titulos regni sui uictoris ac triumphatoris titulos imponant : ita et hic homo chrystus Iesus qui uicit : misit nos in omnes prouincias : ut expellamus ministros diaboli : qui per templa in statuis habitant : ut homines qui eos colunt : de potestate eius qui uictus est auferamus . Ideo aurum et argentum non accipimus : sed contemnimus : sicut ipse saluator noster contempsit . Quia ibi esse cupimus diuites : ubi solum eius regnat imperium : Vbi nec langor nec morbus nec tristicia nec mors locum aliquem habere noscuntur : Vbi felicitas perpetua : et beatitudo perhennis est : et gaudium sine fine : et sunt deliciæ sempiternæ . Inde est : ex quo ego templum uestrum ingressus sum : dæmonem qui in ydolo dabat responsa : ab angelis eius qui misit me religatum obtineo : quem si baptizatus fueris : et permiseris te illuminari : faciam te uidere : et cognoscere : quanto malo caruisti . Nam omnes illos qui iacebant in templo ægrotantes audi qua arte uidebatur curare eos diabolus : qui primum hominem uicit . Vt sepe iam dixi : per ipsum uictoriam pessimam habere uidetur in aliis maiorem in aliis minorem . Minorem in his : qui minus peccant : maiorem in his : qui plus peccant . Ipse ergo diabolus facit arte sua homines ægrotare : et suadet eos credere idolis : Et postquam in animas eorum potesta | tem obtinuerit : cessat tunc lædere eos : cum dixerint lapidi aut metallo cuique : deus meus es tu . Sed quia ipse Dæmon qui in ipsa statura† erat a me uinctus tenetur : sacrificantibus et adorantibus se nullum potest dare responsum : Sed si uis probare ita esse : iubeo illi : ut ingrediatur statuam suam : et faciam eum confiteri hoc ipsum : quod sit religatus : et responsa dare non possit . Dixit ei rex : Crastina prima diei hora : parati erunt pontifices sacrificare : et ego illuc superueniam ut uideam hoc factum mirabile . Factum est autem altero die prima hora diei sacrificantibus eis :

cœpit clamare dæmon Cessate miseri : cessate sacrificare mihi : ne peiora patiamini quam ego : qui cathenis igneis religatus sum ab angelis Iesu chrysti : quem Iudei crucifixerunt : putantes eum posse teneri a morte . Ille autem ipsam mortem : quæ regina nostra est captiuauit : et ipsum principem nostrum maritum mortis uinculis ignitis uinxit : et tertia die uictor mortis et diaboli resurrexit : Et dedit signum crucis sue apostolis suis : et misit eos per uniuersas partes mundi : ex quibus unus hic est : qui me uinctum tenet . Peto uos : ut rogetis eum pro me : ut dimitat me ire in aliam prouinciam . Tunc Beatus Bartholamæus ait : Confitere immundissime dæmon istos omnes : qui hic egritudines uarias patiuntuntur† : quis est : qui eos læsit . Respondit dæmon : Princeps noster diabolus qui modo sic religatus est : ipse nos mittit ad homines : ut lædamns† primo quidem carnem eorum : quoniam in animas hominum non possumus habere potestatem nisi sacrificauerint . At ubi pro salute sui corporis nobis sacrificauerint : cessamus nocere eos : quia iam in animabus corum† potestatem habere incipimus . Iam ergo per hoc quod ab eorum læsione cessamus : uidemur curare eos : et colimur quasi dii : cum pro certo simus dæmones ministri eius : quem in cruce positus Iesus filius uirginis religauit . A die autem qua discipulus eius huc uenit apostolus || Bartholamæus : ardentibus cathenis strictus consumor : et ideo loquor : quia iussit mihi . Nam ausus non essem loqui eo presente nec ipse princeps noster . Dicit ei apostolus : Quare non saluas homines omnes : qui ad te conuenerunt? Dicit ei dæmon : Nos quando corpora lædimus nisi animam læserimus corpora in sua læsione perdurant . Dicit ei apostolus : Et quomodo animas læditis ? Respondit dæmon : Cum crediderint nos esse deos : et sacrificauerint nobis : tollit se deus ab eis qui sacrificant : et nos uulnera corporum non tollimus : sed migramus ad animam . Tunc dicit apostolus ad plebem : Ecce fratres carissimi : quem putabatis curare uos : Audite nunc uerum deum creatorem nostrum : qui in cælis habitat . Non in uanis lapidibus credite . Et si uultis ut orem pro uobis : et omnes hi sanitatem recipiant : deponite idolum hoc : et confringite : et cum hoc feceritis : templum hoc in christi nomine consecrabo : et uos in isto templo chrysti baptismate renouabo . Tunc iussu regis omnes populi miserunt funes et rocleas in collo eius : et simulacrum non poterant euertere . Tunc apostolus dixit eis . Soluite omnia uincula eius : Cumque exsoluissent omnia : dixit ad dæmonem qui in eo erat : Si uis ut non te faciam in abyssum mitti : exi de isto simulacro : et confringe illud : et uade in terram desertam : ubi nec auis uolat : nec arator arat : nec uox hominum resonat : At ille statim egressus : comminuit omnia genera idolorum . Sed et minora ubicunque pro ornamento templi sigilla erant posita minutauit : ita ut picturam omnem deleret . Tunc omnes una uoce clamare cœperunt : Vnus dominus omnipotens : quem prædicat sanctus Bartholamæus . Tunc apostolus eleuans manus suas ad cælum dixit : Deus Abraaam:† deus Ysaac : deus Iacob : qui ad redemptionem nostram Vnigenitum tuum filium deum et dominum nostrum direxisti : ut nos omnes qui eramus serui peccati : suo sanguine redimeret : et tibi filios faceret : qui uerus | deus ex hoc cognosceris : quod semper idem es : et immutabilis perseueras : Vnus cum filio pater . unus etiam cum spiritu sancto et uere trinus et uere unus : unus pater ingenitus : unus filius unigenitus : unus spiritus sanctus qui ex patre procedit : et est in patre et filio domino nostro iesu chrysto . Qui in suo nomine dedit nobis hanc potestatem : ut infirmos saluaremus . cæcos illuminaremus leprosos mundaremus : paraliticos absolueremus : demones effugaremus : mortuos suscitaremus et dixit nobis : Amen dico uobis : quecunque in nomine meo petieritis a patre meo dabitur uobis . Peto ergo ut in eius nomine ut omnis hæc multitudo sanetur : Vt cognoscant omnes : quia tu es deus unus in cælo et in terra et in mari : Qui salutem recuperas per ipsum deum nostrum Iesum christum : qui tecum et cum spiritu sancto uiuit : et regnat in sæcula sæculorum : cumque omnes respondissent amen : cuncti qui ab infirmitate detinebantur : pristinæ sunt restituti illico sanitati . Apparuitque angelus domini splendidus sicut sol habeus† alas : et per quattuor angnlos† templi circumuolans digito suo in quadratis saxis exculpsit signum crucis : et dixit : hæc dicit dominus qui misit me : Sicut uos omnes ab infirmitate uestra mundaui : Ita mundaui templum hoc ab omni sorde . Et habitatorem eius iussit apostolus ire in desertum locum : sed prius ostendam uobis : quem deum collebatis : Quem uidentes nolite inquit expauescere : Sed quale signum sculpsi in his saxis tale uos digito uestro facite in frontibns† uestris : et omnia mala fugient a uobis .

Tunc Angelus domini ostendit eis ingentem egyptium nigriorem fuligine : habentem faciem acutam cum Barba prohxa† : crines usque ad pedes : oculos igneos sicut ferrum ignitum : scintillas emicantem ex ore eius : et ex naribus egrediebatur flama sulphurea pinarumque habens alas septem spineas : et erat uinctus a tergo manus habens ignitis cathenis strictas . Et dixit ei angelus domini : quoniam audisti uocem apostoli : omnia polu || tionum genera de isto templo mundasti secundum promissum apostoli soluam te : Vt uadas : ubi nulla conuersatio hominum est uel esse potest : et ibi sis usque ad diem iudicii . Et cum exoluisset eum : ille hulutatum teterrimum diræ uocis emittens euolauit : et nusquam comparuit . Angelus autem domini cunctis uidentibus euolauit ad cælum . Tuuc† Rex una cum uxore sua : et duobus filiis : et cum exercitu suo : et cum omni populo qui saluatus est ciuitatis suæ : et uicinarum urbium : quæcunque ad eius regnum pertinebant credens baptizatus est : Et deposito diademate capitis et purpura cœpit apostolum non deserere . Interea colligentes se uniuersorum templorum pontifices abierunt ad Astiagem Regem fratrem eius maiorem : et dixerunt ei : Frater tuus discipulus est factus hominis magi : qui templa nostra sibi uindicat : et deos nostros confregit : Cumque hoc flentes referrent : ecce et aliarum ciuitatum pontifices eadem cœperunt flæntes referre . Tunc Rex Astiages in dignatus misit mille uiros armatos cum pontificibus : ut ubicunque inuenirent apostolum : uinctum illum perducerent ad eum . Quod cum fecissent : dixit ad eum Astiages rex : Tu es qui euertisti fratrem meum ? cui apostolus dixit : Ego non euerti eum : sed conuerti . Dicit ei rex : Tu es qui deos nostros fecisti comminui ? Dicit ei Apostolus : ego dedi potestatem dæmonibus qui in eis erant : ut conquassarent idola uana : in quibus seducebant omnes homines : ut relicto errore : crederent omnipotenti domino : qui in cælis habitat . Dicit ei Rex : sicut tu fecisti fratrem meum ut relinqueret deum suum : et deo tuo crederet : ita te ego faciam derelinquere deum tuum : et deo meo credere : et illi sacrificare . Dixit ei Apostolus : Ego deum quem collebat frater tuus religatum et uinctum ostendi : et ipsum frangere feci symulacrum suum . Si poteris tu hoc facere deo meo : poteris me ad sacrificium prouocare . Sin autem tu nihil poteris deo meo facere : ego omnes deos tuos comminuam : et tu crede domi | no meo . Hæc cum diceret : nunciatum est regi : quia deus eius Baldach cecidisset . et minutum abisset . Tunc Rex† excidit purpuream uestem : qua indutus erat : et fecit fustibus cædi sanctum apostolum Bartholamæum : cesum autem : iussit eum dccoriari† . Venientes autem innumerabiles populi duodecim ciuitatum : qui per eum crediderunt una cum rege : abstulerunt eum cum hymnis et cum omni gloria sepelierunt corpus eius . Factum est autem trigesimo die depositionis eius : arreptus a dæmonio Rex Astiages uenit ad tumulum eius : et omnes pontifices pleni dæmonibus : Vbi confitentes apostolatum eius : sic sunt mortui . Factus est autem timor et tremor : super omnes incredulos : et crediderunt uniuersi : et baptizati sunt a præsbiteris : quos ordinauerat beatus apostolus Bartolamæus . Factum est autem per reuelationem uniuerso populo et omni clero ammonente : ut ordinaretur rex episcopus : Et cœpit in nomine domini Iesu christi signa facere . Fuit autem in episcopatu annis uiginti : et perfectis omnibus atque bene compositis : et bene stabilitis . migrauit ad deum : cui est honor et potestas et gloria in sæcula sæculorum Amen.

VITA BEATI BASIANI LAVDENSIS ANTISTITIS ET CONFESSORIS .

Sanctorum uirtutes quibus deo opitulante contra carnis illecerebras† constanter dimicauere : temporaliter retexere : futurorum quoque memoriæ commendare : duobus modis mortalibus operæ pretium esse credimus . Cum enim inuictam eorum constantiam in presenti fideliter recolimus : eos apud deum nostri memores esse non diffidimus : formamque cui imprimi debeant uiuentibus exhibemus . Igitur beati Basiani Laudensis antistitis et confessoris . conuersationem sacram ac mo || res quibus regni cælestis particeps fieri meruit : breuiter prout ipse præstiterit perstringere satagimus . Basianus uir uenerabilis uitæ pueritiæ suæ tempore senectutem : nec diuturnam neque numero annorum computatam : moribus prætendens a patre Sergio Syracusanorum

prouinciæ præfecto Romam cum annorum . xii . ob liberale litterarum studium directus est : ut ad plenum liberalibus imbutus documentis patre obeunte pro eo præfecturam prudenter disponere nosset : Qui cum disciplinam cui incumbebat ultra ætatis suæ modum mirabiliter perciperet : audito christianæ relligionis nomine ad diuinam philosophiam incredibili desiderio se conabatur transferre : et clam famulantibus sibi quibus pater tanquam unanimum custodiendum tradiderat assidue inuestigabat : Cui pectoris sui archanum securus intimaret . Sed dominus futurum militem suum nolens diutius salutiferæ militiæ suæ expertem atque ignarum existere : Gordiano presbtyero† magnæ sanctitatis uiro : appetitum atque sollicitudinem adolescentis Basiani aperire : tertio insomnis† dignatus est : qui maturius solito cubile proprium deserens : cœpit publica urbis exercitia quærere : si forte ualeat iuuenem conuenire : cuius mentionem sibi uoluit dominus ante paululum facere : quam eum rogando fessus tandem superna pietate fauente inuenire mereretur : diligenter ab eo percunctatur : unde oriundus : quibusque parentibus genitus : cuiusue gratia urbem incoleret . Cui magnificæ indolis Basianus cuncta per ordinem prudenter referens : seniori stuporem uæhementer iniicit super elegantia sermonis . Tunc uero senior honestis amplexibus eius aliquantisper moratus domum suam hortando secum inuisere eum compulit : ubi insinuare non distulit : quid sibi per uisum de eo tertio maiestas immensa reuelauerit : et ut quærendo insisteret non mediocriter ammonuerit : Quibus relatis uterque deo gratias laudesque debitas suppliciter egere : qui in quoquam pie | tatis affectum non sinit perire : et in ueritate accedentibus ad se rectitudinis uiam consueuit misericorditer reserare . Athleta autem a deo electus mox prouolutus ad uenerandi senis uestigia toto conamine postulabat : se ab eo in christo catetizari nec tanto mysterio tam multo ante optato se ulterius priuari pateretur : Cuius saluberrimis obsecrationibus præfatus senior ut pote dispositionis diuinæ iam proculdubio conscius deuotissime acquieuit : qui instructus usque ad plenum catetizatus in christo : ita se sacris obseruationibns† mancipare satagebat† : primo frugalitatem colendo : ut soliti stipendii tertia portione degeret : reliquis uero duabus indigentes alere summo opere gaudebat : Adeoque uirtutum gradibus proficere meruit : ut relligiosum sacricolam quem pridem ut Didascalum præceptoremque coluerat : postmodum discipulum et æmulatorem haberet . Deinde anni unius exacto curriculo tanquam miles acrioris puguæ† donatiuum intrepidus suscipiens baptismatis gratiam a sæpe dicto seniore percepit : qui sacro baptismatis fonte regeneratus iuuenem formosissimum solis spheræ in modum renitentem conspexit assistere : sibi quoque uestem candidam qua operiretur amministrare : Quem cum uir domini Basianus reuerenter perquireretur : quis esset ob quam gratiam sedem illam adierit : ut se iam pridiem† cælitus esse missum : ut sacrum eius prpositum† prospere disponat : et quæque sibi noxia procul ab eo abigat . His expletis confestim ab eorum oculis elapsus est : tantæ suauitatis flagrantia per mediam fere horam ibi præsentes reficiens : ut carnis mole deposita sibi uiderentur in cælestibus conuersari . Interea beati uiri comites quos eatenus tantum latuerat mysterium : preter unum maiorem natu quem idem domini famulus in timorum† : suorum socium adsciuerat : uicisim sollicite siscitabantur : quia dominus suus inaudita parcitate : pernoctationibusque insolitis incessanter attenuaretur : Quibus ma || ior natu eiusque fidelissimus simnistes ista retulit : liberalis disciplina Sibi studiose adæhrentibus† prestare consueuit : ut superfluis uoluptatibus sepositis naturæ dominis contentos efficiat . Identidem in domino nostro cum se ad altiorem philosophiam confert : noueritis fieri . Illi uero recolentes : quia cum adhuc cunnabulis foueretur : cruces quas nunquam uiderat : digito pulueri imprimebat : segetis quoque culmos ad earum instar diuinitus componebat : et a nutrice crebro obiurgabatur : curiosius inuestigare non desinunt Donec in ueritate comperiunt regenerationis lauacrum sucepisse . Quadam enim die cum nocturnis excubiis nimium fatigatus se sopori dedisset : audiuit eum in eodem sopore sanctæ trinitatis inuocare nomen : ut ad gloriam diligentibus se repromissam dignaretur se quoque dirigere : Cui uox superna subiecit : gaude et lætare fidelissime satelles christi Basiane quoniam deprecatio tua admissa est coram domino et sedes gratissima in cælo tibi parata His auditis clam beato uiro ministri eius urbe prodeunt : uno dumtaxat fideli secum relicto : patrique legationem molestissimam celeritr† perferunt : cumque pater anxius apparatum instrueret : quo filium ab incepto et si non blande uel uiolenter reuocare posset : contigit : ut domini confessor beati apostoli

Iohannis Basilicam primo gallorum cantu ingrederetur ubi obsecrationibus iuxta morem inseruiens aspicit canitie ueneranda patronum decoratum se monere . Noueris fidelissime confessor domini hanc sedem quamcitius tibi mutandam atque Rauenam cum fido comite adeundum : tuæ perpetuæ saluti genitor tuus insidias moliri non desistit : ut a rectitudinis calle te uel inuitum auertere possit : Idcirco diuinæ bonitatis clæmentia famulantium sibi curam non deserens me apostolum ad te uenire destinauit : ne preuento callidi hostis fraudibus euadendi aditus negaretur tibi : Quibus relatis uale dicens sancto uiro discessit . Tunc uero sæpissime genua flectens obnixius | domino preces fundere non omisit : cuius ope et gratia imminens periculum se declinare cognouerat : Cumque orandi interuallum paululum faceret : accersito ministro fidelissimo iussionis apostolicæ seriem insinuare non distulit : suæ quoque facultatis quidquid reliquum fuerat : egestate laborantibus errogari præcepit : ut caducorum abiecta sarcina : brauium bene currentium expeditius perciperet . Postera autem die ab urbe procedens : prout ei iussum fuerat : Rauenam ire perrexit : Qui cum urbe ad quam intenderat trium dierum procul haberetur : intuitus ceruam cum duobus hinnulis quam uenantium insidiæ adeo afflixerant : ut omnem liberationis respectum prorsus eriperent : mouit pietatis affectum in eam : eiusque ac filiorum periculo conscendere benigne deliberans : precepit ei in nomine domini : ut ad se intrepida accederet : Que mox omni exuta ferocitate uirum sanctum adiit : Quam dum manu propria uelut multo ante suetam leniret : ipsa illius pedes congratulans auide lingere cœpit tanquam salutis suæ uiam per eum se habituram nosset : hanc interim uenatores laboris sui pretium sperantes prope circunstant : paulisper hæsitantes quid significaret ceruam modo sibi immitem . uui† uiatori repente mitissimam extitisse . Tunc uero unus cæteris impudentior ait : O stolidissimi quæ mentis uestræ statum uesania peruertit : ut prædam uobis oblatam sucipere moremini ? Et hæc dicens de manibus hominis dei conatur eandem uiolenter auferre : Ad quem pater uenerabilis non ego inquit sed numen cæleste tibi imperat : ne hanc pecudem aut aliusmodi fœtus lædere aut fatigare audeas . At ille furore insano arreptus hominem pium et misericordem arroganter impulit . Sed punire ultio superna eiusdem arrogantiam continuo censuit : Peruasus nanque a dæmonio diuque uexatus : utroque lumine adempto : uitalem suis adstantibus spiritum pene reddidit : Quo metu reliqui sanctissimis pedibus prostrati : lachrimis || manantibus ueniam postulant : ne pro suis illicitis similia luant . Tunc iubet eos hinc procul remoueri : ipse uero ad locum ubi moribundus humi prostratus uoluebatur : cum suo dumtaxat comite accedens : totumque pronus uigorem ad deum dirigens huiuscemodi sumit exordium : Deus uniuersitatis mirabilis conditor : deus humanæ ruinæ piissime reparator : qui non perditionem morientum sed præcipue salute lætaris uiuentium : indulge iacenti misero : quæ ignorans aduersus nomen tuum sanctum temere commisit . Appræhensaque iacentis dextera : inquit : dæmon qui te de cælesti sede superbientem ad ima ruere compulit : ipse tibi imperat : quatenus similitudinis suæ forma relicta . sedem tartaream celeriter adeas : ubi te perpetuo puniendum non ignoras . Orationis quidem ordinem nec dum transegerat : cum humanæ felicitatis hominem breui possessum : sed mortetenus concussum tristis ac confussus deserit . Corpus uero uti examine oculis etiam tunc cæcitate damnatis : immobile uidebatur : Sed sanctæ crucis signaculo a sancto uiro cæcitate fugata tanquam uinculis solutus sancto iubente sospes exiliit : Reuocatisque sociis : incolumnis restituitur : qui pariter tantæ uirtutis stupore perterriti : deo qui in sancto suo mirabilis uideri uoluit : almoque confessori gratias agentes ad propria remeant : ubi ad honorem dei et confessoris sui uniuersis narrare gaudent : quæ uiderant . Interea cerua quid sanctus ei mandaret adhuc sustinens ad ipsius nutum lustra quibus metus expulerat cum fœtibus repetit . Ille autem uiæ non immemor gradum quo tenderat ipse dirigit . Vbi uicinam beati Apolinaris basilicæ sedem maluit ponere : quatenus remota ciuium frequentia : deo liberius ualeat obtemperare . Per idem tempus Imperante Valeriano cum iam sancti opinio celebris haberetur : epistola Rauenatium præsidi ciuibusque uniuersis ab eodem Imperatore dirigitur : quæ bithynium eiusdem ciuitatis Indicem† : qui maiestatis reus dicebatur iubebat ca | pitalem subire sententiam : qui cum ibi in quo puniendus credebatur uinctus teneretur : precem hanc fundere deliberauit : Famule domini Basiane per gratiam quam apud deum obtinuisti : mihi præsens esto refugium . Mox dum spiculator summo conamine ictum intenderet : de manibus eius bipennis

longe resiliuit : Quod præses ratus dolis spiculatoris fieri : alterum pro eo substituit : cui semel atque iterum uiriliter tentampti identidem contigit . Quo signo præses perterritus præcepit eum fauente populo solui : et custodiæ mancipari : donec relatio ad Imperatorem de eodem fieret . Cumque ad Imperatoris aures quod gestum fuerat non post multum pertingeret : iubet eum Valerianus de custodia produci : et noxæ qua reus tenebatur immunem exinde haberi : Qui facultatibus propriis restitutus : mundanis negotiis renuncians totum se deo eiusque fideli Basiano plenissime deuouit . Per idem tempus cogente clero ac populo per singulos ecclesiasticos gradus ad sacerdotii dignitatem promouetur . Paulo post autem ministri eius cursu uitæ religiosæ expleto bene currentis palmam adeptus est . Cuius die septimo depositionis cum sanctus [Basianus] deuotissime sacrificii munus assistente Bithynio pro eo offerret : uox cælitus prolata is inquit iustorum amœnitate iam fruitur : pro quo sollicitus oras : quia quod fide percepit : opere exercere† non recusauit : quod uir domini redemptionis nostræ hostia oblata : lætabundus Bithynio intimauit : ille quoque se audisse asserens ei cœpit congratulari . Per idem tempus Laudensis populus pastore proprio destitutus : rogationes publicas triduo indixerat : quatenus præsulem futurum ecclesiæ suæ idoneum præsidere diuina pietas innotesceret . Quorum deuotioni auditu benigne inclinato : Clementi eiusdem ecclesiæ uenerabili præsbitero : dum quieti artus committeret : postulata his uerbis nunciat : Basianum gemmis cælestibus insignitum uobis diuinitus præponendum scitote : qui suorum || iam securus pro aliorum excessibus rogare non desinit : multosque rauenatium : apud quos deo militat : honestis moribus informare satagit . Tuuc† Clæmens reuelatione gauisus accitis de clero ac populo ræligiosis audita refert . Protinus duos facundia et conuersatione pollentes elligunt : per quos ad uirum domini legationem sacram confidenter referunt . Ipsi autem nocte cuius diei sequenti sanctum conueniunt nunciatur patri : per spiritum a liguriæ partibus geminos uiros domino suggerente sibi in crastinum aduentare : quibus benigne susceptis : eorum sermonibus adquiescere non recusaret . Cumque ad eum percunctando mane perueniunt : loquendi copia ab eo postulata legationis summam solemniter referunt : quibus domini famulus Ad hæc inquid : deus hominem immortalem condidit : ut mandatis eius curaret diligenter obsequi . Postquam uero eorum negligens extitit : sibi cunctisque posteris necem parauit . Inconsequens ergo uidetur : quod humana temeritas dei audeat reniti uoluntati : cum apostolus dicat : Non quod ego uolo ago : sed quod nolo hoc facio . Nos itaque recusantes ambitum honoris : quanquam uolentes pondus pro fratribus subeamus laboris . Postmodum in hospitium introducens : Hortatur eos itinere nimium fessos ociose recreari . Illi autem desyderii sui compotes : longiori quieti negantes indulgere : cum thesauro optato intempestæ hora noctis : ad propria gaudent remeare . Factum est autem : cum a populo Laudensi deuotissime susciperetur : ut quidam clarus genere morbo paralitico iam dudum sermone priuatus : ad eum osculandum accederet . Cui post osculum ita sermo integer restituitur : ut a cunctis postmodum quam ante perditum sermonem expeditius loqui uideretur . Post non multum ucro† temporis cum prouincialibus episcopis conuocatis : cum laudem et honorem dei ad sedem pontificalem prouehitur : eo deinceps conspectus humilior : quo gradus quem susceperat in | erat celsior . Mensa uero eius peregrinis et egenis præcipue refectionem præstabat : quibus semper adhibitis cibos lautiores ipse ministrare consueuerat . Parcimoniæ quottidianæ : ut carnis delectationes superfluas deprimeret : usque adeo inhærebat : ut naturæ quoque conditionem transcendere crederetur . Vinum etiam aut alicuius saporem quo inebriari potest : nisi dominicæ resurrectionis die uel præcipuis sanctorum sollemnitatibus nunquam attingebat . Lectionibus sacris aut deuotis obsecrationibus sine cessatione incumbebat . Quodam autem tempore dum animo reuolueret : quod domino acceptabile munus præter solitum offeret : placuit ei in suburbio orientali ad honorem et reuerentiam apostolorum oratorium condere : datisque sumptibus ad fabricam perficiendam : opus quod cœperat non multum distulit consumare . Ad cuius dedicationem beatissimum Ambrosium Mediolanensem : et Felicem cumanum pontificem uenire persuasit . Cuius dedicationis idem beatus Ambrosius in libro epistolarum suarum meminisse non præteriit . Factumque est : ut inter consecrandum dæmonis uox per os puellæ huiusmodi audiretur : Quid uiri dei tam iniquum luctamen aduersum me suscepistis : ut tres contra me solum arma intolleranda pugnando præparatis? Nunquid parum uobis est : quia

nobis nocendi ademistis uires : nisi etiam ab illis quos posidemus arcere conemini ? quod si hinc me exire conpellitis : adhibitis mecum duobus uel pluribus aliam occupabo sedem : ad quam non dabitur uobis facultas aspirare . Tunc uero sancti pariter prostrati summæ pietatis opem certatim implorant : ut dæmone fugato præsentibus innotesceret magnitudinis suæ potentia . At ubi conditionis humanæ aduersarius uirtutem insuperabilem sensit adesse : diu discerpens atque contorquens puellam : tandem confussus ab ea compellitur exire . Protinus sancti ab oratione surgentes puellam parentibus incolumem com || mittunt . Hortanturque : ut domino salutis suæ auctori gratias indesinenter agant . consecrationis igitur mysterio rite expleto cum gratiarum actione unanimiter mensam adeunt : ubi non modo escis corporis refici : uerum etiam sententias conferre multo magis appetunt sacri eloquii . Die autem sequenti cum reditus sui licentiam peterent : obtinuit uir domini Basianus : ut interim pariter ieiunia soluerent : Inde uicisim uale dicentes : sedes adeunt proprias . Messis præterea tempore dum quidam puerulus inter metentium manipulos deambularet serpentis uulnere interiit . Qui cum in ecclesiam apostolorum quam domini presul fundauerat deportaretur : factum est : ut in eadem sicut crebro solebat : ipse omnipotenti laudes persoluret† : sed psallendi constantiam mentisque deuotionem parentum plangor miserandus omnimodo permutabat : Quos pater sanctus : cæteris ecclesiam exire precipiens : solus iuxta defuncti corpusculum ad orationem prosternitur : Cumque in oratione aliquandiu persisteret : lachrymis pauimentum rigans : exanimati membra tertio uisa sunt concuti : deinde totum corpusculum moueri . Surgente uero domini sacerdote a loco : in quo omnipotentis uirtutem pro puero deuote postulauerat : puer rediuiuus cum eodem pariter surgens : primo sermone tanquam nihil passus matrem uocare cœpit : Quo audito : parentes cæterique qui pro foribus manebant in opinatæ læticiæ moram non sustinentes ecclesiam irruumt† : uirtutemque dei quam per sacerdotem suum declarare uoluit ad mirari non sufficiunt . Tunc uir domini salutaria monita auribus populi qui multus conuenerat benigne inserens : hortatur quatenus illius et omnium uirtutum auctori certent famulari : ad cuius nutum et imperium puer meruit uiuificari : His itaque aliisque pluribus populus animatus in christo deum incessanter magnificans cum puero uitæ restituto exultanter rerecedit† : atque præsulem sameetum† quem | tanti miraculi efficacem cognouerat : prædicare non cessat . Per idem tempus beatus Ambrosius longo corporis langore detentus sancto Basiano cum eodem orante uidit deum arridentem accedere sibi : quod fratri fidelissimo Basiano imputandum : protinus intimare non distulit . Vir autem domini Basianus mente reuoluens quod ab eo didicerat : manantibus lachrymis hominis domini transitum imminere sibi fideliter famulantibus prædixit : quod Paulo post sicut spiritu diuino prædixerat : mediolanensis populus cum eodem dolendo contigisse probauit . Ipse uero beati funeris exequiis honestissime dispositis sarcophago membra sanctissima componens laudensen repetit cathedram : ubi sedulus sancti uirtutes et conuersationem commendans celebrare summopere gaudebat . Semper namque in ore semper in corde sanctum Virum gestabat . Memoria eius uel dormiendo ab eo nunquam recedebat . Frequenter enim dum aut lectione aut oratione fessum se sopori dedisset : audiebatur secum uelut præsentem sermonem habere : et tam iocuudæ† uisioni plenissime congratulari . Sequenti etiam temprore† dum mediolanum proficiscens quatenus almi confessoris eiusdem suffragia appetenda postularet : factum est : ut urbem ingressus : quendam dolose librantem stateram æthiopem que† paruulum in lance una conspiceret . Qui cum ab eis qui secum aderant percuntaretur : si idem eis patefieret : aiunt se nihil huiusmodi uidisse : quod sanctus uidere meruerat . Tunc domini confessor eos benigne hortatur : ut diuinæ bonitatis clæmentiam secum corde sincero studeant implorare : quemadmodum uisionis eiusdem testes fideles dignarentur addere : qui magnificentiam eius unanimiter non desinant prædicare . Precibus itaque deo oblatis concessit cælestis pietas Clementi præsbytero atque Elbonio diacono id ipsum : quod patri sancto uidere† concesserat . Accersitumque libriprendem diligenter interrogat : quod pondus dolosum in statera || emptorem illuderet . Illo autem instanter asserente nihil eiusmodi fuisse : Narrat ei pater sanctus quod ad corectionem et salutem eius altissimus sibi suisque dignatus fuerit pandere . Confestim uænditor genibus eius prouolutus : noxam qua puniendum eum sanctus prædixerat : gemendo confitetur . Cui confessor qui ut medelæ spiritalis peritus salutiferum obtulit antidotum : præcipiens :

ut quidquid congestæ pecuniæ ultra quam debitus usus exigebat accumulauerat : indigentiam patientibus largiri festinaret : Qui ammonitione sancta ad deum conuersus : multis salutis suæ modum prædicare non destitit : eos conuersatione atque exemplo a prauitatibus prudenter reuocando : ut in quibus abundabat peccatum : superabundaret et gratia : et qui hactenus ut arbores in fructuosæ igni traditi fuerant : postmodum fructus acceptabiles conditori suo referre digni haberentur . Multiplex de sancti uiri actibus almificis copia ad dicendum suppetit : sed ne relatio productior legentibus tædium generaret : uel audientium fidem quodam modo infirmaret : maluimus de eodem succinctum habere sermonem . Minus enim enarrationis sermo audientem onerat : qui prolyxitatem uitans rei gestæ ueritatem ad plenum notificat : quam si per ambages eam producendo quasi fastiditam ediseiat† Quo circa de beato sacerdote strictim quæ restant subdere opportunum sperauimus : a quo uires bene dicendi si quid boni manauerit tribui non diffidimus : Qui cum uitæ suæ cursum speciali præsagio consumari didicisset : religiosis astantibus de clero nunciat dissolutionis suæ diem imminere . Die uero septimo quo hæc prædixerat langore nimio correptus : suis pro tanti pastoris desolatione miserabiliter lugentibus : talia monita dedit : Nolite filioli de meo turbari transitu : quoniam fideli militaui principi : a quo militiæ præmium me suscepturum certissime noui . Dominus pars hereditatis meæ et calicis mei : ipse restituet hæriditatem meam mihi . Prouidebam | dominum in conspectu meo semper : quoniam a dextris est mihi : ne commouear : Neque uos præsenti consolatione prius priuabit : quam uos custodiendos suscepi : hoc enim a domino impetraui : ut ipse uos custodiat : ne blandimentis suis mundus cum amatoribus suis incautos corrumpat : Cumque carnis sarcinam deposuero : in basilica apostolorum quam ipse fundaui membra corruptibilia principio suo sicut mortalis conditio exigit restituite : Quoniam pios intercessores eos optaui : ac credidi me semper habere . Factum est autem : ut undecimo die ex quo hæc prædixerat sancta anima artus funeri relinqnens† : ad cælum exultantibus angelis deportaretur : sanctum uero corpus eius sicut ipse præceperat in ecclesia apostolorum cum digno exequiarum honore reconditum est : Vbi interuentione eius beneficia plurima præstantur : membraque langoribus diuersis debilia pristinis usibus reparantur ad gloriam et honorem Iesu christi domini nostri : cui est æquus honor laus et imperium cum patre et spiritu sancto in sæcula sæculorum amen . Præterea fidelium auribus nequaquam honerosum uideri arbitramur : si unam ex plurbus† uirtutem : quas eiusdem sancti obtinentibus meritis post transitum ipsius maiestas superna patere disposuit : memoratis inserere curemus . Nam per ea quæ inter mortales stupenda diuinitus geri contemplamur : in contemplabilem omnipotentiam colimus : et indubitanter ueneramur : Eiusque iugo leui libentius supponi properantes de promissionum suarum efficientia† nullo nunquam tempore titubamus . Factum est ergo non multum post excessum beati sacerdotis : ut quidam tauros habens geminos : quorum solo post deum adiumento suam suorumque uitam continuare disposuerat : eosque in eiusdem sancti annua sollemnitate pascentes deserens : oratorium in quo sanctissimum uenerabatur corpus deuotissime petiit . Interea fur aduersam gerens sollicitudinem : ubi tauros absque pastore errantes conspi || cit : totius boni suggerente inimico eos confidenter aggressus est abducere : Viri quoque cuius fuerant : benignam deuotionem ob damnum irrogatum sibi grauiter lædere : Cumque sinceræ orationis ordine humiliter expleto tauros quos reliquerat inuisere præfatus agricola satageret : neque eos quouis indicio reperire ualeret : peragratis pascuis in quibus spatiare consueuerant eorumque locis contiguis festinus ad sancti remeat tumulum : ubi genibus flexis noctem illam peruigilem transiens uelut commendatos opportune ab eo exigebat : Dumque uoce indeficienti eos sibi restitui postulat : furti minister sperans se rapinæ periculum iam declinasse : ut pote laboriosi itineris supplicio : diutissimo quoque errore cælitus uexatus ad fores ecclesiæ almi confessoris intrepidus scelerisque securus peruenit . Diuertens uero ad domum : quam ei proximam conspexerat : rapinam quam se impune adeptum credebat : in ea locauit : referens se in foro uænalium eam pretio comparasse . Deinde artus nimium fessos sopore paululum recreans . ad eandem ecclesiam sub prætextu honestatis tendere deliberauit . Verum dum basilicam qua se indignum exhibuerat sumo connamine ingredi temptaret : præcelso examine a liminibus repulsus uolui præ foribus uelut amens terribiliter cœpit . Neque quiescendi licentiam meruit : donec diu uoluendo

sanctus palam assistentibus crebro exclamare . En tamen in domo proxima en adsunt tauri : Cumque pæsentes† uicissim mirarentur : quid eiusmodi uox significaret his cuius fuerant : inter cæteros admirans quod ante fores cælitus fieri uidebant ad uocem furis præces quas fideliter fuderat ad effectum uenisse cognouit : et a domini confessore impetrasse : quod postulauerat . Inde ad segetem in qua tauros absconditos esse didicerat impiger cucurrit : Eosque inuentos intra scepta propria reducere gaudet . Postmodum ecclesiam repetens his quos stupentes reliquerat magnalia dei que per beatum | basianum patrare dignatus sit per ordinem narrat . præsens uero populus animaduersis quæ ab eo dicebantur : omnium uirtutum auctori : nec non eius præclaro confessori laudes properat celebrare : Qui gloriam quam suis in cælestibus contulit : per signa ingentia mortalibus destinat declarare . latro quoque parati criminis tota animi intentione pœnitens : ut ueniam mereretur : certatim insistebat : De cuius spe atque respectu confusus ecclsiæ† aditum prius sibi obnoxium prohibitum facile consecutus est : In qua se reliquo uiræ† suæ tempore deo eius etiam fideli Basiano famulari deuouit : pristinisque paruitatibus quibus se implicuerat superna opitulante clæmentia abrenunciare non distulit . quin etiam post conuersionem suam non sine suspiriis testari solebat : quoniam in ipsa nocte qua tauros subripuerat : aues teterimas erroris sui præuias uolitare uiderit : quas oculorum suorum aciem certatim turbasse asserebat . Neque etiam a se discessisse : quousque ante ianuas uirginis turrificæ inire cursum compelleret : In qua re superna dispensatio cautissime consyderanda est : quæ eosdem delinquenti tortores sæuissimos adhibet : quos nequitiæ suæ suasores habere studet : Quibus uero amenitatem ætheream præstat : ipsa eosdem ut eam mereantur diuinitus informat : Quod nobis eo cuius gesta retulimus interueniente concedere dignetur : qui in mutabilis manens : mutabilia disponit in sæcula sæculorum amen . Rexit autem laudensem ecclesiam triginta quinque annos et uiginti dies . Nonagessimo uero uitæ suæ anno humo quod suum fuerat restituens polumque gaudens adiit honorii octauo actheodas .

PASSIO SANCTI BLASII . EPISCOPI ET MARTIRIS .

In sebastia . Capadociæ tradidit dominus ad correptionem eos : qui secundum gratiam eius filii et heredes || existebant : Ex sebastia quidem martyrem sibi elegit usque ad sanguinem qui in eo est : Caritatem fidem atque confessionem ostensurum . Et quod melius est : quia non solum uiros sed et mulieres elegit ostensuras agonum certamen et usque in finem in christo per crucis exemplum coronas ad epturas†. Quorum unus extitit noster coronator et uictor Blasius : Iste enim sanctus per totum uitæ suæ tempus mitis degebat sicut et de Iob legimus : Purus : innocens : dominum colens : uerax : mansuetus : ab omni opere prauo se abstrahens . Videntes ergo irrepræhensibilem eius uitam hi : qui in sebastia capadotiæ ciuitate fideles existebant : elegerunt sibi eum episcopum . Ipse uero pergens in montem : qui uocatur : Argei habitauit ibi in quadam spelunca : et concurrebant ad eum non solum homines sed etiam agrestes feræ . Et si forsitan contigisset quocunque dolore teneri qualemuis ex eis : tanqnam† intelligibilia animalia concurrebant ad eundem sanctum in speluncam . Et usquedum imponeret manus eis benedicens eas : non recedebant ab eo . In illis diebus iussit Agricolaus præses congregari agrestes feras . Egredientes autem bestiarum compræhensores uenerunt in montem : in quo degebat sanctus Blasius epscopus†: Et uidentes speluncham et multitudinem bestiarum astantium ante eum : consternantes se ad inuicem ammirati dixerunt : Quid hoc uult esse? Appropinquantes autem uiri illi speluncæ : inuenerunt beatum Blasium orationem suam facientem : Et reuersi nunciauerunt præsidi ea quæ uiderant . Audiens autem præses iussit plures milites cum illis pergere : et quotquot inuenirent illic etiam absconsos christianos sibi presentarent . Euntes autem illi in predictum montem qui uocatur argei : et ingredientes speluncam inuenerunt sanctum Blasium orantem : et dixerunt ei . Egredere : uocat te præses . Videns autem eos sanctus domini gauisus est : et dixit : Filioli mei eamus simul : Memor enim mei est hodie deus . In hac enim nocte tertio mihi | apparuit dicens : Surge offer mihi hostias ut assoles : Et nunc filioli mei bene uenistis : deus

meus Iesus christus nobscum† est . Cum ergo uenirent : in itinere conuertebat paganorum plurimos ad deum per bonam suam ammonitionem : et per incessabiles eius orationes mirabilia faciebat . Offerentes ei infirmos recipiebat et imponens eis manus : sanos eos absoluebat . Et non tantum homines sed etiam et diuersa animalia : cum se immitterent adinuicem : Aut sicut sæpius contingit os impingi in gutur hominis : aut etiam aliquid aliud tale sibi fieri : deducebant ad eum : Et per dignas eius orationes saluos eos dominus reddebat . Accidit autem ut quædam mulier haberet filium unicum : qui dum piscis portionem ederet : subito os in guttur infigitur : ita ut pene mortuus maneret puer . Mater eius audiens mirabilia beati Blasii : apportans puerum iactauit eum ante eius pedes semiuiuum cum lachrymis clamans : et dicens : Miserere filii mei serue saluatoris nostri domini christi : eo quod unicus mihi est . Indicauit autem sancto : quod subito contigerat filio suo . Sanctus uero Blasius imponens manum puero et guttur eius signans : eleuansque oculos ad cælum orauit : dicens : Qui inuocantibus te domine Iesu christe uelox existis auditor et saluator : exaudi orationem mei serui tui : et infixam spinam puero isti per tuam inenarabilem abstole uirtutem . saluans eum : Et ab hinc siue in homines siue in animalia siue etiam in uolatilia contigerit aliquando infigi qualeuis os : et memor fuerit nominis mei serui tui dicens Domine Iesu cbriste† uere deus noster per orationem serui tui Blasii festina ad adiutorium meum : mox fac in eum misericordiam tuam ad gloriam sancti tui nominis : et oratione facta mox saluum reddidit matri suæ . Cognitus autem erat sanctus iste in Nicopoli : Doctus enim erat artis medicinæ . Dum ergo per itinera ueniret ipse sanctus Blasius : mulier erat quædam paupercula unum habens suem : et nil aliud possidens nisi tantum illum : et ecce subito lupus || irruens abstulit eum . Illa uero uenit deprecans sanctum Blasium contra eandem feram . Sanctus autem hoc audiens : et surridens dixit ei . Mulier noli tristari reddetur tibi porcus tuus : et ueniebat per itinera . Ipse uero lupus retro festinans et illæsum conseruans porcum : reddidit eum uiduæ . Ingresso autem ciuitatem Metropolim Sebastiæ beato Blasio iussit eum Agricolaus mitti in carcerem . Altera autem die sedens pro tribunali : iussit sibi presentari beatum Blasium : Quem uidens cœpit primitus blandis ei sermonibus suadere : et salutis uerbum inchoare dicens : Gaude Blasi amice deorum . Sanctus autem Blasius respondens dixit : Gaude et tu optime Præses : Verum non eos ipsos dicas deos sed daemonæs : qnia† æterno igni tradentur cum his qui eos honorant . Iratus autem Præses iussit eum fustibus caedi . Et dum cæderetur dixit præsidi : Insensate persuasor animarum : alienare me speras per has pœnas ab amore domini mei : et saluatoris Iesu chrisi† : sed non potes : quia habeo corroboratorem meum et saluatorem ipsum dominum Iesum filium dei uiui . Dum ergo non ualeret iniquus ille alienare eum a christi fide : iussit iterum reduci in carcerem : Audiens uero fidelis illa uetula uidua sustinentiam sancti martiris et atheletæ Blasii : et perseuerentiam† fidei eius dicit : occide porcum : quem receperam a fera illa per sancti Blasii iussionem : et coctum caput eius et pedes : mittensque in aliquod uasculum et ex fructibus terræ : lumine accenso obtulit martyri christi in carcere : et petiit eum sumere : Gratias uero agens ille et gustans benedixit eam : et dixit : Mulier hoc æxemplo perfice in memoriam meam : et non minuetur domus tua bonis quæ dei sunt . Sed et si quis te imitans hoc exemplo memoriam mei fecerit : incessanter habebit a domino meo cæleste donum et benedictionem omnibus diebus . Tum beata illa mulier acceptans mandatum sancti martyris : Perrexit gaudens in domum suam : glorificans et benedicens deum . Et expletum est in hac | fideli uidua : quod ubique enarratur : et quod fecit hoc ad memoriam eius . Tyramnus autem in secundo die secretario iussit presentari sibi martyrem Blasium : et deducto eo : dixit ei : Blasi adoras deos : aut uis perire? Sanctus Blasius respondit : Dii qui cælum et terram non fecerunt pereant : Illa uero quæ tu mihi qnasi† me terrens tormenta promitis : uitæ mihi eternæ fiunt præmia . Videns autem iniquus ille immutabilem eius mentem : iussit eum in ligno suspendi : cui Beatissimus christi martyr Blasius dixit . O crudelissime pœnis putas me terreri : sed habeo deum meum Iesum christum : qui me confortat : et non timebo transituras pœnas expectansque desyderabilia bona illa : quæ promissa sunt credentibus : Itaque iussit eum præses depositum de ligno mitti in carcerem . Deportato autem eodem sancto martyre Blasio : septem beatissimæ mulieres timentes deum sequebantur eum : suscipientes sanguinis gutas : quæ ab eo cadebant : et semetipsas ungentes .

Quas uidentes iniqui : qui eum ducebant tenentesque eas deportauerunt præsidi dicentes : quod et ipse essent christianæ . Videns autem eas dixit eis : Acquiesite† : et sacrificate diis sacrifitium. Rresponderunt† illæ : et dixerunt : Si uelis ut credamus : et sacrificemus diis tuis : eamus nos iuxta lacum et tu mitte deos tuos in saccum : bullans eos plumbo : et nos lauantes facies nostras in lacu : procedentesque sacrificabimus eis . Lætus his præses obtulit illis deos suos. Ipse uero christianæ mulieres accipientes eos iactauerunt in profundum lacus . Videns hoc præses : quod factum est : iratus est nimis : et percutiens manus suas : et ut leo rugiens aduersum mulieres motus dixit ministris : Quare non tenuistis deos nostros : ut non mitterentur in profundum lacus ? Qui responderunt dolose tecum locutæ sunt mulieres istæ et deos nostros profundo dederunt : Mulieres uero respondentes dixerunt Deus uerus dolum non patitur aliquando sed ligna uacua et lapides : et aurum et || argentum et omnes qui confidunt in eis . et iratus præses iussit in caminum ignis eas mitti : et desuper plumbum fundi in eas . et pectines ferreos adduci et septem æneas tunicas : Expandere autem tunicas candentes in alto loco : et dixit præses sanctis mulieribus : Eligite uobis unum de duobus : Aut sacrificantes diis eruite animas uestras . ambulants† super lineam : aut si nolueritis : iudicabimini in ea quæ parantur uobis tormenta . Vna uero ex ipsis duos filios habens : currensque tulit lineam et misit eam in caminum : et combusta est . Pueruli uero diexrunt† matri suæ : Non derelinquas nos in terra hac perire : sed sicut replesti nos dulci lacte tuo : reple nos regni celæstis dulcedinæ . Mox autem iussit præses eas suspendi : et laniari carnes earum cum pectinibus illis ferreis . Videbant autem milites illi quod pro sanguine lac carnes earum stilabant : et carnes earum erant tamquam flama ignis : et ut nix dealbabantur . Angeli autem domini descendentes de cælo : et salutantes eas dicebant eis : Nolite dubitare : bonus enim operarius initium faciens in messem : et explens . benedicitur ab eo : qui eum conduxit . Et accipiens mercedem suam lætus reuertitur in domum suam. Ita et uos elaborate : ut percipiatis a christo deo uitam æternam . Tunc Præses iussit deponi eas : et mitti in fornacem ignis : et mittentibus eas ignis extinctus est . Tunc egressæ de fornace sunt illesæ beatissimæ mulieres : Dixit ad eas præses : Omittite uestras magicas ambitiones : et procidentes adorate deos nostros . Sanctæ uero septem mulieres tanquam ex uno ore dixerunt : Gloria tibi qui regnas Iesu christe deus noster : qui etiam et nos dignatus es uocare in uiam tuæ pietatis . Et dixerunt impio : Festina explere : quod in nobis cœpisti eo quod et nos uocate sumus in regnum cæleste . Tunc iratus præses dedit in eas mortis sententiam : et tollentes eas iniquitatis ministri duxerunt ad præfinitum locum. Sanctæ uero mulieres præcabantur eos : ut parcerent illis orare : et | flectentes genua dixerunt : Quis deus magnus sicut deus noster : qui nos separauit a tenebris : et uocauit in hanc lucem dulcissimam . Ideo petimus te magne et teribilis deus noster : ut connumerare nos digneris primæ martyri tuæ Teclæ : et suscipe preces beatissimi patris nostri Blasii : qui nos docuit in hoc gloriosum martyrium et ad possessionem facias uitæ æternæ peruenire . Et hæc orantes surrexerunt a terra expandentes manus suas ad cælum : E† prospicientes oculis et mundo corde unanimes dixerunt : gloria tibi domine deus noster : qui nos dignatus es in hoc tuo sacrificio sistere sicut oues : suscipe animas nostras coram sancto et cælesti tuo sacrificio . Infantes uero illi præcurrentes ad suam quisque matrem dixerunt : Coronæ uestræ paratæ sunt apud cælestem dominum deum nostrum : commendate etiam nos sancto et fortissimo martyri chrysti Blasio Episcopo et patri nostro . Iniquitatis autem ministri truncabant capita sanctarum septem mulierum : et sic migrauerunt ad deum . In tercia uero processione præses sedens pro tribunali iussit sibi præsentari beatissimum Blasium episcopum : Et adducto eo dixit ei : uel nunc adoras deos : an non? Respondit martyr christi : et Impie cœcus es : et non uides lumen dei uerum . Nam quis hominum aliquando cognoscens deum uerum : idolum adorat? tu autem inique : et obscuræ : scito quod deum uerum dereliquisti : et lapidem adoras . Nam ego non dubitabo minas tuas : ut ergo uis : exerce in me . Carnem quidem meam tradam tibi : nam anime meæ deus potestatem habet : Respondit uero præses . Si te iactauero in lacum : quid tibi poterit adiuuare : quem dicis christum : quem adoras? Sanctus autem christi martyr ait illi : Ecce et execrabiles dæmones adoras : et speras saluari : Et ego deum uerum et uiuum adorans in æternum credo saluus esse : et nunc edociam† te in hac aqua uirtutem dei mei . Tunc iussit impius ille mitti eum in lacum . Ipse

uero procedens signauit aquam : et || mox stetit sicut arida : et sedens in medio lacus dixit ad ministros iniquitatis : Si habetis deos ostendite uirtutem eorum : et introite uos huc : Et ingressi sexaginta quinquæ uiri mox demersi sunt in profundum aque. Angelus autem domini descendens ad beatum Blasium dixit ei : Gloriose egredere : et suscipe præparatam tibi a domino coronam . Tunc surgens beatus Blasius : et super aquas ambulans sicut per aridam egressus est : et apparuit lux magna ante faciem eius : ut etiam ammirarentur omnes : qui uidebant eum. Impius uero dixit martyri christi in tantum decreuisti : ut non adores deos? Sanctus Blaxius dixit : cognosce miser : quod christi seruus sum et non adoro dæmones . Tunc iratus sæuissisimus† ille dedit in eum sententiam dicens : Qui me contempsit : et imperio contradixit : deosque non adorat : et octoginta octo uiros perdidit : capite truncetur : una cum duobus illis puerulis . Sanctus uero Blasius orauit dicens : Domine deus meus qui me liberasti ab idolis : qui tenebras lucem fecisti : deus uirtutum qui sedes super cherubin et aperis cataractas cælorum : qui expandis arcum tuum in manu tua : qui diabolum percussisti : et draconem interfecisti : exaudi me seruum tuum : Et si quis procidens adorauerit hoc sacrificium : qualemcunque spinam aut etiam os in guttur cuiuscunque personæ impegerit . Si etiam in diuersas infirmitates inciderit . Siue in tribulationem aut periculum : aut si persecutionem patitur : sucipe quæso petitionem fideliter petentium te domine : Hæc autem eo orante descendit nubes de cælo : et fulsit in eum : dixitque ei dominus : Omnem petitionem tuam adimplebo athleta dilectissime : non tantum hæc : sed et sicut uiduæ illi oranti faciam : et benedicam domum omnium perficientium memoriam tuam : horrea uero eorum replebo omnibus bonis propter tuam bonam confessionem et fidem quam in me habuisti . Et hæc loquente domino Iesu athlete suo : mox spiculator eiciens beatissimum martirem christi Blasium una cum duobus illis puerulis a | prætorio amputauit capita eorum foris muros sebastiæ ciuitatis super quendam lapidem mense februario die tertio . Accipiens uero quædam mulier prudens et dominum timens sancta eorum corpora nomine Eliphea reposuit in quo defuncti sunt loco pariter : In quo loco mirabilia domini nostri Iesu christi exhuberant usque in hodiernum.

PASSIO SANCTI BASILIDIS MARTIRIS .

Cum Paganorum persecutio famulos domini nostri Iesu christi per totum affligeret orbem : eosque uariis tormentis necaret : erat beatus Basilides in ciuitate orientali sub Platone præfecto : tenens sanctæ relligionis tramitem Cui dominus dixerat : Non licet tibi huic domino seruire : sed potius tibi conueuit iam pro nomine meo forte inire certamen . Respondit ei beatus Basilides : Domine magister omnium uirtutum paratus sum pro te tormentorum omnium sumere cruciatus : et dominus : beati inquit qui persecutionem patiuntur propter iusticiam : quoniam ipsorum est regnum cælorum . Audiens hæc beatus Basilides abiit ad prædictum præfectum referens ei quod per uigintiquinque annos in suo fuisset seruitio : et iam tempus esset : ut suos uisitaret parentes : et utrum uitalis aura illos foueret : an non . Quem præfectus interrogans ait : In qua prouincia parentes tui degunt . Et sanctus : in Italia inquit prouincia : que appellatur Aurelia. Respondit præfectus dicens : Audiui iam a multis de ipsa prouincia Aurelianum eiusdem prouinciæ habitatorem plurima tormenta discipulis christi ingerere : Ideo hoc timendum ualde tibi est ne dum præsens ibi fueris audiat te discipulum illius : et iubeat te grauioribus affici tormentis : Cui Basilides respondit Nam si dignus fuero beatorum martyrum meritis sociari pro || mei magistri honore domini Iesu christi acriores substinebo pœnas. Quidquid enim in hoc sæculo patimur : nichil est ad comparationem celestis remunerationis : quam deus diligentibus se promisit . præfectus audiens : Vade inquit et post unum annum ad me reuertere . his ille auditis cœpit gaudens ad patriam suam properare . Sed inter eundum sic ad deum orauit : Omnipotens æterne deus qui cuncta creasti : qui miseros refoues : qui confers digna petenti : Qui lapsos releuas famulos in morte iacentes : et cunctis reseras cælestia regna benignus : pande mihi callem : clæmens qui ducat ad urbem : Aureliam : caros cernam exinde parentes . completa autem oratione et properante

Aureliam ciuitatem ingreditur domum suorum pergens . Mox compertum est auribus crudelissimi tyramni : quod quidam uir sanctæ relligionis ciuitatem fuisset ingressus : statimque præcepit militibus : ut sanctum per totam prouinciam quererent : Qui cum fuisset inuentus in domibus parentum suorum : nunciatum est Tyramno . Tunc minister impiorum iussit sub ingenti festinatione sanctum uirum ad se uenire. Robustissimus athleta domini respondit : Iesu christi seruus sum : et illi soli seruio . Tyramnus ad hæc ait : num audisti : quia multa discipulis eius fecerim tormenta ? Et sanctus : Audiui inquit tua tormenta : sed minime expaui : proinde huc ueni : ut merear a domino palmam martyrii accipere . his auditis Aurelianus ait : Ergo ut uideo ad hoc uenisti : ut similia patiaris . Respondit beatus basilides : dicens : Te et tormenta tua pro nihilo duco : quoniam si mors euenerit tibi : cum patre tuo diabolo acriora incendia sustinebis : quæ finem non habent : nec tempus refrigerii præstant. Tyramnus furore plenus ait : fer libamina diis : et denega te discipulum esse illius . Quod si non feceris : pœnarum cruciatibus morieris . Et sanctus ad hæc : Quid ualent pœne . quas præmittis : quæ finem habent : et diu stare non possunt ? Et quid ualent sceleratissimi homines : quos tu deos dicis : quibus | me cogere credis libamina ferre : Scio enim Iouem germanam suam in coniugio habuisse : et Iunonem filiam saturni a uirginitate seperasse : pro quo inter deos munerari meruit . Scio herculem amore Proserpinæ deceptum ad inferni claustra descendisse : et mihi eam ad superiores partes reduxisse . Scio Apollinem iuxta amphrixum fluuium admeti regis armenta pauisse : et hæc humano antro Sybylam diabolico exagitasse furore . Scio Melicertam et Leucotheam in mare præcipitatos et inde postmodum numina maris appellatos fuisse . Scio Asclepium fulminatum fuisse : nec mercedem operis accepisse . hii omnes impiissimi homines fuerunt : qui postmodum a miseris hominibns† coli post mortem cœperunt . Inde illis instituta templa . Inde simulacra expressa ad detinendos uultus defunctorum : quibus immolant hostias . et dies festos dando honorem celebrant : Derelinquentes creatorem suum : quem decet omnes creaturas laudare : et pias illi omni tempore persoluere laudes . et quæ faciebant : adorabant : timebant et uenerabantur . Audiens hæc Aurelianus Iudex impietatis iussit eum in carcerem retrudi : et os illius crebris pugnis contundi . Beatus autem Basilides precans deum dixit : Domine Iesu christe qui famulos tuos inter tormenta carnificum non deseris : sed potius consolaris : iube me exiguam ouem tuam ad te peruenire qui pro tuo nomine pœnas mihi illatas tolerare non cesso . Tu enim dixisti : nolite timere eos : qui occidunt corpus : animam autem non possunt occidere . hanc autem securitatem secutus : tradidi corpus meum carnificibus : ut animam meam a cunctis peccatis exuas : tecumque uiuere facias in æternum : qui es benedictus in sæcula sæculorum . his itaque ad deum precibus fusis cælestibus armis cœpit se munire : qualiter pugnam certaminis sumeret contra iniquum hostem . post tres autem dies crudelis tyramnus præcepit militem christi de carcere exire : et suo conspectui præsentari : ad quem ita truculento uultu interroga || ns ait : Dimisisti errorem : qui te talia pati permitit ? Cui Athleta : christi : infelix si te cognosceres : non diceres me habere errorem sed potius te errori subiectum diiudicares Audi ergo si uis qualiter tu erras : qui unum : deum non colis : qui cuncta creauit et qui te ipsum ad hoc fecit : ut illum colleres : non ut lapides sculptos adorares . Nam alii tui similes uario errore detenti uolucrem turpemque bouem tortumque draconem adorabant . alii semihominem canem : et alii sensu perditi affirmabant solem esse creatorem omnium rerum : quia uidetur totum lustrasse polum : et clara lumina infundere terris . Alii uota ferebant lunæ : quæ crescere et minui uidetur : Et alii litabant stellis : quæ luce solis illuminantur . Alii colebant laticem : et alii larem sed iungere non audebant . quia inimica esse uidebantur inuicem . Alii ponebant aras arborum radicibus : et instituebant dapes : et flæbiles adorabant ramos : ut gubernarent suos filios et domum delectaque prædia et fidem coniugii famulos et censum . Nonnulli uenerabantur olus : et per molles hortos et siccas hærbas rigabant . Satis iam derisi monstra qnæ† tu et similes tui colentes ceciderunt in atram foueam : quæ et tua dementia nunc colit : et me militem christi colere compellit . Audiens hæc Aurelianus inimicus ueritatis inquit : Iam miser conticesce : et noli blasphemare deos : quia acerrima tormenta tibi præparantur . Beatus Basilides galea christi protectus ait : Cur te tanta dementia tenet : qui relicto creatore tuo inutilia monstra adoras et deos esse nominas ? O infelix cum rogas lignum et

lapides : surdis clamare uideris . Lignum enim hanc continet utilitatem : quod aliquando præciditur : et ad continendum domorum cooperimentum supponitur . Aliquando focis immittitur : ut hominibus coctos : præparet cibos . Similiter et lapides quos tua uesania deos nominare non cessat : Quibus auditis crudelissimus Tyramnns† ait : Grauioribus tormentts† eum afficite : et tandiu plumbatis contundite quandiu deos blasphemrae† cesset . Robustissimus denique miles christi dum talia pateretur ait : O stipula æterni ignis : cunctorumque scelerum patrator me quasi stultum dilanias : eo quod deorum tuorum monstra derisi . Ego enim pro gloria æterna quam dominus meus Iesus christus suis promisit fidelibus libenter tolero tua tormenta : Et quanto acrioribus pœnis afficior : tanto magis cælestibus gaudiis beatum me esse non dubito. Tunc ait Aurelianus : Hequissime† omnium hominum non tuæ pertinaciæ paream†. Et sanctus . Ego ueritatem loqui nec cessabo : quia ueritatis testis sum . Tu quidem dæmonum seruus existis : et christianorum sacrilegus propugnator . ego enim snm† miles christi et sancte fidei obseruator . His auditis tyramnus ampliori furore succensus excogitare cepit : qualiter eum crudeli morte necaret . uidens autem : quia nihil proficeret : tandem capitalem in eum dedit sententiam . Mox uero spiculator assumens illum duxit foras ciuitatem : ubi cum uéntum fuisset : pius athleta deum orauit dicens : dextera tua domine glorificata est in uirtute . dextera manus tuæ confregit inimicos . dextera uirtutis tuæ exaltauit me .

Suscipe queso tui famuli iam summe magister :
Basilidis clæmnes† animam cum laude triumphi :
Cœtibus angelicis coniungas factor olimpi .

Hic precibus expletis : signo crucis semet ipsum muniens uictricem tetendit ceruicem : statimque capite est truncatus . christicolæ igitur uidentes tanti uiri constantiam : Laudauerunt deum : qui tales obtinet famulos : et colligentes sacratissimun† corpus eius posuerunt in congruo loco : ubi miraculorum beneficia digne petentibus exhuberare non desinunt . Passus est autem beatissimus famulus dei Basilides pridie idus iunias . Ad laudem et gloriam domini nostri Iesu christi : qui cum patre et spiritu sancto uiuit et regnat deus in sæcula sæculorum Amen . ||

VITA SANCTI BRITII EPISCOPI ET CONFESSORIS .

Post excessum Martini turoniæ ciuitatis episcopi summi et incomparabilis uiri decoris uirtutibus : cuius magna hic apud nos uolumina retinentur : Britius ad episcopatum successit . At uero Britius cum esset ætatis iuuenilis sancto martino adhuc uiuente in corpore : multas ei tendebat insidias pro eo : quod ab eodem plærumque cur faciles res sequeretur arguebatur . Quadam tamen die dum quidam infirmus medicinam a beato Martino expectaret : Britium adhuc diaconum in platea conuenit : Cui simpliciter ait : Ecce ego præstolor beatum uirum : et nescio ubi sit : uel quid operis agat : Cui Britius : Si inquit delirum quæris : prospice eminus : ecce cælum more suo sicut amens respicit : cumque ille cursu reddito quod petierat impetraret : Britium diaconum uir beatus alloquitur : En ego : Briti delirus tibi uideor : cumque ille confusus : et hæc audiens dixisse se denegaret : ait ad eum uir sanctus : Non ne aures meæ ad os tuum erant : cum hæc eminus loquebaris ? Amen dico tibi : quia obtinui apud deum : ut post me ad pontificatus honorem accedas . sed noueris te in episcopatu multa aduersa passurum . Britius hæc audiens irridebat dicens : Non ne uerum dixi istum delira uerba proferre ? Sed et presbyterii honore præditus sæpius beatum uirum conuiciis lacessebat . Adeptus ergo tempore suo consentientibus ciuibus pontificatus officium orationi uacabat : Quia quamquam esset superbus et uanus : castitatem tamen tenebat in corpore . Trigesimo† uero tertio ordinationis suæ anno oritur contra eum lamentabilis causa pro crimine . Nam mulier ad quam cubicularii eius uestimenta defcrebant† ad abluendum : quæ sub specie religionis erat : ueste mutata concepit : et peperit : Qua de re surrexit omnis populus Turonorum in ira : et tantum crimen | super Episcopum referunt : uolentes eum unanimiter lapidare . Aiebant enim : Diu pietas sancti tuam celauit luxuriam . Ne nos deus diutius sineret manus tuas

indignas osculando pollui occulta detexit . Illo quoque econtrario uiriliter hæc negante : afferte inquit infantem ad me : Cumque oblatus fuisset infans : triginta ab ortu habens dies : ait ad eum episcopus : Adiuro te per Iesum christum omnipotentem deum : si ego te generaui coram cunctis edicas . At ille : non es tu inquit pater meus . Populis autem rogantibus : ut quis esset pater interrogaret : ait sacerdos : Non est hoc meum . Qnod† ad me pertinuit : solicitus fui indicare uobis . si aliquid suppetit : uos quærite . Tunc magicis artibus hoc factum asseuerantes insurgunt contra eum in una conspiratione : et trahentes eum dicebant : Non diutius nobis falso pastoris nomine dominaberis . Ille autem ad satisfaciendum ad huc populo : prunas ardentes in byoro† suo posuit : et astringens ad sepulcrum beati martini : cum populorum turbis accessit : proiectisque ante sepulchrum prunis uestimentum eius inustum apparuit . illo quoque sic prosequente : Sicut istud uestimentum ab his ignibus uidetis illæsum : ita corpus meum a tactu muliebri cuncto est impolutum . Illis uero non credentibus sed contradicentibus trahitur : calumniatur : ut sermo sancti adimpleretur : noueris te in episcopatu multa passurum . hoc enim eiecto : Iustinianum in episcopatu constituerunt . denique Britius Romæ urbis papam expetiit . flæns et eiulans : atque dicens : Merito hæc patior : quia pecaui in sanctum dei : et eum delirum et a mentem† sæpe uocaui Post cuius abscessum : aiunt turonici sacerdoti suo : Vade post eum : et exerce negotium tuum : quia si eum persecutus non fueris : a nostro omnium contemptu humiliaberis : Iustinianus uero egressus ab urbe Turonica Vercellum italiæ ciuitatem aggressus iudicio dei percussus obiit peregrinus . Turonici eius obitum audientes : et in sua malitia perdurantes ar || mentium in eius loco constituerunt : At Britius episcopus Romam ueniens : cuncta quæ pertulerat Papæ refert : Qui ante sedem apostolicam plærumque missarum sollemnia celebrauit : ibi quidquid se in sanctum dei deliquerat deflens. Septimo igitur egressus est a Roma cum auctoritate Papæ illius Turonem redire disponens . et ueniens ad uicum : cui nomen est Laudiacum septimo ab urbe milliario . mansionem accepit . Armentius uero febre corripitur : media autem nocte spiritum exhalauit : quod protinus Britio episcopo per uisum reuelatum est : Qui ait suis : Surgite uelocius : ut ad tumulandum fratrem nostrum turonorum pontificem occurramus : Cumque ueniens portam ciuitatis ingrederetur : ecce iste per aliam portam mortuus efferebatur : Quo sepulto Bricius in cathedram suam regressus est . Septem postea uiuens annos feliciter in pace carnis abiecto pondere migrauit ad christum : Cui est honor et gloria cum patre atque spiritu sancto in sæcula sæculorum Amen .

VITA SANCTI BENEDICTI ABBATIS A GREGORIO PAPA EDITA .

Fuit uir uitæ uenerabilis : gratia benedictus et nomine : ab ipso puericie suæ tempore cor gerens senile . ætatem quippe moribus transiens : nulli uoluptati animum dedit : sed dum in hac terra adhuc esset : quo temporaliter libere uti potuisset : despexit iam quasi aridum mundum cum flore . Qui liberiori genere ex prouincia nursiæ ortus . Romæ liberalibus litterarum studiis traditus fuerat . Sed cum iam in eis multos ire per abrupta uiciorum cerneret : eum quem quasi in ingressu mundi posuerat retraxit pedem : ne si quid de scientia eius attingeret : ipse quoque in immane precipitium totum iret . Despectis itaque litterarum studiis relicta domo rebusque patri | soli deo desiderans placere : sanctæ conuersationis habitum quæsiuit . Recessit igitur scienter nescius et sapienter indoctus . Huius ego omnia gesta ne didici sed pauca quæ narro quattuor discipulis illius referentibus agnoui . Constantino uidelicet . reuerendo ualde uiro : qui ei in monasterii regimine successit : ualentiniano quoque qui annis multis lateranensi monasterio prefuit : simplicio : qui congregationem illius post eum tertius rexit : Honorato etiam : qui nunc adhuc eius cellæ in qua prius conuersatus fuerat præest . Hic itaque cum iam relictis litterarum studiis : petere deserta decreuisset : nutrix quæ hunc artius amabat : sola secuta est : Cumque ad locum uenisset : qui effide dicitur ; multis illic honestioribus uiris caritate se detinentibus qui in beati petri apostoli ecclesia demorabantur : prædicta nutrix illius ad purgan-

dum triticum a uicinis mulieribus prestari sibi capisterium petiit : Quod super mensam incaute derelictum casu accidente fractum est : Sic ut in duabus partibus inueniretur diuisum . Quod mox ut rediens nutrix illius inuenit : uæhementissime flære cœpit : quia uas quod præstitum acceperat fractum uidebat . Benedictus autem religiosus et pius puer cum nutricem suam flære conspiceret : eius dolori compassus ablatis secum utrisque fracti caspiterii partibus sese cum lachrimis in orationem dedit : Qui ab oratione surgens : ita iuxta se uas sanum reperit : ut in eo fracturæ inuenire uestigia nulla potuisset . Mox autem nutricem suam blande consolatus ei sanum capisterium reddidit : quod fractum tulerat : Quæ res in loco eodem a cunctis est agnita : atque in tanta ammiratione habita : ut hoc ipsum capisterium eius loci incolæ in ecclesiæ ingressu suspenderent : quatinus et præsentes et secuturi agnoscerent . Benedictus puer conuersationis gratiam a quanta perfectione cœpisset . Quod annis multis illic ante oculos omnium fuit : et usque ad hæc longobardorum tempora super† fores ec || clesiæ pependit : Sed benedictus plus appetens mala mundi perpeti quam laudes : atque pro deo laboribus fatigari : quam uitæ huius fauoribus extolli : nutricem suam occulte fugiens deserti loci secessum petiit : cui sublacus uocabulum est . Quod a romana urbe quadraginta ferme milibus distans : frigidas atque perspicuas emanat aquas . Quæ illic uidelicet aquarum abundantia in extenso prius lacu colligitur ad postremum in amnem deriuatur . Quo dum fugiens pergeret : monachus quidam romanus nomine hunc euntem repperit : quo tenderet requisiuit . Cuius cum desiderium cognouisset et secretum tenuit : et adiutorium impendit : eique sanctæ conuersationis habitum tradidit : et in quantum licuit ministrauit . Vir autem :† dei ad eundem locum perueniens : in artissimo specu se tradidit : tribusque annis excepto romano monacho omnibus incognitus mansit . Qui uidelicet romanus non longe in monasterio sub dondati† patris regula degebat . Sed piæ eiusdem patris sui oculis furabatur horas : et quem sibi ad manducandum subripere poterat : diebus certis Benedicto panem ferebat . Ad eundem uero specum a romani cella iter non erat : quia excelsa de super rupis eminebat : sed ex eadem rupe in longissimo fune ligatum romanus deponere panem consueuerat . In quo etiam reste paruum tintinabulum inseruit : ut ad sonum tintinabuli uir dei cognosceret : quaando† sibi romanus panem præberet : quem exiens acciperet . Sed antiquus hostis unius caritati inuidens alterius refectioni : cum quadam die submitti panem conspiceret : iactauit lapidem : et tintinabulum fregit . Romanus tamen modis congruentibus ministrare non desiuit . Cum uero iam omnipotens deus et romanum uellet a laboribus quiescere : et Benedicti uitam in exemplnm† hominibus demonstrare : ut posita super candelabrum lucerna claresceret : quatenus omnibus qui in domo dei sunt luceret : cuidam præsbitero longius manenti . qui refectionem sibi in pascali festiui | tate parauerat : per uisum dominus apparere dignatus est dicens : Tu tibi delicias preparas : et seruus meus illo in loco fame cruciatur . Qui protinus surrexit : atque ipsa solemnitate pashcali† cum alimentis quæ sibi parauerat ad locum tetendit : et uirum dei per abruta† montium : per concaua uallium : per defossa terrarum quæsiuit : eumque latere in specu repperit . Cumque oratione facta : et benedicentes omnipotentem dominum consedissent : post dulcia uitæ colloquia : is qui aduenerat presbiter dixit : Surge et sumamus cybum : quia hodie pascha est . Cui uir dei respondit scio qui† pascha est : quia uidere te merui . Longe quippe ab hominibus positus : quia die eodem paschalis esset solemnitas ignorabat . Venerabilis autem præsbiter rursus asseruit dicens . Veraciter hodie resurrectionis dominicæ paschalis dies est : abstinere tibi minime congruit : quia et ego ad hoc missus sum : ut dona omnipotentis dei pariter summamus . Benedicentes igitur dominum : sumpserunt cybum . Expleta itaque refectione et colloquio : ad ecclesiam presbiter recessit . Eodem quoque tempore hunc in specu latitantem etiam pastores inuenerunt . Quem dum uestitum pellibus inter frutecta cernerent : aliquam bestiam esse erediderunt† : sed cognoscentes dei famulum : eorum multi ad pietatis gratiam a bestiali mente mutati sunt . Nomen itaque eius : per uicina loca cunctis innotuit . Factumque est : ut ex illo iam tempore a multis frequentari cœpisset : Qui cum ei cybos deferrent corporis : ab eis† ore in suo pectore alimenta referebant uitæ.

Quadam uero die dum solus esset : temptator affuit : nam nigra paruaque auis quæ uulgo merula uocatur : circa faciem eius uolitare cœpit : eiusque uultui importuue† insistere : ita ut capi manu posset : si hanc uir sanctus tenere uoluisset . Sed signo crucis

edito : recessit auis . Tanta autem carnis temptatio aui eadem recedente secuta est : quantam uir sanctus nunquam fuerat expertus . Quandam namque || aliquando fœminam uiderat : quam malignus spiritus ante mentis eius oculos reduxit . Tantoque igne serui dei animum in specie illius accendit : ut se in eius pectore amoris flamma uix caperet : et iam pœne deserere heremum uoluptate uictus deliberaret . Cum subito superna gratia respectus : ad semetipsum reuersus est : atque urticarum et ueprium iuxta densa succrescere frutecta conspiciens : exutus in dumento : nudum se in illis spinarum acculeis et urticarum incendiis proiecit . Ibique diu uolutatus : toto ex eis corpore uulneratus exiit : sicque per cutis uulnera eduxit a corpore uulnus mentis : quia uoluptatem traxit in dolorem . Cumque pœnaliter arderet foris : extinxit quod illicite ardebat intus . Vicit itaque peccatum : quia mutauit incendium . Ex quo uidelicet tempore : sicut post discipulis ipse perhibebat : ita in illo est temptatio uoluptatis e domita : ut tale in se aliquid minime sentiret . Cœperunt postmodum multi iam mundum relinquere : atque ad eius magisterium festinare . Liber quippe a temptationis uitio : iure iam factus est uirtutum magister . Vnde et per moysen præcipitur : ut leuitæ a uiginti quinque annis et supra ministrare debeant : ab anno uero quinquagessimo custodes uasorum fiant .

PETRVS

Iam quidem prolati testimonii mihi aliquantum intellectus interlucet : sed tamen hoc plenius postulo exponi .

GREGORIVS

Liquet petre quod in iuuentute carnis temptatio ferueat : ab anno uero quinquagessimo calor corporis frigescat . Vasa autem sacra : sunt fidelium mentes . Electi ergo cum ad huc in temptatione snnt† : subesse eos ac seruire necesse est : et obsequiis laboribusque fatigari . Cum uero iam mentis ætate tranquilla : calor recesserit temptationis custodes uasorum sunt : quia doctores animarum fiunt .

PETRVS

Fateor . placet quod dicis : sed quia prolati testimonii claustra reserasti : queso ut de uita iusti debeas ea quæ sunt inchoata | percurrere .

GREGORIVS

Recedente igitur temptatione : uir dei quasi spinis erutis : exculta terra de uirtutum segete feracius fructum dedit . Præconio itaque eximiæ in conuersationis celebre nomen eius habebatur . Non longe hinc monasterium fuit : cuius congregationis pater defunctus est : omnisque ex illo congregatio ad eundem uenerabilem benedictum uenit . et magnis præcibus ut eis præesse deberet petiit . Qui diu negando distulit : suis illorumque fratrum moribus conuenire non posse predixit : sed uictus quandoque præcibus assensum dedit . Cumque in eodem monasterio regularis uitæ custodiam teneret : nullique ut prius per actus illicitos in dextram leuamque partem deflectere a conuersationis itinere liceret : suscepti fratres insane seuientes : semetipsos prius accusare cœperunt : quia hunc sibi præesse poposcerant : quorum scilicet tortitudo in norma eius rectitudinis offendebat . Cumque sibi sub eo conspicerent illicita non licere : et se dolerent assueta relinquere : durumque esset quod in mente ueteri cogebantur noua meditari : sicut prauis moribus semper grauis est uita bonorum : tractarre de eius morte aliquid conati sunt . Qui inito consilio : uenenum uino miscuerunt : et cum uas uitreum in quo ille pestifer potus habebatur : Recumbenti patri ex more monasterii : ad benedicendum fuisset oblatum : Benedictus extensa manu signum crucis edidit : et uas quod longius tenebatur eodem signo rupit . Sicque confractum est : ac si in illo uase mortis Pro ipsa cruce lapidem dedisset . Intellexit protinus uir dei quia potum mortis habuerat : qui portare non potuit signum uitæ . Atque illico surexit : et uultu placido mente tranquilla : conuocatis fratribus allocutus est dicens : Misereatur uestri fratres omnipotens deus : quare in me ista facere uoluistis ? Nunquid non prius dixi : quia uestris ac meis moribus non conueniret ? Ite itaque et iuxta mores uestros uobis patrem querite : quia me post || hoc habere minime potestis . Tunc ad locum dilecte solitudinis rediit : et solus in superni inspectoris oculis habitauit secum .

PETRVS

Minus patenter intelligo : quid nam sit : habitauit secum .

GREGORIVS

Si sanctus contra se unanimiter conspirantes suæque conuersationi longe dissimiles : coactos diu sub se tenere uoluisset : fortasse sui uigoris usum et modum tranquillitatis excederet : atque a contemplationis lumine mentis suæ oculum declinasset : Dumque quotidie illorum incorrectione fatigatus minus curaret sua : et se forsitan relinqueret : et illos non inueniret : Nam quotiens per cogitationis motum nimie extra nos ducimur : et nos sumus : et nobiscum non sumus : Quia nos metipsos minime uidentes : per alia uagamur . An illum secum fuisse dicimus : qui in longinquam regionem abiit : portionem quam acceperat cousumpsit† : uni in ea ciuium ad hæsit . porcos pauit : quos et manducare siliquas uideret : et esuriret . Qui tamen cum postmodum cœpit cogitare bona : quæ perdidit : scriptum de illo est : in se reuersus dixit : quanti mercenarii in domo patris mei . abundant panibus? Si igitur secum fuit : unde ad se rediit ? hunc ergo uenerabilem uirum secum habitasse dixerim : quia in sua semper custodia circunspectus ante oculos conditoris se semper aspiciens : se semper examinans : extra se mentis suæ oculum non deuulgauit .

PETRVS

Quid est ergo quod de petro apostolo scriptum est : dum de carcere ab angulo† eductus fuisset : quia ad se reuersus dixit : Nunc scio uere : quia misit dominus angelum suum : et eripuit me de manu herodis et de omni expectatione plebis Iudeorum .

GREGORIVS

Duobus modis petre extra nos ducimur quia aut per cogitationis lapsum sub nos metipsos recedimus : aut per contemplationis gratiam super nos meptisos leuamur . Ille itaque qui porcos pauit : uagatione mentis et immundicia sub semet | ipsum cecidit . Iste uero quem angelus soluit : eiusque mentem in extasim rapuit : extra se quidem : sed super semetipsum fuit . Vterque ergo ad se rediit : quando et ille ab errore operis se collegit ad cor . et ille a contemplationis culmine ad hoc rediit : quo intellectu communi et prius fuit . Venerabilis igitur Benedictus in illa solitudine habitauit secum : inquantum se uita cogitationis claustra custodiuit . Nam quotienscumque hunc contemplationis ardor in altum rapuit : se proculdubio sub se reliquit .

PETRVS

Placet : quod dicis : sed quæso respondeas : si deserere fratres debuit : quos semel suscepit .

GREGORIVS

Vt ego petre existimo : ibi adunati æquanimiter portandi sunt mali : ubi iuueniuntur† aliqui : qui adiuuentur boni . Nam ubi omnimodo fructus de bonis deest : fit aliquando de malis labor superuacuus : maxime si e uicino causæ suppetant quæ fructum deo ualeant ferre meliorem . Vir itaque sanctus propter quem custodiendum staret qui omnis unanimiter se persequentes cerneret : Etiam sæpe agitur in animo perfectorum : quod silentio non est prætereundum : quæ cum laborem suum sine fructu esse considerant in locum alium ad laborem cum fructu migrant . Vnde ille quoque egregius prædicator qui dissolui cupit : et cum christo esse cui uiuere christus est : et mori lucrum qui certamini passionum non solum ipse appetit : sed ad toleranda hæc et alios accendit : damasci persecutionem passus : ut potuisset euadere murum : funem sportamque quæsiuit : seque latentem deponi uoluit : Nunquidnam Paulum mortem dicimus timuisse : quam se ipse pro cristi amore testatur appetere : sed cum in eodem loco minorem sibi fructum et laborem esse conspiceret : ad grauem laborem se alibi cum fructu seruauit . Fortis et enim præliator dei teneri uitæ claustra uoluit : certaminis campum quæsiuit . Vnde idem quoque uenerabilis Benedictus : si libenter audis citius agnoscis : quia tot uiuos || ipse in docibiles† non deseruit : quot in locis aliis ab anime morte suscitauit .

PETRVS

In† esse ut doces : et manifesta ratio et prolatum testimonium declarat . Sed quæso : ut de uita tanti patris ad narrationis ordinem redeas .

GREGORIVS

Cum sanctus uir eadem solitudine uirtutibus signisque succresceret : multi ab eo in loco eodem ad omnipotentis dei seruitium sunt congregati . ita ut illic duodecim monasteria cum omnipotentis Iesu christi dei opitulatione construeret . In quibus statutis patribus duodenos monachos deputauit . Paucos uero secum retinuit : quos adhuc in sua præsentia aptius erudire iudicauit . Cœpere etiam ad eum romanæ urbis nobiles et religiosi concurrere : suosque ei filios ompnipotenti† domino nutriendos dare . Tunc quoque bonæ spei suas soboles Euticius Maurum : Tertulus uero patricius Placidum tradidit : E quibus Maurus iunior cum bonis polleret moribus magistri adiutor cœpit existere . Placidus uero puerilis adhuc indolis annos gerebat . In uno autem ex eis monasteriis quæ circum quaque construxerat : quidam monachus erat : qui ad orationem stare non poterat : sed mox ut se fratres ad orationis studium inclinassent : ipse egrediebatur foras : et mente uaga terrena aliqua et transitoria agebat : Cumque ab abbate suo sæpius fuisset ammonitus : ad uirum dei adductus est . Qui ipse quoque eius stulticiæ uæhementer increpauit . Et ad monasterium reuersus uix duobus diebus uiri dei admonitionem tenuit . Nam die tercio ad usum proprium reuersus : uagari tempore orationis cœpit . Quod cum seruo dei ab eodem patre monasterii nunciatum fuisset : et constituta hora expleta psalmodia sese fratres in orationem dedissent : aspexit quod eundem monachum qui manere in oratione non poterat quidam niger puerulus per uestimenti phimbriam foras trahebat . Tunc eidem patri monasterii Pompeiano nomine et Mauro dei | famulus secreto dixit : Nunquid non aspicitis : quis est : qui istum monachum foras trahit ? qui dixerunt . Nullum uidemus : Quibus ait : Oremus ut uos etiam uideatis : quem iste monachus sequitur . Cumque per biduum esset oratum : Maurus monachus uidit : Pompeianus autem eiusdem morasterii† pater uidere non potuit . die igitur alia expleta oratione uir dei oratorium egressus stantem foris monachum repperit : quem pro cecitate cordis sui uirga percussit . Qui ex illo die nihil persuasionis ulterius a nigro puerulo pertulit : sed ad orationis studium immobilis permansit . Sicque antiquus hostis dominari non ausus est in eius cogitationem : ac si ipse percussus fuisset ex uerbere . Ex his autem monasteriis quæ in eodem loco construxerat : tria sursum in in† rupibus montis erant : et ualde erat fratribus laboriosum semper ad lacum descendere : ut aquam haurire debuissent : maxime quia ex deuexo montis latere erat graue descendentibus in timore periculum . Tunc collecti fratres ex eisdem tribus monasteriis ad dei famulum Benedictum uenerunt dicentes : Laboriosum nobis est propter aquam quottidie usque ad lacum descendere : idcirco necesse est ex eodem loco monasteria mutari : Quos blande consolatos dimisit . Et nocte eadem cum paruo puerulo nomine Placido : cuius superius memoriam feci eiusdem montis ascendit rupem : ibique diutius orauit . Et oratione completa tres petras in loco eodem pro signo posuit : atque ad suum cunctis illic nescientibus monasterium rediit . Cumque die alio ad eum pro necessitate aquæ predicti fratres redissent : dixit Ite : et rupem illam in qua tres super inuicem positas petras inuenietis in modico cauate . Valet enim omnipotens deus etiam in illo montis cacumine aquam producere : ut nobis† laborem tanti itineris dignetur auferre : Qui euntes rupem montis quam Benedectus† predixerat iam sudantem inueuerunt . Cumque in ea concauum locum fecissent : statim aqua reple || tus est . Quæ tam sufficienter emanauit : ut nunc usque hubertim defluat : atque ab illo montis cacumine usque ad inferiora deriuetur .

Alio quoque tempore . Gotthus quidam pauper spiritu ad conuersationem uenit : Quem uir domini Benedictus libentissime suscepit . Quadam uero die ei dare ferramentum iussit : quod a falcis similitudine falcastrum uocatur : ut de loco quodam uepres abscideret : quatenus illic fieri hortus deberet . Locus autem ipse quem mundandum Gotthus susceperat : super ipsam lacus ripam iacebat : Cumque Gotthus idem diuersitatem ueprium totis uirtutibus ac nissus† succideret : ferrum de manubrio prosiliens in lacum cecidit ad ubi silicet tanta erat aquarum profunditas ut spes requi-

rendi ferramenti nulla iam esset. Itaque ferro perdito tremebundus ad Maurum monachum cucurrit Gotthus : et damnum quod fecerat nunciauit : et reatus sui egit pœnitentiam . Quod Maurus quoque monachos† mox Benedicto dei famulo curauit indicare . Vir igitur domini Benedictus hæc audiens accessit ad locum : tulit de manu Gotthi manubrium : et misit in lacum . Et mox ferrum de profundo rediit : atque in manubrium intrauit . Qui statim ferramentum Gottho reddidit dicens : Ecce labora : et noli constristari.

Quadam uero die dum idem uenerabilis Benedictus in cella consisteret : prædictus Placidus puer sancti uiri monachus ad hauriendam de lacu aquam egressus est Qui uas quod tenuerat in aquam incaute submittendo : ipse quoque cadendo secutus est. Quem mox unda rapuit : et pene in unius sagitte cursu a terra introrsus traxit . Vir autem dei intra cellam positus hoc protinus agnouit . et Maurum uocauit dicens : Frater Maure curre quia puer ille qui ad hauriendam aquam perrexerat† : in lacum cecidit : iamque eum unda longius trahit. Res mira et post petrum apostolum inusitata : benedictione et enim postulata atque percepta ad patris sui im | perium concitus perrexit Maurus : atque usque ad eum locum quo ab unda ducebatur puer per terram se ire existimans : super aquam cucurrit Qui mox ut terram tetigit : ad se reuersus : post terga respexit : et quia super aquas cucurrisset : agnouit : miratus : extremuit factum . Reuersus ad patrem rem gestam retulit . Vir autem uenerabilis Benedictus hoc non suis meritis sed obedientiæ illius deputare cœpit . At contra Maurus pro solo eius imperio factum dicebat : seque conscium in illa uirtute non esse : quam nesciens fecisset . Sed in hac humilitatis mutuæ amica contentione accessit arbiter puer : qui creptus† est . Nam dicebat : Ego cum ex aqua traherer : super caput meum abbatis mei melotem uidebam atque ipsum me ex aquis educere considerabam.

PETRVS

Magna sunt ualde quæ narras : et multorum ædificationi profutura : Ego autem boni uiri miracula cum plus bibo : plus sitio.

GREGORIVS

Cum iam loca eadem in amore dei et domini nostri Iesu christi longe lateque ferueſcerent : secularemque uitam multi relinquerent : et sub leui redemptoris iugo ceruicem cordis edomarent : sicut mos prauorum est inuidere aliis uirtutis bonum : quod ipsi habere non appetunt : Vicinæ æcclesiæ præsbiter Florentius nomine huius nostri subdiaconi Florentii auus antiqui hostis malitia perculsus : sancti uiri studiis cœpit emulari : eius quoque conuersationi derogare : quosque etiam posset ab illius uisitatione compescere . Cunque . iam se conspiceret eius prouectibus obuiare non posse : et conuersationis illius opinionem crescere : atque multos ad statum uitæ melioris ipso quoque opinionis eius præconio indesinenter uocari : inuidiæ facibus magis magisque succensus deterior fiebat : quia conuersationis illius habere appetebat laudem : sed habere laudabilem uitam nolebat : Qui eiusdem inuidiæ tenebris cæcatus ad hoc usque perductus est : ut seruo omnipotentis domini infectum ueneno panem quasi pro be || nedictione transmitteret : Quem uir dei cum gratiarum actione suscepit : sed eum quæ pestis lateret in pane non latuit . Ad horam uero refectionis illius ex uicina sylua coruus uenire consueuerat : et panem de manu eius accipere . Qui cum more solito uenisset : panem quem præsbiter transmiserat : uir dei ante coruum proiecit : eique præcepit dicens : In nomine domini Iesu christi : tolle hunc panem : et tali eum in loco proice : ubi a nullo homine possit inueniri . Tunc coruus aperto ore expansis alis circa eundem panem cœpit discurrere : atque crocitare : ac si aperte diceret : et obedire se uelle : etiam tamen iussa implere non posse . Cui uir dei iterum atque iterum præcipiebat dicens : Leua leua securus : atque ibi proice : ubi inueniri non possit . Quem diu demoratus : quandoque coruus momordit leuauit et recessit . Post trium uero horarum spatium abiecto pane rediit : et de manu hominis dei annonam quam consueuerat accepit . Venerabilis autem pater contra uitam suam inardescere sacerdotis animum uidens : illi magis quam sibi doluit . Sed prædictus Florentius quia magistri corpus necare non potuit : se ad extinguendas discipulorum animas accendit : ita ut in orto cellæ cui Benedictus inerat ante eorum oculos nudas septem puellas mitteret : Quæ coram eis sibi inuicem tenentes

et diutius ludentes : illorum mentem ad peruersitatem libidinis inflammarent : Quod sanctus uir de cella conspiciens : lapsumque ad huc tenerioribus discipulis pertimescens : idque pro sua solius persecutione pertractans : inuidiæ locum dedit : atque oratoria cuncta quæ construxerat sub statutis præpositis adiunctis fratribus ordinauit . Et paucis secum monachis ablatis . habitationem mutauit loci : moxque uir dei eius odia humiliter declinauit . hunc omnipotens deus terribiliter percussit . Nam cum prædictus præsbiter stans in solario benedictum discessisse cognosceret . et exultaret : perdurante immobiliter tota domus fabrica : hoc ipsum in quo sta | bat solarium cecidit : et benedicti hostem conterens extinxit : quod uiri dei discipulus Maurus nomine statim uenerabili patri Benedicto qui adhuc a loco eodem uix decem millibus aderat : extimauit esse nunciandum dicens : Reuertere : quia præsbiter qui te persequebatur extinctus est . Quod uir dei Benedictus audiens : sese in grauibus lamentis dedit : uel quia inimicus occubuit : uel quia de inimici morte discipulus exlutauit† : Qua de re factum est : ut eidem quoque discipulo pœnitenciam indiceret : quod mandans talia gaudere de inimici interitu presumpsisset.

PETRVS

Mira sunt et multum stupenda quæ dicis . Nam in aqua ex petra producta moysen : in ferro uero quod ex profundo aquæ rediit heliseum : in aquæ itinere petrum : in eorum obedientia heliam : in luctu autem mortis inimici dauid uideo : ut perpendo uir iste spiritu iustorum omnium plenus fuit.

GREGORIVS

Vir domini Benedictus : Petre illius spiritum habuit : qui per concesse redemptionis gratiam electorum corda omnium impleuit : do quo Iohannes dicit : Erat lux uera quæ illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum. Et de quo rursus scriptum est : De plenitudine eius nos omnes accepimus. Nam sancti dei homines potuerunt a domino uirtutes habere : non etiam aliis tradere . Ille autem signa uirtutis dedit subditis : qui se daturum signum Ionæ promisit inimicis : ut coram superbis mori dignaretur : coram humilibus resurgere : quatenus et illi uiderent quod contemnerent : et isti qui uenerantur amare debuissent . Ex quo mysterio actum est ut dum superbi aspiciunt despectum mortis : humiles contra mortem acciperent gloriam potestatis.

PETRVS

Quæso te post hæc : ad quæ loca uir sanctus migrauerit : uel si aliquas in eis uirtutes ostenderit innotescas.

GREGORIVS

Vir sanctus ad alia demigrans loca : non hostem mutauit . Nam tantum post gra || uiora prælia pertulit : quantum contra se aperte pugnantem ipsum magistrum maliciæ inuenit. Castrum nanque quod casinum dicitur in excelsi montis latere situm est . Quod uidelicet mons distento sinu hoc idem castrum recepit . Sed per tria millia in altum se surrigens : uelud ad aera cacumen tendit : ubi uetustissimum fanum fuit : in quo ex antiquorum more gentilium a stulto rusticorum populo Apollo colebatur . Circumquaque etiam in cultu dæmonum luci succreuerant : in quibus adhuc eodem tempore infidelium insana multitudo sacrificiis sacrilegis insudabat . Ibi itaque uir dei perueniens . contriuit idolum . subuertit haram . succidit lucos : atque in ipso templo apollinis oraculum beati Martini dedicauit . Vbi uero hara eiusdem Apollinis fuit : oraculum construxit sancti Iohannis : et commorantem circumquaque multitudinem prædicatione continua ad fidem uocabat . Sed hæc antiquus hostis tacite non ferens non occulte uel per somnium sed aperta uisione eiusdem patris se oculis ingerebat : et magnis clamoribus uim se perpeti conquerebatur : ita ut uoces illius etiam fratres audirent : quamuis eius imaginem minime cernerent . Vt enim discipulis suis uenerabilis pater dicebat : corporalibus eius oculis idem antiquus hostis teterrimus et succensus apparebat : qui in eum ore oculisque flammantibus sæuire uidebatur . Iam uero quæ diceret : audiebant omnes : prius enim hunc uocabat ex nomine . Cui dum uir dei minime responderet : ad eius mox contumelias erumpebat . Nam cum

clamaret dicens : Benedicte Benedicte : et eum sibi nullo modo respondere conspiceret : protinus adiungebat : Maledicte non Benedicte . quid mecum habes ? quid me persequeris . Sed iam nunc expectanda sunt contra dei famulum antiqui hostis noua certamina. Cui pugnam quidem uolens intulit : sed occasiones uictoriæ ministrauit inuitus .

Quadam die dum fratres habitacula eiusdem cellæ construerent : lapis in medium | iacebat : quem in ædificium leuare decreuerunt : Cumque eum duo uel tres mouere non possent : plures adiuncti sunt : Sed ita immobilis mansit : ac si radicitus in terra teneretur : ut palam daretur intelligi : quod super eum ipse per se antiquus hostis sederet : quem tantorum uirorum manus mouere non possent . Difficultate igitur facta ad uirum dei missum est : ut ueniret : et orando hostem repelleret : ut lapidem leuare potuissent : Qui mox ut uenit : orationem faciens : benedictionem dedit : et tanta lapis celeritate leuatus est : ac si nullum prius pondus habuisset .

Tunc in conspectu uiri dei placuit : ut in loco eodem terram foderent : Quam dum fodiendo altius penetrarent : æreum illic idolum fratres inuenerunt : Quo ad horam casu in quoquinam proiecto exire ignis repente uisus est : atque in cunctorum monachorum oculis : quia omne eiusdem coquinæ ædificium consumeretur ostendit : Cumque iactando aquam et ignem quasi extinguendo per streperent : pulsatus eodem tumultu uir domini aduenit : qui eundem ignem in oculis fratrum esse : in suis uero non esse consyderans : caput protinus in orationem flexit : eosque fratres quos phantastico repperit igne deludi : uocauit ad oculos suos : ut insanum illud quoquinæ ædificium adsistere cernerent : et flammas quas antiquus hostis finxerat non uiderent.

Rursum dum fratres parietem quia res ita exigebat paulo altius ædificarent : uir dei in orationis studio intra cellulæ suæ claustra morabatur . Cui antiquus hostis insultans apparuit : et quia ad laborantes fratres pergeret indicauit . Quod uir dei per nuncium celerrime fratribus indicauit dicens : Fratres caute uos agite : quia ad uos hac ora malignus spiritus uenit . Is qui mandatum detulit : uix uerba compleuerat : et malignus spiritus eundem parietem qui ædificabatur euertit : atque unum puerulum monachum cuiusdam curialis filium opprimens ruina contriuit . Contristati sunt omnes ac uæhementer || afflicti non damno parietis sed contritione fratris . Quod uenerabili patri Benedicto studuerunt celeriter cum graui luctu nunciare . Tunc idem pater ad se dilaceratum puerum deferri iubet . Quem portare nisi in sago non potuerunt : quia collapsi saxa parietis eius non solum membra sed etiam ossa contriuerant . Eumque uir dei præcepit statim in cellam suam in siatio qui uulgo mattha uocatur : quo orare consueuerat proiici : Missisque foras fratribus cellam clausit . Qui orationi instantius quam solebat incubuit . Mira res hora eadem hunc incolumem atque ut prius ualentem ad eundem iterum laborem misit : ut ipse quoque parietem cum fratribus perficeret : de cuius se interitu antiquus hostis Benedicto insultare credidisset . Cœpit uero inter ista uir dei etiam prophetiæ spiritu pollere . uentura prædicere : præsentibus absentia nunciare.

Mos enim cellæ fuit ut ut quotiens ad responsum aliquod egrederentur fratres : cibum potumque extra cellam minime sumerent : Cumque hoc de usu regulæ sollicite seruaretur : quadam die ad responsum fratres digressi sunt : in quo tardiori conpulsi sunt hora demorari . quod manere iuxta religiosam fœminam nouerant : Cuius ingressi habitaculum sumpserunt cibum : Cumque iam tardius ad cellam redissent : Benedictionem patris ex more petierunt . Quos ille protinus percunctatus est dicens : Vbi comedistis ? Qui responderunt dicentes : Nusquam : Quibus ille ait : Quare ita mentimini ? Nnnquid† illius talis fœminæ habitaculum non intrastis ? Nunquid hos atque illos cibos non accepistis ? Nunquid tot calices non bibistis ? Cunque eius uenerabilis pater et hospitium mulieris et genera ciborum et numerum potionum diceret recognoscentes cuncta quæ egerant : ad eius pedes tremefacti ceciderunt : seque deliquisse confessi sunt . Ipse hanc protinus culpam pepercit : perpendens quod in eius absentia ultra non facerent : quem præ | sentem sibi esse in spiritu scirent .

Frater quoque ualentiniani eius monachi cuius superius memoriam feci : uir erat laicus sed religiosus . Qui ut serui dei orationem perciperet et germanum fratrem uideret : annis singulis de loco suo ad cellam ieiunus uenire consueuerat . Quadam igitur die dum iter ad monasterium faceret : sese illi alter uiator adiunxit : qui sumendos in itinere portabat cibos : Cumque iam hora tardior excreuisset dixit : Veni frater .

sumamus cibum : ne lassemur in uia : Cui ille respondit : Absit frater non facio : quia ad uenerabilem patrem Benedictum ieiumus† semper uenire consueui : Quo responso percepto ad horam conuiator conticuit . Sed cum post hæc aliquantulum itineris spatium egissent : rutsus† admonuit : ut manducarent† . Consentire noluit : qui ieiunus peruenire decreuerat . Tacuit quidem : qui ad manducandum inuitauerat : et cum eo ieiunus adhuc pergere admodicum consensit : Cumque et iter longius agerent : et eos tardior hora fatigaret : ambulantes inuenerunt in itinere pratum et fontem : et quæque poterant ad reficiendum corpus delectabilia uideri . Tunc uiator ait : Ecce aqua : ecce pratum : ecce amenus ut locus : in qno† possumus refici : et parum quiescere : ut ualeamus iter nostrum postmodum incolumes explere . Cum igitur et uerba auribus et loca oculis blandirentur : hac tercia admonitione persuasus consensit : et comedit . Vespertina hora peruenit ad cellam . Præsentatus autem uenerabili Benedicto patri sibi orationem petiit . Sed mox ei uir sanctus hoc quod in uia egerat : improperauit dicens : Quid est frater? Malignus hostis qui tibi per conuiatorem tuum locutus est semel tibi persuadere non potuit secundo non potuit . ad tercium persuasit . et te ad hoc quod uoluit superauit . Tunc ille reatum infirmæ suæ mentis agnoscens : eius pedibus prouolutus : tanto magis cœpit culpam defleræ : et erubescere : quanto se cognouit etiam absentem in Benedicti patris oculis deliquisse . ||

PETRVS

Ego sancti uiri præcordiis helisei spiritum uideo inesse : qui absenti discipulo præsens fuit .

GREGORIVS

Oportet petre : ut interim sileas : quatenus adhuc maiora cognoscas . Gotthorum namque temporibus : cum rex eorum Totila sanctum uirum prophetiæ habere spiritum audisset : ad eius monasterium pergens paulo longius substitit : eique se uenturum nunciauit : Cui dum protinus mandatum de monasterio fuisset : ut ueniret : ipse sicut perfidæ mentis fuit : an uir domini prophetiæ spiritum haberet explorare conatus est . Quidam uero eius spatarius Riggo dicebatur . cui calciamenta sua præbuit : eumque indui regalibus uestibus fecit . Quem quasi in persona sua pergere ad dei hominem præcepit : in cuius obsequio tres qui sibi præ cæteris adhærere consueuerant comites misit . scilicet Vultruderic . et bridin . ut serui dei ante oculos Ipsum esse regem totilam simulantes eius lateri ambularent : cui alia quoque obsequia atque spatarios præbuit : ut tam ex iisdem obsequiis quam ex purpureis uestibus rex esse putaretur . Cumque isdem Riggo decoratus uestibus obsequentum frequentia comitatus monasterium fuisset ingressus : uir dei eminus sedebat : quem uenientem conspiciens cum iam ab eo audire potuisset : clamauit dicens : depone fili : depone : hoc quod portas : non est tuum . Qui Riggo protinus in terram cecidit . et quia tanto uiro illudere præsumpsisset : ex pauit . Omnesque qui cum eo ad dei homnem† ueniebant . terræ consternati sunt . Surgentes autem ad eum propinquare minime presumpserunt : Sed ad suum regem reuersi nunciauerunt trepidi : in quanta uelocitate fuerant deprehensi .

Tunc per se idem Totila ad dei hominem accessit : Quem cum longe sedentem cerneret : non ausus accedere sese in terram dedit : Cui cum uir dei bis et ter diceret : surge . sed cum ipse ante eum de terra erigi non auderet : Benedictus Iesu christi | domini famulus per semetipsum dignatus est accedere ad regem : prostratumque de terra leuauit . de suis actibus increpauit . atque in paucis sermonibus cuncta quæ illi erant uentura prænunciauit dicens : Multa mala facis : et multa fecisti . iam aliquando ab iniquitate conpescere . et quidem romam nigressurus† es . mare transiturus . nouem annis regnabis . decimo morieris . Quibus auditis rex uehementer territus oratione petita recessit : atque ex illo iam tempore minus crudelis fuit . Cum non multum post romam adiit ad siciliam perræxit . Anno autem regni sui decimo : cmnipotentis† dei iudicio regnum cum uita perdidit . Præterea antistes canusinæ ecclesiæ ad eundem domini famulum uenire consueuerat : quem uir dei pro uitæ suæ merito ualde diligebat . Is itaque dum cum illo de ingressu regis Totilæ et romanæ urbis perditione colloquium haaeret† : dixit : Per hunc regem ciuitas ista destruetur : ut iam amplius non habitetur : Cui uir dei respondit : Roma a gentibus non exterminabitur : sed

tempestatibus corruscis et turbinibus ac terræ motu fatigata : marcescet in semetipsa : Cuius prophetiæ mysteria nobis iam facta sunt luce clariora : Qui in hac urbe dissoluta mœnia . euersas domos . et destructas æcclesias turbine cernimus : eiusque ædificia longo senio lassata : quia ruinis crebrescentibus prosternantur uidimus . Quamuis hoc Honoratus eius discipulus : cuius mihi relatione compertum : nequaquam ex ore illius audisse se perhibet : sed quia hoc dixerit : dictum sibi a fratribus fuisse testatur.

Eodem quoque tempore quidam aquilegensis ecclesiæ clericus dæmonio uexabatur . Qui a uenerabili uiro Constantio ecclesiæ eius antistite per multa fuerat martyrum loca transmissus : ut sanari potuisset . Sed sancti martyres noluerunt ei sanitatis donum tribuere : ut quanta esset in Benedicto gratia demonstrarent . Ductus itaque est ad omnipotentis dei famulum benedictum : Qui iesu christo do || mino præces fundens . antiquum hostem de obsesso homine protinus expulit : Cui sanato præcipit dicens : Vade : et post hæc carnem non commedas . ad sacrum uero ordinem nunquam accedere præsumas . Quacumque enim die sacrum ordinem temerare præsumpseris statim iure diaboli mancipaberis . Discessit igitur clericus sanus : et sicut terrere solet animum pœna recens ea quæ uir dei præceprat† interim costodiuit . Dum uero post multos annos omnes priores illius de hac luce migrassent : et minores suos sibimet superponi in sacris ordinibus cerneret : uerba uiri dei quasi ex longo tempore oblitus postposuit : atque ad sacrum ordinem accessit . Quem mox is quem reliquerat diabolus tenuit : eumque uexare quousque animam eius executeret non cessauit .

PETRVS

Iste uir dei diuinitatis ut uideo etiam secreta penetrauit : qui perspexit hunc clericum idcirco diabolo traditum : ne ad sacrum ordinem accedere auderet .

GREGORIVS

Quare diuinitatis secreta non nosset : qui diuinitatis præcepta seruauit : Cum scriptum sit : qui adheret domino unus spiritus est?

PETRVS

Si unus fit cum domino spiritus : qui domino adhaeret : quid est : quod iterum isdem egregius praedicator dicit : quis nouit sensum domini : aut quis consiliarius eius fuit : Valde enim esse inconueniens uidebitur eius sensum cum quo unus factus fuerit ignorare .

GREGORIVS

Sancti uiri in quantum cum domino unum sunt : sensum domini non ignorant . Nam isdem quoque apostolus dicit : Quis enim scit hominum : quae sunt hominis : nisi spiritus hominis : qui in ipso est? Ita et quae dei sunt nemo cognouit : nisi spiritus dei . quod ut se ipsum ostenderet nosse : quæ dei sunt : adiunxit . Nos autem non spiritum huius mundi accepimus : sed spiritum qui ex deo est . Hinc iterum dicit : Quod oculus non uidit : nec auris audiuit nec in cor hominis ascendit : quae praeparauit deus diligentibus se . Nobis autem | reuelauit . per spiritum sauctum† .

PETRVS

Si ergo eidem apostolo ea quæ dei sunt per dei spiritum fuerant reuelata : quomodo super hoc quod proposuit : præmisit dicens : o altitudo diuitiarum sapientiæ et scientiæ dei : qnam† incompræhensibilia sunt iudicia eius et inuestigabiles uiæ eius . Sed rursum mihi hæc dicenti : alia suboritur quæstio . Nam dauid propheta ad dominum loquitur dicens : In labiis meis pronunciaui omnia iudicia oris tui . Et cum minus sit nosse quam etiam pronunciare : quid est quod paulus in comprehensibilia esse dei iudicia asserit ? Dauid autem hæc se omnia non solum nosse : sed etiam in labiis pronuntiasse testatur ?

GREGORIVS

Ad utraque hæc tibi superius sub breuitate respondi dicens : qui sancti uiri in quantum cum domino unum sunt : sensum domini non ignorant . Omnes enim qui deuote dominum sequuntur : etiam deuotione cum deo sunt : oculta itaque dei iudi-

cia inquantum coniuncti sunt sciunt : inquantum disiuncti sunt nesciunt . Quia enim secreta eius adhuc perfecte non penetrant : in compræhensibilia eius iudicia esse testantur . Quia uero et mente inhærent : atque inhærendo uel sacre scripturæ eloquiis : uel ocultis reuelationibus inquantum accipiunt agnoscunt : hæc et norunt : et pronunciant . Iudicia igitur quæ deus tacet : nesciunt . quæ deus loquitur : sciunt . Vnde et Dauid propheta cum dixisset in labiis meis pronunciaui omnia iudicia protinus addidit : oris tui : ac si aperte dicat : Illa ego iudicia et nosse et pronunciasse potui : quæ te dixisse cognoui . Nam ea quæ ipse non loqueris nostris proculdubio cognitionibus abscondis . Concordat ergo prophetica apostolicaque sentencia : quia et incompræhensibilia sunt dei iudicia : et tamen quæ de ore eius prolata fuerint : humanis labiis pronunciantur : quoniam sciri ab hominibus et prolata per deum possunt : et oculta non possunt :

PETRVS

In obiectione meæ quæstunculæ† patuit || causa rationis . sed quæso te : si qua sunt adhuc de huius uiri uirtute adiunge .

GREGORIVS

Vir quidam nobilis Theoprobus nomine eiusdem Benedicti patris fuerat ammonitione conuersus : qui pro uitæ suæ merito magnam apud eum familiaritatis fiduciam habebat . Hic cum quadam die eius cellam fuisset ingressus : hunc amarissime flæntem repperit : Cumque diu subsisteret eiusque non finiri lachrimas uideret : nec tamen uir domini ut consueuerat orando plangeret : sed inhærendo : quae nam causa tanti luctus existeret inquisiuit : Cui uir dei illico respondit . Omne hoc monasterium quod construxi : et cuncta quae fratribus praeparaui : omnipotentis dei iudicio gentibus tradita sunt . Vix autem obtinere potui : ut mihi ex hoc loco animae concederentur : Cuius uocem tunc Theoprobus audiuit : nos autem cernimus : qui destructum a longobardorum gente eius monasterium scimus . Nocturno enim tempore et quiescentibus fratribus nuper illuc longobardi ingressi sunt : qui diripientes omnia : ne unum quidem hominem illic tenere potuerunt . Sed impleuit omnipotens deus : quod fideli famulo Benedicto promiserat : ut si res gentibus traderet . animas custodiret : qua in re pauli uicem tenuisse uidemus Benedictum : cuius dum nanis† rerum omuinm† iacturam pertulit : ipse in consolationem uitam omnium qui eum commitabantur accepit .

Quodam quoque tempore Exilaratus noster quem† ipse coruersum† nosti transmissus a domino suo fuerat : ut dei uiro in monasterium uino plena duo lignea uascula : quæ uulgo flascones uocantur deferret . qui unum detulit : alterum uero pergens in itinere abscondit . Vir autem domini quem facta absentia latere non poterant : unum cum gratiarum actione suscepit : et discedentem puerum monuit dicens : Vide fili de illo flascone quem abscondisti : iam non bibas : sed inclina illum caute . et inuenies quod intus habet . Qui confusus ualde a dei homine exiuit : et reuer | sus uolens adhuc probare quod audiuerat : cum flasconem inclinasset : de eo protinus serpens egressus est . Tunc prædictus Exiliratus puer per hoc quod in uino repperit : expauit malum quod fecit . Non longe autem a monasterio† uicus erat : in quo non minima multitudo hominum ad fidem dei ab idolorum cultu Benediciti fuerat exortatione conuersa . Ibi quoque quædam sanctimoniales fœmine inerant : et crebro illuc pro exhortandis animabus fratres suos mittere benedictus dei famulus curabat . Quadam uero die misit ex more : sed is qui missus fuerat monachus post ammonitionem factam a sanctimonialibus fœminis rogatus mapulas acceperit : sibique eas abscondit in sinu . Qui mox ut reuersus est : eum uir dei uehementissima amaritudine cœpit increpare dicens : Quomodo est ingressa iniquitas in sinum tuum ? At ille obstupuit : et quid egisset oblitus : unde corigebatur ignorabat : Cui ait . Nunquid ego illic præsens non eram : quando ab ancillis dei mappulas accepisti : tibique eas in sinum misisti ? Qui mox eius uestigiis prouolutus : stultæ se egisse pœnituit : et eas quas in sinu absconderat mappulas proiecit .

Quadam quoque die dum uenerabilis pater uespertina iam hora corporis alimenta perciperet : eius monachus cuiusdam Defensoris filius fuerat : qui ei ante mensam lucernam tenebat : Cumque uir dei ederet : ipse autem cum lucernæ ministerio adsta-

ret : cœpit per superbiæ spiritum in mente sua tacitus uoluere : et per cogitationem dicere : Quis est hic : cui ego manducanti adsisto ? lucernam teneo . seruitium impendo Quis sum ego : ut isti seruiam ? Ad quem uir dei statim conuersus uæhementer eum cœpit increpare dicens : Signa cor tuum frater : quid est hoc : quod loqueris ? Vocatisque statim fratribus præcepit eis lucernam de manibus tollere : ipsum uero iussit a ministerio recedere : et sibi hora eadem quietum sedere : Qui requisitus a fratribus : quid habuerit in corde : per ordinem narrauit quan || to superbiæ spiritu intumuerat : et que contra uirum dei uerba per cogitationem tacitus dicebat . Tunc liquido omnibus patuit : quod uenerabilem Benedictum latere nihil possit : in cuius aurem etiam cogitationis uerba sonuissent .

Alio quoque tempore in eadem campaniæ regione fames incubuerat magna : quæ omues† alimentorum indigentia coangustabat : iamque in Benedicti monasterio triticum deerat . Panes uero omnes consumpti fuerant : ut non plus quam quinque ad refectionis horam fratribus inueniri potuissent : Cumque eos uenerabilis pater contristatos cerneret : eorum pusilanimitatem studuit modesta increpatione corrigere et rursum promissione subleuare dicens : Quare de panis inopia uester animus contristatur : Hodie quidem minus est : sed die crastina abundanter habebitis . Sequenti autem die ducenti farinæ modii ante fores cellæ inuenti sunt : Quos omnipotens deus quibus deferentibus transmisisset : nunc usque manet incognitum : Quod cum fratres cernerent : domino gratias referentes didicerunt iam de abundancia nec in egestate dubitare .

PETRVS

Dic quæso te nunquid non credendum est hunc dei famulo semper prophetiæ spiritum adesse potuisse : an per interualla temporum eius mentem prophetiæ spiritus implebat ?

GREGORIVS

Prophetiæ spiritus petre prophetarum mentes non semper irradiat : Quia sicut de spiritu sancto scriptum est : ubi uult spirat : ita quando uult spirat . Hinc est enim quod Nathan a rege requisitus : si construere templum potuisset prius consensit : et postmodum recusauit . Hinc est quod cum heliseus flæntem mulierem cerneret : causamque nescisset . ad prohibentem hanc puerum dicit : dimitte eam : quia anima eius in amaritudine est : et dominus cellant† a me : et non indicauit mihi . Quod omnipotens deus ex magnæ pietatis dispensatione disponit : quia dum prophetie spiritum aliquando dat : et aliquando subtra | hit : prophetantium mentes et eleuat in celsitudine : et custodit in humilitate : ut et accipientes spiritum inueniant : quid de deo sint : et rursum prophetiæ spiritum non habentes : cognoscant quid sint de semetipsis .

PETRVS

Ita hoc etiam ut asseris : magna ratio clamat . Sed queso de uenerabili patre Benedicto quiquid adhuc animo occurrit exequere .

[GREGORIVS]

Alio quoque tempore a quodam fideli uiro fuerat rogatus : ut in eius prædio iuxta terracinensem urbem missis discipulis suis construere monasterium debuisset . Qui roganti consentiens deputatis fratribus patrem constituit : et quis ei secundus esset ordinauit . Quibus euntibus spopondit dicens : Ite : et die illo ego uenio : ostendam uobis in quo loco oratorium in quo refectorium fratrum : in quo susceptionem hospitum : uel quæ sunt necessaria quæ ædificare debeatis . Qua benedictione percepta illico perrexerunt : Et constitutum diem magnopere præstolantes parauerunt omnia : quæ his qui cum tanto patre uenire potuissent : uidebantur esse necessaria Nocte uero eadem qua promissus illucescebat dies : eidem seruo dei quem illic patrem constituerat atque eius præposito uir domini in somnis aparuit : et loca singula . ubi . quid ædificari debuisset : subtiliter designauit : Cumque utrique a somno surgerent : sibi inuicem quæ uiderant retulerunt : Non tamen uisioni illi omni modo fidem dantes uirum dei sicut se uenire promiserat expectabant : Cumque uir dei constituto die minime uenisset : ad eum cum mærore reuersi sunt dicentes : Expectauimus pater

ut uenires . sicut promiseras : et nobis ostenderes : ubi . quid ædificare deberemus : et non uenisti . Quibus ipse ait : Quare fratres quare ista dicitis ? Nunquid sicut promisi non ueni ? Cui cum ipsi dicerent : quando uenisti : respondit : Nunquid utrisque uobis dormientibus non apparui : et loca singula designaui ? Ite : et sicut per uisionem audistis : omne habitaculum monasterii ita construite . || Qui hæc audientes uæhementer admirati ad prædictum prædium sunt reuersi : et cuncta habitacula sicut ex reuelatione didicerant construxerunt .

PETRVS

Doceri uelim : quo ordine fieri potuit : ut longe iret : et responsum dormientibus diceret : qui ipsi per uisionem audirent et recognoscerent .

GREGORIVS

Quid est : quod perscrutans ? rei gestæ ordinem ambigis petre ? Liquet profecto quia nobilioris naturæ est spiritus quam corpus . Et certe scriptura teste nouimus : quod propheta ex Iudæa subleuatus : repente est cum prandio in chaldæa depositus . Qui uidelicet prandio prophetam refecit : seque repente in iudæa iterum inuenit . Si igitur tam longe Abbacuc potuit sub momento corporaliter ire : et prandium defferre : quid mirum si Benedictus pater obtinuit : quatenus iret per spiritum : et fratrum quiescentium spiritibus necessaria narraret : Vt sicut ille ad cibum corporis corporaliter perrexit : ita et iste ad institutionem spiritalis uitæ spiritaliter pergeret ?

PETRVS

Maurus tuæ locutionis tersit a me fateor dubietatem mentis sed uelim nosse : in communi locutione qualis iste uir fuerit .

GREGORIVS

Vix ipsa petre communis eius locutio a uirtutis erat pondere uacua : quia cuius cor sese in alta suspenderat : nequaquam uerba de ore illius in cassum cadebant . Si quid uero umquam non iam decernendo sed minando diceret : tantas uires sermo illius habebat : ac si hoc non dubie atque suspense sed iam per sententiam protulisset . Nam non longe ab eius monasterio quædam sanctimoniales fœminæ nobiliori genere exortæ in loco proprio conuersabantur . Quibus religiosus uir ad exterioris uitæ usum præbebat obsequium . Sed sicut non nullis solet nobilitas generis parere ignobilitatem mentis : ut minus se in hoc mundo despiciant : qui plus se ceteris aliquid fuisse meminerunt : Nec | dum predictæ sanctimoniales fœminæ perfecte linguam sub habitus sui fræno restrinxerant : et eundem religiosum uirum qui ad exteriora necessaria eis obsequium præbebat incautis sæpe sermonibus ad iracondiam prouocabant. Qui cum diu ista tolerasset : perrexit ad dei hominem : quantasque pateretur uerborum contumelias enarrauit . Vir autem dei hæc de illis audiens : eis protinus mandauit dicens : Corrigite linguam uestram : quia si non emendaueritis : excommunico uos : Quam uidelicet excommunicationis sententiam non præferendo intulit sed intemptando . Illæ autem a pristinis moribus nichil mutatæ : inter paucos dies defunctæ sunt : atque in ecclesia sepultæ . Cumque in eadem ecclesia missarum sollemnia celebrarentur atque ex more diaconus clamaret : si quis non communicat : det locum : nutrix earum quæ pro eis oblationem domino deferre consueuerat : eas de sepulchris suis progredi : et exire de ecclesia uidebat . Quod dum sæpius cerneret . quia ad uocem diaconi clamantis exiebant foras : atque intra ecclesiam permanere non poterant : ad memoriam rediit : quæ uir dei illis adhuc uiuentibus mandauit . Eas quippe se communione priuare dixerat : nisi mores suos et uerba corrigerent . Tunc seruo dei cum graui mærore indicatum est . Qui manu sua protinus oblationem dedit dicens : Ite : et hanc oblationem pro eis offerri domino facite : et ulterius excommunicatæ non erunt : Quæ dum oblatio pro eis fuisset immolata : et a diacono iuxta morem clamatum est : ut non communicantes ab ecclesia exirent : ille exire ab ecclesia ulterius uisæ non sunt . Qua ex re indubitanter patuit : quia dum inter eos qui communione priuati sunt : minime recederent : communionem a domino per seruum domini recepissent .

PETRVS

Mirum ualde : quamuis uenerabilem et sanctissimum uirum adhuc tamen in hac carne corruptibili degentem potuisse animas soluere . in illo iam inuisibili iudicio constitutas .

GREGORIVS ||

Nunquidnam Petre in hac adhuc carne non erat : qui audiebat : quodcumque ligaueris super terram : erit ligatum et in cællis et quodcumque solueris super terram : erit solutum et in cellis? Cuius nunc uicem et ligando et soluendo obtinent : qui locum sancti regiminis fide et moribus tenent. Sed ut tanta ualeat homo de terra : cæli et terræ conditor in terram uenit e celo : Atque ut iudicare caro etiam de spiritibus possit : hoc ei largiri dignatus fuit factus pro hominibus caro : quia inde surrexit ultra se infirmitas nostra : unde sub se infirmata est firmitas dei .

PETRVS

Cum uirtute signorum concorditer loquitur ratio uerborum .

GREGORIVS

Quadam quoque die dum quidam eius puerulus monachus parentes suos ultra quam debebat diligens : atque ad eorum habitaculum tendens sine benedictione de monasterio exisset : eodem die mox ut ad eos peruenit : defunctus est : Cumque esset sepultus : die altero proiectum foras corpus eius inuentum est . Sed rursus tradere sepulture curauerunt : sed sequenti die iterum proiectum exterius atque inhumatum sicut prius inuenerunt . Tunc conciti ad Benedicti patris uestigia currentes cum magno flætu petierunt : ut ei suam gratiam largiri dignaretur . Quibus uir dei manu sua protinus communionem dominici corporis dedit dicens : Ite : atque hoc dominicum corpus super pectus eius cum magna reuerentia ponite : eumque sepulturæ sic tradite . Quod dum factum fuisset : susceptum eius corpus terra tenuit : nec ultra proiecit . Perpendis petre apud Ihesum christum dominum cuius meriti iste uir fuerit : ut eius corpus etiam terra proicerit : qui Benedicti gratiam non haberet?

PETRVS

Perpendo plane : et uehementer stupeo .

GREGORIVS

Quidam autem eius monachus mobilitati mentem dederat : et permanere in monasterio nolebat : Cumque eum uir dei assidue corriperet : et frequenter ammoneret . | ipse uero nullo modo consentiret : ut in congregatione persisteret : atque inportunis præcibus ut relaxaretur immineret quadam die idem uenerabilis pater nimietatis eius tedio affectus : iratus iussit ut discederet. Qui mox ut monasterium exiit : contra se adsistere aperto ore draconem in itinere inuenit : Cumque eum idem draco qui apparuerat deuorare uellet : cœpit ipse tremens et palpitans magnis uocibus clamare dicens : Currite . currite : quia draco iste me deuorare uult . Currentes autem fratres draconem minime uiderunt : Sed trementem atque palpitantem monachum ad monasterium reduxerunt . Qui statim promisit nunquam se esse iam a monasterio recessurum : atque ex eadem hora in sua promissione permansit : Quippe qui uiri orationibus contra se adsistere draconem uiderat : quem prius non uidendo sequebatur .

Sed neque hoc silendum puto : quod illustri uiro Antonio narrante cognoui : Qui aiebat : patris sui puerum morbo elephantino fuisse correptum : ita ut iam pilis cadentibus cutis intumesceret : atque increscentem saniem occultare non posset : qui ad uirum dei ab eodem patre eius missus est : et saluti pristinæ sub omni celeritate restiutus[†] .

Neque illud taceam : quod eius discipulis Peregrinus nomine narrare consueuerat : quia die quodam fidelis uir quidam necessitate debiti compulsus unum sibi fore remedium credidit : si ad dei uirum pergeret : et quæ eum urgeret debiti necessitas indicaret : Venit itaque ad monasterium et omnipotentis dei famulum repperit : quia a creditore suo pro duodecim solidis grauiter affligeretur intimauit : cui uenerabilis pater nequaquam se habere duodecim solidos respondit : Sed tamen eius inopiam

blanda locutione consolatus ait : Vade : et post biduum reuertere : quia deest hodie quod tibi debeam dare . In ipso autem biduo more suo in oratione fuit occupatus : Cum die tertio is qui necessitate debiti affligebatur rediit : super arcam || uero monasterii quæ erat frumento plena subito tredecim solidi sunt inuenti : Quos uir dei deferri iussit : et afflicto petitori tribuit dicens : Duodecim redde : et unum in expensis propriis habe . Sed ad ea nunc redeam : quæ eius discipulis in libri huius exordio prædictis referentibus agnoui . Quidam uir grauissima aduersarii sui æmulatione laborabat : Cuius ad hoc usque odium prorupit : ut ei nescienti in potu uenenum daret : Cui quamuis uitam auferre non ualuit : cutis tamen colorem mutauit : ita ut diffusa in corpore eius uarietas lepræ morem immitari uideretur . Sed ad dei hominem deductus : salutem pristinam citius recepit . Nam mox ut eum contigit : omnem cutis illius uarietatem fugauit .

Eo quoque tempore quo alimentorum inopia campaniam grauiter affligebat : uir dei diuersis indigentibus monasterii sui cuncta tribuerat : ut pene nihil in cellario nisi parum quid olei in uitreo uase remaneret . Tunc quidam subdiaconus Agapitus nomine aduenit : magnopere postulans : ut sibi aliquantulum olei dari debuisset . Vir autem domini qui cuncta decreuerat in terra tribuere : ut in cællo omnia reseruaret : hoc ipsum parum olei quod remanserat : iussit petenti dari . Monachus uero qui cellarium tenebat : audiuit quidem iubentis uerba : sed implere distulit : Cumque post Paululum si id quod iusserat datum esset inquireret : respondit monachus se minime dedisse . quia si illud tribueret : omnino nihil fratribus remaneret . Tunc iratus aliis præcepit ut hoc ipsum uas uitreum in quo parum olei remansisse uidebatur per fenestram proiicerent : ne in cella aliquid per inobedientiam remaneret . Factumque est . Sub fenestra autem eadem ingens præcipitium patebat saxorum molibus asperum . Proiectum itaque uas uitreum uenit in saxa : sed sic mansit incolume : ac si proiectum minime fuisset : ita ut neque frangi : neque oleum effundi potuisset : Quod uir dei præcepit leuari : atque ut erat integrum petenti tribuit . Tunc | collectis fratribus inobedientem monachum de infidelitate sua et superbia coram omnibus increpauit .

Qua increpatione completa sese cum iisdem fratribus in orationem dedit . In eo autem loco ubi cum fratribus orabat : uacuum erat ab oleo dolium et cohopertum : Cumque sanctus uir in orationem persisteret : cœpit operimentum eiusdem dolii oleo excrescentæ subleuari : Quo commoto atque subleuato oleum quod excreuerat ora dolei transiens : pauimentum loci in quo incubuerant inundabat : Quod Benedictus dei famulus ut aspexit : protinus orationem compleuit : atque in pauimentum olæum defluere cessauit . Tunc diffidentem inobedientemque fratrem latius admonuit : ut fidem habere disceret et humilitatem . Idem uero frater salubriter correptus erubuit : quia uenerabilis pater uirtutem omnipotentis dei quam admonitione intimauerat miraculis ostendebat . Nec erat iam : ut quisquam de eius promissionibus dubitare posset : qui in uno eodemque momento pro uitreo uase pene uacuo plenum olei dolium reddidisset .

Quadam die dum ad beati Iohanis oratorium quod in ipso montis celsitudine situm est pergeret : ei antiquus hostis in mulo medici specie obuiam factus est cornu et trepedicam ferens : Quem cum requisisset dicens : Quo uadis ? ille respondit : Ecce ad fratres uado potionem eis dare Itaque perrexit uenerabilis Benedictus ad orationem : Qua completa concitus rediit . Malignus uero spiritus unum seniorem monachum inuenit aquam haurientem : in quo statim ingressus est : eumque in terram proiecit : et uehementissime uæxauit : Quem cum uir dei ab oartione[†] rediens tam crudeliter uexari conspiceret : ei solummodo alapam dedit : et malignum ab eo spiritum protinus excussit : ita ut ad eum redire ulterius non auderet .

PETRVS

Velim nosse : si hæc tanta miracula uirtute semper orationis impetrabat : an aliquando etiam solo uoluntatis exibebat || nutu .

GREGORIVS

Qui deuota mente deo adhærent : cum rerum necessitas exposcit : exhibere signa modo utroque solent : ut mira quæque aliquando ex præce faciant : aliquando ex

potestate . Cum enim Iohannes dicat : quot quot autem receperunt eum : dedit eis potestatem filios dei fieri : Qui filii dei ex potestate sunt : quid mirum si signa facere ex potestate ualent : Quia enim utroque modo miracula exhibeant : testatur Petrus : qui mortuam orando suscitauit : Ananiam uero et saphiram mentientes morti increpando tradidit . Neque enim orasse in eorum extinctione legitur : sed solummodo culpam quam perpetrauerant increpasse . Constat ergo quia aliquando hæc ex potestate aliquando uero exhibent ex postulatione : dum et istis uitam increpando abstulit : et illi reddidit orando . Nam duo quoque fidelis dei famuli Benedicti facta nunc replico : in quibus aperte clareat : aliud hunc accepta diuinitus ex potestate aliud ex oratione potuisse .

Gothorum quidam zalla nomine perfidiæ fuit arrihanæ . Qui totile regis eorum temporibus contra catholicæ ecclesiæ religiosos uiros ardore immanissime crudelitatis exarsit : ita ut quisquis ei clericus uel monachus suam ante faciem uenisset : ab eius manibus uiuus nullomodo exiret . Quadam uero die auaritiæ suæ æstu succensus in rapinam rerum inhians dum quendam rusticum crudelibus affligeret tormentis : eumque per supplicia diuersa laniaret : uictus pœnis rusticus . sese resque suas Benedicto dei famulo commendasse professus est : ut dum hoc adusque morte creditur suspensa inter crudelitatem ad uitam hore raperentur . Tunc idem zalla cessauit rusticum affligere : sed eius brachia loris fortibus astringens : ante æquum suum cœpit impellere : ut quis esset Benedictus qui eius res susceperat demonstraret : Quem ligatis brachiis rusticus antecedens duxit ad sancti uiri monasterium : eumque ante ingressum celle solum sedentem reperit et legentem . | Eidem autem subsequenti et seuienti zallæ rusticus dixit . Ecce iste est de quo dixeram Benedictus pater : Quem dum feruido spiritu cum peruersæ mentis insania fuisset intuitus : eo terrore quo consueuerat acturum se extimans : magnis cœpit uocibus clamare dicens : Surge . surge : et res istius rustici redde : quas accepisti : Ad cuius uocem uir dei protinus oculos leuauit a lectione : eumque intuitus : mox etiam rusticum qui ligatus tenebatur adtendit : Ad cuius brachia dum oculos deflexisset : miro modo tanta se celeritate cæperunt illigatis brachiis lora dissoluere : ut dissolui tam concite nulla hominum festinatione potuissent . Cumque is qui ligatus uenerat cœpisset subito adstare solutus : ad tantæ potestatis uim tremefactus zalla ad terram corruit : et ceruicem crudelitatis rigidæ ad eius uestigia inclinans orationibus se illius commendauit . Vir autem sanctus a lectione minime surrexit : sed uocatis fratribus eum introrsus tolli : ut benedictionem acciperet præcepit : Quem ad se reductum ut a tantæ crudelitatis insania quiescere deberet ammonuit : Quod fractus recedens nichil ulterius petere a rustico præsumpsit : quem uir dei non tangendo sed respiciendo soluerat . Ecce est petre quod dixi : Quia hii qui omniputenti† deo familiarius seruiunt aliquando mira facere etiam ex potestate possunt . Qui enim potestatem gotthi terribilis sedens depræssit : lora uero nodosque ligaturæ quæ innocentis brachia astrinxerant oculo dissoluit : ipsa miraculi celeritate indicat : quia ex potestate acceperat habere quod fecit : Rursum quoque quale quantumque miraculum orando ualuit obtinere : subiungam .

Quadam die cum fratribus ad agri opera fuerat egressus . quidam uero rusticus defuncti filii corpus in ulnis ferens orbitatis luctu æstuans ad monasterium uenit . Benedictum patrem quæsiuit : Cui cum dictum esset : quia idem pater cum fratribus in agro moraretur : protinus ante monasterii ianuam corpus extincti || filii proiecit : et dolore turbatus ad inueniendum ad mirabilem patrem sese concitus in occursum dedit . Eadem uero hora uir dei ab agri opere iam cum fratribus reuertebatur : Quem mox ut orbatus rusticns† aspexit : clamare cœpit Redde filium meum : redde filium meum . Vir autem domini in hac uoce subsistit dicens : Nunquid ego tibi filium tuum abstuli ? Cui ille respondit : Mortuus est . ueni resuscita eum . Quod mox ut dei famulus . audiuit : ualde contristatus est dicens : Recedite fratres . recedite . Hæc non sunt nostra : sed sanctorum apostolorum sunt . Quid nobis onera uultis inponere : quæ non possumus portare ? At ille quem nimius cogebat dolor in sua petitione perstitit : quod non recederet : nisi eius filium resuscitaret : Quem mox dei famulus inquisiuit dicens : Vbi est ? Cui ille respondit : Ecce corpus eius ad ianuam monasterii iacet . Vbi dum dei uir cum fratribus peruenisset : flexit genua : et super corpusculum infantis incubuit : seseque erigens ad cælum palmas tetendit dicens : Domine non aspicias peccata mea sed fidem huius hominis : qui resuscitari filium suum rogat et

redde in hoc corpuscullo animam quam abstulisti . Vix in oratione uerba compleuerat : et regrediente anima corpusculum pueri omne contremuit : et sub oculis omnium qui aderant uiuus apparuit concussione mirifica tremendo palpitasse : Cuius mox manum tenuit : et eum patri uiuentem atque incolumen† dedit . Liquet Petre quia hoc miraculum in potestate non habuit : qui prostratus petiit : ut exhibere potuisset .

PETRVS

Sic cuncta esse ut asseris constat patenter quia uerba quæ proposueras rebus probas . Sed quæso te : indices si sancti uiri omnia quæ uolunt : et cuncta impetrant : quæ desiderant obtinere .

GREGORIVS

Quis nam eius Petre in hac uita paulo sublimior : qui de carnis suæ stimulo ter : dominum rogauit : et tamen quod uoluit ob | tinere : non ualuit : Ex qua re necesse est : ut tibi de uenerabili patre Benedicto narrem quia fuit quiddam : quod uoluit : sed non ualuit implere .

Soror namque eius scholastica nomine omnipotenti deo ab ipso infantiæ tempore dicata ad eum semel per annum uenire consueuerat : Ad quam uir dei non longe extra ianuam in possessione monasterii descendebat . Quadam uero die uenit ex more : atque ad eam cum discipulis uenerabilis eius descendit fratrer†. Qui totum diem in dei laudibus sacrisque colloquiis ducentes . incumbentibus iam noctis tenebris simul acceperunt cibos : Cumque adhuc ad mensam sederent : et inter sacra colloquia tardior se hora protraheret : eadem sanctimonialis fœmina soror eius rogabat dicens : Quæso te : ut ista nocte me non deseras : ut usque mane aliquid de cælestis uitæ gaudiis loquamur : Cui ille respondit : Quid loqueris soror : Manere extra cellam nullatenus possum . Tanta uero erat cæli serenitas : ut nulla in acre† nubes appareret . Sanctimonialis autem fœmina cum uerba fratris negantis audisset : insertas digitis manus super mensam posuit : et caput in manibus omnipotentem deum rogatura declinauit : Cumque leuaret de mensa caput : tanta corruscationis et tonitrui uirtus tantaque inundatio pluuiæ erupit : ut neque uenerabilis Benedictus neque fratres qui cum eo aderant extra loci limen quo consederant pedem mouere potuissent . Sanctimonialis quippe fœmina caput in manibus inclinans lachrymarum fluuios in mensam fuderat : per quas serenitatem aeris ad pluuiam traxit . Nec paululum tardius post orationem inundatio illa secuta est . Sed tanta fuit conuenientia orationis et inundationis : ut de mensa caput iam cum tonitruo leuaret : quatenus unum idemque esset momentum et leuare caput et pluuiam deponere . Tunc uir dei inter coruscos tonitruos atque ingentis pluuiæ inundationem uidens se ad monasterium non posse remeare : conqueri cœpit con || stristatus† dicens .

Parcat tibi omnipotens deus soror . Quid est : quod fecisti ? Cui illa respondit : Ecce te rogaui : et audire me noluisti . Rogaui dominum meum : et audiuit me . Modo ergo si potes egredere : et me dimissa ad monasterium recede . Ipse autem exire extra tectum non ualens : qui remanere sponte noluit : in loco mansit inuitus . Sicque factum est ut totam noctem peruigilem ducerent : ac sacræ et spiritalis uitæ colloquio sese uicaria relatione satiarent . Qua de re dixi eum uoluisse aliquid : sed minime potuisse : quia si uenerabilis uiri mentem aspicimus : dubium non est : quod eandem serenitatem uoluit in qua descenderat permanere : Sed contra hoc quod uoluit in uirtute omnipotentis dei ex fœminæ pectore miraculum inuenit . Nec mirum quod plus illa fœmina quæ diu fratrem uidere cupiebat in eodem tempore ualuit . Quia enim iuxta Iohannis uocem deus caritas est : Iusto ualde iudicio illa plus potuit : quæ amplius amauit .

PETRVS

Fateor : multum placet : quod dicis .

GREGORIVS

Cumque die altero eadem uenerabilis fœmina ad cellam propriam recessisset : uir dei ad monasterium rediit : Cum ecce post triduum in cella consistens eleuatis in aera oculis uidet eiusdem sororis suæ animam de corpore egressam in columbæ specie cæli secreta penetrare . Qui tantæ eius gloriæ congaudens omnipotenti deo in hymnis

et laudibus gratias reddidit : eiusque obitum fratribus denunciauit . Quos etiam protinus misit : ut eius corpus ad monasterium defferrent : atque in sepulcro quod ipse sibi parauerat ponerent . Quo facto contigit : ut quorum mens una in domino semper fuerat : eorum quoque corpora nec sepultura separaret .

Alio quoque tempore seruandus diaconus atque abbas eius monasterii quod in campaniæ partibus a liberio quondam patricio fuerat constructum : ad eum uisitationis gratia ex more uenire consueuerat : eius quippe monasterium frequen | tabat : ut quia idem quoque uir doctrina gratiæ cælestis influebat : dulcia sibi inuicem uitæ uerba trasfunderent : et suauem cibum cælestis patriæ . quia adhuc perfecte gaudendo non poterant saltem suspirando gustarent . Cum uero hora iam quietis exigeret : in cuiusdam turris superioribus se uenerabilis Benedictus : in eius quoque inferioribus se Seruandus diaconus collocabat . Quo uidelicet in loco inferior a superioribus paruius† continuabat ascensus . Ante eandem uero turrim largius erat habitaculum : in quo utriusque discipuli quiescebant : Cumque uir domini Benedictus adhuc quiescentibus fratribus instans uigiliis nocturnæ orationis tempora præuenisset : ad fenestram stans et omnipotentem dominum deprecans : subito intempesta noctis hora respiciens : uidet fusam lucem de super cunctas noctis tenebras effugasse : tantoque splendore clarescere : ut diem uinceret lux illa : quæ inter tenebras radiasset . Mira autem ualde res in eadem speculatione . secuta est : quia sicut prius ipse narrauit omnis etiam mundus uelut sub uno solis radio collectus ante eius oculos adductus est . Quod uenerabilis pater dum intentam oculorum aciem in hoc splendore coruseæ† lucis infigeret : uidit germani Capuani episcopi animam in spera† ignea ab angelis in cælum deferri . Tunc tanti sibi testem uolens adhibere miraculi : Seruandum diaconum iterato bis terque eum nomine et cum clamoris magnitudine uocauit : Cumque ille ipse fuisset insolito tanti uiri clamore turbatus : ascendit : respexit : partemque iam lucis exiguam uidit : Cui tantum hoc obstupescenti miraculum uir dei per ordinem quæ gesta fuerant narrauit : Statimque in cassinum castrum religioso uiro Theoprobo mandauit : ut ad capuanam urbem sub eadem nocte transmitteret : et quid de Germano episcopo ageretur : agnosceret : et indicaret : Factumque est : et reuerentissimum uirum Germanum episcopum is qui missus fuerat iam defunctum repperit . Et requirens sub || tiliter : agnouit eodem momento fuisse illius obitum : quo uir domini eius cognouit ascensum .

PETRVS

Mira res ualde et uehæmenter stupenda . Sed hoc quod dictum est : quia ante oculos ipsius quasi sub uno solis radio collectus omnis mundus adductus est : sicut nunquam expertus sum : ita nec coniicere scio : quonam ordine fieri potest . ut mundus omnis ab homine uno uideatur .

GREGORIVS

Fixum tene Petre quod loquor : quia animæ uidenti creatorem . angusta est omnis creatura . Quamlibet et enim parum de lucæ creatoris aspexerit : breue ei fit omne : quod creatum est : Quia ipsa luce uisionis intime mentis laxatur sinus : tantumque expanditur in deo . Fit uero ipsa uidentis anima etiam super semetipsam : Cumque in dei lumine rapitur super se : in interioribus ampliatur . Et dum se super se conspicit exaltata conpræhendit : quam breue sit quod conpræhendere humiliata non poterat : uir ergo qui intueri ualebat globum igneum angelos quoque ad cælum redeuntes uidebat : hæc proculdubio cernere non nisi in dei lumine poterat . Quod itaque mirum : si mundum ante se collectum uidit : qui subleuatus in mentis lumine extra mundum fuit ? Quod autem collectus mundus ante eius oculos dicitur : non cælum et terra contracta est : sed uidentis animus dilatatus . Qui in deo raptus : uidere sine difficultate potuit : omne quod infra deum est . In illa uero luce quæ exterioribus oculis fulsit : lux interior in mente fuit : quæ uidentis animum ei quem ad superiora rapuit : quamnam angusta essent omnia inferiora monstrauit .

[PETRVS]

Videor mihi utiliter non intellexisse quod dixeras : quando ex caritate mea tantum creuit expositio tua . Sed quia hæc liquido meis sensibus in fudisti : quæso ut ad narrationis ordinem redeas .

GREGORIVS

Libet Perre† adhuc de hoc uenerabili patre multa narrare : sed quædam eius studiosæ pretereo : quia ad aliorum gesta uol | uenda festino . Hoc uero nolo te lateat : quod uir dei inter tot miracula quibus in mundo claruit doctrinæ quoque uerbo non mediocriter fulsit . Nam scripsit monachorum regulam discretione præcipuam : sermone luculentam . Cuius si quis uelit subtilius uitam moresque cognoscere : potest in eadem institutione regulæ omnes magisterii illius actus inuenire : quia sanctus uir nullo modo potuit aliter docere : quam uixit .

Eodem uero anno quo de hac uita erat exiturus quibusdam discipulis secum conuersantibus quibusdam longe manentibus sanctissimi sui obitus denunciauit diem . Præsentibus indicens : ut audita per silentium tegerent : absentibus indicans quod uel quale eius signum fieret : quando eius anima de corpore exiret . Ante sextum uero sui obitus diem : aperiri sibi sepulturam iubet : Qui mox correptus febribus acri cœpit dolore fatigari : Cumque per singulos dies languor ingrauesceret : septimo die portari se in oratorium a discipulis fecit : ibique exitum suum dominici corporis et sanguinus† perceptione muniuit : atque inter discipulorum manus imbecilla membra sustentans : erectis ad cælum manibus stetit : et ultimum spiritum inter uerba orationis efflauit . Qua silicet die duobus de eo fratribus uni in cella commoranti : alteri autem longius posito reuelatio unius atque indissimilis uisionis apparuit . Viderunt namque quia strata palliis atque innumeris coruscha lampadibus uia recta orientis tramite ab eius cella in cælum tenebatur . Cui uenerando abitu uir de super clarus adsistens : cuius esset uia quam cernerent inquisiuit : illi autem se nescire professi sunt : Quibus ipse ait : Hæc est uia qua dilectus domini Benedictus cælum ascendit . Tunc itaque sancti uiri obitum sicut præsentes discipuli uiderunt : ita absentes ex signo quod eis prædictum fuerat agnouerunt . Sepultus est uero in oratorio beati Iohannis baptistæ : quod destructa ara Apolinis ipse construxit : Qui et in eo specu quod sub || lacus dicitur in quo prius habitauit : nunc usque si petentium fides exigat : miraculis coruscat .

Nuper namque sunt gesta : quæ narro : quia quædam mulier mentecapta dum sensum funditus perdidisset : per montes . ualles . syluas et campos die noctuque uagabatur : ibique tantummodo quiescebat : ubi hanc quiescere lassitudo coegisset . Quadam uero die dum uaga nimium erraret : ad Benedicti beati uiri patris specum deuenit : ibique nesciens ingressa mansit . Facto autem mane ita sanato sensu egressa est : ac si eam nunquam insania capitis ulla tenuisset : Quæ omni uitæ suæ tempore in eadem quam acceperat salute permansit .

PETRVS

Quidnam esse dicimus : quod plærumque in ipsis quoque patrociniis martyrum sic esse sentimus : ut non tanta per sua corpora quanta beneficia per reliquias ostendunt : atque ibi maiora signa faciunt : ubi minime per semetipsos iacent ?

GREGORIVS

Vbi in suis corporibus sancti martyres iacent : dubium Petre non est : quod multa ualeant signa monstrare . sicuti faciunt : et pura mente quærentibus innumera miracula ostendunt . Sed quia ab infirmis potest mentibus dubitari : utrum ne ad exaudiendum ibi præsentes sint : ubi constat : quia in suis corporibus non sunt : ibi necesse est maiora signa ostendere : ubi de eorum præsentia potest mens infirma dubitare . Quorum uero mens in deo firma est : tanto magis habet fidei meritum : quanto illic eos nouit : et non iacere corpore : et tamen non deesse ab exauditione . Vnde ipsa quoque ueritas . ut fidem discipulis augeret dixit : Si enim non abiero : paracletus non ueniet ad uos . Cum enim constet : quia paracletus spiritus ex patre semper procedat et filio : cur se filium recessurum dicit : ut ille ueniat : qui a filio nunquam recedit ? Sed quia discipuli in carne dominum cernentes : corporeis hunc semper oculis uidere sitiebant : recte eis dicitur : Nisi ego abiero : paracle | tus non ueniet : Ac si aperte diceretur : Si corpus non subtraho : qui sit amor spiritus : Non ostendo . Et nisi me desieritis corporaliter cernere : nunquam me discetis spiritaliter amare .

PETRVS

Placet : quod dicis .

GREGORIVS

Aliquantum iam a locutione cessandum est : ut si ad aliorum miracula enarranda tendimus : loquendi uires interim per silentium reparemus .

INCIPIT PREFATIO DOMINI GVILIELMI . VENERABILIS ABBATIS . SANCTI THEODORICI . IN VITA SANCTI BERNARDI CLARE VALLIS ABBATIS .

Scripturus uitam serui tui ad honorem nominis tui : prout tu dederis domine deus ipsius : per quem ecclesiam temporis nostri in antiquum apostolicæ gratiæ et uirtutis decus uoluisti reflorere : eum inuoco adiutorem quem iam olim habeo incentorem amorem tuum . Quis enim de amore tuo quantulumcunque spiraculum uitæ habens : et uidens testimonium gloriæ et honoris tui tam preclarum et tam fidele mundo insolitum effulsisse : non det operam qnantancunque† potuerit : ne lumen a te accensum tuorum quempiam lateat : sed quantum humano fieri stilo potest : quod melius ipse tamen per uirtutem operum facis manifestatum et exaltatum luceat omnibus : qui sunt in domo tua . In quo cum ego iam olim uellem qualecumque ministerium agere uicis meæ seu timore seu uerecondia prohibitus sum usque adhuc . modo quidem supra me iudicans esse dignitatem materie : et dignioribus opificibus reseruandam . modo etiam post obitum eius quasi superuicturus ei : melius hoc et conpetentius deliberans actitandum : cum iam homo non grauaretur laudibus suis : et tutius id fieret a conturbatione hominum et contradictione linguarum . At ille uigens et ualens quanto infirmior cor || pore : tanto fortior fit et potens : non cessans agere digna memoriæ : et magna maioribus semper accumulans : quæ ipso tacente scriptorem requirant . Ego uero iam delibor urgentibus infirmitatibus corporis mortis huius : et meis omnibus incipientibus habere responsum uicinæ mortis : sentio instare tempus resolutionis meæ : plurimumque timeo : ne sero me peniteat : tandiu distulisse : quod priusquam mortem obeam uelim omnimodis peregisse . Sed et me fratrum quorundam pia beniuolentia plurimum ad hoc impellit et cohortatur : qui cum uiro dei iugiter assistant : omnia eius nouerunt : ingerentes quædam diligenti inquisitione uestigata . plura etiam quibus cum fierent : ipsi interfuerunt et uiderunt : et audierunt : Qui cum multa suggerant et præcara† : quæ per seruum suum deus ipsis præsentibus operatur : et nota eorum relligio et schola magisterii : ab omni me liberet suspicione falsi : adhuc etiam ad testimonium sibi assiscunt probabilium auctoritatem personarum . episcoporum . clericorum . monachorum : quibus fidem non habere : nulli fidelium . licet : Quanquam id superfluo dixerim : cum totus ea nouerit mundus : et uirtutes eius narret omnis ecclesia sanctorum . Quapropter attendens diuinæ laudis mirificam materiam omnibus se offerentem : neminem uero suscipientem : dissimulantibus eius qui melius hoc ac dignius poterant suscepi in ea agere ipse quæ potero non uanitate præsumentis sed fiducia diligentis : Nec tamen ipsa quæ scribo quasi accuratius digerenda : sed saltem in unum congerenda et reponenda suscepi : nec edenda ipso uiuente : sicut nec scribuntur ipso sciente . Confido autem in domino : quoniam post nos et post ipsius consummationem exurgent qui melius ac dignius perficient : quod nos conati sumus : et dignam digna uestient ellocutione materiam : sed et poterunt prætiosam in conspectu domini mortem eius uite simili continuare scribendo : ac de morte uitam . de uita mortem commendare . Iam ergo ad | iuuante domino : propositum aggrediamur .

EXPLICIT PRAEFATIO : INCIPIT VITA SANCTI BERNARDI ABBATIS .

Bernardus Burgundiæ partibus Fontanis oppido patris sui oriundus fuit : parentibus claris . secundum dignitatem seculi . sed dignioribus ac nobilioribus secundum christianæ religionis pietatem . Pater eius Tecelinus uir antiquæ et legitimæ militiæ fuit : cultor dei : iusticiæ tenax . Euangelicam namque secundum instituta præcursoris

domini militiam agens . neminem concutiebat . nemini fatiebat callumniam : contentus stipendiis suis quibus ad omne opus bonum abundabat . Sic consilio et armis seruiebat temporalibus dominis suis : ut etiam domino deo suo non negligeret reddere quod debebat . Mater Aaletha ex castro cui nomen Monsbarrus et ipsa in ordine suo apostolicam regulam tenens subdita uiro . sub eo secundum timorem dei domum suam regebat : operibus misericordiæ insistens . filios enutriens in omni disciplina . Septem quippe liberos genuit : non tam uiro suo quam deo : sex mares : femi nam† unam : mares omnes monachos futuros : fœminam sanctimonialem . Deo nanque ut dictum est non seculo generans : singulos mox ut partu ediderat . ipsa manibus propriis domino offerebat . Propter quod etiam alienis huberibus nutriendos committere illustis† fœmina refugiebat : quasi cum lacte materno . materni quodam modo boni infundens eis naturam . Cum autem creuissent quandiu sub manu eius erant : heremo magis quam curiæ nutriebat : non patiens delicatioribus assuescere cibis : sed grossioribus et communibus pascens : et sic eos præparans et instituens domino inspirante quasi continuo ad heremum trasmittendos.

Hæc cum in ordine filiorum tercium Bernardum haberet in utero . somnium ui || dit præsagium futurorum : catellum scilicet totum candidum in dorso subrufum et latrantem in utero se habere . Super quo territa uæhementer cum religiosum quendam uirum consuluisset : continuo ille spiritu prophetiæ conspiciens quod dauid de sanctis prædicatoribus domino dicit : lingua canum tuorum ex inimicis trepidanti et anxiæ respondit : Ne timeas : bene res agitur . Optimi catuli mater eris : qui domus dei custos futurus : magnos pro ea contra inimicos fidei editurus est latratus . Erit enim egregius prædicator : et tanquam bonus canis gratia linguæ medicinalis in multis multos morbos curaturus est animarum : Quo responso mulier pia et fidelis quasi a deo suscepto læta efficitur : et iam tnnc† in amorem nondum nati tota transfunditur : cogitans sacris eum litteris erudiendum tradere . secundum modum uisionis et interpretationis : qua ei de illo tam sublimia promittebantur : Quod et factum est . Mox enim ut felici partu edidit : non modo obtulit eum deo : sicut de aliis agere consueuerat : sed sicut legitur de sancta Anna matre Samuelis quæ petitum a domino et acceptum filium in tabernaculo eius destinauit perpetuo seruiturum sic et ipsa eum in ecclesia dei acceptabile obtulit munus . Vnde et quamcitius potuit in eclesia Castellionis que postmodum : ipsius Bernardi opera a seculari conuersatione in ordinem regularium canonicorum promota cognoscitur : magistris litterarum tradens erudiendum : egit quidquid potuit : ut in eis proficeret . Puer autem et gratia plenus et ingenio naturali pollens : cito in hoc desiderium matris impleuit . Nam in litterarum quidem studio supra ætatem et præ coetaneis suis proficiebat : Sed in rebus secularibus iam mortificationem futuræ perfectionis uelut naturaliter inchoabat . Erat quippe simplicissimus in secularibus . amans habitare secum . publicum fugitans mire cogitatiuus . parentibus obediens et subditus : omnibus benignus et gratus . domi simplex et quietus . foris rarus et ultra quam credi possit uerecundus | nusquam multum loqui amans deo deuotus : ut puram sibi puericiam suam conseruaret : litterarum etiam studio deditus : per quas in scripturis deum disceret et cognosceret : In quo quantum in breui profecerit : et quam perspicacem in discernendo induerit sensum : ex eo quod subiungimus aduerti potest .

Cum adhuc puerulus graui capitis dolore uexaretur : decidit in lectum . Adducta autem ad eum est muliercula quasi dolorem mitigatura carminibus . Quam cum ille appropinquantem sentiret cum carminalibus instrumentis : quibus hominibus e uulgo illudere† consueuerat : cum indignatione magna exclamans a se reppulit et abiecit . Nec defuit materia diuina bono zelo sancti pueri . sed continuo sensit uirtutem et in ipso impetu species surgens ab omni dolore liberatum se esse cognouit . Ex quo cum non parum in fide proficeret adiecit ei dominus apparere sicut olim puero Samueli in sylo . etiam manifestare ei gloriam suam . Aderat namque sollemnis illa nox natiuitatis dominicæ : et ad sollemnes uigilias omnes ut moris est parabantur . Cumque celebrandi nocturni officii hora aliquantisper protellaretur : contigit sedentem expectantemque Bernardum cum cæteris inclinato capite paululum soporari . Affuit illico puero suo se reuelans pueri Iesu sancta natiuitas : teneræ fidei suggerens incrementa : et diuinæ in eo inchoans mysteria contemplationis : Apaaruit† enim ei uelut denuo procedens sponsus e thalamo suo . Apparuit ei quasi iterum ante oculos suos nascens ex

utero matris uirginis uerbum infans spetiosus forma præ filiis hominum : et pueruli sancti in se rapiens minime iam pueriles affectus . Persuasum est autem animo eius et nunc usque fatetur : quod eam credat horam fuisse dominice natiuitatis . Sed et facile est aduertere his qui eius auditorium frequentauerunt : in quanta benedictione ea hora præuenerit eum dominus : cum usque hodie in his quæ ad illud pertinent sacramentum : et sensus ei profundior et sermo copiosior suppetere uideatur . Vnde et postmo || dum in laudem eiusdem genitricis et geniti et sanctæ eius natiuitatis insigne edidit opusculum inter inicia operum suorum seu tractatuum : sumpta materia ex eo euangelii loco ubi legitur : Missus est Gabriel angelus a deo in ciuitatem galileæ : et cetera quæ ibi sequuntur . Neque illud tacendum quod ab ipsis iam puerilibus annis . si quos poterat nummos habere clandestinas faciens eleimosynas et uerecondiæ suæ morem gerebat : et pro ætate imo supra ætatem pietatis opera sectabatur .

Cum autem aliquanto tempore euoluto proficiens ætate et gratia apud deum et homines puer Bernardus de pueritia transiret in adolescentiam : mater eius liberis fideliter educatis et uias seculi ingredientibus quasi peractis omnibus quæ sua erant : feliciter migrauit ad dominum . De qua nequaquam prætereundum est . quod cum multo tempore uixisset cum uiro suo honeste et iuste : secundum iusticias et honestates seculi huius et legem fidemque coniugii : per aliquot ante obitum suum annos : in eo ad quod nutrire filios uidebantur : prout potuit mulieri sub potestate uiri constitutæ nec habenti proprii corporis potestatem omnes ipsa præuenit . Et enim in domo sua et in professione coniugali et in medio seculi . heremiticam seu monasticam uitam non paruo tempore uisa est emulari in uictus parcitate in uilitate uestitus . delicias et pompas seculi a se ab dicando ab actibus et curis secularibus in quautum† poterat se subtrahendo . insistendo ieiuniis . uigiliis et orationibus : et quod minus assumptæ professionis habebat : eleimosynis et diuersis operibus minime redimendo : In quo de die in diem proficiens ad extrema deuenit perficienda in futuro . in eo in quo proficiens de hoc seculo migrauit . Obdormiuit autem psallentibus clericis : qui conuenerant et ipsa pariter psallens . ut in extremis quoque cum iam uox eius audiri non posset : ad huc moueri labia uiderentur et lingua palpitans dominum confiteri . | Demum inter letaniæ suppplicationes† cum diceretur : per passionem et crucem tuam libera eam domine : eleuans manum signauit se et emisit spiritum : ita ut manum non posset deponere : quam leuauerat .

Ex hoc Beruardus† suo iam more suo iure uictitare incipiens eleganti corpore . grata facie præeminens . suauissimis ornatus moribus . acri ingenio præditus . acceptabili pollens eloquio : magnæ spei adolescens prædicabatur . Cui tanquam ingredienti sæculum plures se uiæ seculi ipsius offerre cœperunt : et in omnibus assurgere prosperitates uitæ huius : et magne spes undique arride† . Obsidebant autem benignum iunenis animum sodalium dissimiles mores . et amiciciæ procellosæ : similem sibi efficere gestientes : Quæ si ei dulcescere perstitissent : necesse erat amarescere illi quod in hac uita dulcius cordi eius insederat castitatis amorem : Cui præcipue inuidens coluber tortuosus spargebat laqueos temptationum : ac uariis occursibus calcaneo eius insidiabatur . Cum enim aliquando curiosius as piciendo† defixos in quandam oculos aliqnandiu† tenuisset : continuo ad se reuersus : et de semeptiso erubescens apud semetipsum : in seipsum ultor seuerissimus exarsit . Stagno quippe gelidarum aquarum quod in proximo erat collo tenus insiliens tandiu inibi permansit : donec pœne exanguis effectus per uirtutem gratiæ cooperantis etiam a callore carnalis concupiscentiæ totus refriguit : induens illum castitatis affectum : quem induerat : qui dicebat . pepigi fœdus cum oculis meis : ut ne cogitarem quidem de uirgine . Circa idem tempus instinctu demonis in lectum dormientis iniecta est puella nuda : Quam ille sentiens : cum omni pace et silentio partem ei lectuli quam occupauerat cessit : et in latus alterum se conuertit : atque dormiuit . Misera uero illa aliquandiu iacuit sustinens et expectans . deinde palpans et stimulans . Nouissime cum immobilis ille persisteret : illa licet impudentissima esset erubuit : et horrore ingenti atque ammiratione perfusa relicto eo surgens aufugit . ||

Contigit item ut cum sotiis aliquantis . apud matronam aliqnam† Bernardus hospitaretur . Considerans autem mulier adolescentem decorum aspectu : capta est laqueo oculorum suorum : et in concupiscentiam eius exarsit . Cumque tanquam honoratiori omnium seorsum ei fecisset lectulum præparari : surgens ipsa de nocte impudenter

accessit ad eum . Quam Bernardus sentiens : nec consilii inops clamare cœpit : latrones . latrones : Ad quam uocem fugit mulier . familia omnis exurgit . lucerna accenditur . latro queritur : sed minime inuenitur . Ad lectulos singuli redeunt . fit silentium . fiunt tenebre sicut prius : pausant cæteri . sed non illa misera requiescit . Exurgit denuo : et Bernardi lectulum petit : sed denuo ille proclamat : latrones . latrones . Quæritur iterum latro . latet iterum : nec ab eo qui solus nouerat publicatur . Vsque tercio improba mulier sic repulsa . uix tandem seu metu seu desperatione uicta cessauit . Cum autem die sequenti iter agerent : arguentes Bernardum sotii : quosnam totiens ea nocte latrones somniauerit perquirebant : Quibus ille ueraciter inquit aderat latro : et mihi castitatem hospita nitebatur auferre : incomparabilem irreparabilemque thesaurum .

Inter hæc tamen cogitans et perpendens quod uulgo dicitur : non esse tutum diu cohabitare serpenti : fugam meditari cœpit . Videbat enim mundum et principem eius exterius multa sibi offerentem . multa promittentem . magnas res . spes maiores . sed fallaces omnes . et uanitatem uanitatum . et uanitatem omnia : ueritatem uero ipsam interius iugiter audiebat clamantem : ac dicentem : Venite ad me omnes : qui laboratis et honerati estis : et ego reficiam uos . Tollite iugum meum super uos : et inuenietis requiem animabus uestris . Perfectius uero relinquere mundum deliberans : cœpit inquircre[t] . et inuestigare ubi certius ac purius inueniret requiem animæ suæ sub iugo christi . Inquirenti autem occurrit cistercii innouatæ monasticæ religionis noua plantatio : messis multa : sed opera | riis indigens : cum uix adhuc aliquis conuersionis grat ia[t] illuc declinaret ob nimiam uitæ ipsius et paupertatis austeritetem[t] : Quæ tamen cum animum uere deum quærentem minime terrerent . posthabita omni hæsitatione ac timore illuc uertit intentionem : posse se existimans omnino ibi delitescere : et abscondi in abscondito faciei dei ab omni conturbatione homnium[t] maximeque ad effugium uanitatis seu de seculari generositate : seu de acrioris ingenii gratia : seu forte etiam de alicuius nomine sanctitatis .

Vbi uero de conuersione tractantem fratres eius et qui carnaliter eum diligebant persenserunt : omnimodis agere cœperunt : ut animum eius ad studium possent diuertere litterarum : et amores scientiæ secularis seculo aretius[t] implicare : Qua nimirum suggestione sicut fateri solet . propemodum retardati fuerant gressus eius sed matris sanctæ memoria importune animo eius instabat : ita ut sepius sibi occurrentem uidere uideretur conquerentem et improperantem : quia non ad huiusmodi nugacitatem tam tenere educauerat . non in hac spe erudierat eum . Demum cum aliquando ad fratres pergeret in obsidione castri : quod Granceyum dicitur cum duce Burgundiæ constitutos : cœpit in huiusmodi cogitatione uehæmentius anxiari . Inuentaque in itinere medio ecclesia quadam diuertit : et ingressus orauit : cum multo imbre lachrymarum . expandens manus in cælum : et effundens sicut aquam cor suum ante conspectum domini dei sui . Ea igitur die firmatum est propositum cordis eius : Nec uero surda aure percepit uocem dicentis : Qui audit dicat ueni . Siquidem ab illa hora sicut ignis qni[t] comburit syluam et sicut flamma comburens montes hic inde prius uiciniora quæque corripiens . postmodum in ulteriora progreditnr[t] . sic ignis quem dominus miserat in cor serui sui uolens ut arderet : primo fratres eius aggreditur . solo minimo ad conuersionem adhuc minus habili seniori patri ad solatium derelicto . deinde cognatos et notos et amicos || et de quibuscunque poterat esse spes conuersionis . Primus omnium Galdricus auunculus eius absque dillatione aut hæsitatione pedibus ut aiunt iuit in sententiam nepotis : et consensum conuersionis uir honestus et potens in seculo et in secularis militiæ gloria nominatus dominus castri in territorio eduensi quod Tuillium dicitur . Continuo etiam Bartholomæus occurrens : iunior cæteris fratribus et necdum miles sine difficultate eadem hora salutaribus monitis dedit assensum . Porro Andreas Bernardo etiam ipse iunior : nouus eo tempore miles uerbum fratris difficilius admittebat : donec subito exclamauit . Video matrem meam . Visibiliter siquidem ei apparuit serena facie snbridens[t] . et congratulans proposito filiorum . Itaque et ipse continuo manus dedit et de tyrone seculi factus est miles christi . Nec solus uidit Andreas tantorum matrem filiorum letantem : sed confessus est Bernardus eamdem similiter se uidisse . Guido primogenitus fratrum coniugio iam alligatus erat : uir magnus et pre aliis iam in seculo radicatus . Hic primo paululum hesitans sed continuo rem perpendens et recogitans conuersioni consensit : si tamen coniunx annueret . Verum id qui-

dem de iuuencula nobili et paruulas filias nutrienti : pene impossibile uidebatur . At Bernardus de materia domini spem concipiens certiorem incuntanter ei spopondit aut consensuram fœminam : aut celeriter morituram . Demum cum omnimodis illa renueret . uir eius magnanimus : immo ea iam præuentus fidei uirtute : in qua postmodum excellenter enituit uirile consilium domino inspirante concepit : ut abiciens quicquid habere uidebatur in sæculo : uitam institueret agere rusticanam : laborare scilicet manibus propriis : unde suam sustentaret et uxoris uitam quam inuitam dimittere non licebat : Interim superuenit Bernardus : qui undique alios atque alios colligens discurrebat . Nec mora : flagellatur prædicta Guidonis uxor infirmitate graui : Et cognoscens quia durum sibi esset contra stimulum calcitrare . accersito Bernardo ue | niam depræcatur : et prior ipsa conuersionis petit assensum . Denique iuxta morem ecclesiasticum : separata a uiro interueniente parili uoto castitatis : in cœtum sanctimonialium transiit fœminarum religiose usque hodie seruiens deo .

Secundus natu post guidonem Gerardus erat : miles in armis strenuus . magnæ prudentiæ . benignitatis eximiæ . et qui ab omnibus diligeretur . Qui cæteris ut dictum est primo auditu et prima die adquiescentibus : ut mos est sapientiæ secularis : læuitatem reputans : obstinato animo salubræ consilium . et fratris monita repellebat . Tum Bernardus fide iam igneus : et fraternæ caritatis zelo mirum ex asperatus in modum : scio inquit scio . sola uexatio intellectum dabit auditui . Digitumque lateri eius apponens : ueniet inquit dies : et cito ueniet : cum lancea lateri huic infixa peruium faciet iter ad cor tuum . consilio salutis tuæ quod aspernaris : et timebis quidem . sed minime morieris . Sic dictum : sicque factum est . Paucissimis interpositis diebus circonuallatus ab inimicis . captus . et uulneratus . iuxta uerbum fratris : lanceam gestans ipsi lateri eidemque infixam loco cui ille digitum aplicuerat trahebatur : et mortem quasi iam presentem metuens clamabat : Monachus sum : monachus sum cistersiensis . Nihilominus tamen captus : et reclusus in custodia est . Vocatus est Bernardus per celerem nuntium : sed non uenit . Sciebam inquit et prædixeram : quod durum foret ei contra stimulum calcitraræ : nec tamen ad mortem ei uulnus hoc sed ad uitam . Et factum est ita . Siquidem de uulnere preter spem cito conualuit . propositum uero seu uotum quod uouerat non mutauit . Cumque iam liber ab amore seculi hostilibus adhuc uinculis teneretur : et hoc solum esset : quod conuersionis eius propositum retardaret : in hoc etiam cito affuit ei misericordia dei . Venit frater eius laborans : ut erui posset : sed non profecit . Et cum nec loqui ei permitteretur : accedens ad carcerem clamauit : Scito frater Gerar || de : quia ituri sumus in proximo : et monasterium introituri . Tu uero quandoquidem exire non licet : Hic monachus esto . sciens : quod uis : et non potes . pro facto reputari . Cumque Gerardus magis ac magis anxiaretur : paucis interpositis diebus audiuit uocem in somnis dicentem sibi : hodie liberaberis . Erat autem sacrum quadragesimæ tempus . Circa uespertinam itaque diei horam cogitans quod audierat : compedes suas tetetigit† : et ecce ferrum ex parte crepuit in manu eius : ut minus iam teneretur : et aliquatenus incedere posset . Sed quid ageret ? Erat ostium obseratum : et pro foribus pauperum multitudo . Surrexit tamen et non tam spe euadendi quam tedio iacendi seu curiositate temptandi . accedens ad ostium subterraneæ domus in qua uinctus et clausus erat : mox ut pessulum tetigit : sera tota inter manus eius collapsa est : et ostium domus apertum : Exiensque pedetentim sicut homo compeditus ad ecclesiam ubi ad huc uespertina celebrabantur officia pretendebat . Porro mendici qui pro foribus domus astabant : uidentes quod fiebat : et diuinitus exterriti in fugam uersi sicut : nihil clamantes : Cumque iam eclesiæ propinquaret : egrediens de familia domus captiuitatis suæ : germanus illius a quo custodiebatur : uidensque ad eum ad ecclesiam properantem : tarde inquit Gerarde uenisti . Expauescente illo : festina ait . adhuc superest . quod audias . Oculi quippe eius tenebantur : nec prorsus quid ageretur intelligebat . Demum ad altiores gradus ecclesiæ cum adhuc compeditum data manu Gerardum subleuasset : introeunte illo ecclesiam tunc primum quid ageretur : agnouit : et conatus eum retinere . non potuit . hoc modo Gerardus a captiuitate amoris sæcnli† huius . et captiuitate filiorum seculi liberatus : uotum quod uouerat fideliter exoluit . In quo potissimum notum fecit dominus : a quanta perfectione sanctæ conuersationis gratiam iste dei famulus cœperit : qui in eius spiritu qui fecit : quæ futura sunt : quod erat futurum : uidere potuit quasi iam factum . Præsentialiter

quippe in latere fratris eius lancea appa | rebat : quando digitum applicuit loco uulneris mox futuri : sicut postmodum ipse confessus est : cum ab his interrogaretur : quibus celare non poterat :

Cum autem cæteri ut diximus prima die in eodem essent cum Bernardo spiritu congregati : mane intrantibus eis ecclesiam apostolicum illud capitulum legebatur : fidelis est deus : quia qui cepit in uobis opus bonum : ipse perficiet usque in diem Iesu christi . Quod deuotus iuuenis haud secus accepit : quam si de cælo sonuisset : Exultans itaque spiritualis iam pater regeneratorum in christo fratrum suorum et manum domini intelligens secum operantem : cœpit ex hoc prædicationi insistere : et quoscumque poterāt† aggregare : cœpit nouum induere hominem : et cum quibus de litteris seculi seu de seculo ipso agere solebat : de seriis et conuersione tractare ostendens gaudia mundi fugitiua . uitæ miserias . celerem mortem . uitam post mortem seu in bonis seu in malis perpetuam fore . Quid multa? Quotquot ad hoc preordinati erant operante in eis gratia dei : et uerbo uirtutis eius : et oratione et instantia serui eius primo cunctati deinde compuncti : alter post alterum credebant et consentiebant. Inter quos adiunctus est ei etiam dominus Hugo matisconensis : qui hodie raptus a pontiniacensi cœnobio quod ipse ædificauit : antisiodorensi eeclesiæ† præest merito et honore pontificis . Hic audiens de conuersione socii et amici carissimi flæbat quasi perditum : quem seculo mortuum audiebat . Vbi autem primo data est utrique facultas mutui colloquii : post dissimiles lachrymas . et gemitus dissimilium dolorum : uerba uerbis cœperunt conferri : et res rebus comparari : Cumque inter ipsa uerba familiaris amiciciæ Hugoni infunderetur spiritus ueritatis : aliam iam faciem habere cœperunt uerba muttuæ collocutionis . Iunctis itaque dextris in sodalicium nouæ uitæ : longe dignius ueriusque facti sunt cor unum et anima una in christo : quam in seculo ante fuissent . Past† paucos autem dies : nunciatur Bernardo subuersum ab aliis so || ciis Hugonem a proposito resilisse : Qui oportunitate inuenta quod magnus quidam episcoporum conuentus illis in partibus haberetur : festinat : ut reuocet pereuntem : iterumque parturiat . Obseruantes autem prædicti sodales et subuersores Hugonis . uiso eo prædam ambiunt suam : et omnem ei loquendi adimunt facultatem . omnem aditum intercludunt . At ille cum ei non posset : clamabat pro eo ad dominum : Quo orante cum lachrimis : subita et uæhemens inundatio pluuiæ mox erupit . Consederant autem in campo : quod aer serenus esset : et nil tale sperarent . Dispersi igitur omnes ad repentinum imbrem : uicum proximum petunt . At Bernardus Hugonem tenens : mecum ait sustinebis huius pluuiæ guttas : Cumque soli remansissent : non fuerunt soli : sed dominus fuit cum eis : reddens eis continuo et aeris et animi serenitatem . Ibi renouatum est fœdus et propositum confirmatum : quod non potuit deinceps uiolari . Videbat Ista peccator et irascebatur : dentibus suis fremebat . et tabescebat : iustus autem confidens in domino : gloriose de sæculo triumphabat . Iamque eo publice et priuatim prædicante . matres filios abscondebant : uxores detinebant maritos . amici amicos auertebant : quia uoci eius spiritus sanctus tantæ dabat uocem uirtutis : ut uix aliquis aliquem teneret affectus . Crescente siquidem numero eorum : qui in hanc conuersionis unanimitatem consenserant : sicut de primitiuis ecclesiæ filiis legitur : multitudinis eorum erat cor unum et anima una in domino : et habitabant unanimiter simul : nec quisquam aliorum audebat se coniungere eis . Erat enim eis castellioni domus una propria et communis omnium : ubi conueniebant : et cohabitabant : et colloquebantur : quam ingredi uix aliquis audebat . qui non esset de cœtu eorum . Sed et si quis intrabat uidens et audiens : quæ ibi gerebantur ac dicebantur : sicut de christianis corinthiis apostolus dicit : omnibus quodammodo prophetantibus : conuincebatur ab omnibus : diiudicabatur ab omnibus : et adorans dominum et confitens : quod uere deus esset in eis : aut ipse unanimitati eorum | adherebat : aut recedens flæbat semetipsum Illos autem beatos appellabat . Hoc enim illis temporibus : et in illis erat partibus inauditum : ut alicuius adhuc in sæculo commorantis conuersio præsciretur . Ipsi uero quasi mensibus sex post primum propositum in seculari habitu stabant : ut perinde plures congregarentur et dum quorumdam negotia per id temporis expediebantur .

Cum autem iam suspecta inciperet esse multitudo : ne quem de numero eorum subriperet is qui temptat : placuit deo super hoc reuelare : quid futurum esset . Aspiciebat enim quidam eorum in uisu noctis : et uidebat quasi eos omnes consedisse

in domo una : et per ordinem singulos quasi communicare de cibo quodam miri candoris et saporis . Quem cæteris omnibus optime suscipientibus et cum gaudio magno : duos ex omni numero illo notabat a cibi illius salutaris participatione uacuos remansisse . alter namque eorum nec sumebat . alter quidem sumere uidebatur : sed tanquam minus cautæ sumeret spargebatur . Vtrumque uero postea probauit euentus . Alter enim priusquam uentum esset ad rem . conuersus retrorsum in sæculum rediit . alter cum cæteris cœpit quidem opus bonum : sed non perfæcit . Vidi ego eum in sæculo postea uagum et profugum a facie domini sicut caïn : quantum animaduertere potui hominem humillimum : et miserabilis confessionis sed nimie pusillanimitatis . Qui tamen in ultimis ad claram uallem rediit infirmitate corporis et inopia cogente : cum homo bene natus ab omnibus cognatis et amicis proiceretur : ibique proprietati renuntians : sed non omnino proprie uoluntati : obiit non quidem intus . sicut frater et domesticus : sed foris materiam postulans sicut pauper et mendicus .

Iam uero adueniente die reddendi uoti et complendi desiderii . eggressus est de domo paterna Bernardus pater fratrum suorum cum fratribus suis filiis suis spiritualibus : quos uerbo uitæ christo genuerat . Videns autem Guido primogenitus fratrum suorum . Bernardum fratrem suum minimum puerum cum pueris || aliis in platea . eia uiquit† frater Niuarde : ad te solum respicit omnis terra possessionis nostræ . Ad quod puer non pueriliter motus : uobis ergo inquit cælum : mihi terra ? Non ex æquo : diuisio hæc facta est . Quo dicto abeuntibus illis tunc quidem cum patre mansit : sed modico post euoluto tempore fratres secutus . nec a patre . nec a propinquis seu amicis potuit detineri . Supererat de deodicata domo illa pater senior cum filia : de quibus etiam suo loco dicemus . Eo tempore nouellus et pusillus grex Cistersiensis sub abbate degens uiro uenerabili Stephano cum iam grauiter tedio ei esse inciperæt paucitas sua : et omnis spes posteritatis decideret : in quam sanctæ illius paupertatis hæreditas transfunderetur : uenerantibus omnibus in eis uitæ sanctitatem . sed refugientibus austeritatem : repente diuina hac uisitatione tam læta : tam insperata . tam subita lætificatus est : ut in die illa responsum hoc a spiritu sancto accepisse domus illa uideretur . lætare sterilis : quæ non pariebas . erumpe et clama : quæ non parturiebas : quia multi filii desertæ magis quam eius quæ habet uirum : de quibus postmodum uisura es filios filiorum : usque in multas generationes .

Anno ab incarnatione domini milesimo centesimo tertiodecimo a constitutione domus cisterciensis quintodecimo seruus dei Bernardus annos natus circiter uigintiduos . cistercium ingressus cum sotiis amplius quam triginta sub abbate stephano iugo christi collum submisit . Ab illa autem die dedit dominus benedictionem . et uinea illa domini sabaoth dedit fructum suum extendens palmites suos usque ad mare et ultra mare propagines suas . Hæc quidem fuere uiri dei conuersionis sancta principia . Conuersationis autem eius insignia quomodo uitam angelicam gesserit in terris neminem cnnarrare† posse puto : qui non uiuat de spiritu : de quo ille uixit . Soluis† quippe donantis . et accipientis est nosse quantum ab ipso mox conuersionis exordio præuenerit eum dominus in benedictionibus dulcedinis suæ . quanta repleuerit | gratia electionis . quomodo ab hubertate domus suæ inebriauerit eum . Ingressus est autem domum illam pauperem spiritu et eo adhuc tempore absconditam . ac pene nullam . intentione ibi moriendi a cordibus et memoria hominum . et spe delitescendi et latendi tanquam uas perditum : deo aliter disponente . et eum sibi in uas electionis præparante . non solum ad ordinem monasticum confortandum ac dilatandum : sed ad portandum nomen suum coram regibus et gentitbus† : et usque ad extremum terræ . Ipse uero nil tale : de se extimans aut cogitans : potius ad custodiam cordis sui et propositi constantiam hoc semper in corde sæpe etiam in ore habebat : Bernarde Bernarde ad quid uenisti ? Et sicut de domino legitur : quia cœpit Iesus facere et docere . a prima die ingressus sui in cellam nouitiorum . ipse cœpit agere in semetipso : quod alios erat docturus : Postmodum enim cum iam clareuallis abbas esset ordinatus : aduentantibus nouitiis et festinatibus† ingredi : audire eum soliti sumus predicantem in† ac dicentem : Si ad ea quæ intus sunt festinatis Hic . hic . foris dimittite corpora : quæ de sæculo attulistis . Soli spiritus ingrediantur : caro non prodest quicquam . Quod cum nouitiis ad nouitatem uerbi perterritis parcens teneritudini eorum clementius exponendo quod dixerat : carnalem concupiscentiam prædicare soleat† foris dimittendam : ipse cum nouitius esset . in nullo sibi parcens instabat omnimodis non solum

concupiscentias carnis mortificare : quæ per sensus corporis fiunt . sed et sensus ipsos per quos fiunt . Cum enim iam interioræ sensu iluminati amoris dulcius ac frequentius sentire inciperet de sursum spirantem sibi suauitatem : sensum illi interiori timens a sensibus corporis . uix tantum eis permittebat : quantum sufficeret ad exterioris cum homnibus† conuersationis societatem . Quod cum continui usus instantia in consuetudinem mitteret : consuetudo ei ipsa quodammodo uertebatur in naturam . Totusque absortus in spiritum . sæpe tota in deum directa intentione . seu in meditatione spi || rituali tota occupata memoria . uidens non uidebat . audiens non audiebat : nihil sapiebat gustanti . uix aliquid sensu aliquo corporis sentiebat . Iam quippe annum integrum exegerat in cælla nouitiorum : cum exiens inde ignoraret adhuc : an haberet domus ipsa testutidinem† : quam solemus dicere celaturam : Multo tempore frequentauerat intrans et exiens domum ecclesiæ : cum in eius capite : ubi tres erant : unam tantum fenestram esse arbitraretur .

Curiositatis enim sensu mortificato nil huiusmodi sentiebat : uel si forte aliquando eum contingebat uidere : memoria ut dictum est alibi occupata non aduertebat . Sine mmoria† quippe sensus sentientis nullus est . Natura quoque in eo non dissentiebat a gratia : ut in eo quoque impletum quodam modo uideretur esse : quod legitur : Puer eram ingeniosus . et sortitus sum animam bonam : et cum magis essem bonus : ueni ad corpus incoiniquitatum† . Ad contemplanda quippe spiritu alia† queque seu diuina cum gratia spirituali naturali quadam uirtute pollebat ingenii : sortitusque etiam in hoc erat animam bonam . sensualitatem non curiosæ lasciuam : nec superbe rebellem : sed congaudentem spiritualibus studiis : et in eis quæ ad deum sunt . sponte subditam spiritui et seruientem . corpus etiam nullius contaminatum consensu flagitii . et si non nimis neglectum sicut oportebat curaretur ad seruiendum spiritui in seruitio aptissimum instrumentum . Sed cum caro in eo ex dono præuenientis gratiæ et adiutorio subsequentis naturæ . et usu bono spiritualis disciplinæ . uix iam aliquid concupisceret aduersus spiritum . hoc est quod spiritum læderet . spiritus supra uires supra uirtutem carnis ac sanguinis tanta aduersus carnem concupiscebat : ut infirmum animal cadens sub onere . usque in hanc diem non adiciat : ut resurgat . Quid enim dicam de somno : qui in cæteris omnibus solet esse refectio laborum et sensuum aut mentium recreatio ? Ex tunc usque hodie uigilat ultra possibilitatem humanam . Nullum enim tempus magis se perdere conqueri solet : quam quo dormit | idoneam satis reputans comparationem mortis et somni : ut sic dormientes uideantur mortui apud homines : quomodo apud deum mortui dormientes . Vnde etiam si quem forte religiosum in dormiendo seu durius stertentem audierit : seu minus composite uiderit iacentem : patienter ferre uix potest : sed carnaliter eum seu seculariter dormire causatur . In ipso namque tenuem uictum tenuis somnus comitatur : In neutro enim ullam indulget corpori suo satietatem : nisi quod in utroque sumpsisse aliquid : ei sat est . Quantum enim ad uigilias : uigiliarum ei modus est : non totam noctem ducere insomnem . Porro ad comedendum usque hodie uix aliquando uoluptate trahitur appetitus : sed solo timore defectus . Et enim comesturus : priusquam comedat sola cibi memoria satur est . Sic accedit ad sumendum cibum . quasi ad tormentum . A primo siquidem conuersionis suæ anno seu egressionis de cella nouitiorum : natura eius cum teneræ nimis semper et delicatæ complexionis fuisset : ieiuniis multis et uigiliis frigore et labore durioribus . et continuis exercitiis attrita corupto stomacho : crudum continuo per os solet reicere quod ingeritur . Quod si quid naturali decoctione digestum trasfunditur ad inferiora : ibi nihilominus partibus illis corporis non minoribus infirmitatum incommodis obsessis : non nisi cum graui tormento egreditur . Si quid autem residuum est : ipsum est alimentum corporis eius qualecumque : non tam ad uitam sustentandam quam ad differendam mortem . Semper autem post cibum : quasi pensare solitus est : quantum comederit . Si quando uel ad modicum mensuram solitam excessisse deprehendit : impune abire non patitur . Sed et usus parsimoniæ sic ei in naturam uersus est : ut si aliquando corporalis sibi cuiuslibet refectionis plus aliquid solito uelit indulgere : uix possit . Sic autem ab initio fuit inter nouitios nouitius . monachus inter monachos . spiritu ualidus . corpore infirmus : nil indulgentiæ circa corporis quietem seu refectionem . nil remis || sionis de communi labore uel opere fieri sibi aliquando adquiescens : Cæteros nanque sanctos esse arbitrabatur et perfectos : se uero sicut nouitium et incipientem : nequaquam emerito-

rum perfectorumque indulgentiis et remissionibus indigere : sed feruore nouitio et ordinis districtione et rigore disciplinæ : Propter quod communis uitæ seu conuersationis feruentissimus emulator cum opus manuum aliquod fratres actitarent : quod seu minor usus ei seu imperitia denegabat : fodiendo : seu ligna cædendo : et propriis humeris deportando : uel quibuslibet laboribus æque laboriosis illud redimebat : Vbi uero uires deficiebant : ad uiliora quequæ opera confugiens : laborem humilitate conpensabat . Et mirum in modum is qui tantam in contemplatione rerum spiritualium ac diuinarum acceperat gratiam : circa talia non solum occupari patiebatur : sed et plurimum delectabatur : Sed mortificata ut dictum est sensualitate eius seu curiositate seu infirmitate : in huiusmodi laborum corporalium distractionibus . perfectorum etiam quorumque mentes sæpe necesse est . et si non intentione . certe memoria et cogitatione ab interiore unitate spiritus . aliquam pati dissolutionem : ipse priuilegio maioris gratiæ in uirtute spiritus : et totus quodam modo exterius laborabat . et totus interius deo uacabat . in altero pascens conscientiam : in altero deuotionem . Laboris ergo tempore et intus orabat : seu meditabatur absque intermissione exterioris laboris : et exterius laborabat absque iactura inteirioris† : scientiam ubi dicit acquisiuisse suauitatis . Nam usque hodie quicquid in scripturis ualet . quicquid in eis spiritualiter sentit . maxime in siluis et in agris meditando et orando se confitetur accepisse . et in hoc nullos aliquando se magistros habuisse nisi quercus et fagos ioco illo suo gratioso inter amicos dicere solet .

Messis tempore fratribus ad secandum cum feruore et gaudio sancti spiritus occupatis : cum ipse quasi impotens et nescius | laboris ipsius sedere sibi et requiescere iuberetur : admodum contristatus ad orationem confugit : cum magnis lachrimis postulans a deo donari sibi gratram† metendi : Nec fefellit simplicitas fidei desyderium religiosi . Continuo namque quod petiit impetrauit . Et ex illo die in labore illo præ cæteris peritum se esse quadam iucunditate gratulatur : tanto in hoc opere deuotior : quanto se in hoc ipso facultatem ex solo dei dono reminiscitur accepisse . Feriatus autem ab huiusmodi labore uel opere : iugiter aut orabat : aut legebat : aut meditabatur . Ad orandum si se solitudo offerret : utebatur . sin autem ubicumque seu apud se seu in turba esset : solitudinem cordis ipse sibi efficiens : ubique solus erat . Canonicas autem scripturas simpliciter et seriatim libentius ac sæpius legebat : nec ullis magis quam ipsarum uerbis eas intelligere se dicebat : et quidquid in eis diuinæ sibi elucebat ueritatis aut uirtutis : in primæ sibi originis suæ fonte magis quam in decurrentibus expositionum riuis sapere testabatur . Sanctos tamen et orthodoxos earum expositores humiliter legens . nequaquam sensibus eorum sensus æquabat : sed subiiciebat formandos : et uestigiis eorum fideliter inhærens : sæpe de fonte unde illi hauserant et ipse bibebat . Inde est : quod plenus spiritu quo omnis sancta scriptura diuinitus est inspirata : tam confidenter et utiliter ea usque hodie sicut apostolus dicit utitur ad docendum . ad arguendum . ad corripiendum . ad erudiendum . et dum predicat uerbum dei : quidquid de ea affert in medium : sic patens et placens efficit : et circa id unde agitur : efficax ad monendum : ut mirentur omnes tam seculari quam spirituali prædíti doctrina in uerbis gratiæ quæ procedit de ore eius .

Cum autem complacuit ei qui eum segregauit a seculo et uocauit : ut ampliore gratia reuellaret in eo gloriam suam : et multos filios dei qui erant dispersi per eum congregaret in unum : misit in cor abbatis stephani ad ædificandam domum clareuallis mittere fratres eius . Quibus ab eunti || bus ipsum etiam dominum Bernardum præfecit abbatem : mirantibus sane illis tanquam maturis et strenuis : tam in religione quam in sæculo uiris et timentibus ei : tum pro tenerioris ætate uiuentis : tum pro corporis infirmitate . et minori usu exterioris occupationis . Erat autem clarauallis locus in territorio lingonensi non longe a fluuio Alba antiqua spelunca latronum : et antiquitus dicebatur uallis absyntialis . seu propter abundantis ibi absyntii copiam : seu propter amaritudinem doloris incidentium ibi in manus latronum . Ibi ergo in loco horroris et uastæ solitudinis consederunt uiri illi uirtutis : facturi de spelunca latronum templum dei et domum orationis : Vbi simpliciter aliquanto tempore deo seruierunt in paupertate spiritus : in fame et siti . in frigore et nuditate . in uigiliis multis . Pulmentaria sæpius ex foliis fagi conficiebant . Panis instar prophetici illius ex ordeo . et milio . et uitia erat : ita ut aliquando religiosus uir quidam appositum sibi in hospitio ubertim plorans clam absportauerit : quasi pro miraculo omnibus

ostendendum : quod inde uiuerent homines . et tales homines . At uirum dei minus ista mouebant . Summa ei sollicitudo de salute multorum : quæ a prima die conuersionis suæ usque ad hoc tempus tam singulariter sacrum illud pectus noscitur possidere : ut erga omnes animas maternum gerere uideatur affestum† . Erat ergo uehæmens in præcordiis eius sancti desyderii et sanctæ humilitatis conflictus . Modo enim seipsum deiiciens fatebatur indignum : per quem fructus aliquis proueniret . modo oblitus sui æstuabat flagrantissimo ardore : ut nullam nisi ex multorum salute consolationem posse admittere uideretur . Sane fiduciam caritas pariebat : sed eandem castigabat humilitas . Contigit autem inter hæc : ut aliquando temperius solito surgerent ad uigilias : Quibus peractis cum usque ad matutinas laudes aliquanto longius superesset noctis interuallum : egressus foras et loca uicina circuiens : orabat deum : ut acceptum haberet obsequium | suum : et fratrum suorum in eo quod diximus spiritualis fructus desyderio constitutus . Subito uero stans in ipsa oratione modice interclusis oculis uidit undique ex uicinis montibus tantam diuersi habitus et diuersæ conditionis hominum multitudinem in inferiorem uallem descendere : ut uallis ipsa capere non posset : Quod quid significauerit : iam omnibus manifestum est . Hac ergo uir domini uisione magnifice consolatus : exortatus est etiam fratres suos : commonens eos de misericordia dei nunquam desperare . Cum uero ante instantem hyemem Gerardus frater eius cellararius domus apud eum diutius quereretur ad necessaria domus et fratrum multa deesse : nec habere se : unde ea coemeret : et urgente necessitate iam nullam uerborum reciperet consolationem : res autem in promptu non esset : quæ daretur : uir dei quantum interim ad præsentes angustias sufficere posset inquisiuit : Ille uero duodecim libras respondit . Tum dimittens eum ipsum : ad orationem confugit . Post paululum uero rediens Gerardus : mulierem quandam de castellione foris esse : et uelle ei loqui nuntiauit : Ad quam cum egrederetur : procidens ad pedes eius eadem mulier : duodecim librarum benedictionem ei obtulit : orationum suffragia implorans uiro suo periculose ægrotanti : Quam breuiter allocutus dimisit a se : uade inquiens sanum inuenies uirum tuum . Illa uero abiens in domum suam : sicut audierat sic euenit . Abbas uero consolans pusillanimitatem cellerarii sui : ad sustinendum dominum de cætero reddidit fortiorem . Nec tantum semel hoc ei contigisse certum est : sed sæpe cum huiusmodi necessitas instaret : repente unde non sperabatur : auxilium ei a domino affuisse . Propter quod uiri prudentes intelligentes manum domini esse cum eo . teneritudinem mentis eius a deliciis paradisi nuper egressi rerum exteriorum sollicitudine grauare cauebant : eas ipsi intra semetipsos ut poterant digerentes : et tantummodo de interioribus et conscientiis suis et causa animarum suarum eum consulentes : In quo tamen || pene hoc eis contigit . quod filiis israel legimus olim de moyse contigisse : cum diu conuersatus cum domino in monte sina : et caligine nubis egrederetur : et descenderet ad populum ex colloquio domini . facies eius cornuta appareret et terribilis : adeo ut fugeret populus ab eo . Egressus enim uir ille sanctus a facie domini qua in sollitudine cistercii et sublimioris altitudine contemplationis in sillentio aliquandiu fruitus erat : quasi de cælo afferens inter homines miraculum quoddam conquisitæ sibi apud deum plus quam hnmanæ† puritatis : homines quos regere . et inter quos conuersari ueniebat . pene omnes a se absterruit : Si quando namque de spiritualibus et ædificatione animarum sermonem ad eos habebat : loquebatur hominibus lingua angelorum : et uix intelligebatur . Maxime autem in his que ad mores hominum pertinebant : ex abundantia cordis sui tam sublimia eis proponebat . tam perfecta exigebat ab eis : ut durus uideretur sermo : in tantum non capiebant quæ dicebantnr† . Rursum cum singillatim audiret eos confitentes sibi : et semetipsos accusantes super diuersis illusionibus cogitationum communium humanarum : quas nullus in carne uiuens homo penitus uitare potest : hoc potissimum fuit : in quo luci illi ad tenebras illas conuentio esse non potuit : scilicet quod homines inueniebat : quos in hac parte angelos existimabat . Angelicam enim magna ex parte degustans puritatem : et ex conscientia iam olim acceptæ a deo gratiæ singularis simpliciter preiudicans uniuersæ conditioni humanæ fragilitatis : in temptationes seu inquinationes cogitationum harum nullum religiosum posse incidere : uel si incideret : uere religiosum non esse existimabat . Sed uiri uere religiosi et piæ prudentes et in prædicatione sermonum eius uenerabantur etiam quæ non capiebant : et in confessionibus suis licet ad nouum stuperent auditum : eo quod

seminarium quoddam desperationis præferre uideretur infirmis : tamen iuxta sententiam sancti Iob nefas putabant contradicere sermonibus sancti . non excusantes sed accusantes infir | mitatem suam in conspectu hominis dei : in quo nemo uiuens iustificari potest in conspectu dei . Vnde factum est : ut fieret magistra magistri pia humilitas discipulorum . Cum enim ad nutum arguentis humiliarentur qui arguebantur : cœpit etiam spirituali magistro aduersus fratres humiles et subiestos† zelus suus esse suspectus in tantum ut ipse iam potius accusaret ignorantiam suam et defleret necessitatem : quod silere non liceret : cum nesciret loqui : quod non tam alta ad homines quam indigna homnibus† loquendo læderet conscientias auditorum : quod tam scrupulose perfectionem a fratribus simplicibus exigebat : in quo se nondum inueniret ipse perfectum . Cogitabat nanque eos multo meliora et uiciniora saluti suæ in silentio suo meditari quam ab ipso audirent . deuotius et efficatius salutem suam operari quam ex eius exemplo acciperent . ex prædicatione uero eius scandalizari potius : quam aliquid concipere edificationis : Cumque super hæc uehementius turbaretur et contristaretur : et diuersæ cogitationes ascenderent in eor† eius : post multos cogitationum fluctus . et cruciatus cordis : decreuit ab exterioribos† omnibus ad interiora sua recolligere se : ibique in solitudine cordis et secreto silentii continere et præstolari dominum : donec quocumque modo misericordiæ suæ . super hoc ei suam reuellaret uoluntatem . Nec tardauit misericordia : dei auxilium in tempore oportuno : Paucis siquidem euolutis diebus uidit in uisu noctis puerum cum claritate quadam diuina astantem isibi† : et magna auctoritate præcipientem fiducialiter loqui quidquid ei suggereretur in apertione oris sui . quoniam non ipse esset : qui loqueretur : sed spiritus qui loqueretur in eo . Et ex inde manifestius in eo et per eum loquens spiritus sanctus : et sermonem ei potentiorem et sensum in scripturis abundantiorem suggerens in apertione oris eius : apud auditores quoque gratiam ei addidit et auctoritatem . et intellectum super egenum et pauperem peccatorem penitentem . et ueniam postulantem . ||

Cumque iam aliquatenus didicisset inter homines conuersari : et humana agere et tolerare : iamque inter fratres suos et cum eis inciperet frui fructibus conuersionis suæ : pater quoque qui solus domi remanserat : ueniens ad filios suos appositus est ad eos : Qui cum aliquantum tempus ibi fecisset : obiit in senectutæ bona . Soror quoque eorum in sæculo nupta et sæculo dedita . cum in diuitiis et deliciis seculi periclitaretur : tandem aliquando inspirauit ei deus : ut fratres suos uisitaret . Cumque uenisset quasi uisura uenerabilem fratrem suum : et adesset cum comitatu superbo et apparatu : ille detestans et execrans eam tanquam ræte diaboli ad capiendas animas nullatenus acquieuit exire ad uidendam eam : Quod audiens illa confusa et conpuncta uæhementer : quia nullus ei fratrum suorum occurrere dignaretur : cum a fratre suo Andrea quem ad portam inuenerat monasterii ob uestium apparatum stercus inuolutum argueretur : tota in lachrimas resoluta : et si peccatrix sum inquit : pro talibus christus mortuus est . Quia enim peccatrix sum : idcirco consilium et colloquium bonorum requiro . Et si despicit frater meus carnem meam : ne despiciat seruus dei animam meam . Veniat . præcipiat . quicquid præceperit facere parata sum . Hanc ergo promissionem tenens : exiit ad eam cum fratribus suis frater eius : Et quia eam seperare a uiro non poterat : primo uerbo omnem ei mundi gloriam in cultu uestium : et in omnibus seculi pompis et curiositatibus interdixit : et formam uitæ matris suæ in qua multo tempore uixit cum uiro ei indixit : et sic eam a se dimisit . Illa uero obedientissime parens præcepto rediit ad propria : mutatam repente seeundum† omnipotentiam dexteræ excelsi . stupebant omnes adolescentulam nobilem . delicatam . subita mutatione in habitu et uictu in medio seculi uitam ducere hæremiticam . instare uigiliis . et ieiun iis . et continuis orationibus : et ab omni sæculo prorsus se facere alienam . Bienio nnuc† postea sic uixit cum uiro suo : illo sane secundo maxime anno dante deo honorem : nec temerare ulterius præsumen | te templum spiritus sancti : Qui etiam tandem uirtute eius perseuerantiæ uictus : liberamque a se dimittens : iuxta ritum ecclesiæ facultatem ei concessit seruiendi deo cui se probauit Illa uero optata libertate potita monasterium Vileium adiens cum sanctimonialibus ibidem deo seruientibus reliquum uitæ suæ deo uouit : ubi tantam ei dominus gratiam contulit sanctitatis : ut non minus animo quam carne illorum probaretur uirorum dei esse germana .

Cum autem missus nouiter Claramuallem Bernardus ordinandus esset in ministerium : ad quod assumptus erat : et sedes Lingonensis uacaret : ad quam ordinatio ipsa respiciebat at† : quærentibus fratribus quo eum ducerent ordinandum cito de proximo se obtulit bona fama uenerabilis cathalaunensium episcopi opinatissimi illius magistri Guillielmi de campellis : illucque eum transmittendum esse diffinitum est . Sicque factum est . Abiit autem Cathalaunum : assumpto secum Elbodone monacho quodam cisterciense . Intrauit ergo predicti episcopi domum iuuenis exesi corporis et moribundi . habitu quoque despicabilis . subsequente monacho seniore et magnitudine et robore corporis eleganti . aliis ridentibus . aliis irridentibus . aliis rem sicut erat interpretando uenerantibus . Cum autem quæreretur quis eorum esset ahbas† : episcopus primus oculos in eum apertos habens agnouit seruum dei : et suscepit eum sicut seruus dei : Cum enim primo in priuato colloquio omni melius locutione prudentiam iuuenis magis magisque proderet uerecundia loquendi : intellexit uir sapiens diuinam uisitationem in aduentu hospitis sui : Nec defuit hospitalitatis pia instantia . donec usque ad familiarem fidutiam et libertatem loquendi producto colloquio ad alterutrum iam melius eum commendaret conscientia sua quam uerba . Quid multa? Ex llla† die et ex illa hora facti sunt cor unum et anima una in domino : adeo ut sæpe alter alterum hospitem deinceps haberet : et propria esset domus episcopi Clareuallis . clareualensium uero efficeretur non solum domus episcopi : sed et per ipsum tota ciuitas | cathalaunensis . Quin etiam et remensis prouincia et gallia tota per eum in deuotionem excitata est et reuerentiam uiri dei . Ab illo siquidem tanto episcopo cæteri didicerunt suspicere eum : et reuereri tanquam angelum dei : ita ut huius temporis præsensisse in eo gratiam uideatur homo tantæ auctoritatis sic affectus erga ignotum monachum et monachum tantæ humilitatis .

Modico uero post tempore transacto : cum eo usque infirmitas abbatis ingrauesceret : ut iam non nisi mors eius aut omni morte grauior uita speraretur : ab episcopo uisitatus est . Cumque uiso eo episcopus se non solum uitæ eius sed et sanitatis spem habere diceret : si consilio eius acquiescens secundum infirmitatis suæ modum aliquam corpori suo curam pateretur impendi . ille uero a rigore uel usu consuetudinis suæ minus facile flecti posset : profectus episcopus ad capitulum cisterciense ibi coram pauculis abbatibus qui conuenerant : pontificali humilitate et sacerdotali caritate toto corpore in terram prostratus petiit et obtinuit : ut toto anno uno in obedientiam sibi traderetur . Quid enim tantæ humilitati in tanta posset auctoritate negari? Reuersus itaque Claramuallem extra claustra et terminos monasterii domunculam unam ei fieri præcepit : ordinans et mandans in cibo uel potu siue in aliquo eiusmodi circa eum nullam ibi teneri ordinis districtionem . nullam de tota cura domus ad eum referri sollicitudinem : sed sibi eum ibi uiuere secundum modum ab eo præstitutum . Eodem tempore et ego claramuallem ipsumque frequentare cœpi : Quem cum ibi cum quodam abbate altero uisitarem : inueni eum in suo illo tugurio : quale leprosis in compitis publicis fieri solet . Inueui autem ex præcepto ut dictum est episcopi et abbatum feriatum ab omni sollicitudine domus tam interiori quam exteriori uacantem deo et sibi : et quasi in deliciis paradisi exultantem . Ingressusque regium illud cubiculum : cum considerarem habitationem et habitatorem : tantam mihi deum testor domus ipsa incutiebat reuerentiam sui : ac si ingrederer ad altare dei . Tan | taque affectus sum suauitate circa hominem illum tantoque desyderio in paupertate illa et simplicitate . cohabitandi ei : ut si optio illa die mihi data fuisset : nil tam optassem : quam ibi cum eo semper manere ad seruiendum ei : Cumque et ipse uicisim nos cum gaudio suscepisset : et quæreremus : quid ageret . quomodo ibi uiueret : modo illo suo generoso arridens nobis : optime inquit Ego : cui hactenus omnes rationales obediebant : iusto dei iudicio irrationali cuidam bestiæ datus sum ad obediendum . Dicebat autem de quodam homine rusticano et uano nil prorsus sciente : ipsumque ab infirmitate qua laborabat curaturum se iactante : cui ad obediendum ab episcopo et abbatibus et fratribus suis traditus erat : Ibique cum eo mandncantes† cum arbitraremur hominem tam infirmum tanteque prouidentiæ commissum sicut oportebat procurandum : et uideremus ei agente medico illo suo offerri cibos : quos sanus quis uix præ angustia famis attingeret : uidebamus et thabescebamus uix regulari silentio nos cohibente : quin in illum quasi sacrilegum et homicdiam† ira et contumeliis insurgeremus . Ipse autem in quem hæc fiebant indifferenter cuncta summens : æque omnia appro-

babat : sicut qui sensu ipso corrupto et pene emortuo sapore uix aliquid discernebat . Nam et sagimen crudum per errorem sibi oblatum pro butiro multis diebus noscitur comedisse : oleum bibisse tanquam aquam : et multa talia illi euenerant . Sollam quippe aquam sibi sapere dicebat : eo quod dum summeret : fauces et guttur ei refrigerabat . Sic ergo tunc eum inuẽni : et sic habitabat in illa solitudine sua uir ille dei . At solus non erat : cum quo erat deus : et cnstodia† et consolatio sanctorum angelorum . Quod et manifestis indiciis demonstratum est . Nocte enim quadam solito attentius orando effuderat super se animam suam : cum tenuiter soporatus uoces audiuit tanquam transeuntis multitudinis copiosæ . Euigilans autem et easdem uoces plenius audiens : cellam quoque in qua iacebat egreditur : et prosequitur || abeuntes . Haud procul aberat locus densis adhuc spinarum uepriumque frutectis abundans : sed nunc longe mutatus ab illo . Super hunc aliquandiu stabant uelut alternantes chori hinc inde dispositi : et uir sanctus audiebat et delectabatur . Cuius tamen uisionis mysterium non prius agnouit : quam translatis post aliquot annos ædificiis monasterii : eodem in loco positum oratorium cerneret : ubi uoces illas audisset . Mansi autem indignus ego cum eo paucis diebus : quocumque oculos uertebam mirans quasi cælos me uidere nouos et terram nouam et antiquorum egyptiorum monachorum patrum nostrorum antiquas semitas : et in eis nostri temporis hominum recentia uestigia . Erat enim tunc temporis uidere clareuallis aurea secula : cum uiri uirtutis olim diuites in seculo et honorati tunc in paupertate cbristi† gloriantes : ecclesiam dei plantarent in sanguine suo : in labore et erumnis : in fame et siti : in frigore et nuditate : in persecutionibus et contumeliis : et angustiis multis : præparantes clareualli eam quam hodie habet sufficientiam et pacem . Neque enim se tam sibi quam christo et fratribus ibidem deo seruituris uiuere existimantes pro nichilo habebant quicquid sibi deesset : dum relinquerent post se : quod illis sufficeret : et ad subsidium necessitatis : et ad aliquam conscientiam uoluntarie pro christo paupertatis . Primaque facie ab introeuntibus Claramualem per descensum montis deus in domibus eius cognoscebatur : cum in simplicitate et humilitate ædificiorum : simplicitatem et humilitatem in habitantium pauperum christi uallis muta loqueretur . Denique in ualle illa plena hominibus in qua nemini ociosum esse licebat : omnibus laborantibus et singulis circa iniuncta occupatis : media die mediæ noctis silentium a superuenientibus inueniebatur : preter laborum sonitus : uel si fratres in laudibus dei occuparentur . Porro silentii ipsius ordo et fama : tantam etiam apud seculares homines superuenientes sui faciebat reuerentiam : ut et ipsi non dicam praua uel ociosa sed aliquid etiam quod ad rem | attineret : ibi loqui uererentur . Loci uero ipsius solitudo : inter opaca syluarum et uicinorum hinc inde montium angustias : in quo serui dei latebant : speluncam illam sancti Benedicti patris nostri quodam modo repræsentabat : in qua aliquando a pastoribus inuentus est : ut cuius imitabantur uitam : habitationis etiam eius ac solitudinis formam aliquam habere uiderentur . Omnes quippe etiam in multitudine solitarii ibi erant : Vallem namque illam plenam homnibus† ordinis ratione caritas ordinata singulis solitariam faciebat : quia sicut unus homo inordinatus etiam cum solus cst† : ipse sibi turba est . sic ibi unitate spiritus et regulariis† lege silentii in multitudine hominum ordinata solitudinem cordis sui singularis ordo ipse defendebat . domibus uero et habitaculis simplicibus : uictus inhabitantium persimilis erat . Panis non tam furfureus quam terreus uidebatur duris fratrum laboribus uix de terra deserti illius sterili productus : cætera quoque cibaria quæ uix erant aliquid saporis habentia præter quem fames seu amor dei faciebat . Sed et ipsum nouitii feruoris simplicitas sibi tollebat : cum quasi uenenum arbitrantes quicquid comedentem utrumque delectaret : recusarent dona dei propter gratiam quam in eis sentiebant . Cum enim circa omne genus carnalis tolerantiæ cum adiutorio gratiæ dei studium spiritualis patris in eis hoc effecisset : ut plurima quæ homini in carne constituto impossibilia prius uidebantur : iam non solum cunctanter peragerent et sine murmuratione : sed et cum ingenti delectatione : Ipsa delectatio aliam in eis pepererat murmurationem eo periculosiorem : quo eam existimabant quasi remotiorem a carne : spiritui propinqniorem† . Persuasum quippe habentes : et quasi cum testimonio conscientiæ suæ memoriæ fideliter commendatum : inimicam esse animæ omnem delectationem carnis : quidquid carnem cum qualibet delectatione nutrire uideretur : fugiendum arbitrabantur . Quasi enim per aliam uiam reduci se putabant in regionem

suam : cum præ dulce || dine amoris interioris amara æque ac dulcia delectabiliter edendo delectabilius uiuere sibi uiderentur in heremo : quam prius uixissent in sæculo : Cumque in hoc suspectam aliquatenus haberent spiritualis patris quottidianam correptionem quasi carni eorum plus quam spiritui deferentem : aliquando ad iudicium præfati cathalaunensis episcopi qui tunc forte aderat res delata est . Super quo uir ille potens in uerbo sermonem ad eos aggressus : ad eum finem perduxit : ut omnem hominem quicumque dona dei recusauerit propter gratiam dei : inimicum esse gratiæ dei et spiritui sancto resistere pronuntiaret . Adducta siquidem historia de Heliseo propheta et filiis prophetarum cum eo in desertis locis uitam heremiticam ducentibus : quomodo cum aliquando ad horam refectionis uentum esset : amaritudo quædam mortis in olla decoctionis eorum inuenta per uirtutem dei et ministerium prophete per infusionem farinulæ dulcorata est : olla inquit illa prophetica olla nostra est . nil in se nisi amaritudinem habens . Farina uero amaritudinem in dulcedinem conuertens : gratia dei operans est in uobis . Sumite ergo securi et cum gratiarum actione : quod cum naturaliter minus aptum fuerit usibus humanis : ad hoc per gratiam dei uestris est usibus aptatum : ut utamini et comedatis : In quo si inobedientes et increduli permanetis : resistitis spiritui sancto : et gratiæ eius ingrati estis . Hæc ergo fuit in tempore illo sub albate† Bernardo et magisterio eius in clarissima et carissima ualle illa spiritualium schola studiorum : hic feruor regularis disciplinæ omnia eo faciente et ordinante : et tabernaculum deo in terris ædificante secundum exemplar : quod ei in monte ostensum est : cum in solitudine cisterciensi cum deo in nube habitaret . Et utinam post rudimenta primæ conuersationis postquam didicit aliquatenus et consueuit homo cum homnibus† esse : et intelligere super egenum et pauperem compatiendo infirmitatibus hominum : utinam se circa semetipsum talem exhibuisset : qualem erga cæteros tam benignum tam discretum tam sol | licitum . Sed continuo cum ab annuæ illius obedientiæ uinculo solutus et sui iuris effectus est : uelut arcus distentus ad pristinam rigorem : et sicut torrens detentus et dimissus ad prioris cursus consuetudinem reuersus est : quasi repetens a semetipso pœnas diusculæ illius quietis et damna laboris intermissi . Videres hominem imbecillem et languidum conari et aggredi quecumque uellet . minus considerare quid posset : solicitum pro omnibus : circa se ipsum negligentem : omnibus aliis obedientissimum : sed de se ipso uix aliquando seu caritati seu potestati obedientem . Semper enim priora sua nulla reputans : maiora moliebatur ad non parcendum corpori : ad studiis spiritualibus robur addendum : corpus suum uariis infirmitatibus per se attenuatum ieiuniis insuper et uigiliis sine intermissione atterendo. Orabat stans die noctuque : donec genua eius infirmata a ieiunio : et pedes eius a labore inflati corpus sustinere non possent . Multo tempore et quandiu occultum esse potuit cylicio ad carnem usus est : ubi uero sciri aduenit : continuo illud abiiciens ad communia se conuertit . Cibus eius cum pane lac . uel aqua decoctionis leguminum : uel pultes : quales infantibus fieri solent . Cætera uel eius infirmitas non recipiebat : uel parsimoniæ studio ipse recusabat . Vino si quando utebatur : raro et nimis modico . cum magis aquam et infirmitati suæ et appetitui competere testaretur . Sic autem affectus et confectus a communi fratrum labore seu diurno seu nocturno uix se aliquando patiebatur esse excusatum : seu ab occupationibus et laboribus ministerii sui . Videbant eum et conuersationem eius homines medici : et mirabantur : tantamque uim eum in se ipso causabantur inferre naturæ : ac si agnus ad aratrum alligatus arare cogeretur . Nam cum crebra illa ex corruptione stomachi per os eius indigestæ cruditatis eruptio aliis inciperet esse molestior maxime autem in choro psallentium : non tamen illico collectas fratrum deseruit : sed iuxta locum stationis suæ procurato ac defosso in terra recepta || culo doloris illius sic aliquando diu prout potuit necessitatem illam transegit . At ubi ne hoc quidem permisit intolerantia rei . tunc demum collectas deserere : et seorsum secum habitare compulsus est : nisi quantum siue collocutionis sive consolationis gratia : siue disciplinæ claustralis necessitate . conuentui eum fratrum aliquando oportebat interesse . Et hæc fuit tristis illa necessitas : qua primo sancta illa fraternitas sanctæ illius paternitatis iugi consortio carere posse coacta est : In quo dolemus quidem et plangimus infirmitatis eius tristem effectum : sed sancti desyderii et spiritualis feruoris affectum ueneramur . Quanquam nec infirmitatis eius effectus usquequaque plangendus sit et dolendus . Quid enim si uoluit sapientia dei per infirma potius hominis illius tot tantaque confundere fortia

mundi huius ? Quid uero aliquando pro qualibet infirmitate eius remansit infectum : quod per eum secundum datam sibi gratiam fieri opporteret ? Quis enim nostra ætate quantumuis robusti corporis et accuratæ ualitudinis tanta aliquando fecit : quanta iste fecit et facit moribundus et languidus ad honorem dei et sanctæ ecclesiæ utilitatem ? Quantum postea numerum hominum uerbo et exemplo traxit de sæculo non solum ad conuersionem sed ad perfectionem ? Quantas ex eis per totum christianum orbem constituit domos seu ciuitates refugii ? ut quicumque peccauerint ad mortem et æternæ mortis rei iudicati fuerint : reminiscantur et conuertantur ad dominum : et confugiant ad eas : et saluentur in eis . Quæ sismata† ecclesiæ non sedauit : quas non confudit hæreses : quam pacem inter dissidentes ecclesias et populos non restituit ? Et hæc quidem communia sunt . Cæterum quæ bona innumeris homnibus† singillatim præstitit pro causa . pro persona . pro loco pro tempore quis enumeret ? Porro si nimietas in eo repræhenditur sancti feruoris : habet certe apud pias mentes excessus iste reuerentiam suam : qua quicumque spiritu dei aguntur : multum uerentur in seruo dei repræhendere nimium istam nimietatem : habet et faci | lem apud homines excusationem . cum uix audeat quisquam eum condemnare : quem deus iustificat : tam multa tam sublimia cum eo et per eum operando . Felix cui solum reputatur ad culpam . quod cæteri præsumere sibi solent ad gloriam . Fuerit autem bono iuueni suspecta iuuentus sua . beatus quippe qui semper est pauidus : fuerit ei studium tanta uirtutum plenitudine quam habebat ex gratia : aliqua etiam laboris sui conscientia cumulare . Sed et uita eius quæ omnibus proponebatur imitanda : frugalis continentiæ exemplo carere non debuit : In quo seruus dei et si nimietate forsitan excessit : piis certe mentibus non de nimietate . sed de feruore exemplum reliquit . Quid autem eum in hoc nitimur excusare : in quo ipse qui ueretur omnia opera sua non confunditur usque hodie se accusare : sacrilegii arguens qui seruitio dei et fratrum suorum abstulerit corpus suum : dum indiscreto feruore imbecillæ illud reddidit ac pene inutile ? Sed conualuit de infirmitate : et infirmus : fortior et potens factus est . Virtus namque dei uæhementius in infirmitate eius refulgens ex tunc usque hodie digniorem quandam apud homines ei efficit reuerentiam : et in reuerentia auctoritatem et in auctoritate obedientiam . Iam tunc enim ad opus prædicationis diuinitus aptabatur : ad quod ut supradictum est ex utero matris suæ cum testimonio diuinæ reuelationis olim fuerat præsignatus . Nec tunc tantummodo sed omni tempore conuersionis et subiectionis et prælationis suæ ipso ordinante : quo et agente congruo ordine ad hoc instituebatur : et ignorans : quid de se fieret : non solum monastico . sed et omni ecclesiastico ordini in hoc præparabatur . Et primum quidem circa resuscitandum in monastico ordine antiquæ religionis feruorem primitias iuuentutis suæ dedicauit : exemplo et uerbo in conuentu fratrum intra septa monasterii ad hoc omni studio uacans . Postmodum autem cum ad alium uitæ et conuersationis ordinem infirmitate corporis cogeretur et sicut dictum est necessitas infirmitatis . et ordo necessitatis a cummuni† || eum conuersatione conuentus . plus solito sequestraret : hæc prima cœpit esse ut quasi hominibus de sæculo expositus quorum iam ad eum multitudo magna confluebat . ipse etiam præsentiam suam liberius eis ac liberalius commodans : uerbum uitæ prædicaret . Cumque et longius aliquando a monasterio pro causis æcclesiæ communibus obedientia traheretur : et quocumque ueniret undecumque locuturus de deo silere non posset : et agere quæ dei sunt non cessaret : sic in breui apud homines innotuit : ut æcclesia dei tam utili membro in corpore suo reperto uti ad quodcumque opportebat† non dissimularet . Sed et licet a primo flore ineuntis ætatis fructibus spiritus semper abundauerit : ab hoc tamen tempore copiosius ei addita est sicut apostolus dicit manifestatio spiritus ad utilitatem : sermo scilicet fecundior sapientiæ ac scientiæ cum gratia prophetiæ . operationes uirtutum et diuersarum opitulationes sanitatum . Quorum quædam quæ certa narratione didici : qua fide a fidelibus mihi uiris assignata sunt : eadem et ipse legentibus resigno .

Primum ergo signum hoc fuit : quod in manu serui sui mundo celebre christus effecit . Cum aliquantos iam in claraualle annos explesset : contigit uirum nobilem et ipsius quoque secundum carnem propinquum Losbertum de Firmitate quod est oppidum proximum monasterio grauiter infirmari : Qui subito preoccupatus : amisit penitus intellectum pariter et loquellam : Vnde et filius eius Losbertus iunior et omnes simul amici eo magis affligebantur dolore : quod sine confessione et uiatico uir magni-

ficus et magnifice honoratus obiret . Cucurrit nuncius ad abbatem : neque enim tunc in monasterio erat . Venit et inuenit eum iam triduo sic iacentem . Compassus autem homini sed et motus lachrimis filii eius et simul lugentium cæterorum confisus est de misericordia dei : et sermonem magnificum protulit dicens eis . Notum uobis est : quod in pluribus homo iste iam grauauit ecclesias . oppressit pauperes . offendit deum . Si mihi creditis : ut ecclesiis re | stituantur ablata et usurpatæ in grauamen pauperum consuetudines dimittantur : loquetur adhuc : et suorum confessionem faciet delictorum : diuina quoque suscipiet sacramenta deuotus . Mirantur omnes . lætatur filius . famlia† omnis exultat . quidquid præcipit homo dei : firmiter ei promittitur : et impletur . Cæterum frater eius Gerardus et Gaudricus auunculus non parum territi et turbati secretius eum super tali promissione conueniunt . durius arguunt . acrius inuehuntur : Quibus breuiter simpliciterque respondens : facile inquit facere potest deus : quod difficile credere uos potestis . itaque post secretam orationem : ad oblationem sacrificii immortalis accedit . Quo offerente nuntius superuenit : qui indicaret præfatum Losbertum libere iam loquentem : rogare obnixius : ut uir dei festinaret ad eum : Cui etiam post oblatum sacrificium uenienti cum lachrimis et gemitu peccata confessus : diuina sacramenta suscepit : et duobus post hæc aut tribus diebus uiuens et loquens : ea maxime quæ præceperat abbas sanctus constituit sine ulla retractatione seruari . Sed et disposuit domui suæ . et eleimosynas dedit : et sic demum christiano more in bona spe misericordiæ dei animam exhalauit .

Reuertebatur aliquando pater sanctus a pratis : et obuiam habuit mulierem paruulum filium in brachiis deportantem : quem de longe attulerat ad eum : ab utero matris habentem manum aridam et brachium totum . Motus autem lachrimis matris et præcibus iussit puerum deponi : factaque oratione continuo signans puerum et brachium et manum eius : dixit mulieri : ut uocaret . filium suum . Vocauit illa infantem : et ille accurrit : et utroque brachio amplexatus matrem suam : sanus factus est ex ea hora .

Erant autem huius beati uiri fratres et filii spirituales : mirantes super hiis quæ audiebant et uidebant de eo . Nec tamen more carnalium in gloriam eleuabantur humanam : sed iuuenili eius ætati et nouæ || adhuc conuersationi spirituali sollicitudine metuebant . In quo nimirum zelo Galdricus auunculus eius et Guido primogenitus fratres cæteros anteibant : ut ipsos tanquam geminos quosdam stimulos carnis suæ ne gratiarum magnitudo eum extolleret accepisse diuinitus uideretur . Neque enim parcebant uerbis durioribus exagitantes teneram uerecondiam eius . calumniantes etiam bene gesta . signa omnia adnihilantes : et hominem mansuetissimum nihilque contradicentem frequenter usque ad lachrimas improperiis et obprobriis affligentes . Narrare solet uenerabilis episcopus lingonensis Godefridus sancti uiri et propinquus sanguine et in conuersione sotius et ex tunc per omnia indiuiduus comes : Primo miraculo quod per manum eius fieri uidit : predictum germanum eius affuisse Guidonem : Erat enim eis transitus per castrum Nantonis in territorio senonum . et iuuenis quidam cuius pedem fistula occupauerat : predicti patris tactum et benedictionem cum multa supplicatione petebat . Signatus autem statim conualuit : et post paucissimos dies regressi per idem oppidum sanum eum atque incolumem inuenerunt . Cæterum sæpedictus beati uiri frater ne ipso quidem poterat compesci miraculo : quo minus increparet eum : et præsumptionis argueret : quod acquieuerit tangere hominem : tanta siquidem caritate pro eo sollicitus erat .

Circa idem tempus accidit : ut auunculus eius Galdricus qui et ipse zelo simili eius mansuetudinem sicut prædiximus duris increpationibus obruebat : grauissimis febribus laboraret . Demum ingrauescente morbo ipsa doloris magnitudine superatus : abbatem humili obsecratione compellat : ut sui misereatur : et opem sibi ferat : quam cættris† consueuit . At ille cuius spiritus super mel dulcis . primum leniter breuiterque commemorans crebras super huiusmodi obiurgationes ipsius : et imponens ei : ne forte hoc diceret temptans eum : persistenti tamen manum imponit : et febrem abscedere iubet . Nec mora . ad imperium eius reliquit illum | febris expertum in semetipso quod in cæteris arguebat . Idem quoque Galdricus cum in clara ualle aliquantos iam perageret annos : feruens spiritu et totius boni æmulator ex hac luce migrauit . Qui ante unam fere horam mortis turbatus ad momentum : et toto corpore terribiliter motus infremuit : sed ad pristinam statim serenitatem reuersus uultu deinceps

placidissimo expirauit . Noluit autem dominus sollicitum abbatis animum : huius rei cognitione fraudari . Siquidem post aliquot dies idem Galdricus apparens ei in uisu noctis cum ea omnia erga se prospera esse sciscitanti responderet : et in magna sese gratularetur felicitate locatum : demum interrogatus est : quidnam sibi uoluit : tam acerba illa in morte tamque repentina commotio . Dicebat autem : quod ea hora duo spiritus nequam uelut in puteum horrendæ profunditatis eum præcipitare parassent : unde territus ita contremuit : sed beato petro accurrente ereptus nihil sensit deinceps læsionis . Longum esset cuncta narrare : quæ super iis qui ex hac uita discesserant : et eorum felicitate seu etiam necessitate diuina ei gratia reuelare ab ipsis initiis consueuit . unum tamen dixerim : quod ob fratrum commonitionem aliquotiens etiam ipse commemorat . Frater quidam bonæ intentionis sed durioris erga cæteros fratres conuersationis et minus compatiens quam deberet : in monasterio defunctus est . Post paucos autem dies uiro dei apparuit uultu lugubri et habitu miserabili : significans non ad uotum sibi cuncta succedere . Interrogatus autem : quid sibi esset : quattuor dillacerandum sese traditum querebatur : ad quod uerbum continuo impulsus est : et quasi præcipitanter expulsus a facie uiri dei . Qui grauius ingemiscens : post tergum eius clamauit : Præcipio tibi inquit in nomine domini : ut qualiter tecum agatur in proximo mihi iterum innotescas . Et conuersus ad orationem pro eo et oblationem hostiæ salutaris : aliquos etiam fratrum quorum ampliorem nouerat sanctitatem eidem similiter subuenire monebat . Nec uero destitit : donec post sicut preceperat per aliam reuelationem cognita || eius liberatione meruit consolari . Circa hoc tempus in regno galliæ et finitimis regionibus fames inualuit : seruorum autem suorum horrea benedictio domini cumulauit . Siquidem usque ad annum illum nunquam eis laboris sui annona suffecerat . Sed et tunc quoque post messem collectam diligenter omnibus supputatis uix usque ad pascha sibi eam posse sufficere existimabant . Cum autem emere uellent : sumptus non inuenerunt : quod longe carius solito uenderetur . Itaque ab ipso tempore quadragesimali pauperum ad eos maxima multitudo confluxit : Quibus erogantes fideliter : quod habebant : domino benedicente ex modica illa annona usque ad messem ipsi pariter et qui superueniebant pauperes alacriter sustentabantur . Virum pauperem non longe a monasterio habitantem uxor adultera maleficiis cruciabat . Sicut enim ei in ira et furore fuerat comminata : egerat per malignas incantationes : ut miser homo consumptis carnibus nec posset mori : nec uiuere sineretur . Sæpius denique et uocis usum et sensum omnem corporis amittebat : iterumque redibat non ad uitam sed ad mortem prolixiorem crudeliter reuocatus . Adducitur tandem homo ad uirum dei in monasterio demorantem : et ei tragœdia miserabilis explicatur : Qui uæhementer indignans antiqui hostis malitiam tantum sibi in christianum hominem usurpasse : uocans duos e fratribus ante secundum altare hominem deportari : ibique superposito capiti eius uasculo eucharistiam continente in ipsius sacramenti uirtute : a læsione christiani iubet dæmonem prohiberi . Factum est : ut præcepit : et miserum homnem† post tantos cruciatus fides perfecta perfectæ reddidit sanitati . Frater Robertus eiusdem sancti uiri monachus et secundum carnem propinquus in adolescentia sua quorundam persuasione deceptus . Clumacum† sese contulerat : Venerabilis autem pater posteaquam aliquandiu dissimulauit : eundem fratrem statuit per epistolam reuocare : Quo dictante uenerabilis Guilielmus Rieualis postea monasterii primus abbas in mem | brana scribens : eandem excipiebat epistolam . Erant autem ambo pariter sub cliuo sedentes : ad dictandum quippe secretius septa monasterii egressi fuerant . Subito autem inopinatus imber erupit : et is qui scribebat sicut ipso referente didicimus : cartham reponere uoluit : Ad quem pater sanctus : opus inquit dei est : scribe . ne timeas . Scripsit ergo epistolam in medio imbre : sine imbre . Cum enim undique plueret : cartham expositam uirtus operuit caritatis : et qui dictabat epistolam : scedulam quoque pariter conseruabat . Et hæc quidem epistola ob tam grande miraculum in codice epistolarum eius a fratribus non immerito prima est ordinata .

Agebatur sollemnitas quædam precipua : et frater aliquis quem pro secreta culpa ab altaris sacri communione suspenderat : notari timens et ruborem non sustinens ad manum eius cum cæteris nimium presumtuosus accessit . Intuitus autem eum quoniam causa latens erat repellere hominem noluit : sed intimo corde orabat deum : ut de tanta presumptione melius aliquid ordinaret . Itaque sumens homo eucharistiam

non poterat ad interiora traiicere : et diu multumque conatus cum nullomodo præualeret : anxius et tremebundus clausam ore seruabat . Expleta denique hora orationis sexta : patrem sanctum traxit in partem : cuius pedibus aduolutus cum multis ei lachrimis quod patiebatur aperuit : et aperto ore ipsam quoque eucharistiam ostendebat . Increpans autem eum confitentem absoluit : et sine difficultate recepit dominica sacramenta . In minimis etiam rebus magna per eum nouimus contigisse .

Venerat aliquando Fusmacum . quæ est abbatia una de primis quas ipse ædificauit in laudunensi territorio sita . Cumque noui ibidem oratorii dedicatio pararetur : ita illud occupauerat muscarum incredibilis multitudo : ut earum sonitus improbusque discursus grauem nimis introeuntibus molestiam generaret . Nullo igitur occurrente remedio dixit sanctus excommunico eas : et mane omnes pariter mortuas in || undauerunt . Cumque pauimentum omne operuissent : palis eiicientes eas ita demum basilicam mundauerunt . Hoc autem tam notum et tam celebre fuit : ut inter uicinos quoque quorum ad dedicationem maxima multitudo conuenit : muscarum Fusinacum maledictio in parabolam uerteretur .

In eo quoque monasterio cui Caruslocus nomen est puerum quendam qui incessanter flæbat et eiulabat : uir sanctus osculo sanauit . Cum enim per multos dies sine intermissione plorans nullam reciperet consolationem : quod genus morbi medici non ignorant : miserabiliter deficiens tabescebat . Quem seorsum alloquens pater sanctus monebat : ut suorum confessionem faceret delictorum . Facta autem confessione subito uultum serenans : petiit a beato patre sibi osculum dari . Acceptoque osculo pacis ex ore sancti in omni protinus pace quieuit : et lachrimarum fonte siccato letus et incolumis est regressus ad propria .

Exeunti aliquando abbati post fratres reliquos ad laborem filium claudum pater obtulit supplicans : ut ei manum imponere dignaretur . Excusabat autem uir dei dicens : non se esse illius meriti : a quo talia deberent beneficia postulari : claudis reddere gressum apostolicæ esse non suæ uirtutis . Victus tamen patris instantia signauit puerum : ac dimisit : Qui ex ea hora conualuit : et intra paucos dies ab eodem iterum patre cum multa gratiarum actione reductus : incolumis oblatus est uiro dei .

Diuertit aliquando nobilium cohors militum Claramuallem : ut uiderent locum ipsum ac reuerendum eius abbatem . Prope autem erat sacrum quadragesimæ tempus : et illi omnes fere iuuenes dediti militiæ seculari circuibant quærentes execrabiles irundinas : quas uulgo tornetas uocant . Cœpit itaque ab eis petere paucos illos qui ante quadragesimam supererant dies : ne armis interim uterentur : Quibus obstinato animo renuentibus nec concedere acquiescentibus : confido ait in domino quoniam ipse mihi dabit inducias quas negatis . Et | accersito fratre iubet eis ceruisiam propinari benedicens eam et dicens : ut potionem biberent animarum . Biberunt ergo pariter . quidam tamen inuiti pre amore seculi metuentes eum : quem postea sunt experti diuine uirtutis effectum . Vt enim egressi sunt monasterii fores . mutuis sese cœperunt inflammare sermonibus : quia cor eorum ardens erat in eis . Inspirante igitur deo et currente uelociter uerbo eius : eadem hora reuersi : et conuersi a uiis suis spirituali militiæ dextras dederunt : Quorum quidam adhuc militant deo : quidam autem cum eo iam regnant carnis uinculis absoluti . Quid autem mirum quod deuotis hunc hominem colit obsequiis maior ætas : in cuius deuotionem diuina uirtus ipsam quoque infantiam excitat expertem adhuc rationis et deuotionis ignaram ? Norunt multi illustrem iuuenem Valcherum de Montemirabili : cuius patruus frater Valcherus . inter eos quos prædiximus milites : sacram in Clarauallе militiam est professus . Hunc ergo Valcherum iuniorem cum adhuc infantulus esset adhuc anniculus sola posse cognoscere hubera cognosceretur : mater sua benedicendum obtulit uiro dei gratulabunda et exultans : quod in domo sua hospitem mereretur habere tam sanctum . Cumque uir dei sic ut semper et in omni loco facere consueuerat : de salute et ædificatione animarum ad circumpositos loqueretur : prædicti mater infantis tenens eum in gremio : sedebat secus pedes ipsius . Accidit autem ut inter loquendum aliquando manum protenderet : et appræhendere eam conabatur infantulus . Aduertitur tandem conatus paruuli : cum sæpius id fecisset : et mirantibus uniuersis datur ei facultas : ut manum possit appræhendere : quam optauit . Tum uero mira admodum reuerentia alteram manum suam supponens : altera tenens eam detulit ad os suum : et osculatus

est eam . Neque id semel tantum : sed totiens faciebat : quotiens beatam manum tenere permissus est .

Infirmabatur aliquando homo dei : et uelut riuulus quidam flegmatis in || cessanter ab eius ore fluebat . Vnde exhausto corpore usquequaque deficiens : paulominus ad extrema deuenit . Conuenerunt itaque filii et amici eius uelut ad exequias tanti patris : et ego ipse inter cæteros affui : quod me quoque eius dignatio in amicorum numero reputaret . Cumque extremum iam trahere spiritum uideretur : in excessu mentis suæ ante tribunal domini sibi uisus est præsentari : Affuit autem et satan ex aduerso improbis eum accusationibus pulsans . Vbi uero ille omnia fuerat prosecutus : et uiro dei pro sua fuit parte dicendum : nihil territus aut turbatus ait . Fateor non sum dignus ego nec propriis possum meritis regnum obtinere cælorum . Cæterum duplici iure illud obtinens dominus meus hæreditate scilicet patris et merito passionis . altero ipse contentus . alterum mihi donat : ex cuius dono iure illud mihi uendicans non confundor . In hoc uerbo confusus inimicus : conuentus ille solutus : et homo dei in se reuersus est . Cumque ex hoc magis dissolutionem sui corporis imminere speraret : uisio altera longe dissimilis est secuta . Siquidem uelut in littore quodam positus : uidebatur sibi nauem quæ se transueheret expectare : Cumque applicuisset nauis ad littus : festinabat ingredi : et illa cedens impingebat in aquam . Vsque tercio ita faciens : tandem relicto eo nauis ibat : et non reuertebatur . Intellexit autem protinus : nec dum tempus suæ migrationis adesse . Adhuc tamen crescebat dolor eo utique magis molestus : quo minus iam eum spes imminentis exitus solabatur . Contigit autem aduesperascente iam die : ut cæteris fratribus iuxta consuetudinem accedentibus ad lectionem collationum : solus abbas cum duobus fratribus sibi assistentibus remaneret in diuersorio : in quo iacebat . Cumque uæhementius affligeretur : et supra uires dolor excresceret : aduocans alterum e duobus : iubet citius oratum ire : Excusantem denique et dicentem : non sum ego talis orator : obedientiæ auctoritate compellit . Itum est : et oratum ad altaria : quæ in eadem basilica erant tria . primum in honore | beatæ dei genitricis : duo circumposita in honore beati Laurentii martyris et beati Benedicti abbatis . Eadem igitur hora affuit uiro dei prædicta beata uirgo duobus illis stipata ministris beato scilicet Laurentio et beato Benedicto . Aderant autem in ea serenitate et suauitate quæ eos decebat : et tam manifeste : ut ex ipso introitu cellule personas quoque discerneret singulorum . Imponentesque ei manus : et loca doloris attactu piissimo lenientes : omnem protinus ægritudinem depulerunt . Siccatus est enim illico flegmatis riuus : et dolor omnis abscessit .

Cum autem et ego ægrotarem aliquando in domo nostra : et me iam nimium fatigasset et attriuisset in longu in† nimium se protendens egritudo : audiens hoc misit ad me fratrem suum uirum bonæ memoriæ Gerardum : mandans me uenire ad Claramuallem . spondens me ibi cito aut curandum aut moriturum . Ego uero quasi diuinitus accepta uel oblata facultate seu apud eum moriendi seu aliquandiu cum eo uiuendi : quorum quid tunc maluerim ignoro . profectus statim sum illuc : quamuis cum nimio labore ac dolore . ubi factum est mihi quod promissum fuerat : et fateor sicut uolui . Reddita quippe mihi est sanitas a magna et periculosa infirmitate : sed paulatim uires corporis redierunt . Deus enim bone quid mihi boni contulit infirmitas illa : feriæ illæ : uacatio illa ex parte ad quod uolebam . Nam et cohoperabatur necessitati meæ toto illo tempore infirmitatis meæ apud eum infirmitas eius : qua et ipse tunc temporis detinebatur . Infirmi ergo ambo tota die de spirituali physica animæ conferebamus : de medicamentis uirtutum contra langores uiciorum . Itaque tunc disseruit mihi de cantico canticorum : quantum tempus illud infirmitatis meæ permisit moraliter tantum . intermissis altioribus mysteriis scripturæ illius : quia sic uolebam . et sic petieram ab eo . Singulisque diebus quæcumque super hoc audiebam : ne mihi effugerent : scripto alligabam : in quantum mihi deus donabat : et memoria me iuuabat . In quo cum || benigne et sine inuidia exponeret mihi et communicaret sententias intelligentiæ et sensus experientiæ suæ : et multa docere niteretur inexpertum : quæ non nisi experiendo discuntur : et si intelligere non poteram adhuc : quæ apponebantur mihi : plus tamen solito intelligere me faciebat : quid ad ea intelligenda deesset mihi . Sed de his hucusque dixisse sufficiat . Cum autem instante dominica : quæ septuagesima denominatur uespere sabbati dominicam ipsam precedentis iam tantum conualuissem et ualerem : ut de lecto per me surgere et intrare possem et exire : uespere

sabbati ipsam dominicam præcedentis : cœpi disponere de reditu nostro ad nostros : Quod ipse auditum omnino prohibuit : et usque ad dominicam quinquagesimæ omnem mihi spem reditus et conatum interdixit . Acquieui facile cum quod præcipiebatur et uoluntas non abnueret : et infirmitas requirere uideretur . Cum autem ultra dominicam illam suptuagesimæ† a carnibus quibus usque ad diem illam ipso præcipiente et necessitate cogente uescebar uellem abstinere : et hoc ipsum prohibuit . Super quo cum nec monenti acquiescerem : nec rogantem audirem : nec obedirem præcipienti : sic uespere illa sabati ab inuicem discessimus : ille tacitus ad completorium : ego ad lectum . Et ecce infirmitatis meæ rabies rediuiua : quasi resumptis omnibus uiribus pristinis : cum tanta me uæhementia et ferocitate inuadens corripuit : tantaque malignitate tota nocte illa deuastando cruciauit : supra uires supra uirtutem : ut de uita desperans uix saltem usque ad diem : ut uel semel adhuc loquerer uiro dei : crederem me uicturum . Cumque in dolore illo totam noctem duxissem : Summo mane accersitus aduenit : non tamen afferens mihi quem solebat uultum compatientis sed quasi arguentis : Subridens tamen quid inquit hodie comedetis? Ego uero qui iam ipso tacente hesternam inobedientiam certissime interpretabar causam esse illius afflictionis meæ : quicquid inquam præcipietis . Quiescite ergo ait . non moriemini modo . Et abiit . et quid | dicam? Confestim et omnis dolor abiit . nisi quod fatigatus nocturno illo dolore meo : tota ipsa die uix de lecto surgere præualui . Quis enim aut qualis fuit ille dolor? Non recolo similem me aliquando fuisse perpessum . In crastino autem sanus factus sum : et uires recepi . Et paucis interpositis diebus cum benedictione et gratia bona boni hospitis mei ad propria reuersus sum .

Cumque dilectus deo et hominibus Bernardus in illa ualle sua et uicinis ciuitatibus et regionibus : quas aliquotiens eum inuisere domesticæ curæ ratio cogebat : tantis floreret uirtutibus et miraculis : cœpit etiam seu communibus ecclesiæ necessitatibus seu caritate fratrum seu obedientia maiorum : ad remotas pertrahi regiones : paces desperatas inter dissidentes ecclesias et principes sæculi reformare : causas humano sensui et consilio interminabiles auxilio dei pacifice terminare : et uirtute potius fidei quam spiritu huius mundi de multis huiusmodi impossibilibus possibilia faciendo . quasi montes transferendo magis ac magis in oculis omnium mirabilis et uenerabilis apparere . Maxime uero in tantum in eo enitescere cœpit uirtus prædicationis : ut dura etiam corda auditorum emolliret : uix aliquando uacuus domum rediret . Postmodum uero feliciter proficiente et usu sermonis et exemplo conuersationis ræte uerbi dei in manu piscatoris dei tam copiosas piscium rationalium multitudines cœpit concludere : ut de singulis eius capturis nauicula domus illius impleri posse uideretur : Vnde factum est : ut in breui maiori miraculo præ omnibus quæ in hac uita gessit miraculis per unum hominem languidum et seminecem et tantummodo loqui ualentem obscura usque ad illud tempus illa uallis et re et nomine Clarauallis efficeretur diuinæ cuiusdam claritatis lumen quasi de summo quodam apice uirtutum diffundens in deuexa terrarum . Et ex tunc apud uallem illam quæ prius dicebatur uallis absintialis et amara : cœperunt montes stillare dulcedi || nem . Quæ uacua fuerat et sterilis ab omni bono : cœpit abundare spirituali frumento : et de rore cæli et benedictione dei intantum pinguescere omnia deserta eius et multiplicata gente magnificare læticiam : ut impletum in ea uideatur quod olim per prophetam dictum est ad ciuitatem Hierusalem : Adhuc inquit dicent in auribus tuis filii sterilitatis tuæ . Angustus est locus : fac locum : ut habitemus . Et dices in corde tuo : Quis genuit mihi istos? Ego sterillis et non parturiens : et istos quis enutriuit? Iam enim de locis angustioribus uallis illius domus claustralis habitationis non sine diuinis quibusdam reuelationibus translatæ in locum planiorem et spatiosum magnificatæ ibi et amplificatæ sunt : et adhuc multitudini inhabitantium ipse locus angustus . et Iam domus ordinis illius filiæ domus ipsius citra et ultra alpes et maria deserta plurima impleuerunt : et adhuc sunt : et quottidie confluunt : quibus locus quærendus est : Et petuntur undique fratres : et mittuntur : cum beatos se estiment reges gentium et præsules ecclesiarum : ciuitates et regiones quæcunque de domo illa et disciplina uiri dei meruerint contubernium aliquod adipisci . Quid dico? Vltra homines usque ab barbaras nationes in quibus naturalis feritas : naturam quodammodo exuit humanam : religio hæc profecta est : ubi per eam bestiæ syluæ homines fiunt : et cum homnibus† assuetæ conuersari : discunt cantare domino canticum nouum . Quapropter piscator dei præcipiente domino non

cessat laxare rætia in capturam : et aliis abeuntibus alliis succedentibus in locum eorum : nunquam sanctæ illius congregationis minuitur plenitudo . Hoc usque nunc egerunt et quottidie agunt mirificæ eius capturæ : cathalaunensis . parisiensis . Moguntina . Leodinensis . et aliarum nonnullarum ciuitatum . Flandiræ† quoque . germaniæ . Italiæ . aquitaniæ . et aliarum regionum quascunque quacunque necessitate contigit aliquando : seu adhuc usque hodie contingit uirum dei uisitare . Cohoperante siquidem gratia piritus† sancti quocunque uadit plenus redit | et sua eum plenitudo ubique comitatur . Nec dimittit suos quos a se transmittit : sed ubicunque sunt : et ipse semper paterna sollicitudine cum eis est . Et sicut ad locum unde exeunt flumina reuertuntur : sic ad ipsum quottidie seu læta seu tristia filiorum suorum . Sæpe etiam sine omni relatione carnis ac sanguinis paternæ eius sollicitudini diuinitus innotescit : quid circa aliquos eorum longe a se distantes agatur : si quid eis prouidendum : si quid in eis emendandum sit . temptationes et excessus eorum . infirmitates et obitus . et quarumlibet secularium tribulationum incursus . Nam et pro absentium fratrum certis necessitatibus præsentibus circa se fratribus sæpe orationem indicit : nonnunquam etiam morientes in locis aliis ad ipsum per uisionem accessisse noscuntur benedictionem eius et ueniam postulantes . nimirum agente hoc et obedientia missorum et caritate mittentis .

Veneram aliquando ad eum : et dum loquerer ei : uidi et audiui : quod silere non debeo . Aderat monachus quidam fusinacensis : continuo ad suos rediturus : Cumque accepto responso super his : pro quibus uenerat iam ab eo egrederetur : in spiritu et uirtute heliæ reuocans eum propheta dei . et nomine fratris cuiusdam de domo illa præmisso de ocultis quibusdam me audiente mandauit illi : ut ea corrigeret : sin autem : iudicium super se dei in proximo expectaret . Stupefactus ille : quis hoc ei dixerit requisiuit . Quisquis inquit dixerit mihi . tu uade . et dic quæ ego dico tibi : ne si dissimulaueris : te quoque inuoluat par pœna peccati . Mirabar super hoc : sed miranti mihi in simili causa multo mirabiliora de eo narrata sunt . Guido namque frater eius maior natu inter fratres suos cuius grauitatis et ueritatis fuerit uir : omnes sciunt : qui eum sciunt . Hic cum simul alicubi essemus : et de huiusmodi loqueremur : et quærerem ego ab eo sicut iucundæ ad amicos collocutionis esse sollebat : fabulæ inquit sunt quas auditis . Cumque suo more et solito studio fraternas uirtutes deprimeret : mihi ta || men nollet esse molestus : quæ inquit nescio : non dico uobis . sed unum scio : et expertus sum . multa ei in oratione reuelari . Deinde narrauit mihi quomodo cum primo melliflua illa spiritualium apum aluearia noua de se examina circumquaque proferre : nouasque ex eis domos ordinis sui ædificare cœpissent : petente et agente domino Guillielmo episcopo in episcopatu cathalaunensi eam quæ Triumfontium dicitur construxerunt : Ad quam cum abbatem cum monachis emisissent dominum Rogerium uirum nobilem secundum sæculum . sed nobiliorem sanctitate : et uiros quosdam similis formæ cum eo : spiritualis pater filios quos emisit non dimisit : sed paterna sollicitudine et pia affectione cum eis erat . Vnde cum die quadam soli simul essent : abbas et ipse cuius hoc relatione didici : et de fratribus ipsis ad alterutrum loquerentur : subito altius suspirans durius aliquid solito de eis corde suo sibi respondente : uade ait fratri suo ora pro eis : et quidquid de eis ostenderit tibi deus refer ad me . ipse enim grauissima ualitudine ea hora laborans in lectulo tenebatur . At ille uæhementer expauescens absit inquit . non sum qui hoc modo nouerim orare : qui hoc merear impetrare . Perseuerante tamen eo in sententia : itum est . et oratum . Orans ergo quantum præualuit : pro singulis effudit ad deum animam suam : Tantaque per singulos in orando perfusus est suauitate conscientiæ cum impetrandi fiducia et omni gratia spiritualis consolationis : ut in omnibus certa fide exauditum se exultaret spiritus eius : exceptis duobus in quibus oratio titubauit : hæsitauit deuotio . fiducia defecit . Quod cum retulisset ad eum : a quo missus erat : ille statim pronunciauit de illis duobus : quod postea probauit euentus .

Abbas autem Rogerius et aliqui qui cum eo erant : ipsi fuerunt quos uir dei aliquando de cathalaunensi traxerat ciuitate : de quibus uel in quibus etiam tunc simile quid fuerat factum : cum enim episcopi gratia Cathalaunum frequentaret : rediens aliquando traxit secum multitudinem nobili | um et litteratorum clericorum et laicorum : Quibus adhuc in domo hospitum demorantibus : dum nouellas plantationes cælestibus rigaret eloquiis : superuenit Portarius monachus nuntians stephanum

de Vitreio magistrum eorum adesse ad renuntiandum sæculo : et cum eis commorandum . Quis alius de talis uiri aduentu non exultasset : præsertim cum uallis illa huiusmodi frumento non multum adhuc abundaret? Ipse uero reuelante spiritu sancto sibi insidias spiritualis nequitiæ tacitus aliquantulum ingemiscens : erupit in uocem audientibus uniuersis . Malignus ait spiritus huc eum adduxit . Solus uenit . solus reuertetur . obstupuere omnes : qui prius audito eius aduentu non se poterant capere præ læticia . Verumtamen ne pusillos adhuc scandalizaret filios : suscepit hominem . de perseuerantia aliis que† uirtutum studiis studiose commonuit : et sciens et prudens omnia promittentem nihil acturum . cum uere deum quærentibus et perseueraturis in cellam nouitiorum probandum intromisit . Sed de omnibus quæ prædixerat . nihil cecidit in terram . Vidit idem Stephanus sicut confessus est : cum in cella nouitiorum adhuc demoraretur : maurulum quendam puerum ab oratorio se extrahentem : Vbi nouem ferme mensibus degens : nouissime tamen defecit : et ut de eo prædictum fuerat : sicut solus uenerat : sic solus recessit . Frustrata autem est et uersutia inimici : et quem nouitiorum parauerat in ruinam : de ipsius potius ruina illi confirmati sunt .

Prius quam a Cathalauno recedamus cum aliquando pater sanctus inde rediret : frigore et uento tam ipse quam qui cum eo erant grauiter laborabant . Cumque precedentibus multis qui tunc forte in comitatu eius erant : nec pre angustia frigoris ad eum attendentibus : pene solus ipse sequeretur : contigit equum unius de duobus qui cum eo erant incaute dimissum euadere : et excurrere per planiciem late patentem . Quem cum appræhendere non possent : et intemperies aeris ad hoc non permitteret uacare diutius : oremus inquit : Flexisque geni || bus in oratione cum fratre qui cum eo erat uix adhuc dominicam poterant orationem expleuisse : cum ecce equus ille cum omni mansuetudine rediens substitit ante pedes ipsius : et redditus est sessori suo .

Et ut a Cathalauno ad remensem ciuitatem pertranseamus : contigit aliquando dissentientibus archiepiscopo et populo remensi . ad conciliandos eos adesse uirum dei : Cumque in palatio eiusdem ciuitatis cum Iosleno suesionensi episcopo consedisset : et magna cleri plebisque frequentia repleta domo de pace retractaretur ecce coram omnibus misera mulier filium suum plenum ut putabatur dæmone ei offerens misericordiam præcabatur . Siquidem iam ea ipsa die insurgens in ipsam matrem suam pene eam occiderat : et mutus effectus et cæcus et surdus . apertis oculis non uidebat : et stupentibus in eo sensibus omnibus etiam sine intellectu permanebat . Compassus uero miseræ matri . quam maxime sensus doloris illius excruciabat : misero adolescenti blandiens : et piis manibus caput eius et faciem demulcens : alloqui eum cœpit : et quomodo in matrem suam manus mittere præsumpserit sciscitari . Ille uero ad se reuersus continuo peccatum suum recognouit : et deinceps emendationem promittens incolumis restitutus est matri suæ .

In monasterio quoque quod Alpense dicitur inter cæteros qui curam requirebant infirmos : uenit ad eum mulier : quæ caduco morbo laborabat . Hæc in ipsa hora cum staret coram eo : a repentino impetu mali illius corruit . Sed apprehensa uir domini manu eius continuo erexit eam : nec tantum in illa hora . sed perfecte omnino curata est ab infirmitate sua .

Ducissa Lotharingiæ fœmina nobilis sed non tam nobiliter uictitans cum uidisset aliquando in somnis hominem illum dei serpentes septem horribiles . de utero suo manibus propriis extrahentem : postmodum ad religiose uiuendum eius admonitione conuersa : usque hodie se esse de qua septem demonia eiecerit gloriatur . |

Noui ego clericum quendam Nicolaum nomine sæculo pene desperabiliter deditum : sed per eum de sæculo liberatum : Qui cum in Claraualle monasticæ conuersationis habitum et ordinem suscepisset : uidens eos qui de sæculi illuc naufragio confugerant : naufragii sui damna continuis redimere lachrimis : idemque ipse facere uolens : nec ualens præ duritia cordis sui : rogabat eum cum magno cordis dolore : ut impetraret sibi a deo gratiam lachrimarum . Orauit : tantamque ei et tam continuam impetrauit conpunctionem cordis cum gratia lachrimarum : ut uix aliquando ultra inuenirentur uultus eius in diuersa commutati : uel oculi sine lachrimis . etiam cum comederet . cum iret per uiam : uel cum quolibet loqueretur .

Tot sunt et tantæ quas in hunc modum de eo audiuimus et uidimus uirtutes . et circa diuersas hominum necessitates diuersæ opitulationes : ut si quis omnia uelit uel

uerbo pronuntiare uel scripto : fastidiosis incredulitatem . uel incredulis possit generare fastidium . In omnibus autem operibus suis quam purus ei sit oculus intentionis : manifeste denunciat corpus lucidæ eius operationis . Summos quippe honores ecclesiasticos quasi dignum eum iugiter persequentes : non iactanter respuendo : sed religiose et rationabiliter declinando : quid in omni operatione sua semper quæsierit : quo ambierit : manifeste declarat : Cumque dignus esset : ut cogeretur . nescio quo iudicio dei et singularis reuerentia sanctitatis : iam olim apud omnes obtinuit : ne aliquando ad aliquid contra uoluntatem suam cogatur . Sed cum hoc modo mundi huius fugit honorem : omnium honorum non effugit auctoritatem : dignus in conscientiis omnium qui in timore et amore dei timeatur et ametur : quo præsente ubicunque fuerit nil contra iusticiam audæatur . cui ubicunque aliquid loquitur uel agit pro iusticia : obediatur . Eiusmodi fultus auctoritate : in ecclesia dei cum obedientiæ uel caritatis urget necessitas : nullam refugit incommoditatem laboris sui . Cuius enim uoluntati sic detulit . cuius consilio || sic se humiliauit potestas omnis tam sæcularis quam æcclesiasticæ dignitatis ? Reges superbi . principes . et tyranni . milites et raptores sic eum timent : et reuerentur : ut uideatur in eis impletum : quod in euangelio legitur dominus dixisse discipulis suis : Ecce inquit dedi uobis potestatem calcandi super serpentes et scorpiones : et super omnem uirtutem inimici : et nihil uobis nocebit . Porro inter spirituales et ubi spiritualia spiritualiter examinantur : longe ei alia auctoritas est . Sicut enim dicitur per prophetam de sanctis animalibus . quia cum fieret uox supra firmamentum quod imminebat capiti eorum : stabant et submittebant alas suas : sic hodie ubique terrarum spirituales quique : loquente eo seu tractante stant cedendo præcedenti : et sensibus eius uel intelligentiis submittunt sensus et intelligentias suas . Tanta ergo uirum illum sanctum usque hodie et apud deum et apud homines commendant sacrarum insignia uirtutum : testimonia circumuallant sanctitatis : charismata sancti spiritus illustrant : quodque maius his omnibus et difficillimum est in rebus humanis : hoc ei omnia sine inuidia adesse uidentur . Compescit autem ab eo inuidiam : quod omni inuidia maior est : in quantum nequitia cordis humani hoc sæpe cessat homini inuidere : quo non potest aspirare. Sed et omnem inuidiam aut mortificat exemplo ipse humilitatis : aut mutat in melius prouocatione caritatis : aut si nequior uel durior est : obruit pondere auctoritatis. Quis enim tam efficacis et affectuosæ prudentiæ hodie inuenitur ad fouendam caritatem ubi est : ad prouocandam ubi non est? tam ad quoscumque potest beneficus . ad omnes beniuolus : tantam habens gratiam ad amicos . patientiam ad inimicos? si tamen ullum aliquando habere potuit inimicum : qui nulli aliquando uoluit inimicari . Sicut enim amicitia non nisi duorum est : nec nisi inter duos amicos haberi potest : sic nec inimicitia nisi duorum forsitan inimicorum . Qui enim odit uel non diligit diligentem se : non tam inimicus quam iniquus est. Sed qui omnem homi | nem diligens nullum aliquando inimicum habet uirtute sua : nonnunquam tamen est : quod patiatur . inimicante sibi gratis iniquitate aliena . Caritas autem quæ totum eum possidet patiens est . benigna est : sapientia uincens malitiam : patientia impatientiam : superbiam homilitate† .

SVBSCRIPTIO OPERIS PRAECEDENTIS QVAM AVCTORE DEFVNCTO BVRGARDVS ABBAS BALERNENSIS APPOSVIT .

Prescriptum opus quod de uita sanctissimi uiri Bernardi Clareuallis abbatis conscriptum est a uenerabili Guilielmo pridem Sancti theoderici abbate : sed tunc iam monacho signiacensis cœnobii : ad quod desyderio solitudinis et quietis sese contulerat . usque ad tempus scismatis aduersus Innocentium papam a Petro leonis conflati digestum esse cognoscitur . Fuit autem præfato fideli uiro spetialis causa scribendi amicitia et familiaritas : quibus uiro dei multo tempore coniunctus erat . Vnde et tantam apud illum inuenerat gratiam : ut uix alter magis intimus inueniretur ad secreta mutuæ dilectionis communicanda : ad spiritalium mysteriorum conferenda colloquia : Cuius familiaritatis gratia ex eo præcipue usque modo prodit ad manifestationem : quia plures epistolas idem sanctus scripsit ad illum : in quibus quid de eo sentiat manifeste liquet legentibus illas . Scripsit etiam ad ipsum librum opologeticum† : et alterum de gratia et libero arbitrio . Fuit tamen eidem Guilielmo spetiali ualentior generalis causa scribendi . uidelicet utilitas totius ecclesiæ dei : ne cum

absconditur uas plenum thesauro uenerabili : ipse quoque thesaurus pariter abscondatur . Vnde non immerito conqueratur qui exponi desyderat dicens : Thesaurus inuisus et sapientia abscondita : quæ utilitas in utrisque ? Exponit iste diuitias salutis . Thesaurum desyderabilem : ne lateat cum gleba : quod gleba non est sed pretiosissima || Margarita . Accidit tamen ei contra desyderium suum : quia sicut ipse in præfatione sua ueri† se denunciarat : præocupatus morte non expleuit : quantum animo conceperat stilo mandandum . Itaque qui accedit ad lectionem operis huius : facile satis intelliget a quanta perfectione pius puer et religiosus Bernardus uelut alter Benedictus primordia conuersionis fuerit aggressus : qui et in utero matris sanctificationem uisus est accepisse : de qua concepta sunt præsagia futuræ sanctitatis illius uitæ pariter et doctrinæ . Quid etiam adolescens factus agere cœperit in præscripto narratur opere : ac deinceps usque ad uirum perfectionis depingit diligenter : quantum : sicut iam dictum est : licuit optimo pictori sed præoccupato .

EXPLICIT LIBER PRIMVS DE VITA SANCTI BERNARDI CLAREVALLIS ABBATIS .

INCIPIT PRAEFATIO DOMINI HERNALDI BONEVALLIS ABBATIS IN SECVNDO LIBRO VITAE EIVSDEM .

Virorum illustrium gesta nonnulli scriptorum laudidus attolentes uerbis ea sollemnibus celebrarunt : quantum excellentis ingenii et diserte linguæ potuere conamina : Cumque tractator et opus iunctis complexibus pari sunt fœdere coniugati : et ad propositum tema ordinandum ingenium et eloquentia conuenerunt : prospere actum est : et ad quietum tranquillumque portum directo cursu : materia digne ordinateque disposita appulit . Vbi uero sublimitas negotii sub imperito artifice naufraga eliditur scopulis : et succumbente sensus hebetudine tractatoris lassatur præsumptio : sero de correctione initur consilium : quia quæ in multos effusa sunt : nec reuocari possunt nec corrigi : et dissonantiam scripti et operum uenustius esset abradi quam emendari . Hæc ego mecum reputans et reuoluens : omnino timeo : ne sicnt† ipse multorum imprudentiæ soleo indignari : qui cum scientia et fa | cundia careant : ad scribendum præcipites cum se uæhementer emunxerint eliciunt sanguinem : ita et ego : si quod supra me est aggrediar : me ipsum derisioni exponam . Quis enim ego sum : qui ad scribenda gesta sanctissimi uiri Bernardi Clareuallis aspirem abbatis : qui nostris temporibus singulari religione floruit et doctrina : cuius odor exinanitus uniuersam repleuit ecclesiam : cuius gratia cooperante domino signis et miraculis declaratur ? Quot in monasterium eius litteratos uiros . quot rethores . quot philosophos . sæculi huius scholæ miserunt ad conuersationem theoricam et mores diuinos ? Quæ non ibi floruit disciplina : ubi erant examina magistrorum et egregii uiri exercitato intellectu insignes : qui diuinis studiis inhærentes multis gratiarum auctoramentis inuicem se ipsos edocent et accendunt ? Debucrant† utique uiri illi quibus nihil in aliqua gratia deest hunc laborem assumere : et uenerabili patri insculpere monimenta : ut esset eorum studio delectabilis pagina . quam quasi uiuentem traderent legendam discipulis : et præpes fieret consolatio secus positis reliquiis sacri corporis et sermouis†. Sed extrema æmulari et quæ homines lateant Clareuallis consueuit humilitas : et proferre in publicum aliqua sui indicia uiri illi nobiles erubescunt : et quietiores facit eos contemptus et abiectio : quam quælibet oblatio dignitatis : in qua sibi professio humilitatis periclitari uideretur . Ob huiusmodi causas sese inter silentii cardines retinentes magis in sacco heremi quam in soco palatii delectantur : nec iam in stilo sed in cruce gloriam querunt : In hoc ergo sicut et in cæteris : eiusmodi negotiorum suorum sarcinas aliis libenter imponunt . Et nunc sublato uenerabilis memoriæ domino Guillielmo qui eiusdem uiri sancti gloriosa primordia fideliter et deuote conscripsit : ad meam exiguitatem huius operis deuenit petitio : et imposuit mihi dilectæ ecclesiæ caritas : ut coquam pulmentum filiis prophetarum : In quo si colochintidas miscuero negligens : superiecta ut confido fa || rinula amaritudinem condiet heliseus : et excessus insipientiæ obedientiæ excusabit affectus .

EXPLICIT PRAEFATIO . INCIPIT LIBER SECVNDVS VITE SANCTI BERNARDI CLAREVALLIS ABBATIS .

Ea tempestate Honorius papa uiam uniuersæ carnis ingressus est . Nec mora in electione dissidentibus cardinalibus et diuisa ecclesia . plures numero et saniores consilio . uita probabiles . uiri uirtutum . presbiteri . diacones episcopi . Innocentium elegerunt : cuius uita et fama et ætas et scientia digna summo sacerdotio habebatur . At uero pars altera infames ausus uiolentia non ratione corroborans : Petrum leonis ad hunc apicem aspirantem fraudulentis machinationibus seorsum et precipitanter nominauit Anacletum : et cæteris renitentibus ordinauit . Qui uero in parte catholica erant : ellectum suum sollemniter ordinatum collocarunt in cathedra : et per loca illa in quibus sessiones habent ex antiqua consuetudine romani pontifices circumduxere . et pro tempore honor debitus apostolicæ affuit dignitati . Ex tunc sane circa lateranense palatium morabantur : nec erat iam eis tuta in domibus propriis mansio : cum eos acerrime petri satellites infestarent . Ibi etiam diu resistere non ualentes : per confœderatos sibi quosdam ex nobilibus romanis ad tempus in turribus eorum receptacula habuerunt . Sed nec in eis perseuerauit fidelitas . Nam in breui aut ui aut formidine temerariæ multitudinis aut præcio corrupti sunt . Nam petro tam propria generis uirtute . quam adhærentium sibi affinitate multitudo tanta erat : ut fere tota eum ciuitas sequeretur uel pecunia uel commodis obligata . Congregauerat sane opes innumeras . tam in exactionibus curiæ quam in legationum negotiationibus : quas ad expectatas nundinas reseruarat . Insuper et paterni census ampla congeries ea | tenus sigillata . modo distributa in populum : ad fas et nefas uænalem plebem armauerat . Quibus erogatis donaria regum in ornamentis ecclesiæ ab ipsis euulsit altaribus . Et cum calices frangere et crucifixos aureos membratim diuidere ipsi prophani christiani uel timerent uel erubescerent : iudæos aiunt esse quæsitos : qui sacra uasa et imagines deo dicatas audacter comminuerent . Igitur quisque pro modo suo secundum maius et minus conducti ad scelus : sacramentis generalibus publice Petro uendiderunt assensum : et in omnem sanguinem manus exposuerunt et arma : et quottidianis congressibus partem quæ cum innocentio erat maledictis insectabantur et gladiis . Habuere igitur serui dei consilium : et quia ui humana se tueri non poterant : cedere elegerunt . Et procuratis clam nauigiis de ore leonis et de manu bestiæ per thiberim in tirrhenum mare elapsi : prosperis uentis carbasa impellentibus portui pisano feliciter appulerunt .

Præmissi in gallias fuerant nuntii qui gallicanæ ecclesiæ intimarent negotii ueritatem : et hortarentur episcopos : ut in ultionem præsumptionis accingerentur : et damnata parte scismatica subscriberent unitati . Necdum uero ad plenum tenor operis innotuerat episcopis . nec priuatum quisquam commodare præsumpsit assensum : donec collecto Stampis generali conuentu . in commune decernerent : quid reciperent : quid damnarent . Neque enim Francia cæteris regionibus procliuibus ad scismata aliquando tali factione fœdata est : nec malignorum acquieuit erroribus : nec fabricata est in ecclesia idolum : nec uenerata est in petri cathedra monstrum . Nec enim talibus in causis principialia aliquando eos terruerunt edicta : aut generalibus utilitatibus priuata commoda prætulerunt : nec declinantes in partem personis detulere sed causis . Conuocato igitur apud Stampas concilio : abbas sanctus clareuallensis Bernardus spetialiter ab ipso francorum rege et præcipuis quibusque pontificibus accersitus : sicut postea fatebatur : || non mediocriter pauidus et tremebundus aduenit . periculum quippe et pondus negotii non ignorans . In itinere tamen consolatus est eum deus : ostendens ei in uisu noctis ecclesiam magnam concorditer in dei laudibus concinentem : unde sperauit pacem sine dubio prouenturam . Vbi uero ad locum uentum est : celebrato prius ieiunio et præcibus ad deum fusis : cum de eodem uerbo tractaturi rex et episcopi cum principibus consedissent : unum omnium consilium fuit . una sententia : ut dei negotium dei famulo imponeretur : et ex ore eius causa tota penderet : Quod ille timens licet et tremens : monitis tamen uirorum fidelium acquiescens suscepit : et diligenter prosecutus electionis ordinem : electorum merita : uitam et famam prioris ellecti : aperuit os suum : et spiritus sanctus impleuit illud . Vnus ergo omnium ore locutus : suscipiendum ab omnibus summum pontifi-

cem Innocentium nominauit : et ratum esse omnes pariter acclamarunt . Et decantatis ex more laudibus deo obedientiam deinceps polliciti : electioni Innocentii omnes pariter subscripserunt . Interea dominus Papa multis in pisis et in Tuscia et in aliis prouintiis potestatiue dispositis ualefaciens pisanis et gratias agens in prouintiam nauigio delatus est : Et Burgundiam transiens : Aurelianum peruenit : Vbi occurrentibus episcopis a rege piissimo Francorum Ludouico alacriter et honorifice susceptus est . Inde a Gaufredo carnotensi episcopo magnarum uirtutum uiro Carnotum deducitur : ubi et gloriosus Anglorum rex Henricus ei cum maximo episcoporum et procerum comitatu occurrit . Hunc quoque regem uenerabilis abbas ad eum præmissus adduxit : Quem uix persuasit Innocentium recipere ab episcopis angliæ penitus dissuasum Cum enim omnimodis recalcitraret et detractaret : quid times ait : times peccatum incurrere : si obedias Innocentio ? Cogita inquit quomodo de aliis peccatis tuis respondeas deo . istud mihi relinque : in me sit hoc peccatum . Ad quod uerbum persuasus rex ille tam potens : extra terram suam domino Papæ occurrit usque Carnotum . Reuer | si interim de Germania legati domini Papæ . tam episcoporum quam regis consensum et litteras detulerunt : et deprecationem publicam ut ad eos transiens suam eis desyderatam exhiberet præsentiam . Facile enim persuasi sunt recipere eum : quem iam cæteri recepissent . Sed detinuit eum dilectio et deuotio ecclesiæ gallicanæ : et singuli et omnes uisitationem apostolicam expectabant . Perlustrata igitur Francia Remis conuocauit consilium : in quo multis ad honorem dei dispositis : regem Ludouicum iuuente† patre pro Philippo fratre coronauit in regem . In omnibus his dominus Papa abbatem a se separari non patiebatur : sed cum cardinalibus rebus publicis assidebat . Sed et priuatim quotquot habebant negotia : uirum dei secretius consulebant . Ipse uero audita referebat ad curiam : et oppressis patrocinia exhibebat . Igitur soluto concilio Leodium dominus Papa romanorum regi occurrit . Et honorifice quidem susceptus est : sed uelociter obnubilata cst† illa serenitas . Siquidem importune idem rex institit : tempus habere se reputans oportunum : episcoporum sibi restitui inuestituras : quas ab eius predecessore imperatore Henrico per maximos quidem labores et multa pericula romana ecclesia† ueudicarat† : Ad quod uerbum expauere et expaluere romani : grauius sese apud Leodium arbitrati periculum offendisse : quam declinauerint Rome . Nec consilium suppetebat : donec murum se opposuit abbas sanctus . Audacter enim resistens regi . uerbum malignum mira libertate redarguit . mira auctoritate conpescuit . Rediens autem Leodio : Claramuallem dominus Ppapa† per se ipsum uoluit uisitare : Vbi a pauperibus christi non purpura et bysso ornatis : nec cum deauratis euangeliis occurrientibus† sed pannosis agminibus scopulosam baiulantibus crucem : non tumultuantium classicorum tonitruo : non clamosa iubilatione : sed suppressa modulatione affectuosissime susceptus est . Flæbant episcopi . flæbat ipse summus pontifex . mirabantur congregationis illius grauitatem . quod in tam sollemni || gaudio oculi omnium humi defixi . nusquam uagabunda curiositate circunferrentur . sed complosis palpebris ipsi neminem uiderent : et ab omnibus uiderentur . Nihil in ecclesia illa uidit romanus quod cuperet . nulla ibi supellex eorum sollicitauit aspectum : nihil in oratorio nisi nudos uiderunt parietes . Solis moribus poterat inhiare ambitio : nec damnosa poterat esse fratribus huiusmodi præda : cum minui non posset asportata religio . Gaudebant omnes in domino : et sollemnitas non cibis sed uirtutibus agebatur . Panis ibi opirus pro simila pro caleno sapa : pro rumbis olera : pro quibuslibet deliciis legumina ponebantur . Si forte piscis inuentus est : domino Papæ appositus est : et aspectu non usu in commune profecit . Inuidit diabolus : et seruorum dei gloriam quos tanti hospitis nobilitabat præsentia ferre non ualens : dum in choro alacriter psallerent : et deuote præsentibus etiam nonnullis ex cardinalibus qui in auditu et aspectu eorum delectabantur : aliquantos fratrum horribili pauore turbauit . Nam et unus præ cæteris occupatus blasphema quædam uerba locutus est . dicite inquiens : ego sum christus : et alii plures territi et tremebundi ad beati patris uestigia confugerunt . At ille conuersus ad cæteros orate inquit : ac deinceps sub silentio eos qui turbati uidebantur eduxit : atque conpescuit : ut nequissimus ille qui conuentum pietatis transferre conabatur in theatrum . et scholam innocentiæ in derisum : non ut putabat extimationem religiosorum hominum corrumpere posset : sed se proderet : et conatus suos experiretur infirmos . Tanta siquidem cæleritate omnia sunt sedata : ut personas illas quæ propter astabant : omnino latuerit :

quod acciderat : et malignus hostis uelociter increpatus : non modo scandalum eis quod parabat inferre nequiuerit : sed nec ad illorum noticiam rem perferre . Factumque est ex eo : ut ampliori sese custodia fratres munirent et merito et numero et possessionibus deinceps cresceret Clarauallis : et multiplicatis conuentibus fere per omnem latitudinem illius loci dila | taretur religio : ipse etiam abbas sanctus ex tunc amplius solito miraculis clareret et signis .

Longas Galliis facere moras dominus Papa non potuit : sed sicut cum Lothario rege condixerat : Romam ei occurrit : et ui exercitus in lateranense palatium deductus est . Multi etiam ex nobilibus romanis fideles ecclesiæ eum honorifice susceperunt . Verum Petrus Leonis non ponens deum adiutorem suum : sed confœderatorum stipatus militia : in editioribus et tutioribus turribus manens Lotharii ludificauit uirtutem : et interdicens suis congressus publicos : nec sibi securitatis suæ fecit periculum : nec causam conflictus hostibus dedit : sed tantum liberum eorum discursum machinis superioribus et obstaculis uariis impediuit . Vitauit etiam obstinatissime imperatoris colloquium : nec minis nec blandimentis flexus est : nec de statu suo consilium cuiuslibet personæ admisit . Relicto igitur Romæ Innocentio alias imperator digreditur . Petrus uero post eius discessum crebros mouens per urbem excursus : fidelium cædibus inhiabat . Intelligens igitur Innocentius romæ sibi infructuosam eo tempore moram : ne præsentia sua illius bestiæ rabiem efferaret : rursus pisas reuertitur : ibique aggregatis totius occidentis episcopis aliisque religiosis uiris magnæ gloriæ sinodus celebratur . Affuit per omnia et consiliis et iudiciis et diffinitionibus omnibus sanctus abbas . impendebaturque ei reuerentia ab ominibus† : et excubabant ante eius limina sacerdotes . non quod fastus sed multitudo communem prohiberet accessum : et aliis egredientibus alii introibant : ita ut uideretur uir humilis et nihil sibi de his honoribus arrogans non esse in parte sollicitudinis sed in plenitudine potestatis . Actiones concilii longum est prosequi : summa tamen in excommunicatione petri et irregressibili fautorum eius deiectione constitit : et usque hodie hæc sententia perseuerat .

Soluto concilio ad reconciliandos mediolanenses dominus Papa abbatem || Clareuallis quem multis supplicationibus expetierant et Guidonem pisanum . Metatheum albanensem episcopum a latere suo direxit : qui scisma per Anselmum in eadem urbe factum abluerent : et ad unitatem ecclesiæ deuios reuocarent . Abbas igitur cum prædictis uiris quos a domino Papa collegas acceperat . addidit consortio et communi consilio uirum uenerabilem Gaufredum carnotensem episcopum : cuius innocentiam et sinceritatem in multis probauerat . Et uisum est cardinalibus bonum : ut tanto adiutoren egotium tanti ponderis fulciretur . Transcenso itaque appennino : ubi audierunt mediolanenses abbatem desyderatum suis finibus propinquare : longe a ciuitate miliaribus septem omnis ei populus obuiat : nobiles . ignobiles . equites . pedites . mediocres . pauperes . quasi de ciuitate migrarent . proprios lares deserunt : et distinctis agminibus incredibili reuerentia uirum dei suscipiunt . Omnes pariter delectantur aspectu : felices se iudicant : qui possunt frui auditu . Deosculantur pedes eius uniuersi : et licet hoc ille moleste acciperet . nulla potuit pronos et deuotos ratione compescere : nulla interdictione repellere . Vellificabant etiam pilos quos poterant de indumentis eius : et ad morborum remedia de pannorum laciniis aliquid detrahebant . omnia sancta iudicantes : quæ ille tetigisset : et se sanctificari tactu eorum uel usu . Præcedentes itaque et subsequentes lætabundis acclamationibus applaudebant abbati : et diu inter agminum spisamenta detentum : tandem sollemni reddidere hospitio . Et cum tractatum esset in publico de negotio propter quod tam uir dei quam cardinales aduenerant : oblita fortitudinis suæ ciuitas . omni ferocitate deposita se ita abbati substrauit : ut obedientiæ eorum non incongrue ille posset aptari poetæ uersiculus : Iussa sequi tam uelle mihi quam posse necesse est . Pacatis omnibus reconciliata ecclesia firmatis inter plebes concordiæ pactionibus : alia cœperunt nasci negocia : et insanienti diabolo et in quibusdam obsessiis† corporibus debachanti oppositum est christi uexil | lum . et increpante uiro dei de possessis atriis : superueniente eminentiori uirtute territa et tremebunda diffugere dæmonia . Ecce noua legatio . non romanum pagina circumferens : sed diuinis legibus fidei paginam allegans . prolatis in medium litteris sanguine christi conscriptis : et bulla crucis impressis : quæ figura auctoritate sua terrestria et inferna sibi subdit et curuat . In audita est nostris temporibus tanta populi fides . tanta in homine uirtus : inter quos religiosa

erat contentio . cum signorum gloriam abbas credulitati eorum : illi uero sanctitati abbatis ascriberent : et hoc de eo indubitanter sentirent : ut quidquid a domino peteret impetraret .

Adducunt igitur ad eum nihil hæsitantes mulierem omnibus notam : quam annis septem immundus uexauerat spiritus : et postulant supplices : ut in nomine domini dæmoni imperet fugam : et mulieri restituat sospitatem . Quæ populi fides non minimam uerecondiam uiro dei ingerebat . et humilitate magistra inconsueta experiri non præsumebat : et instante peticione populi erubescat† : si caritati postulantium obstinatius resisteret : et uidebatur ei : quod offendeeet† deum : et omnipotentiam eius diffidentia obnubilare uideretur : si a fide populi fides propria dissentiret . AEstuabat igitur secum : et licet signa non fidelibus . sed infidelibus fieri oportere assereret : ausus suos spiritui sancto committit : et orationi incumbens cælitus elapsa uirtute satanam in spiritu fortitudinis increpat : et fugat . mulierem reddit incolumem et quietam Lætantur qui aderant . et leuantes manus ad sydera : deo qui de excelso eos uisitauit gratias agunt . Auditum est hoc uerbum : et percrebuit fama : et repente totam perculit urbem . per æcclesias . per pretoria . per compita omnia . conueniunt undique de uiro dei sermo ubique habetur . dicunt publice nichil ei impossibile esse : quod a domino postulet : et ad preces eius apertas dei aures dicunt : et credunt : et prædicant : et affirmant : Nec possunt aspectu eius uel auditu ullo modo satiari : irruunt alii in præsentiam eius : alii || donec exeat pro foribus præstolantur . Cessatum est ab officiis et artibus . tota ciuitas in hoc spectaculum suspensa manet . concurrunt . postulant benedici : et tetigisse eum singulis salutare uidetur .

Tercia die in ecclesia sancti Ambrosii diuina cælebraturus mysteria seruus dei procedit : Vbi expectante innumera populi multitudine inter ipsa missarum sollemnia dum clericis canentibus ipse secus altare sederet : puellam ei paruulam offerentes quam uæhementi impetu uexabat diabolus : orant : ut misællæ subueniat : et diabolum in ea debachantem elidat . Audita supplicatione astantium : et intuitus personam frændentem dentibus et stridentem . ut etiam intuentibus esset horrori : compassus est ætati : et uehementiæ anxiætatis illius condoluit . patenam igitur calicis in quo diuina celebraturus erat mysteria accipit : et digitis latice superfuso orans intra se et de domini uirtute confidens : ori puellæ salubrem potum applicat : et corpori eius stillam medicinalem infundit : Nec mora . quasi ureretur sathanas : infusionis illius uirtutem ferre non potuit : sed urgente intrinsecus crucis antidoto festinanter egrediens : uomitu sordidissimo tremebundus erupit . Sic purgata persona : diabolo profugo et confuso : laudes debitas deo canit ecclesia : et post acclamationes lætabundas alacer populus ibidem donec diuina compleantur mystæria : immobilis perseuerat . Sub aspectu itaque omnium incolumis puella a suis domum reducitur : et uix tandem a populo dimissus ad hospitium uir dei reuertitur . Diuino iudicio ea tempestate in Mediolano iuxta illud Isaiæ uerbum pilosi clamabant alter ad alterum : et occurrebant onocentauris dæmonia : et effrenatis discursibus plurimos infestabant . nec erat qui insolentiæ eorum resisteret : cum diu sub Anselmi scismate qui Petri fautor mediolaneesem† occupauerat cathedram : sacerdotes gementes . uirgines squalidæ . sanctificationes maledictæ . altare pollutum . iram dei in populum prouocassent . At uerô in aduentu uiri dei abdica | tis Anselmi præstigiis et in sedis apostolicæ obedientiam sub Innocentio reuocata æcclesia : impedita est illa dæmonum licentia et quottidie dabat locum : et ad preces uiri dei diffugiebat diabolus : et si quando resistere conabatur : in ipso conflictu succumbens gloriosius uincebatur .

Inter eos igitur qui uexabantur : mulier grandeua ciuis mediolaeensis† et honorata quondam matrona : usque ad æcclesiam beati Ambrosii post beatum uirum a multis tracta est : In cuius pectore pluribus annis diabolus sederat : et iam ita suffocauerat eam : ut uisu et auditu et uerbo priuata : frendens dentibus : et linguam in modum promuscidis elefantinæ protendens : monstrum non fœmina uideretur . Sordida ei faties . uultus terribilis . flatus fætidus : inhabitatoris sathanæ colluuia testabantur . Hanc cum aspexisset uir dei . nouit inhærentem ei et inuiscatum diabolum : nec facile egressurum de domo : quam tanto possederat tempore . Conuersus igitur ad populum cuius innumera aderat multitudo orare iubet attentius : et clericis et monachis secum iuxta altare consistentibus mulierem ibidem iubet constitui : et teneri . Illa

uero reluctans et ui diabolica non naturali uirtute recalcitrans : non sine aliorum iniuria ipsum abbatem pede percussit : Quem diaboli ausum mansuete ille contempsit . ad expulsionem non indignatione iræ . sed pacifica et humili supplicatione deum inuocat adiutrem† : et ad immolationem hostiæ salutaris accedit . Quotiens tamen eandem sacram hostiam signat : totiens ad mulierem quoque conuersus : eodem signo crucis edito spiritum nequam athleta fortis impugnat . Nam et ille malignus quotiens aduersus eum signum crucis intenditur : percussum se indicans acrius sæuit : et recalcitrans contra stimulum : quidnam tolleret : prodit inuitus . Expleta autem oratione dominica : efficacius hostem aggreditur uir beatus . Patene siquidem calicis sacrum domini corpus imponens : et mulieris capiti superponens : talia loquebatur . Adest inique spiritus iudex tuus . adest summa potestas . iam resiste : si potes . Adest ille || qui pro nostra salute passurus : nunc inquit princeps mundi eicietur foras . Hoc illud corpus : quod de corpore uirginis sumptum est : quod in stipite crucis extensum est : quod in tumulo iacuit : quod de morte surrexit : quod uidentibus discipulis ascendit in cælum . In huius ergo maiestatis terribili potestate tibi spiritus malignæ præcipio : ut ab hac ancilla eius egrediens : contingere eam deinceps non præsumas . Cumque eam inuitus deserens : et manere ultra non ualens atrocius afflictaret : tam magnam iram quam modicum tempus habens : rediens pater sanctus ad altare fractionem hostiæ salutaris rite compleuit : diffundendamque in populum pacem ministro dedit : et confestim pax et salus integra reddita est mulieri . Sic ille nequam diuina mysteria quante sint efficientiæ et uirtutis : non confessione sed fuga coactus ostendit . fugato diabolo mulier quam in tantorum sartagine tormentorum carnifex pestilens tanto tempore frixerat : mentis suæ compos effecta redditis cum ratione sensibus : reuoluta intra fauces lingua : deum confessa gratias egit : et intuita curatorem suum pedibus eius aduoluta est . Ingens per æcclesiam attollitur clamor . omnis ætas iubilat deo . personant æramenta . benedicitur ab omnibus deus . excedit ueneratio modum : et seruum supra hominem : si dici fas est : liquefacta caritate ciuitas ueneratur .

Audiebantur hæc quæ Mediolani fiebant : et per totam Italiam uiri dei discurrebat opinio : et diuulgabatur ubique quod surrexisset propheta magnus . potens in opere et sermore† : qui inuocato nomine christi et infiimos† curaret : et obsessos a dæmonibus liberaret . Maxima quidem ei in curationibus egritudinum gratia . sed in dæmonibus eliminandis frequentior operatio erat : quia copiosior uexatorum numerus ad experta subsidia concurrebat : et maior operatio uirtutum minores obscurabat effectus . Iam uero præ frequentia populi qui a mane usque ad uesperam foribus assidebant : oppræssiones uulgi præ corporis imbecillitate non ferens : et ad fe | nestras domus procedens : se eis conspiciendum præbebat : et eleuata manu benedicebat eis . Panes quoque et aquam deuehebant secum : quibus benedictioni eius suppositis pro beneficiis ea sacramentalibus referebant . ex uicinis sane castellis et uicis et urbibus multi confluxerant : et communia tam aduenarum quam ciuium in Mediolano studia erant prosequi sanctum : expetere beneficium . audire uerbum . uidere signum : et doctrina et miraculis ultra quam credibile est delectabantur .

Aderat inter eos quidam ex suburbanis : qui puerum dæmoniacum illuc adduxerat : Qui repente coram omnibus ad signum crucis quod uir sanctus edidit : de baiuli sui brachiis ruit : et elisus humi quasi mortuus sine ullo sensu immobilis uisus est . neque uox neque alitus erat in eo . tamen circa precordia exiguus ei supererat uapor . Dant igitur cæteri locum : ut posset procedere : et admitti ad uirum dei seminecis pueri baiulus : et attonita multitudo tam miserabilis casus prestolabatur euentum . Ingressus igitur ad uirum dei homo est : et puerum stupidum nec aliquid sentientem ante pedes abbatis exposuit : et ait : Puer iste domine pater quem ante tuos posui pedes . iam per triennium a dæmonio acerrime uexatus est . Et quotiens uel æcclesiam ingreditur : uel salibus exorzizatus† aspergitur : uel signum ei crucis imponitur : uel euangelium audire compellitur : uel diuinis interest sacramentis : offenditur habitator eius diabolus : et torquetur atrocius : Dumque modo cum cæteris ego pro foribus expectarem : signum sancte crucis figurante te : et extendente in populos manum : sacramentalium signorum uirtute exacerbatus diabolus : uehementius solito totus ad pueri uexationem† se contulit : et sicut uides totum corpus eius occupans fere ei etiam uitalem spiritum intercludit . Sed et ipse puer cum audita esset apud nos gratiæ quam a deo accepisti opinio : ex

aliorum curationibus suam sperans salutem : rogauit me ut ad te eum adducerem . Obsecro† igitur per misericordiam dei : ut et laboribus meis qui || in eius custodia operam damnosam et periculosam impendo . et illius miseriæ : quæ tanta est : quantam . ipse oculis probas : pio et consueto affectu subuenias : et rabiem dæmonis non usquequaque procedere patiaris . Flebat igitur et lachrymis ora perfusus : præsentes quosque commouit : ut omnes pariter supplicarent . Tum uir dei confidere eos in dei misericordia iubens : baculo cui innitebatur collum pueri leuiter tangit . Sed et frater eius Girardus uolens experiri quæ ab homine dicta fruerant† : Latenter dorso eius signum crucis impressit : Cumque prius sine motu et sensu nec uidens nec audiens ante pedes abbatis diu extensus pauimento hæsisset : ad tactum baculi et ad signum crucis infremuit : et turbatus ingemuit . Iubet igitur abbas super proprium lectulum eum poni . At ille quasi ex iniuria offensus reiecit se in pauimentum : et stridebat dentibus : et mordebat procuratorem suum : et capillis eorum qui aderant manns† iniciens : quo poterat conatu se ab eorum manibus abstrahebat : et ab eis teneri uix poterat . Eia inquit abbas ad lectum nostrum eum reducite . Orante itaque abbate : et fratribus in oratione prostratis : quasi ardentibus paleis : quæ in lecto continebantur diabolus ureretur : tormenti æstuantis ui diuina propinquante passionem clamoribus testabatur . Iubet igitur sanctus aquam benedictam in os patientis infundi : Quam ille pressis labiis et dentibus non admittens : uix tandem cuneo infixo dissoluente pressuram : uellet nollet : intra fauces et guttur recepit : Confestimque ut penetrans sanctificatio ad interiora descendit : quasi nifuso† antidoto uis maligna crupit† : et uomitu sordidissimo quasi torrentis impulsu festina præcipitatione rotatus cum ingenti contumelia dæmon exiuit . Repente qui uidebatur mortuus uiuit : et de lecto abbatis quietus et incolumis surgens : patruumque suum amplexatus deo gratias sanus sum inquit . Gratias agunt omnes communiter deo : et qui modo flæbant lætantur . Foras clamor æffunditur . res intus gesta super tecta solemniter præ | dicatur : tota ad spectaculum conuenit ciuitas . benedicitur deus . gaudet populus . in abbate tanti operis patratore totius plebis requiescit affectus .

Febrientibus multis idem sanctus manus imponens : et aquam benedictam porrigens ad bibendum : sanitatem obtinuit . aridas manus et membra paralysi dissoluta tangens incolumitati testituit† . cæci etiam sub multorum testimonio in eadem ciuitate ut uiderent : imposito signo crucis a patre luminum potenter obtinuit . Per idem tempus hospitium albanensis episcopi : quem dominus Papa in eadem legatione sibi collegam dederat gratia tractandorum negotiorum intrauerat : et de his quæ iniuncta fuerant conferebant . cum repente irruit super eos adolescens : cuius arida manus erat et retorta ad brachium : et aduolutus pedibus eius suppliciter postulat sanitatem . Ille alias occupatus benedixit quidem : et abire præcepit : et ne amplius sibi molestiam faceret : uerbis solito seuerioribus interdixit . Recedebat ille non consecutus quod quæsierat : tum uenerabilis episcopus sub omni celeritate eum regredi iubet : et manu arreptum tradit abbati . Huic inquit qui minime beneficium consecutus : tibi ut discederet obediuit : tu ne claudas uiscera misericordiæ : quin potius tu obedi : et uirtute obedientiæ me iubente astrictus : fac : quod postulat . largire quod petit : et confidens in eius uirtute per quem expetit sanitatem : postula : et impetrabis : ut et nos de dei munere et ille de optata glorietur salute . Ad præceptum episcopi abbas apprehensa pueri manu inuocauit dominum : et exaudiuit eum : et signo crucis edito : nerui qui obriguerant extensi sunt : et caro : quam assidens congelauerat morbus : redeunte sospitate ignita mobilis facta est et flexibilis . et dicto citius languidum diu membrum conualuit . Obstupuit episcopus tam repentinæ uirtutis ammirans effectum : et ampliori etiam ex tunc ueneratione uirum dei coluit : et miraculorum illius ipse testis extitit et relator . Compulit autem eum : ut ibidem ea nocte cænaret : Cuius rei assensum || cum magna difficultate obtinuit ea duntaxat ratione suasum : quod intolerabilis undique populus expectaret : nec sine periculo posse egredi uideretur . Inter cenandum uero parapsidem† in qua Abbas comederat Episcopus ministro familiari seruandam tradidit : et præcepit ut seorsum reconditam cum omni diligentia custodiret . Elapsis exinde aliquibus diebus . Episcopus idem febrium uæhementi ardore corripitur . Et recordatus hominis dei : familiarem iubet accersiri ministrum . Discum inquit abbatis quem nuper tibi tradidi conseruandum : huc aduehere ne cuncteris : Cumque ille obtulisset allatum : infunde inquit aquam

in eo : et panis exiguas bucellas concide : Quod cum factum esset : confidens in domino : et abbatis precibus se commendans : comedit et bibit : et absque ulla dillatione conualuit .

Augebatur aduentantium numerus : et mirifica opera ad se populos inuitabant : nec usquam uiro dei dabatur requies : dum ex eius lassitudine alii sibi requiem procurarent . Abeuntibus occurrebant aduenientes : et succedebant sibi beneficia mendicantes . Inter quos miles quidam in ulnis suis puellam ad uirum dei attulit : quæ ita exosam lucem habebat : ut semper clausis plapebris† etiam brachium opponeret oculis : ne aliquo modo aliqua lucis particula se ei ingereret . Auellebantur aliquando opposita brachia uiolenter : et cum se ei lumen infunderet : clamabat et flebat : et erat ei claritas pro cruciatu : et lux uisa quasi aculeos eius cerebro infigebat . Benedicit infantulæ uir dei : et signaculum crucis faciens super eam tranquilliorem dimittit : et dum domum referretur : ultro aperit :† oculos : et pedes sine uectore ipsa reuertitur . et ipso in loco mulieri a dæmonio uexatæ multis astantibus a patre misericordiarum idem sanctus obtinuit sanitatem .

Iam Papiam aduenerat : et fama uirtutum aduentum eius præcesserat : et cum debito gaudio et apparatu tantæ gloriæ uirum ciuitas lætabunda suscepit . Et ne diu populi desyderium dillatio suspenderet qui sicut Mediolani miracula facta audi | erat : signum ab eo optabat uidere : aduenit repente post eum rusticus quidam : qui de Mediolano secutus eum fuerat . uxorem dæmoniacam secum adducens : quam ante pedes eius lachrimabili uoce intrinsecas protestans anxietates deposuit . Nec mora . in contumelias abbatis per os miseræ mulieris Diabolus locutus est : et iridens seruum dei : non inquit me de canicula mea hic porrulos edens : et brasicas deuorans pellet . Multa in hunc modum in uirum dei iaculabatur conuitia : ut blasphemiis prouocatus impatienter ferret obprobria : et confunderetur in præsentia populi : cum indignis se audiret sermonibus lacessiri . Sed uir dei astum eius intelligens : irrisorem irrisit : et ultionem non ipse expetens : sed ad deum remittens : ad ecclesiam sancti Syri dæmoniacam duci præcepit . Voluit quippe curationis illius gloriam dare sancto : et primitias operationum uirtuti eius ascribi . At uero sanctus Syrus ad hospitem suum remisit negotium : nec in æcclesia sua quippiam sibi deferens : intactum opus reduci uoluit ad abbatem . Reducitur igitur mulier ad abbatis hospitium garriente per os eius diabolo et dicente : Non me Syrulus eiiciet . non expellet Bernardinus . Ad hæc seruus dei respondit : Nec Syrus : nec te Bernardus eiiciet : sed dominus Iesus christus . et conuersus ad orationem pro salute mulieris domino supplicabat . Tum uero spiritus nequam uelut priori improbitate mutata quam libens inquit egrederer ab hac canicula grauiter molestatus in ea : quam libens egrederer : sed non possum . Interrogatus causam : quia nec dum uult magnus dominus ait : Cui sanctus . Et quis est magnus dominus ? Et ille : Iesus nazarenus : Ad quem rursum uir dei . Vnde enim Iesum nosti ? aut si unquam uidisti eum ? Vidi inquit . Vbinam eum uidisti ? In gloria . Et tu in gloria fuisti ? Fui quidem . Et quomodo inde existi ? Cum Lucifero inquit multi cecidimus . Hæc autem omnia uoce lugubri per os uetulæ audientibus omnibus loquebatur . Respondente abbate sancto nunquid non in illam redire gloriam uelles : || et restitui in gradum pristinum ? Rursum uoce mutata et miro modo cachinans hoc inquit tardatum est . Et nibil† ultra locutus : orante attentius uiro dei nequissimus ille uictus abscessit : et mulier sibi reddita quantas potuit gratias egit . Reuertitur igitur uir cum muliere : et per totam uiam incolumitati eius congaudens : expectantibus amicis domui suæ redditur . lætabantur omnes : qui ordinem rei gestæ audierant . sed repente gaudium uertitur in mærorem quia ubi domus suæ limina mulier attigit rursus intrat Diabolus : et infestior solito miseram discerpit atrocius . Quid faceret miser maritus : quo se uerteret : nesciebat . Cohabitare cum dæmoniaca molestissimum : relinquere eam : impium uidebatur . Surgit igitur : et assumpta secum muliere rursum papiam reuertitur . Vbi cum uirum dei non inuenisset : usque cremonam prosequitur abeuntem . Indicat quid factum sit : et ut gratiam inueniat lachrimabiliter precatnr† : Nec deest pie petitioni Abbatis clæmentia : sed præcipit : ut æcclesiam ciuitatis illius ingrediatur : orans expectet : donec ipse sequatur . Itaque memor promissi circa noctis crepusculum cæteris dormitum euntibus ipse uno tantum prosequente æcclesiam ingreditur . et tota nocte illa orationi uacans : obtinuit a domino : quod petebat : et inpetrata mulieri sanitate iubet eam securam reuerti ad propria . Sed cum illa redi-

tum ad se diaboli : sicut iam experta fuerat : formidaret : collo eius alligari carthulam hæc uerba continentem præcepit : In nomine domini nostri Iesu christi præcipio tibi dæmon : ne hanc amodo mulierem præsumas contingere : Quod mandatum sic expauit diabolus : ut mulieri regresse ad propria nunquam deinceps appropinquare præsumpserit .

Erat etiam in eadem ciuitate dæmoniacus quidam : cuius passio multos ad risum mouebat : cum alii qui seuerioris animi erant : clementissimo ei compaterentur affectu . Hic ita latrabat : ut si audires : nec uideres personam : canem crederes : Quem sibi exhibitum uir dei cum latrantem audisset : | ingemuit : qui eo modo latrabat : quo solent percussi uel obruti canes irasci : et ringere in percussores . Sed et in præsentia uiri dei anhelans et latrans acrius solito turbabatur . Increpato itaque diabolo et in uirtnte† christi expulso : homini imperat ubi loquatur : Purgatus homo intrat æcclesiam . interest sacramentis . crucis signo se munit . audit euangelia . confitetur et orat et cætera sanæ mentis officia deo reddit et consecrat .

Cum secundo per Mediolanum eodem anno pater sanctus transiret : oblata est ei demoniaca mulier . Nam eo tempore aberat : quo primum uir dei ciuitatem prædictam sua illustrauit præsentia . Hanc possidebat dæmonium : quod modo italica modo hybera lingua loquebatur : nec satis certum utrum unus esset bilinguis an duo sui quisque sermonis idiomate utens . sed tam proprie modo hæc modo illa sonabat : ut dicere : shic† qui loquitur : ligur est : hic hispanus . Hæc etiam genu passione et poplitis tremore perturbabatur : Quæ cum ad uirum dei adducta fuisset : saltu concito scamnum in quo sedebat inopinata celeritate transiliit . reducta et interrogata quid sibi uellet et saltus et fuga : et unde ægrotanti et uetulæ tanta uirtus et uelocitas aduenisset : respondit : hanc sibi agilitatem ex præsentia inesse diaboli : ut currentes compræhenderet æquos : et eorum dorso sine ullo amminiculo insiliret . Hæc sequenti die dum in ecclesia diuinis quæ ille celebrabat officiis interesset : crudelissime et diutissime coram omnibus uexata est . Compassus Abbas mulieri : iam sæpe in talibus expertus dei clæmentiam : imperat diabolo : ut recedat . Ille ad imperium serui dei tremebundus euanuit . mulier uero non solum a uexatione : sed etiam a neruorum contractione in momento conualuit .

Hæc et alia multa intra alpes constitutus operatus est uir dei : et diuersa loca perlustrans benefaciebat his : qui infirmabantur . illuminando cæcos . erigendo debiles . curando febrientes . maxime oppressos a Diabolo diligentiori studio purgans : || et quæ malignus fædauerat spiritus pectora templa deo acceptabilia consecrabat . Plurima autem in eum probabilia et laude digna concurrunt . Alii namque doctrinam : alii mores : alii mirantur miracula . Ego quidem congruum his omnibus honorem defero : sed præ omnibus : quantum in me est : hoc sublimius duco : hoc propensius prædico : quod cum esset uas electionis : et nomen christi coram gentibus et regibus ferret intrepidus : cum obedirent ei principes mundi : et ad nutum eius in omni natione starent episcopi : cum ipsa romana ecclesia singulari priuilegio eius uenerareturconsilia : et quasi generali legatione concessa subiecisset ei gentes et regna : cum etiam : quod gloriosius iudicatur : facta eius et uerba confirmarentur miraculis . nunquam excessit . nunquam supra se in mirabilibus ambulauit : sed semper de se humiliter sentiens : uenerabilium operum non se auctorem credidit sed ministrum . et cum esset omnium iudicio summus : suo sibi iudicio constitit infimus . soli deo quidquid fecit ascripsit : imo se nihil boni aut uelle aut posse nisi inspirante et operante deo et sensit et dixit . Sed aderat uis diuina in tempore accepto : et in die salutis segregans in euangelium suum seruum suum : cuius humilitatem respexerat . cuius animam spiritus sanctus ornauerat : et quia sinceritatem eius nulla maculabat duplicitas : nec interrumpebat bonum eius quælibet conspersio falsitatis : in loco suo idem spiritus manebat immobilis : Qui ut semper splendidior esset et purior : quottidie in fornace probabatur : et ne quid ei rubiginis obreperet : crebris maleorum ictibus in incude tundebatur . flagellabatur : et arguebatur non ad pœnam pro crimine : sed ad gloriam pro uirtute . Nunquam ei defuit stimulus ægritudinis . Et cum sciret uirtutem in infirmitate perfici : sufficientem sibi in hoc experibatur† gratiam : quod uideret suos omnes quantulumcumque extra ordinarios motus lima illius contidianæ† afflictionis abradi . erat quidem caro infirma : sed spiritus promptus : et quo minus in corpore poterat | delectari : amplius delectabatur in domino : nec aliqua sæculi huius ambi-

tione pulsabatur : qui solis cælestibus inhiabat . Quot ecclesiæ destitutæ pastoribus eum sibi in episcopum elegerunt . Elegit eum domestica lingonensis ecclesia : elegit cahalaunensis† . Intra italiam ciuitas genuensis : et Mediolanum lygurum metropolis hunc optauerunt pastorem et magistrum . Remis nobilissima Francie ciuitas . secundæ belgicæ prouinciæ caput : eius dominationem ambiuit . Omnibus his uocationibus postpositis non sollicitauit animam eius honor oblatus : nec motus est pes eius : ut inclinaret se ad gloriam : nec magis eum delectabat Tyara et annulus : quam rastrum et sarculus . Petentibus se nec annuens aliquando : nec insolenter aut improbe renuens : dicebat se non esse suum sed aliorum seruitio deputatum . Quæ res cum referretur ad fratres : respondebant . Nos omnibus quæ possidebamus uenditis : inuentam prætiosam margaritam comparauimus . Ad patrimonia distracta redire non possumus . Quod si et pretium et appreciatum nobis perierit : et substantiis et margarita priuati fuerimus : expectationi nostræ male prouisum est : si oleo nostro effuso clausis ianuis sicut fatui mendicemus . Prouiderant etiam sibi ex consilio sanctissimi fratres et domini Papæ auctoritate muniti erant : ne quis gaudium suum tollere posset ab eis : et aliorum consolatio ei fieret tribulatio : et eorum inopia aliorum plenitudinem cumularet . His aliisque rationibus serui dei expugnauerant petitores : et iam diuulgatum erat ubique abbatem sic strenuum a deo in ecclesia sicut in hebreorum populo moyses fuit : qui cum non esset pontifex : aaron tamen unxit et sacrauit pontificem : et dispositionibus eius tota læuitica omni tempore successio paruit .

Iam alpes transcederat† . et descendebant in occursum eius de summis rupibus pastores et armentarii et agreste hominum genus : et conclamabant a longe benedictionem petentes : et reptabant per fauces montium regredientes ad caulas suas : || colloquentes ad inuicem : et gaudentes : quod sanctum deum uidissent : et manu eius super se extensa optatæ benedictionis gratiam accepissent . Tandem chrysopolim ueniens usque lingonas solemniter deducitur : circa quos fines fratres eius clareuallenses occurrunt . Prouoluti genibus surgunt ad oscula : et uicisim ei colloquentes Claramuallem eum deducunt alacriter . Adsunt fratres congregati in unum : et mira deuotione dilectum patrem suscipiunt . Agitur sine tumultu cum omni grauitate lætitia . Facies quidem purior hilaritatem dissimulare non poterat : sed castigatus actionum et locutionum modus metas proprias non transgrediebatur : et cohibebant se affectiones ipsæ : ne quid agerent : in quo dissolutionis nota religionis maturitatem offenderet . In tanta Abbatis mora nihil in Claraualle potuit diabolus texere . nihil interim rubiginis suæ meris affricuit mentibus : nec in aliqua parte : domus dei supra petram fundata mota est . Ita opus suum seruus dei absens corpore : præsens spiritu . orationum instantia munierat et solidauerat : ut nec rima aliqua in tantis constructionibus dehiscere uideretur . Nullæ in aduentum eius lites seruatæ sunt . non odia enutrita in præsentia iudicis eruperunt . Nihil iuniores aduersus priores de austeritate uel duricia : nihil priores aduersus iuniores de dissolutione aliqua uel remissione causati sunt . Integer uniuersorum status : concors societas : mera unitas : omnes unius moris in domo dei in pace et sanctimonia inuenti sunt . ascendentes scalam Iacob et festinantes ad intuitum dei : cuius delectabilis aspectus in superioribus eminebat . Abbas itaque non immemor eius quod ait : uidebam sathanam sicut fulgur cadentem de cælo : eo humilior erat et subiectior deo : quo intelligebat desyderiis suis deum adesse propitium . Nec de hoc in se gloriabatur : quod subiiciebantur ei dæmonia : quin potius in domino gaudebat : quod nomina fratrum suorum scripta uidebat in cælo : quorum unanimitas immaculatam se ab hoc sæculo custodiret | Aderant ei in consiliis uenerabiles fratres sui . aderat Godefridus prior eiusdem loci propinquus eius et carne et spiritu : uir sapiens et constans : qui etiam religionis et prudentiæ merito postea in ecclesia lingonensi factus episcopus et sanctitatis formam retinens et dignitatis in qua est honorem non minuens : usque hodie ingrediens et egrediens laudabiliter perseuerat . Hic igitur atque alii plures uiri prouidi et de communi utilitate solliciti uirum dei cuius conuersatio in cælis erat : aliquando descendere compellebant : et indicabant ei : quæ domus necessitas exigebat . Insinuant itaque ei locum angustum et incommodum : in quo consederant nec capacem tantæ multitudinis : et cum quottidie cateruatim aduentantium numerus augeretur : non posse eos intra constructas recipi officinas : et uix oratorium solis sufficere monachis . Addunt etiam se considerasse inferius aptam planitiem et opportunitatem fluminis :

quod infra illabitur : ibique locum esse spatiosum ad omnes monasterii necessitates . ad prata . ad colonias . ad uirgulta et uineas : et si syluæ uideatur deesse clausura : facile hoc parietibus lapideis : quorum ingens ibi copia est posse suppleri . Imprimis uir dei non adquieuit consilio . uidetis iuquit† : quia multis expensis et sudoribus iam domus lapideæ consummatæ sunt : aqueductus cum maximis sumptibus per singulas officinas traducti . si hæc omnia confregerimus : poterunt homines sæculi male de nobis sentire : quod aut læues simus et mutabiles : aut nimiæ quas tamen non habemus diuitiæ nos faciunt insanire . Cumque certissimum uobis sit penes nos non esse pecunias : uerbo euangelico uobis dico : quia edificaturis turrim . futuri operis necesse est supputare expensas . Alioquin cum cœperit : et defecerit : dicetur ei : Hic homo fatuus cœpit ædificare : et non potuit consummare . Ad hoc fratres respondent : Si consummatis his quæ ad monasterium pertinent : habitatores cessasset mittere deus : stare posset sententia : et cessandum ab operibus || rationabilis esset censura . Nunc uero cum quottidie gregem suum deus multiplicet : aut repellendi sunt : quos mittit : aut prouidenda mansio : in qua suscipiantur . Nec dubium est : qui parat mansores : quin præparet mansiones . Absit autem ut pro diffidentia sumptuum confusionis huius incurramus discrimina . Audiens hæc Abbas fide et caritate eorum delectatus est : et aliquando tandem consiliis acquieuit : plurimis tamen prius super hoc ad deum precibus fusis . nonnullis quoque reuellationibus præostensis . Gauisi sunt fratres : ubi effusum est uerbum in publicum . Audiuit hoc sanctæ memoriæ nobilissimus princeps Theobaldus : et multa in sumptus dedit : et ampliora spopondit subsidia . Audierunt episcopi regionum et uiri inclyti et negotiatores terre : et hylari animo sine exactore ultro ad opus dei copiosa contulere suffragia . Abundantibus sumptibus conductis festinanter operariis : ipsi fratres per omnia incumbebant operibus . alii cædebant ligna . alii lapides conquadrabant : alii muros struebant . alii diffusis limitibus partiebantur fluuium : et extollebant saltus aquarum ad molas . sed et fullones et pistores et coriarii et fabri aliique artifices congruas aptabant suis operibus machinas : ut scaturiret et prodiret ubicumque oportunum esset in omni domo subterraneis canalibus deductus riuus ultro ebuliens . demum congruis ministeriis per omnes officinas expletis . purgata domo ad cardinalem alueum reuerterentur quæ diffusa fuerant : et flumini propriam redderent quantitatem . Inopinata celeritate consummati sunt muri : totum monasterii ambitum spatiosissime complectentes . Surrexit domus : et quasi animam uiuentem atque motabilem haberet nuper nata ecclesia in breui profecit et creuit .

Laborabat ea tempestate sub scismaticorum oppressione tota burdegalensis prouintia : et non erat in aquitania : qui posset resistere principi : cuius animum indurauerat deus : qui annuente Gerardo eugolismensi† episcopo : et instillante in cor eius dissensionis sæmina : | factus erat scismatis defensor et auctor . Quicumque susceptioni Petri leonis non subscribebant : persecutionibus expositi alii damnis . alii proscriptionibus mulctabantur . alii a sedibus propriis pulsi : exulare compellebantur . Sibilabat in auribus comitis illius crebris suggestionibus quasi serpens antiquus ueterator ille : qui diu in partibus illis sedis apostolicæ fuerat legatus : et nunc a magistratu tantc deiectus non poterat se pati suæ solius ecclesiæ episcopum : qui se uiderat totius aquitaniæ principem et magistrum . Erubescebat enim ad primam domum redire : cuius potentatui et turonica et burdegalensis et anxiensis† prouincia subditæ fuerant : et quidquid a collibus hiberorum usque ad lygeron complectitur : et claudit oceanus : paruerat eius imperio . Consuetus igitur prædari prouincias : et sub titulo iusticiæ de causis emergentibus facere quæstum : aggregarat pecunias : quæ erant sibi in idolum et in apostasiæ simulachrum . Videns itaque perisse sibi exactionum auctoritatem : et solam domum quæ nuper multis stipata clamoribus iam carebat ærariis : impatienter ferens : quod manus eius non implerentur muneribus . homo serpentinæ astutiæ festinato ad Petrum leonis misit : ut ei legationem concederet : et ipse ei fidelitate iurata obediret : insuper et principem terre : et quoscumque posset ad eius imperium inclinaret . gauisus homo perditionis quia locum in quo dilataret malitiam suam se inuenisse putauit : cito annuit et libenter : et in astipulationem erroris Gilonem tusculanum cardinalem episcopum qui solus de romanis cum Petro portuensi episcopo ei adhæserat : celeriter delegauit . Porro Gerardus qui prius se mutilitatum† dolebat resumpsit cornua : et deinceps cœpit securior et audacior appa-

rere . Nam et quod ante non fecerat : publice procedebat mitratus : ut ipsa sacri officii insignia ampliorem ei reuerentiam in populos uendicarent . Aggreditur igitur comitem multis pecuniis . inuadit animam eius persuasionibus uenenatis : et hominem leuem seducit leuiter et || corrumpit . Imprimis ab urbe pictauensi Vilielmus episcopus uir honestus homo catholicus in societate et defensione uniuersalis ecclesiæ stabilis uiolenter expellitur : et a Gerardo et cardinali adiutore suo quia Petrum abdicabat damnatur . Erant et alie familiares causæ pro quibus ei comes infensus data occasione libentissime eum persequitur et abiurat . Visum est autem tam Gerardo quam comiti : ut ad confirmationem partis suæ sine mora Pictaui crearent episcopum : Et inuenerunt hominem ambitiosum nobilem quidem genere sed degenerem fide : quem ut genus suum cum eo in causa ponerent : quibusdam ex clericis consentientibus elegerunt : et prophanas ei imponentes manus : execrabile eius caput non tam unxerunt quam contaminauerunt . Simile huic monstrum in lemouicensi ecclesia intruseruit† Rannulfum quendam doratensem abbatem : quem non multo post ultio diuina secuta est : nam cadens resupinus de equo in uia plana uno tantum lapide ultore : qui ad hoc ibi erat relictus : infixo capiti eius et quassato cerebro expirauit .

Audiens hæc et huiusmodi uir uenerabilis Gaufredus carnotensis episcopus : cui a papa Innocentio aquitaniæ legatio fuerat commendata : uæhementer indoluit : et succurendum pereclitanti† ecclesiæ postpositis aliis negotiis sine ulla dillationæ decreuit . Abbatem igitur clarauallensem petit et obsecrat : ut sibi ad tanta mala eliminanda succurrat . Assensit uir dei : et se in proximo congregationem monachorum in britanniam in locum : quem iuxta Namnetum comitissa ermengardis parauerat : ductum intimat : et promittit disposita illa domo secundum genus et speties suas . se cum eo in aquitaniam profecturum . Ibant igitur simul : et ne multis ambagibus utar : simul Namnetum uenerunt . Erat autem in regione illa misera mulier : quæ a quodam petulante diabolo uexabatur . Habebat autem uirum : huius tamen tam execrabilis commercii prorsus ignarum . Abutebatur igitur ea . etiam in eodem lecto cubante ma | rito inuisibiliter impurissimus ille adulter : et incredibili uexabat libidine . Sex annis tantum latuit malum : nec detexit mulier perdita tanti criminis probrum . Septimo uero anno confusa est in se ipsa : et expauit tum propter colluuionem tam continue turpitudinis : tum propter timorem dei : cuius iudicio singulis momentis timebat intercipi et damnari . Confugit ad sacerdotes : et piaculum confitetur . Peragrat loca sancta : et sanctorum implorat suffragia : sed nulla ei confessio : nulla oratio : nulla eleimosynarum largitio suffragatur . Quottidie ut prius et impor tunius a dæmone infestatur . denique in publicum scelus tantum effusum est . Quo audito et cognito maritus eius contubernium execratur . Interea ad locum prædictum uir dei cum comitatu suo aduenerat : cuius ut audiuit aduentum infelix mulier se ad pedes eius tremebunda proiecit . Aperit ei lachrymis perfusa passionem horribilem et ludificationem inueteratam : et quod nihil ei profecissent quæcunque fecisset sibi a præsbyteris imperata . Addit : sibi ab oppressore suo aduentum eius prædictum et minaciter interdictum : ne ante eius ueniret præsentiam : quia nihil ei prodesset : et ipse : recedente : Abbate : qui fuerat amator crudelissimus fieret persecutor . Audiens hæc uir dei blandis uerbis consolatur mulierem : et de cælo promittens auxilium : præcipit : ut die altera : iam enim nox instabat : confidens in domino reuertatur . Reuersa mane : cum uiro dei blasphemias et minas quas eadem nocte ab incubo suo audierat retulisset : ne cures inquit uir dei minas eius : sed uade . tolle baculum hunc nostrum : et pone in lectulo tuo . et si quid potest : agat . egit mulier quod iussum fuerat : et recubans in lectulo suo : signo crucis munita iuxta se baculum ponit . adest ille continuo : sed nec ad consuetum opus nec ad ipsum cubile præsumit accedere : minatur tamen acerrime : quod discendente† uiro dei ipse in eius supplicia reuerteretur . Instabat dies dominica : et uoluit uir dei per edictum Episcopi populum in ecclesiam accersiri : Cumque || ipsa die maximus populus ad ecclesiam conuenisset : inter missarum sollemnia comitantibus episcopis Gaufredo carnotensi et brictio namnetensi ipse ad umbonem conscendit : et ut omnes qui in ecclesia erant accensas candelas in manibus teneant locuturus edicit . Quod et ipse cum episcopis et clericis faciens inauditos diaboli ausus publice aperit : et fornicatorem spiritum : qui in tam horrenda inquinamenta etiam contra naturam suam exarserat : cum omnium fidelium qui aderant subscriptione anathematizat : et auctoritate christi tam

ad illam quam ad omnes mulieres deinceps interdicit accessum . Extinctis itaque sacramentalibus illis luminibus : extincta est deinceps tota uirtus diaboli : et mulieri post confessionem communicanti nunquam postea apparuit inimicus : sed irregressibiliter eliminatus aufugit .

His ita patratis simul Abbas et legatus ingrediuntur Aquitaniam . Interim Gerardus assensu comitis burdegalensem archiepiscopatum occupauerat : et simul burdegalensem detinebat et engolismensem ecclesiam : Sed effluentibus pecuniis quas in assentatorum manus iniecerat : et magis ac magis cognita ueritate iam defluebant ab eo subsidia principum : et perfidiæ eius timebant existere defensores : Morabatur itaque in locis illis : in quibus securiorem se putabat : nec iam facile publicis sese conuentibus præsentabat : Vt enim prius gesta breuiter repetamus : ubi primum cœpit audiri : quod aduersus ecclesiam dei Gerardus ille machinaretur : ab Innocentio papa adhuc in galliis demorante : missi sunt Abbas noster clareuallensis et Ioslenus uenerabilis episcopus suesionensis : et pictauimi† usque uenerunt : ut tam ipsum quam prædictum principem conuenirent . At ille iam eodem principe persuaso impudenter in ecclesiam catholicam a qua se præcidebat conuicia iaculari : et pollicitam prius Innocentio subtrahere obedientiam : Anacletum suum ellectum dignius : et quicunque ei non obedirent erroneos et accephalos prædicare . Vnde factum est | ut animati et armati in insaniam clerici publice ex ea die persecutionem catholicis intentarent . Prius tamen quam sic eorum propalata fuisset et obfirmata perfidia : obtulerat Abbas sanctus in eorum ecclesia sacrificium deo . Post cuius discessum decanus eiusdem ecclesiæ altare in quo diuina mysteria celebrarat : impie quidem sed non impune confregit . Siquidem post breue tempus percussus a deo : cum animam exhalaret : domum in qua moriebatur plenam uidit dæmonibus : et se a dæmonio iugulari clamitans : cultellum a circumstantibus postulabat : quem immergeret gutturi suo : ut extracto dæmone uiueret . Sed diabolus cui datus erat : eum inter hæc uerba extinxit : et pestilentem animam in infernum demersit . Archipresbiter quoque qui Petri inuasoris pictauensis ecclesiæ synodum denuntiabat : coram ipsis quos ad conuentum perfidiæ inuitabat : a diabolo correptus est . Sed et in alios multos qui in scismate illo feruentiores extiterant : manus diuina manifestam exercuerat ultionem . Propter hæc et alia huiusmodi ante homnes† confundi cœperat Gerardus : et timens opponi sibi : quæ negari non poterant : conuentus publicos euitabat . Significatum est interim Comiti per uiros illustres : qui ad eum securius audebant accedere : quod Abbas clareuallis et Episcopus carnotensis aliique episcopi et religiosi uiri colloquium eius expeterent : quorum erat studium ut secum de pace ecclesiæ et de malo remouendo tractarent . Persuasumque est illi : ne tantorum deuitaret colloquium : quia poterat fieri : ut communicato cum eis consilio : et facile esset quod modo putabatnr† difficile : et quod uidebatur impossibile : repentino prouentu possibile redderetur . Itaque apud Partinacum hinc inde conueniunt : et imprimis de diuisione ecclesiæ et de scisure obstinatione : quæ infra alpes in sola aquitania quasi nebulæ corruptella consederat : multis modis et rationibus a seruis dei Comiti intimatum est : quod ecclesia una est : et quidquid extra eam est : quasi extra archam iudicio dei necesse est interire et dilui . Adducta || quoque exempla dathan et abyron : quos reatu scismatis terra uiuos absorbuit : nec tanto malo uindictam dei aliquando defuisse monstratum . His auditis comes ex parte sano usus est consilio : et respondit se in obedientiam Innocentii Papæ posse dare consensum : sed in restitutionem episcoporum quos de sedibus suis expulerat nulla ratione induci : quoniam implacabiliter eum offenderant : et iurauerat se eorum pacem nullo tempore susceptum . Diu per internuntios protractus est sermo : et dum uicisim uerbis se mutuo occupant : uir dei efficaciora arma corripiens : ad altare sanctum oblaturus et supplicaturus accedit . Intrauerant ecclesiam : quibus licebat diuinis interesse mysteriis . comes sustinebat pro foribus . Peractis igitur consecrationibus et pace data et diffusa in populum : homo dei iam non se agens ut hominem : corpus domini super patenam ponit . et secum tollit : atque ignea facie et flammeis oculis non supplicans : sed minax foras egreditur : et uerbis terribilibus aggreditur ducem : Rogauimus te inquit : et spreuisti nos . Supplicauit tibi in altero quem iam tecum habuimus conuentu seruorum dei ante te adunata multitudo : et contempsisti . Ecce ad te processit filius uirginis : qui est caput et dominus ecclesiæ quam tu persequeris . Adest iudex tuus :

in cuius nomine omne genu curuatur cælestium terrestium† et infernorum . Adest iudex tuus : in cuius manus illa tua anima deueniet . Nunquid et ipsum spernes ? nunquid et ipsum sicut seruos eius contemnes ? Resiste ei . si uales . lachrimabantur uniuersi : qui aderant : et orationibus intenti præstolabantur exitum rei : et omnium suspensa expectatio nescio quid diuinum fieri cælitus expectabat . Videns comes Abbatem in spiritu uehementi procedentem : et sacratissimum domini corpus ferentem in manibus expauit : et diriguit : membrisque tremebundis metu et dissolutis : quasi amens solo prouoluitur : Eleuatus a militibus rursum in faciem ruit : nec quippiam alicui loquens : aut intendens in aliquem saliuis per bar | bam defluentibus cum profundis efflans gemitibus epilenticus† uidebatur . Tum uir dei ad eum propius accedit : et pede pulsans acclinem surgere iubet : et stare supra pedes : et dei audire sententiam . Præsens est inquit pictauensis episcopus . quem ab ecclesia sua expulisti . uade et reconciliare ei : et in osculo sancto pacis cum eo iungito fœdera . et tu ipse ad sedem suam eum reducito : et satisfaciens deo redde pro contumelia gloriam : et in uniuerso principatu tuo diuisos et discordes ad caritatis reuoca unitatem . Subdere Innocentio papæ : et sicut ei omnis obedit ecclesia : tu quoque electo a deo tanto pare pontifici : Audiens hæc comes auctoritate spiritus sancti et sanctorum sacramentorum præsentia uictus nec audebat respondere : nec poterat : sed statim occurrit : et in pacis osculo recepit episcopum : et eadem qua eum abiurauerat manu cum totius exultatione ciuitatis ad propriam sedem reduxit . Sed et deinceps Abbas cum comite iam familiarius et suauius loquens paterne eum monuit : ne ad tam impios et tam temerarios ausus ultra exurgeret : ne dei patientiam in tantis irritaret flagitiis : ne pacem factam in aliquo uiolaret . Pace itaque omni aquitanicæ ecclesiæ reddita solus Gerardus perseuerat in malis : sed non multo post aduenient e die iræ in domo sua miserabiliter extinctus est : Et cum dicat scriptura : est peccatum ad mortem : pro eo non dico ut roget quis : Impœnitens et subito mortuus sine confessione et uiatico de corpore egredientem spiritum ei reddidit : cuius minister usque in finem extiterat . Corpus eius a nepotibus suis quos in ecclesia illa honoribus sublimauerat inuentum in lectulo suo exanime et enormiter tumidum in basilica quadam humatum est : sed postea a Gaufredo carnotensi episcopo sedis apostolicæ legato inde extractum est : aliasque proiectum . Nepotes qnoque† eius ab eadem ecclesia postea eliminati sunt . et omnis progenies et plantatio a radice auulsa : per extera regna tanti iudicii circumferens querimonias exulauit . Tanto igitur malo || obruto . et scismate Gerardi redacto in cineres uir dei cum gaudio magno claramuallem reuertitur . Adsunt fratres circumfusi pedibus eius . gratias agunt deo : qui bonis initiis feliciores prouentus accumulat : et serui sui humilitatem ubique glorificat et exaltat . Nactus uero uir dei aliquod quietis tempus : aliis se negotiis occupauit : et secedens in casulam pisatiis torquibus circumtextam : solus meditationibus diuinis uacare disponit . Et repente occurrunt ei in diuersorio humili quasi ad præsepe domini consistenti amatoria cantica : et spiritualium fercula nuptiarum . Considerat et expauescit : quod ille spetiosus forma præ filiis hominum in quem etiam angeli prospicere desyderant fuscam adamauerit sponsam : et decoloratam a sole tanto extollat præconio : ut dicat eam totam formosam : nec ullam in ea maculam esse . ipsam quoque sponsam dilectione languere miratur : et inquirit diligenter : que sit illa caritas : cuius oscula dulciora sunt uino : ad qnorum† delibationem tant† affectu anima impatienter anhelat : Cumque sponsus multis laudibus sponsam attollat : non tamen in omnibus plenam ei sui copiam præbeat : nec usque ad plenitudinem satietatis se sponsæ desideranti concedat . Quæsitus aliquando non inueniatur : et post longos circuitus repertus teneatur : ne fugiat . Multo tempore in harum rerum meditatione animam suam effudit : et multipliciter hæc exponens : quantum ipse profecerit : qui quottidie in illis epulabatur deliciis : quantum nobis profuerit : quibus eiusdem benedictionis reliquias in scriptura seruauit : manifestum est legentibus eam .

Interea littere apostolicæ uirum dei uocant : ut adsit laboranti ecclesiæ . supplicant cardinales . Intermittuntur studia : et quæ modo continua erant : interpolatis discursibus resumuntur . Nulla uacatio superest . seruus dei aut orat : aut meditatur : aut legit : aut concionatur . Videns igitur excusationes frustra expendi : conuocatos a multis partibus fratres diu profundeque suspirans affatur . Videtis | fratres in quantis tribulationibus laboret ecclesia . Pars quidem petri et in italia et in Aquitania

auctore deo elisa : iam non parturit : sed obortit . Enasati† sunt in his regionibus scismatis defensores . Rome magna pars nobilium Innocentium sequitur : et fauent ei multi fidelium : qui tamen temerariæ multitudinis impetum formidantes non audent publice confiteri : quem Innocentio firmauere consensum . Coniuratos habet Petrus homines perditos : quos corrupit pecunia : et munitionibus eorum occupatis : non Symonis Petri fidem sed Symonis magi representat præstigia . Conra† unam gentem occidente edomito superest lucta . Orantibus uobis et iubilantibus hiericho ruet : et cum extenderitis ad deum cum moyse manus : Amalech uictus aufugiet . Iosue pugnat : et ut ad consummationem uictoriæ dies sufficiat protelata : soli ut stet : non tam orat quam imperat : et meretur fides tam solis obedientiam quam de hoste prostrato uictoriam . Nobis igitur pugnantibus uos ferte presidium : et auxilium de cælo supplicibus animis implorate . Agite quæ agitis : et state in gradu : quo statis : et licet nihil uobis conscii sitis : iudicio tamen uestro non estimetis uos iustos : quia solus deus quos iustificat iudicat : et perfectissimus quisque iudicii diuini districtum examen ignorat . Iudicari autem ab humano die non multum curetis : neque nostra propria : neque aliena iudicia approbantes . sub timore dei sic state : ut nec uos quempiam iudicantes aliquando extolamini : nec aliorum curantes iudicia excidatis in nugas . singula uero prosequentes uos seruos inutiles reputetis . Eundum est autem : quo nos obedientia uocat : et huius domus paternitatem et uestri custodiam deo pro quo hunc laborem assumimus confidentes de eius clæmentia tradimus et commendamus . Hec dicens et benedicens flentibus uniuersis discessit : et cum multa reuerentia ubique susceptus demum romam peruenit : In cuius aduentum tam dominus Papa quam fratres lætati sunt : et communicatis cum eo consiliis secundum rerum || prouentus et statum causarum . Abbas alia uia opus aggreditur . nec in curribus nec in equis spem ponens : sed colloquia quorundam suscipiens sciscitatur : quæ sit eorum facultas : qui fautorum animi utrum errore an malitia seducti tantum scelus protrahant : et protelent . Intelligit ex secretis clerum qui cum petro erat de statu suo sollicitum scire quidem peccatum : sed non :† audere reuerti : ne perpetua notatus infamia uilis inter cæteros haberetur : et malle sub umbra honestatis interim sic esse : quam expelli sedibus suis . et publicæ mendicitati exponi . Eorum qui de Petri prosapia erant : hæc erat responsio : quia iam credi eis a nemine posset : si dimembrarent genus suum . et eum relinquerent : qui cognationis suæ caput esset et dominus Cæteri iuramento fidelitatis excusabant . perfidiam : nec aliquis ex sana conscientia parti illi conferebat suffragia . Denuntiabat itaque Abbas eis : colligationes impietatis esse sacrilegas et prophanas conspirationes legibus et canonibus condemnatas iuramentis non posse muniri : nec posse nec debere ueritatis sacramenta mendacio suffragari : Insanire autem eos : qui rem illicitam sacramenti patrocinio constare existimant : cum oporteat extraordinarias pactiones quocumque religionis obtentu sancitas reuocari in irritum : et auctoritate diuina dissolui . Auditis his aliisque uiri dei sermonibus defluebant a Petro : et quottidie partis illius dissociatis agminibus uincula rumpebantur . ipsius quoque Petri animus tabescebat : quia se quottidie minui . Innocentium uero crescere minime dubitabat . Defecerant pecuniæ . contabuerat curie amplitudo . aruerant ministeria domus . rarus mensam eius frequentabat conuiua . deliciæ in plebeia cibaria commutate . cultus obsequentium uetustate obscurus . stipendarii ære alieno oppressi : et tota domus effigies pallida dissollutionem proximam indicabat .

Interea rex siciliæ Rogerus qui solus iam ex principibus obediræ papæ Innocentio detrectabat : ad eum mittit | petens : ut Hannericum cancellarium suum et abbatem Clareuallis ad se mitteret : nihilominus a Petro Leonis idem petens : ut Petrum sibi pisanum a suo latere delegaret . aiebat autem se dissensionis huius quæ iam diu induruerat uelle scire originem : et cognita ueritate aut corrigere errorem : aut sancire sententiam . Mittebat autem in dolo . Audierat enim Petrum pisanum eloquentissimum esse et in legum et canonum . scientia nulli secundum : putabatque si eloquentiæ eius in publico consistorio audientia præberetur : declamationibus rethoricis simplicitatem Abbatis posse obrui : et silentium ei in uerborum et pondere rationum imponi : Ne diu morer : uenit utraque pars Salernum : sed militauerat ultio : et præuenerat tanti sceleris machinamentum . Parato namque ad bellum innumerabili exercitu aduersus Rannulfum ducem : idem rex in campum armatas produxerat acies . cum

subito uiso duce audacter obuiam procedente territus fugit : effusumque exercitum prædæ et cædibus exposuit : et innumeris militibus captis et interfectis . inuitus ducem ditauit opibus . gloria sublimauit . Quæ quidem ei iuxta uerbum uiri dei omnia contigerunt . Cum enim primus eorum qui uocati fuerant Abbas sanctus adueniens regem in castris positum inuenisset : per multos dies uicinas acies ne committerent impediuit . denuncians regi : quia si conflictum inieris : uictus et confusus abibis . Nouissime uero cum eiusdem regis plurimum creuisset exercitus : ignorans quod non in multitudine foret euentus belli : uirum sanctum quærentem ea : quæ pacis erant ulterius audire contempsit . At ille ducem Rannulfum et catholicorum aciem uerbis potentibus adhortatus : sicut regi fugam sic illis uictoriam pollicitus est et triumphum . Cumque ad proximam uillulam declinasset : et instaret orationi : repente fugientium et insequentium clamor auditur . Siquidem per eundem locum fugientem regis exercitum Rannulfus persequebatur . Egressus itaque frater quidam ex his : qui cum Abbate erant : uni ex militibus || occurrit : et quid accidisset interrogabat . At ille siquidem litteras nouerat : uidi inquit impium superexaltatum . et eleuatum super cedros libani : et transiui et ecce non erat . Nec mora : dux ipse secutus : ut monachum uidet : sicut erat : armatus æquo desiliit : et eius pedibus aduolutus gratias inquit ago deo et fideli seruo eius : quia non nostris uiribus : sed eius fidei collata hæc uictoria est : iterumque insiliens equo hostes insequebatur : Nec tamen hac plaga sibi inflicta cælitus correctus est animus regis : nec detinuit procella . quam conglomerarat prauæ mentis elatio : sed post fugam reuersis : qui euaserant : simulans alacritatem regioque se ornatu attollens stipata militibus curia utramque partem præcipit accersiri : et prius instructo Petro et multarum promissionum auctoramentis accenso de causæ suæ rationibus elloqui iubet . Prior itaque Petrus electionem domini sui canonicam probare contendit : et uerba sua multis legum et canonum assertionibus munit . At uero uir dei non in sermone sed in uirtute regnum dei esse intelligens : scio inquit Petre te uirum sapientem et litteratum esse : et utinam sanior pars et honestiora te occupassent negotia . Vtinam te patronum causa felicior obtineret : et sine dubio rationabilia allegantem nulla posset impedire facundia . Et nos quidem agrestes . ligonibus magis quam declamationibus assueti : si causa fidei non urgeret : institutum silentium teneremus . Nunc autem cogit nos caritas elloqui : quia tunicam domini quam in tempore passionis nec ethnicus præsumpsit scindere : nec Iudæus : fautore hoc domino Petrus leonis lacerat et dirumpit . Vna est fides . unus dominus : unum baptisma . Nos neque duos dominos neque geminam fidem nec duo baptismata nouimus . Vt ab antiquis ordiar : una archa tempore diluuii fuit . In hac octo animæ cæteris omnibus pereuntibus euaserunt : et quotquot extra archam inuenti sunt perierunt . Arcam hanc typum habere ecclesiæ : nemo est qui ambigat . Arca alia nuper fabricata est : et cum sint duæ : | alteram necesse est esse adulteram : et in profundum dimergi . Arca quam regit Betrus† : si ex deo est : necesse est : ut arca quam regit Innocentius obruatur . Peribit ergo orientalis ecclesia . peribit occidens totus . peribit Francia . peribit germania . hiberi et angli et barbara regna in profundum pellagi dimergentur . Religio camaldrensis et cartusiensis et cluniacensis et cisterciensis . et præmonstratensis : aliaque innumerabilia seruorum et ancillarum dei collegia necesse est : ut sub uno turbine corruant in abyssum . Episcopos et abbates et reliquos ecclesiæ principes collo præcipiti mola asinaria alligata pelagus uorax excipiet . solus ex principibus mundi arcam Petri intrauit iste Rogerius : et cæteris omnibus enecatis solus ipse saluabitur . Absit : ut totius mundi religio pereat : et ambitio Petri : cuius uita palam est : qualis extiterit : regnum cælorum obtineat . Ad hæc uerba . nec ultra se poterant qui præsentes aderant continere : sed abominati sunt et uitam Petri et causam . Abbas autem tenens manum Petri eleuauit eum : et simul ipse surrexit : tutiorem inquiens si mihi credas intrabimus arcam : Et sicut iam pridem mente conceperat : salutaribus illum aggrediens monitis : cohoperante gratia dei protinus persuasit : ut ad urbem rediens Innocentio papæ reconciliaretur . Soluta concione rex necdum uoluit obedire : quia sancti Petri patrimonium quod in cassinensi et beneuentana prouincia amplissimum est cupidus occupauerat : putabatque huiusmodi suspensionibus aliqua a romanis extorquere priuilegia : per que in ius proprium deinceps sibi stabiliretur hæreditas . Sic Hærodes uisum saluatorem contempsit : et quem desyderauit absentem : contempsit præsentem . Sed omnipo-

tens deus claritatem quam accepit a patre dedit homnibus† : et contemnentes se facit inglorios : et erigit in sublimæ humiliatos . Igitur circa curationem cuiusdam uiri nobilis et in urbe salernitana notissimi succumbentibus medicis : quorum ibi præcipue ars uiget et studium : eidem uiro || de medicorum auxilio desperanti noctu quidam per somnium apparens intimauit aduenisse Salernum uirum sanctum et in curationibus efficacem . Hunc inquirere iubetur : et de lauacro manuum eius bibere . Quæsiuit . inuenit . aquam petiit . bibit . conualuit . Hoc uerbum per totam urbem diuulgatum ad aures regis et procerum eius peruenit . Cum omnium igitur populorum fauore solo rege in malitia permanente Abbas Romam reuertitur : prædictum quoque Petrum pisanum et quosdam alios reconciliat ecclesiæ : et Innocentio papæ confœderat .

Aduenerat tempus : in quo completa amorrei malicia angelus percutiens gladium iam uibrabat : et pertransiens domos quarum superliminaria sanguis agni inbuerat ad domum Petri leonis ueniens salutare in ea non reperit signum . Percussit igitur miserum : nec tamen illico defungitur : sed datur per triduum penitentiæ locus . Ille patientia dei abutitur : et in peccato suo moritur desperatus . Miserabili pompa corpus eius effertur : cadauer eius in latebris sepelitur : et usque hodie fouea illa a catholicis ignoratur . Attamen pars ipsius Papam sibi pro illo alterum statuerunt : non tam ex pertinacia scismatis : quam ut oportunius per aliquam temporis moram pape Innocentio reconciliarentur . Quod sine mora per manum serui sui christus effecit . Nam et ipse ridiculus pontifex Petri Leonis hæres ad eumdem uirum dei nocte se eontulit† : et ille eum nudatum quidem usurpatis insignibus ad domini Innocentii pedes adduxit : quo facto ciuitas gratulabunda lætatur . Innocentio ecclesia redditur : romanus populus ut pastorem et dominum Innocentium ueneratur : Abbas clareuallis in mira reuerentia habetur . ab omnibus auctor pacis et pater patriæ prædicatur . Procedentem uiri nobiles prosequuntur . adclamat populus . matronæ sequuntur et omnes ei prompto animo obsequuntur . Sed quandiu ille gloriam tolerauit ? Quandiu pace fruitus est post tam diuturnum laborem : nec diem pro anno recipere acquieuit . Sedatis omnibus | et compositis uix quinque dies teneri qui septem annis et ultra pro resarcienda eadem scissione sudauit . exeuntem roma prosequitur : deducit clerus . occurrit populus . uniuersa nobilitas comitatur . Nec poterat sine communi merore dimitti : qui colebatur amore communi . Igitur iter firmata pace uir dei regreditur : et duplex exhibens gaudium cum exultatione uniuersæ terræ suscipitur . Interea romæ Innocentius potestatiuæ agenda disponit : undique uisitatores occurrunt . Alii cum negotiis alii tantum gratia congaudendi adueniunt : processiones per ecclesias sollemniter celebrantur ; depositis armis ad audiendum uerbum domini plebes accurrunt . Post multas egestates in breui ciuitas opulenta refloret . Quæ discordiæ tempore distracta fuerant : pax solidata reuocat et reducit . Arantur solitudines : et deserta pinguescunt . Requiescunt singuli sub uite et ficulnea sua . nocturnæ silent excubie : et apertis ianuis omnis timor excluditur . Dato tempore Innocentius ecclesiæ ruinas restaurat . recolligit exules . ecclesiis antiqua seruitia depopulatas colonias expulsis restituit : insuper et congrua dona largitur . Monasterium etiam apud aquas saliuas† in sancti anastasii martyris honore constituit . quod quidem ibi prius fuerat : sed hoc tempore sola ecclesia . deerat habitator . Constructis itaque cœnobialibus mansionibus . et reformata ecclesia assignatis etiam ad alimoniam domus agris et uineis a claraualle Abbatem et conuentum fratrum sibi mitti dominus Papa petiit et obtinuit . Mittitur igitur Bernardus pisanæ olim ecclesiæ† uicedominus : et religiosi cum eo fratres : qui secundum beati Benedicti regulam in eodem loco domino deseruirent . Cito profecit illa plantatio : et assotiatis sibi uiris indigenis seruorum dei multiplicatus est numerus : et pascua congrua nutrimentis multiplex in breui produxere peculium .

Abbas sanctus ad studia sua reuersus : dilectum amplectitur Epithalamium . E diuersis etiam regionibus odo || re religionis illius ubique diffuso fratres ad fundanda monasteria inuitantur . Fundata quoque et statuta diictioni† eius sese subiiciunt : et artioris ineunt regulas disciplinæ . Sed et diuersarium† regionum ciuitates : ex hoc collegio meruere episcopos . In primis roma summo ornatur pontifice . Præneste stephanum habuit totius gloriæ uirum : Ostia uirum magnum Hugonem . In ipsa quoque romana curia Henricus et Bernardus alter præsbiter alter diaconus ordinati

sunt cardinales . Prope urbem Romam : Nepa sub Hoberto refloruit . In tuscia Pisis natalis soli gloria et magnum ecclesiæ lumen Balduinus effulsit . Citra alpes Lausenne datus est Amedeus . Seduno Garinus . Lyngonis Godefredus . Autisiodore Alanus . Nammetis† Bernardus . Beluaci Henricus . Tornaco Giraldus . Eborace Henricus . In hybernia duo episcopi re et nomine christiani . In Alemania ciuitate curia Algotus sapientia ætate et gratia reuerendus . Hæc luminaria de Claraualle assumpta fulgore puro prædictas urbes sua illustrauere præsentia : et pastoralis officii elucidantes gloriam exemplum cæteris episcopis facti sunt : et in altitudine sua humiles constiterunt . Defuncto siquidem Innocentio papa et successoribus eius Cælestino et Lucio quam uelociter consummatis : Bernardus quem prius apud sanctum Anastasium abbatem diximus ordinatum papa urbis efficitur . Hic sedicione orta in populo puluerem pedum in litigantes excussit et relictis eis in Franciam uenit : Cumque Romæ se comederent ac morderent : et adinuicem consumerent : expectauit in pace : donec fatigati conflictibus et damnis afflicti eius præsentiam cuperent et optarent . Qui interim celebrato Remis concilio Claramuallem humiliter uisitat : et gloriam pontificatus romani pauperum præsentat aspectibus : Mirantur omnes in tanta altitudine humilitatem immobilem : et uitam excellenti culmine propositi sancti permanere uirtutem : ut altitudini sociata humilitas pro officio exterius splendeat : et pro uirtute | nequaquam interius inanescat . Adhærebat carni eius lanea tunica : et diebus et noctibus cuculla uestitus sic ibat . sic cubabat . Intus monachi habitum retinens . extra se pontificem et moribus et uestibus exhibebat rem difficilem agens . diuersarum in uno homine proprietatem exprimens personarum . Segmentata ei circunferebantur puluinaria : lectus eius paliis opertus : cortina ambiebatur purpurea : sed si reuolueres operimenta : inuenires superiectis laneis complosa stramina et paleas conglobatas . Homo in facie . deus uidet in corde . Ipse uero bona coram deo et hominibus prouidebat . Alloquitur fratres non sine lachrymis . miscens sermonibus auulsa a corde suspiria : hortatur et consolatur . et se inter eos fratrem et socium non dominum exhibet uel magistrum : Cumque eum ibi morari diutius non pateretur magna eum prosequens comitantium multitudo : salutatis fratribus iter in italiam dirigens abscessit : et ad urbem peruenit .

Scripsit ad eundem Papam uir sanctus librum multæ utilitatis : in quo acutissima indagine tam ea quæ circa eum : quam quæ infra sunt prosequens : etiam ad ea quæ supra ipsum sunt ascendens . tanta de natura diuina disseruit : ut uideatur in tertio cælo assumptus audisse quædam uerba quæ non licet homini loqui : et regem in decore suo uidisse . In his quæ infra et quæ circa ipsum sunt morum societas : naturæ æqualitas : officiorum distantia : consideratio meritorum : diiudicatio prouectuum subtilissime distinguntur : et singulis in suo genere sui cognitio intimatur . In his quæ supra hominem sunt speculatur cælestia non eo modo : quo angeli qui semper adhærent deo consyderant : sed eo modo quo potest homo puri animi et mentis sinceræ diuina contingere : et conformare hierarchiæ cælesti sacerdotium temporale . Cum enim in cælesti militia constet alios aliis principari : et ministeriales spiritus ad nutum superiorum potestatum ad diuersa officia delegari : quidam uicinius assistentes ab ipso accipiunt : quæ aliis uel agenda uel || intelligenda insinuant . Cumque exigat homo præposituræ suæ reuerentiam exhiberi : ad honorem summæ potestatis cuncta referri necesse est : quia cum sit subditus homini homo uel spiritui spiritus : subdi maxime oportet deo : de cuius munere ista datur prælatio : et quo docente fit : ut pateat homini tam cognitio sui quam per fidem et spem ad diuinæ contemplationis pro modo dato indulta accessio . Dictabat uir dei : et nonnunquam scribebat in tabulis : ceris mella restituens et quidem gratiora prioribus . Sedabat lites ecclesiarum et appellationes importunas : quas inter se discordes clerici concitabant : blando spiramine componebat . Interdum etiam durius increpante eo redibat tranquillitas : et de tumescentibus procellis qui sediciosi ante eum uenerant : et bile diffuso scaturientes declamationibus pacifici reuertebantur .

Adhæsit ei præ ceteris quidem principibus comes Theobaldus : et dilectionem opere prosecutus : se et sua in subsidia Clareuallis exposuit : et in manibus Abbatis posuit animam suam : deposita altitudine principali : se inter seruos dei conseruum exhibens non dominum : ut obediret ad omnia : quæ domus illius infimi postulassent . Emebat igitur fundos . construebat domos . Abbatiis nouis præbebat impensas : et ubicunque

serui dei extendissent propagines delegabat pecunias : non unam domum sicut Salomon hierosolymis statuens : sed ubicunque huius scematis consedissent personæ : satagebat eis ministrare necessaria . quasi christo in terris præsenti propriam faceret mansionem . Sed et hoc in arbitrio uiri dei posuit : ut quibuscunque egentibus eo mandante ad opus dei sumptus præberet . Videns igitur Abbas promptum principis animum : pietate pietatem accendit : et maxime quidem domesticis fidei uoluit eum esse obnoxium : et immortalia templa fundare consuluit . et eleimosynas ea sagacitate disponere : ut semper fructificantes rediuiuis et renascentibus accessionibus nouas semper eleimosynas parturirent . Deinde egenis quos hac atque | illac quasi uespe pungentes stimuli paupertatis exagitant : omnimodis docuit misereri : aliis indumenta : aliis alimenta largiri : monuit et suggessit : ut per se ipsum Xenodochia uisitaret : nec horreret aspectus languentium : quia in hoc duplicaretur clæmentiæ bonum : si et uideret et foueret . si consolaretur et reficeret . Humiliare pauperum oppressores : defendere pupillum et uiduam : misereri et commodare : sermones in iudicio disponere : prouidere quieti ecclesiæ : rationem gladii intelligere quasi elementarium instruxit : summam principalis officii ei intimans : et hoc a principe exquiri ex debito : ut laudi bonorum et uindictæ malorum intendat . Hæc et alia huiusmodi salubria monita homo rationabilis reuerenter accipiens : luxum curiæ et fastum altitudinis in humilitatem et honestatem conuertit : nec erat qui in præsentia eius auderet aliquid indecens uel agere uel loqui . sed in hoc etiam ei placere studentes siue ficto siue puro animo ea : in quibus dominum suum delectari uidebant : ipsi quoque sæpius factitabant . Introducebant igitur ad eum : qui familiarius ei assistebant pauperes patientes calumniam nuntiabant languentes in plateis iacentes : et quoscunque in amaritudine et miseria constitutos : et ipse oblata sibi occasione clæmentiæ lætabatur : et altiori gratia ampletebatur† : quos de huiusmodi rebus uidebat magis esse sollicitos . et quia suorum neminem uel in illa curia uel pro causa illa uir dei passus est de morari : duos religiosos uiros de premonstratensi ordine euocatos eleimosynæ suæ præposuit : ad quorum curam spectaret circuire castella : et uicos : in quibus ipse maneret : et de propria mensa languentes et leprosos : qui ibi manebant quamdiu in illis iocis† esset abundanter refici iussit . sed et aliis pauperibus largas et congruas personis eleimosynas . siue in cibis . siue in uestibus eorum ministerio donari instituit . Et illis quidem tantum in domo sua uoluit esse dominium ut potestatiue pincernis . et pistoribus et cocis et reliquis ministerialibus quæ uellent : || iuberent : quæ placerent tollerent : nec esset qui aliquid prohiberet : uel referret ad comitem : si in aliquo prodigi uiderentur . Sed et uiri ipsi timentes deum : et tam ei placere quam comiti cupientes : nec magnificentiam principis minuebant : qui caritatis plenitudinem de suis impleri præceperat : nec deo ingrati esse uolebant : si inuenirentur desides et auari . ubi eos promptos et expeditos munificos dispensatores esse tam uoluntas dei quam principis sufficiens bonitas iniunxisset . Erat præterea horum officio deputatum : ut monachis et religiosis uiris quos ad curiam diuersa mittebant negotia : hospitia prouiderent : et de penu et horreo comitis necessaria ministrarent . Circonferebant etiam rigente bruma aptatis sarcinis pauperum indumenta . et pelles et birros . et calciamenta : in quibus nec absongia deerat : quæ per uicos indigis erogabant . Nullum in comitatu illo clæmentiæ deerat opus . ad portum illum naufragi omnes tutum habebant refugium . Temporibus famis non sicut pharao frumenta uænumdedit populo : nec in seruitutem sibi erogatis annonis subiecit ægyptum : sed Abbate sancto quasi altero Ioseph diuiniore usus consiliario gratis egenis aperuit horrea : nec exhausit pecunia populum : nec astu circonuenit afflictos : nec re puplica† ad se translata priuatos in terra cumulauit thesauros : sed in cælo potius thesaurizans infatigabilis distributor cum magna alacritate et pecunias distribuit et annonas : Nec defuit uiro inhianti cælestibus magni ponderis et horrendi temptatio : sed aggressus est eum tam rex quam princeps : et commota est et contremuit terra : et quasi iratus esset ei deus : rapinis et incendiis fere omnia ad eum pertinentia depopulatoribus exposita erant : et operuit faciem terræ regis exercitus : et passim omnia uastabantur : Nec erat ei tutum resistere uel obuiare persecutoribus : quia et sui deseruerant eum manifeste infestantes : et qui remanserant in insidiis non ad subsidia erant . undique angustiæ graues : quia nec domi sibi cauere : nec extra | poterat congrua prouidere : cum omnino qui sui essent nesciret : et tam dæ perfidia refugarum quam de duplicitate suorum prorsus

diffideret . Inter has angustias conuersus ad dominum de cælo quæsiuit auxilium : et accito uiro dei cuius consilio maxime utebatur : nec desperans de clæmentia dei . hæc eius responso accepit : ut intelligeret : quia flagellat deus filium quem recipit : et huiusmodi correctiones uel purgant uel probant animam : et gloriosiorem fuisse Iob cum sederet in sterquilinio quam cum fuisset cum circonstante exercitu illæsus sedisset in solio . Ostendit ei uir sanctus Salomonem peccasse in otio : et abusum bono pacis defluxisse in uitia : cum Dauid pater eius Absalon filio persequente : et uniuerso Israele aduersus eum animato permansisset in gratia . Intimauit etiam : quomodo ipsum sathanas collaphizauit apostolum : in qua tribulatione imobiliter perseuerans meruit audire : quia uirtus in infirmitate perficitur : et quia in præsenti uita segniores nos faciunt prospera et circumspectiores aduersa . Audiens hæc uenerabilis comes magnifice animatus : duo immensi ponderis et miri operis uasa aurea : in quibus præciosissimæ gemmæ habebantur inclusæ : quæ in solemnitatæ coronæ suæ rex anglorum Henricus auunculus eius ad ostentationem diuitiarum suarum et gloriæ suæ in mensa coram se habere consueuerat : sub omni celeritate proferri iussit in medium : et a corde suo delectationem huiusmodi auellens gemmas a retinaculis suis abstrahi iussit : et aurum confringi precepit : ut uenderentur : et de pretio eorum dilecta domino super aurum et topazion tabernacula fundarentur : Nec desistebat Amalech ab infestatione israel . sed Moyses eleuatis in cælum manibus potitus est uictoria : et retrahentibus se hostibus Abbas sanctus sequester sollicitus clamantibus ad deum et domi plorantibus fratribus irrupit in acies : et in tempore iracundiæ factus est reconciliatio : et allegationibus diuinis intercurrentibus detumuere procellæ : et reuersa est inter regem et principem tranquillitatis et pacis de || siderata serenitas .

EXPLICIT LIBER SECVNDVS DE VITA SANCTI BERNARDI CLAREVALLIS ABBATIS .

INCIPIT PROLOGVS IN VLTIMOS TRES LIBELLOS DE VITA SANCTI BERNARDI CLAREVALLIS ABBATIS .

Clarissimi patris nostri Bernardi clareuallensis abbatis memoriam uiri insignes ad laudem christi et multorum edificationem litteris commendarunt . Inuenta sane materia huberi : prout cuique licuit et certior ei gestorum innotuit ueritas : non eam totam sed partes aliquas digessere . Videtur autem nonnullis quod multo minus eum silere debeat puer sanctitatis ipsius : dignationis filius : benignitatibus alumnus . Quem ab eius huberibus post annos circiter tresdecim : quod sine singultu nec meminisse debeo : nec proferre queo : sola tandem quæ sola potuit mors auulsit : In quo tibi utinam sic complaceat etiam nunc pater sanctæ : sicut aliquando uidebatur et aliquandiu complacere . Et quis alter tibi tam debitor . quis tam obnoxius . quis tam tuus? Momordit fateor et dure momordit mors improba : sed non totum pariter deglutiuit . Amputauit non extirpauit : sine misericordia portionem quæ se contingebat accepit . Tulit aspectum . tulit eloquium corporale : etiam tulit obsequium : sed non rapuit fidem præsentis etiam nunc opitulationis : non absorbuit spem futuræ aliquando uisionis : non denique in preteritorum memoria altius radicatum filialis absumpsit deuotionis affectum . Cæterum mihi quidem ut optime noui præsertim tanto idonea operi nec scientia nec eloquentia suppetit : Sed tua sane magnalia et tuas digne eloqui laudes non Origenis ingenium non Ciceronis ipsius lingua sufficeret . nec desperandum tamen quod tuorum magis operum fructus carpere prudens lector quam uerborum nostrorum folia indigna debebit : ut illorum magis suauitate gustata quam iustorum ariditate cul | pata : non tam nequiter ista mordeat . quam illos delectabiliter edat . Nam et securius et sincerius uisa solent quam audita narrari : et in tercium uas transfusa facilius coacescunt . Sed et dulcius ea bibitur aqua : quæ ab exiguo licet alueo fontis hauritur : quem confestim repleuerit uena scaturiens : quam quæ ex riuo tollitur longius iam progresso uel ex flumime etiam copioso . Inde est : quod intactis eorum libris qui de eiusdem beatissimi patris nostri initiis seu etiam mediis conscripserunt : ne tanquam super alienum ædificasse uidear fundamentum : circa ea potissimum noster sermo uersatur : quibus pene omnibus præsens affui . interdum etiam licet pauca interserens quæ fidelissima fratrum qui aderant relatione cognoui . Verumta-

men opus istud libellis tribus partitum lector inueniet . Quorum primus quidem ea maxime quæ ad habitum mores atque doctrinam huius beati patris uidentur pertinere prosequitur . Secundus autem uirtutes multas per eum factas alloquitur . Tertius in eiusdem beato fine completur . Illud etiam ammonendum in rerum narratione gestarum cohærentiam similitudinis magis quam temporis obseruari . Siquidem nec signa ipsa nec opera quædam eo ordine scripta quo facta sunt : sed interdum aliqua prout occurrere locis oportunioribus uidebantur inserta . Firmior enim uidetur et haberi acceptior solet oratio : quæ suis innititur et illustratur exemplis : uelut fabrica quædam idoneis fulta columnis . Nonnulla quoque transposita sunt : ut similibus aliis iungerentur : et que erant eiusdem generis sibi aptius cohererent . Verum hoc in duobus quidem libellis prioribus : nam in tertio pene per omnia ordini ipsi temporis series narrationis obsequitur .

EXPLICIT PROLOGVS . INCIPIT LIBER PRIMVS .

Innumeris quidem signis atque miraculis ut orbis comperit uniuersus fidelem famulum deus Bernardum clareuallensem glorificauit Abbatem || sicut gloriosus semper in sanctis suis et in sua mirabilis est maiestate . Cæterum sicut malachiam sanctum idem ipse commendat . primum maximumque miraculum quod exhibuit : ipse fuit : Serenus uultu . modestus habitu . circonspectus in uerbis . in opere timoratus . in sacra meditatione assiduus . in oratione deuotus . et sicut alios ipse monebat crebra siquidem experientia persuasus de omni re magis fidens orationi quam industrie proprie uel labori . Magnanimus in fide . longanimis in spe . profusus in caritate . summus in humilitate . precipuus pietate . In consiliis prouidus . in negotiis efficax . nunquam tamen minus quam in otio otiosus . Iucundus ad obprobria . ad obsequia uerecundus . Suauis moribus . meritis sanctus . miraculis gloriosus . affluens denique sapientia et uirtute et gratia apud deum et homines . Cuius sanctæ animæ adiutorium simile sibi fecerat deus : et speciali præuentum benedictione corpus aptauerat . Apparebat in carne eius gratia quædam : spiritalis tamen potius quam carnalis . in uultu claritas prefulgebat : non terrena utique sed cælestis : in oculis angelica quædam puritas et columbina simplicitas radiabat . Tanta erat interioris eius hominis pulchritudo : ut euidentibus quibusdam indiciis foras erumperet : et de cumulo internæ puritatis et gratiæ copiosæ perfusus homo quoque exterior uideretur . Corpus omne tenuissimum et sine carnibus erat . ipsa etiam subtilissima cutis in genis modice rubens . Illo nimirum quidquid caloris inerat naturalis : assidua meditatio et studium sacræ compunctionis attraxerat . Cæsaries ex flauo colorabatur et candido : barba subruffa circa finem uitæ eius respersa canis . Statura mediocritatis honestæ : longitudini tamen uicinior apparebat . Alias autem thesaurus iste in uase fictili eaat† contrito penitus et undique conquassato . Laborabat siquidem caro eius multiplicibus infirmitatum incommodis : ut in eis uirtus animi perficeretur : Quarum periculosior quidem in meatu artissimi gutturis . nil penitus siccum . uix | solidum aliquid admittentis . molestior erat defectus stomachi uiscerumque corruptio . Hææ† continue præter alias sæpius incidentes . Summum erat huic famulo dei studium fugere ammirationem : et tanquam unum sese agere cæterorum . At persequebatur gloria fugitantem : sicut e regione captantes sese alios fugere consueuit . Prouerbium illud in ore ei frequentrr† : semper in corde : qui hoc facit quod nemo : mirantur omnes . Quo nimirum intuitu uitam regulamque communem amplius æmulabatur . nil in suis actibus præferens obseruantiæ singularis . Ob hoc denique et cylicium : quod pluribus annis occulte gestauerat : ponere maluit : quam ut ferre sciretur : minus illum latere uelle contestans : qui cum cæteris eiusdem sibi communia non sectatur . In ipsis tamen communibus erat illi singularis purritas : et deuotio non communis . Nichil negligens et minima quæque cum studio et intentione tractabat . ex propria siquidem experientia diffinire sollitus sapientem : cui quæquæ res sapiunt : prout sunt . A primis fere annis sic euasit illeeebras† gulæ : ut ipsam quoque saporum discretionem ex magna parte perdiderit . Quotiens pia sibi ministrantium fraude deceptus liquores pro aliis alios sumpsit . Nam et oleum sibi per errorem aliquando propinatum bibit : et penitus ignorauit . Nec prius id cognitum : quam super ueniens quidam labia eius miraretur inuncta . Cibus eius bucella panis in aqua calida penitus emolliti cum exiguis sorbitionculis erat . Modicus ille quidem sed

non modicam eius partem crudam reiicere stomachus : ne qua illi foret in cibo uoluntas : quem sumere periculum . sumptum tenere dolor . reiicere miseria . Sic nimirum fideli seruo iuxta desyderium cordis sui dispensatio superna prouiderat : ut nec fructus ei deesset abstinentiæ singularis : et odiosam semper ammirationem declinaret sub umbra necessitatis . De uino quidem sæpius nobis ipse dicebat : decere monachum : quando sumere oporteret : sic gustare illud : ne exinanisse calicem notaretur . Quod sic ipse seruabat : quotiens || sibi uinum patiebatur apponi . ut non modo post unum potum : sed post totum qualecunque prandium suum : uasculum in quo ei propinabatur uix aliquando uideretur minus plenum a mensula reportari . Minus quidem stare poterat . sed erat sedens pene iugiter : et rarissime mouebatur . quotiens subtrahere se negociis poterat aut orans . aut legens . aut scribens . aut insistens doctrinæ et fratrum ædificationi . aut in sacra meditatione persistens . In quo nimirum studio spirituali obtinuerat gratiam singularem : ut non tædium in illo : non difficultatem aliquam sustineret : libere secum habitans et deambulans in latitudine cordis sui . et ibidem exhibens christo : ut monere alios ipse solebat : cœnaculum grandæ stratum . Omnis ei ad meditandum hora breuis : locus omnis congruus erat . Frequenter tamen licet sic affectus diuino urgente metu nimio urgente spiritu studium hoc luchris huberioribus postponebat . doctus quærere non quod sibi erat utile sed quod multis . Alioquin in quolibet cœtu hominum uel tumultu : nisi eius intentionem causa deposceret : tota facilitate animum colligens interiori quadam : quam ubique ipse sibi circumferebat : solitudine fruebatur . nil prorsus attendens : quod sonaret uel appareret exterius . Cum iam dei famulus annos aliquot in Claraualle peregisset : subiit animum eius ut sanctum Hugonem gratianopolitanum episcopum et carthusienses fratres deuotionis gratia uisitaret : Quem prædictus episcopus tam gratanter et tam reuerenter suscepit diuinam intelligens in eiusdem hospitis uisitatione præsentiam : ut prostratus solotenus adoraret . Videns autem seruus christi episcopum ætate grandeuum . celebrem opinione . sanctitate conspicuum . coram se procidentem uæhementer expauit . ipse quoque pariter corruens ante eum : et ita demum susceptus in osculo pacis humilitatem suam tanti uiri ueneratione confusam non sine graui gemitu causabatur : in cuius pectore singularem obtinuit ex eo tempore locum : ut fierent deinceps duo illi filii splendoris cor unum et anima una : et se inuicem fruerentur | in christo . Sicut enim regina Saba de Salomone testatur : uterque sese in altero longe amplius quam fama uulgasset inuenisse gratulabatur . Carthusiæ quoque a uiro reuerentissimo Guigone priore et a cæteris fratribus eodem affectu et eadem ueneratione susceptus est seruus christi exultantibus illis in gaudio : quia qualem eum per epistolam prius nouerant : talem inuenerint et præsentem . Cæterum cum in reliquis omnibus ædificarentur : unum fuit : quod prædictum priorem carthusiensem aliquatenus mouit : stramentum uidelicet animalis : cui idem uir uenerabilis insidebat minus neglectum minus præferens paupertatem . Nec silentio presit æmulator uirtutis : quod mente concepit : sed locutus uni e fratribus aliquatenus super hoc moueri sese confessus est : et mirari . Cumque ille ad patrem sanctum quod audierat retullisset : non minus ipse miratus : quale illud esset stramentum quærebat : quod ita scilicet a Claraualle cartusiam usque uenisset : ut nunquam illud uidisset . nunquam consyderasset et usque in horam illam quale esset omnino nesciret . Neque enim suum erat animal illud : sed a quodam monacho clumacensi† auunculo suo et in sua uicinia demoranti fuerat commodatum : et erat sicut sibi sternere ille solebat . Quod uerbum sæpe dictus prior audiens : in eo potissimum mirabatur : quod sic ille dei famulus foris oculos circumcidisset : intus animum occupasset : ut quod ipse primo offenderat uisu : hoc ille tanti itineris spatio non uidisset . Iuxta lacum etiam lausenensem totius diei itinere pergens . penitus eum non uidit : aut se uidere non uidit . Cum enim uespere facto de eodem lacu socii colloquerentur : interrogabat eos : ubi ille lacus esset : et mirati sunt uniuersi . Desyderauerat tamen ab inicio omnimodo subtrahere se negociis : et nusquam egredi : sed in monasterio residere . Quod et postmodum ex defectu corporis occasionem inuenisse se reputans oportunam : aliquando statuit . et aliquandiu tenuit : donec illum exire necessitas coegit grauis ecclesiæ dei et summi pontificis atque omnium abbatum sui ordinis iussio : quibus per omnia tan || quam patribus deferebat ipse omnium pater : Ex quorum etiam mandato nouissimis quidem annis preter cucullam et tunicam laneo panno in modum chlamy-

dis decurtate et pilleo simili utebatur . inter tantos langores corporis et labores nullis unquam uti pellibus acquiescens . In uestibus ei paupertas semper placuit : sordes nunquam . Nimirum animi fore indices aiebat aut negligentis . aut inaniter apud se gloriantis . aut gloriam foris affectantis humanam . Incessus eius et habitus omnis modestus et disciplinatus . præferens humilitatem . redolens pieattem† . exhibens gratiam . exigens reuerentiam . solo uisu lætificans et ædificans intuentes . De risu dicimus : quod ex ore eius frequenter audiuimus : dum cachinos religiosorum hominum miraretur : non meminisse se a primis annis suæ conuersionis aliquando sic risisse : ut non potius ad ridendum quam ad reprimendum sibi uim facere oporteret . et risui suo stimulum magis adhibere quam frænum . Vocem illi in inualido corpore ualidam satis intelligibilemque concontulerat† : qui in opus prædicationis segregauerat illum ex utero matris suæ . Sermo ei quotiens oportuna inueniebatur occasio : ad quascunque personas de ædificatione animarum : prout tamen singulorum intelligentiam mores et studia nouerat : quibusque congruens auditoribus erat . Sic rusticanis plebibus loquebatur : ac si semper esset rure nutritus : sic cæteris quibusque generibus hominum : uelut si omnem uestigandis eorum operibus operam impendisset . Litteratus apud eruditos . apud simplices simplex : apud spirituales uiros perfectionis et sapientiæ affluens documentis omnibus se coaptabat . omnes cupiens lucrifacere christo . Cautus erat artificiosissimæ obseruare : quod ad papam Eugenium scribens de sui cordis plenitudine eructauit . Nugæ si incidant interdum inquit ferendæ fortassis : referendæ nunquam . Interueniendum caute et prudenter nugacitati . Prorumpendum sane in serium quid : quod non modo utiliter sed et libenter audiant : ut supersedeant otiosis . Quam uero placabilem et | persuasibilem quamque eruditam linguam dederit ei deus : ut sciret quem et quando deberet proferre sermonem : quibus uidelicet consolatio . uel obsecratio : quibus exhortatio congrueret aut increpatio : nosse poterunt aliquatenus : qui ipsius legerint scripta : et si longe minus ab eis quam uerba eius sæpius audierunt . Si quidem diffusa erat gratia in labiis eius : et ignitum eloquium eius uehementer : ut non posset ne ipsius quidem stilus : licet eximius : totam illam dulcedinem . totum retinere feruorem . Mel et lac sub lingua eius : et nihilominus in ore eius ignea lex : iuxta illud cantici canticorum . Sicut uitta coccinea labia tua : et eloquium tuum dulce . inde erat : quod germanicis etiam populis loquens miro audiebatur affectu : et ex sermone eius quem intelligere ut pote alterius linguæ homines non ualebant : magis quam ex peritissimi cuiuslibet post eum loquentis interpretis intellecta locutione ædificari illorum deuotio uidebatur : et uerborum eius magis sentire uertutem†. Cuius rei certa probatio tunsio pectorum erat : et effusio lachrimarum . Vtebatur sane scripturis tam libere commodeque : ut non tam sequi illas : quam præcedere crederetur : et ducere ipse quo uellet : auctorem earum ducem spiritum sequens . Quem nimirum ut in medio ecclesiæ aperiret : os eius sic impleuerat deus spiritu sapientie et intelectus : ut secundum quod in libro Iob legitur : profunda quoque fluuiorum scrutaretur : et abscondita proferret in lucem . Nam et confessus est aliquando sibi meditanti uel oranti : sacram omnem uelut sub se positam et expositam sibi apparuisse scripturam . Cæterum quam gratis euangelizauit quis digne predicet : quis digne miretur ? Minus fore credidit nullas sibi ab auditoribus transitorias petere facultates : nisi oblatas sæpius refutaret ecclesiasticas dignitates . Parum illi fuit nulla quærere stipendia militantem : ne insignia quidem recipere acquieuit . Denique uelut alter Dauid processurus ad bellum bellica arma sibi grauiora causatus est : quibus multos suo præsertim tempore cerneret pre || grauari : et in simplicitate sua gloriosius triumphabat . tantam gratiam uirtus ei diuina contulerat : ut licet abiectus esse elegisset in domo dei : uberius tamen fructificaret in ea : quam alii quilibet in sublime porrecti : et lucens amplius illustraret ecclesia† uelut sub modio suæ humilitatis : quam cæteri super candelabra constituti . Nimirum quo humilior eo semper utilior fuit populo dei in omni doctrina salutari : in quo tamen noluit locum tenere doctoris . Beatus plane : qui sicut ipse de quodam sanctorum ait legem dilexit : et cathedram non affectauit . Quam felicius siquidem in uirtutum cathedra sedere meruit : dum noluit præsidere in cathedris dignitatum . Denique sicut iustus et fortis in prædicatione euangelica laborauit : sic prudens et temperans cauit sibi semper ab ecclesiastica prælatione . Nec enim contumaciter umquam renuit : sed frequenter et ad maximos electus honores : prudenter egit diuina sibi cohoperante gratia : ne aliquando coge-

retur . Moyses quidem sanctus pontificium cessit Aaron fratri suo : sed linguæ erat impeditioris . Bernardum nostrum non ab opere euangelistæ necessitas aliqua : sed ab honore solo sola humilitas reuocauit . Merito proinde apud deum et homines obtinuit gratiam singularem : qui non modo sine sumptu temporalis facultatis : uerum etiam sine gradu ecclesiasticæ dignitatis non autem sine fructu fraternæ salutis euangelium posuit : et populo dei semper prodesse studuit . numquam præesse sustinuit . Raro tamen nisi forte ad loca proxima ut prædicaret exiuit . sed quotiens eum necessitas aliqua traheret : sæminabat super omnes aquas . publice et priuatim annuncians uerbum dei . Quod tamen ipsum ex mandato summi pontificis actitabat : ad nutum quoque præsulum cæterorum ubicumque eorum aliquem contigisset adesse . Nimirum quanto magnus erat humilians se in omnibus : eo magis sacerdotibus deferebat : quo plenius intellexerat : quæ ministris christi reuerentia deberetur . Nec tacendum : quod ex prædicatione itineris hierosolymitani graue contra eum quorum | dam hominum uel simplicitas uel malignitas scandalum sumpsit : cum tristior sequeretur effectus . Quod tamen uerbum : dicere possumus ab eo quidem inicium non sumpsisse . Cum enim multorum iam animos permouisset audita necessitas : a rege Francorum semel et iterum propter hoc expetitus : apostolicis etiam litteris monitus : nec sic acquieuit super hoc loqui uel consilium dare : donec ipsius tandem summi pontificis generalem epistolam iussus ab eo est tanquam romanæ ecclesiæ lingua exponere populis atque principibus . Cuius epistolæ tenor fuit : ut in pœnitentiam et remissionem peccatorum iter arriperent : aut liberaturi fratres . aut suas pro illis animas posituri . Hæc et huiusmodi super hoc poterant ueraciter dici : sed dicendum potius id : quod potius fuit . Euidenter enim uerbum hoc prædicauit domino cohoperante et sermonem confirmante sequentibus signis . Sed quantis et quam multiplicibus signis ? Quanta uel numerare nedum narrare difficile foret . Nam et eodem tempore scribi cœperant : sed ipsa demum scriptorum numerositas scribendorum et materia superauit auctorem . Nimirum cum aliquando una die uiginti seu etiam plures ab incommodis uariis sanarentur : nec facile ab huiusmodi dies ulla uacaret . Denique plures eo tempore christus per serui sui tactum et orationem ex ipsis etiam matrum uteris cæcos uidere . claudos ambulare . aridos conualescere . surdos fecit audire : et mutos loqui : mirabilius restituente gratia quod minus præstitum fuerat a natura . Nec tamen ex illa profectione orientalis ecclesia liberari : sed cælestis meruit impleri et lætari . Quod si placuit deo tali occcasione[†] plurimorum eripere si non orientalium corpora a paganis occidentalium animas a peccatis : quis audeat illi dicere quid fecisti sic? Aut quis recte sapiens illorum sortem magis non doleat : qui ad priora uel peiora forte prioribus scelera redierunt quam eorum mortem : qui in fructibus pœnitentiæ purgatas uariis tribulationibus christo animas reddiderunt ? Alioquin quamlibet dicant ægyptii dicant || filii tenebrarum : qui ueritatem nec uidere ualeant nec proferre . callide eduxit eos ut interficeret in deserto : patienter tolerat saluator obprobrium : quod tantarum animarum salute compensat . Meminit huius uerbi ipse quoque uenerabilis pater : inter cætera dicens : Si necesse sit unum fieri e duobus : malo in nos murmur hominum quam in in[†] deum esse . bonum mihi : si dignetur me uti pro clipeo . Libens excipio in me detrahentium linguas maledicas et uenenata spiculla blasphemorum : ut non ad ipsum perueniant . Non recuso inglorius fieri : ut non irruatur in dei gloriam . Hæc quidem ille in libro de consideratione secundo . Accidit autem ubi primum de eiusdem exercitus dissipatione lamentabilis intra gallias insonuerat rumor : ut illuminandum dei famulo filium cæcum offerens pater multis precibus uinceret excusantem . Et imponens sanctus puero manum orabat ad dominum : quatinus si ab eo uerbum prædicationis illius exierat . si prædicanti spiritus eius affuerat : in illius illuminatione ostendere dignaretur . Dum uero post orationem orationis præstolaretur effectum : quid facturus sum ait puer ? Video enim . Attollitur illico clamor astantium . plures enim non modo e fratribus uerum etiam e sæcularibus aderant : qui ut puerum uidere uidentem : multipliciter consolati deo gratias referebant . Et de his hactenus . Nam et illud propter posteros memorandum : quam multipliciter ecclesie sancte uiri doctrina profuerit in catholicorum moribus corrigendis . in scismaticorum furoribus comprimendis . in hæreticorum erroribus confutandis . Si quidem preter eos quos docuit sobrie et iuste et pie uiuere in sæculo : quantos etiam perfectius uale dicere sæculo persuasit : uel ex hoc liquet : quod non cessauit quandiu uixit : deserta sæculi

sæculi desertoribus implens . Cuius ministerio uideretur propheticum illud etiam corporaliter exhiberi : Posuit desertum in stagna aquarum et terram sine aqua in exitus aquarum : et collocauit illic esurientes . et constituerunt ciuitatem habitationis . et seminauerunt agros et plantauerunt ui | neas et fecerunt fructum natiuitatis : Et benedixit eis et multiplicati sunt . Sane in diebus scismatis generalis quam fideliter seruus domini stetit in confractione in conspectu eius ut auerteret iram eius : quam efficaciter stetit et placauit : et cessauit quassatio . quam denique euidenter in tempore iræ factus est reconciliatio : non modo latius prosequendum est . Sufficere interim potest : si ipsius super hoc scribentis ad eum Innocentii papæ uerba ponamus : Quam firma ait perseuerantique constantia causam beati Petri et sanctæ matris tuæ romanæ ecclesiæ incandescente Petri Leonis scismate feruor tuæ religionis et discretionis susceperit defendendam . et se in uirum inexpugnabilem pro domo dei exponens : animos regum ac principum et aliarum tam ecclesiasticarum quam sæcularium personarum ad catholicæ ecclesiæ unitatem et beati Petri ac nostram obedientiam frequentibus argumentis et ratione munitis inducere laborauerit : magna quæ ecclesiæ dei et nobis prouenit utilitas manifestat . In quibus autem pro fide quoque magnifice egerit seruus fidelis et prudens : breuiter intimandum .

Fuit in diebus illis Petrus Abaelardus magister insignis et celeberrimus in opinione scientiæ : sed de fide perfide dogmatizans : Cuius cum blasphemiis plena grauissimis uolitare undique scripta cœpissent : prophanas nouitates uocum et sensuum uiri eruditi atque fideles ad dei hominem retulerunt . Qui nimirum solita bonitate et benignitate desyderans errorem corrigi hominem non confundi : secreta illum ammonitione conuenit . Cum quo etiam tam modeste tamque rationabiliter egit : ut ille quoque compunctus ad ipsius arbitrium correcturum se promitteret uniuersa . Cæterum cum recessisset ab eo Petrus idem consiliis stimulatus iniquis et ingenii sui uiribus plurimoque exercitio disputandi infeliciter fidens : resiliit a proposito saniore . Expetens denique senonensem metropolitanum : quod in eius ecclesia celebrandum foret in proximo grande concilium : clareuallensem causatur || abbatem suis in oculto detrahere libris . Addidit quoque paratum se esse in publico sua defendere scripta : rogans ut prædictus abbas dicturus si quid haberet ad concilium uocaretur . Factum est : ut postulauit : sed uocatus abbas uenire penitus recusauit . suum non esse renuntians . Postea tamen magnorum uirorum monitis flexus : ne uidelicet ex ipsius absentia scandalum populo et cornua crescerent aduersario : demum pergere acquieuit . tristis . quidem nec sine lachrhrymis† annuens sicut in epistola ad Papam Innocentium ipse testatur : ubi plenius lucidiusque negotium omne prosequitur . Affuit dies : et ecclesia copiosa conuenit : Vbi a dei famulo Petri illius in medium scripta prolata sunt : et erroris capitula designata . Demum illi optio data est : aut sua esse negandi : aut errorem humiliter corrigendi : aut respondendi si posset obiiciendis sibi rationibus pariter et sanctorum testimoniis patrum . At ille nec uolens resipiscere : nec ualens resistere sapientiæ et spiritui : qui loquebatur : ut tempus redimeret : sedem apostolicam appellauit . Sed et postea ab egregio illo catolicæ† fidei aduocato monitus : ut uel iam sciens in personam suam nihil agendum responderet tam libere quam secure . audiendus tantum et ferendus in omni patientia : non sententia aliqua feriendus : hoc quoque omnino recusauit . Nam et confessus est postea suis : ut aiunt : quod ea hora maxima quidem ex parte memoria eius turbata fuerit . ratio caligauerit . et interior fugerit sensus . Nihilominus tamen ecclesia quæ conuenerat dimisit hominem : ab persona abstinens . sed dogmata praua condemnans . quando uero Petrus ille refugium inueniret in sede Petri . tam longe dissidens a fide Petri ? Et ipsum ergo auctorem eadem sententia cum erroribus suis apostolicus præsul inuoluens . scripta incendio : scriptorem silentio condemnauit .

Fuit idem Gislebertus quem cognominauere porratam pictauorum episcopum . sacris litteris plurimum exercitatus : sed sublimiora se etiam ipse scrutatus ad insipientiam sibi . Siquidem de sanctæ trinitatis unitate et di | uinitatis simplicitate non simpliciter sentiens nec fideliter scribens discipulis suis panes proponebat absconditos . furtiuas propinabat aquas : nec facile quis saperet . imo quantum desiperet : personis autenticis fatebatur . Timebat enim : quod apud Senonas Petrum ei dixisse ferunt : Nam tua res agitur : paries cum proximus ardet . Nouissime tamen cum iam fidelium super hoc inualesceret scandalum : cresceret murmur . uocatus ad medium est : Et librum

tradere iussus : in quo blasphemias euomuerat graues quidem : sed uerborum quodam inuolucro circumseptas . Igitur in concilio quod in urbe remornm† papa uenerabilis Eugenius celebrauit : egit comminus aduersus hunc Gislebertum ecclesiæ sanctæ suo tempore singularis athleta Bernardus . primo quidem totum quod ille uerborum cauillationibus occultare nitebatur eliciens . deinde uero tam suis ratiociniis quam sanctorum testimoniis biduana disputatione redarguens . Consyderans sane non nullos ex his qui præsidebant iam quidem animaduertentes blasphemiam in doctrina : adhuc tamen auertentes iniuriam a persona : accensus est zelo : et domesticam sibi ecclesiam seorsum conuocat gallicanam . Communi denique consilio a patribus decem prouinciarum aliis autem episcopis et abbatibus plurimis dictante uiro dei nouis dogmatibus opponitur symbolum nouum . Cui etiam subscribuntur nomina singulorum : ut eorum uidelicet omnium sicut irrepræhensibilis uita : sic irreprehensibilis zelus cæteris innotescat . Ita demum apostolico iudicio et auctoritate uniuersalis ecclesiæ error ille damnatur . Episcopus Gislebertus an eidem damnationi consentiat interrogatur . consentiens et publice refutans : quæ prius scripserat : et affirmauerat : indulgentiam ipse consequitur . maxime quod ab initio cautus fuisset : ea lege eandem ingredi disceptationem : ut promitteret sine ulla sese obstinatione pro ecclesiæ sanctæ arbitrio correcturum libere suam opinionem . In partibus tholosanis Henricus quidam olim monachus : tunc apostata : uilis pessimæ uitæ : || perniciose doctrinæ uerbis persuasibilibus gentis illius occupauerat leuitatem : et ut prædixit apostolus de quibusdam : in hypochrisi loquens mendacium fictis uerbis de eis negociabatur . Erat autem hostis ecclesiæ manifestus : irriuerenter† ecclesiasticis derogans sacramentis pariter et ministris . Nec mediocriter in ea iam malignitate profecerat . Sicut enim de eo scribens pater uenerabilis ad principem tholosanum inter cætera ait : passim inueniebantur iam ecclesiæ sine plebibus . plebes sine sacerdotibus . sacerdotes sine debita reuerentia : sine christo denique christiani . Paruulis christianorum christi uita intercludebatur : dum baptismi gratia negabatur . Ridebantur orationes oblationesque pro mortuis . sanctorum inuocationes . sacerdotum excommunicationes : fidelium peregrinationes . basilicarum ædificationes . dierum sollemnium uacationes . chrismatis et olei consecrationes : et omnes denique institutiones ecclesiasticas aspernabantur . Hac necessitate uir sanctus iter arripuit : ab ecclesia regionis illius sæpius iam ante rogatus : et tunc demum a reuerendo Alberico ostiensi episcopo et legato sedis apostolicæ persuasus pariter et deductus . Veniens autem cum incredibili deuotione susceptus est a populo terræ : ac si de cælo angelus aduenisset . Nec moram facere potuit apud eos : quod irruentium turbas reprimere nemo qui posset . tanta erat frequentia diebus ac noctibus aduentantium benedictionem expetentium . flagitantium opem . prædicauit tamen in ciuitate Tholosa per aliquot dies . et in cæteris locis quæ miser ille frequentasset amplius : et grauius infecisset : multos in fide simplices instruens . nutantes roborans . errantes reuocans . subuersos reparans . subuersores et obstinatos auctoritate sua premens et opprimens : ut non dico resistere : sed ne assistere quidem et apparere præsumerent . Cæterum et si tunc fugit hæreticus ille et latuit : ita tamen impeditæ sunt uiæ eius et semitæ circumseptæ : ut uix alicubi postea tutus tandem captus et cathenatus episcopo traderetur . In | quo itinere plurimis etiam signis in seruo suo glorificatus est deus . aliorum corda ab erroribus impiis reuocans . aliorum corpora a langoribus uariis sanans . Est locus in regione eadem : Sarlatum nomen est illi : ubi sermone completo plurimos ad benedicendum panes : sicut ubique fiebat dei famulo offerebant : Quos ille eleuata manu et signo erucis† edito in dei nomine benedicens : in hoc inquit scietis uera esse quæ a nobis : falsa quæ ab hæreticis suadentur : si Infirmi† uestri gustatis panibus istis adepti fuerint sospitatem . Timens autem uenerabilis episcopus carnotensium magnus ille Gaufridus : siquidem præsens erat : et proximus uiro dei : si bona inquit fide sumpserint sanabuntur . Cui pater sanctus de domini uirtute nil hæsitans : non ego dixerim ait : sed uere qui gustauerint sanabuntur : ut perinde ueros nos et ueraces dei nuncios esse cognoscant . Tam ingens multitudo languentium gustato eodem pane conualuit : ut per totam prouinciam uerbum hoc diuulgaretur : et uir sanctus per uicina loca regrediens : ob concursus intolerabiles declinauerit . et timuerit illo ire .

Primum sane miraculum quod per famulum suum in urbe tholosa christus exhibuit : paralitici cuiusdam clerici curatio fuit . Hunc in domo regularium clericorum

sancti Saturniui† quorum unus ipse erat ad petitionem Abbatis et fratrum circa noctis crepusculum uisitans homo dei : moribundum inuenit hominem : qui extremum trahere spiritum uideretur . Consolatus itaque miserum : et data benedictione egrediens : sicut postea confessus est : loquebatur in corde suo fidelis seruus ad dominum : tam fiducialiter quam fideliter dicens . Quid expectas domine deus? Generatio hæc signa quærit . Alioquin minus apud eos nostris proficimus uerbis : nisi abs te fuerint confirmata sequentibus signis . Eadem hora exiliit paralyticus de grabato et accurrens secutus et consecutus est eum : sacra uestigia deuotione qua debuit amplexatus : Cui subito procedenti obuians ex concanonicis unus : expauit et exclama || uit : siquidem phantasma putabat : Quando enim de lectulo eum crederet surgere potuisse? Egressam magis a corpore eius animam phantastice sibi apparuisse arbitratus aufugit : sed ipsa demum tam ei quam cæteris rei ueritas fidem fecit . Egreditur exinde sermo inter fratres . curritur ad spectaculum tam iucundum . ipse etiam inter primos accurit episcopus et legatus . inde pergitur ad ecclesiam eo ipso qui couualuerat præunte† : conclamatur in laudes dei eodem pariter concinente : ruit undique populus . benedicitur christus . triumphat fides : infidelis quisque confunditur . exultat pietas : et impietas contabescit . Porro uir dei cellam ubi manebat ingressus . diligenter omnes obseruari aditus : obserari ianuas iubet : ne quis pateat introitus populo concurrenti . Cum autem per totum ab eadem prouincia reditum uiri sancti magis magisque signa crebrescerent : et multiplicarentur in dies : non prætereundum quidnam ipse inter hæc animi gereret : qui a christo humilitatem cordis et mansuetudinem didicisset . Disputans enim secum in cogitationibus suis : et ex ipsa demum locutus abundantia cordis sui : domesticis sibi religiosis quibusdam fratribus aiebat : Plurimum miror quidnam sibi hæc miracula uelint : aut quid uisum sit deo talia actitare per talem . Nil mihi uideor in sacris paginis super hoc genere legisse signorum . Sic enim facta sunt aliquando signa : per sanctos homines et perfectos facta sunt et per fictos . Ego mihi nec perfectionis conscius sum nec fictionis . Scio enim sanctorum mihi non suppetere merita : quæ miraculis illustrentur : confido autem nec ad eorum me pertinere : qui uertutes† multas in nomine domini operantur : et a domino ignorantur . Hæc et huius modi crebrius secretiusque uiris spiritualibus conferebat . Nouissime uero opportunum sibimet uisus exitum repperisse : scio inquit huiusmodi signa non ad sanctitatem unius sed ad multorum spectare salutem : et deum in homine per quem talia operetur non tam perfectionem consyderare quam opinionem : ut in eo commendet homnibus† : quæ illi | creditur inesse uirtutem . Neque enim pro eis fiunt hæc : per quos fiunt : sed pro eis magis qui uident illa : uel sciunt . Nec eo fine per eos ista dominus operatur : ut ipsos probet cæteris sanctiores : sed ut cæteros magis amatores et æmulatores faciat sanctitatis . Nihil ergo mihi et signis istis : quandoquidem meæ illa famæ magis quam uitæ nouerim exhiberi : nec ad meam fieri commendationem . sed ad communitionem potius aliorum . Satis ni fallimur huius uiri mirabitur animum quisquis hæc diligenti consyderatione pensauerit : nec præstantius reputabit estimator quisque fidelis signa atque prodigia mirabiliter operari : quam perpetrata taliter interpretari . Sibi quoque non minus utile iudicabit imitandos eius affectus quam mirandos actus : et morum insignia quam operum signa cognoscere . Sed ad hæc quis idoneis†? In huius siquidem pectore uiri dei pari fœdere puritas suauitasque consederant . satis quidem utraque mirabilis : sed mirabilior utriusque complexus . Inde nimirum tam singulariter in unum hominem totius orbis uota pariter concurrebant . quod puritatem suauitas amabilem faceret suauitatem puritas acceptabilem : ut difficile fuerit estimare gratiæ an reuerentiæ amplius obtineret . Quis enim tam rigidæ conuersationis : qui clareuallensem non sublimiter reuereretur abbatem ? Dulcissimis enim affectibus plenum pectus ipse gerebat : Sed quam libere eos : quotiens causa deposceret : cohercebat : humanissimus in affectione magis tamen fortis in fide : Et ut breue aliquod huius rei proferamus exemplum : sicut ipse quoque testatur in sermone super canticis canticorum uigesimo sexto siccis oculis germani sui . et germani tam necessarii tam dilecti Gerardi uidelicet celebrauit exequias . siccis oculis corpus eius tradidit sepulturæ . ne affectus fidem uincere uideretur . Nam extraneum quemlibet uix aut nunquam sine lachrymis sepeliuit . Talem sibi illum huberius perinde fructificaturum manus diuina formauerat : ut austeritatem suauitas morum tolleret . auctoritatem sanctitas conseruaret . Cui enim uel tanta benignitas || esset oneri uel tanta bonitas non esset

honori? Legimus de Salomone : quod omnis terra desyderauit uidere uultum illius . Grande preconium : sed forsitan in hac parte non minus quam Salomon hic . Neque enim satis credibile Salomonem illum in omni gloria sua tam uniuersalem orbis obtinuisse fauorem : quam hunc in sua humilitate . Imo uero difficile omnino uidetur : ex hystoriis aliquibus inuenire hominem unum conuersantem adhuc cum hominibus in uniuersa terra tam celebre et amabile obtinuisse nomen a solis ortu et occasu ab aquilone et mari . Vt enim illas memoremus prouincias : ex quibus usque hodie monimenta certiora superesse noscuntur : et in ecclesia orientali et apud soles occiduos hybernorum : et a meridie in remotis finibus hyspaniarum : et ab aquilone in insulis quæ procul sunt Daciæ Sueniæque† celeberrima eius opinio fuit . Crebras undique recipiebat epistolas et reddebat . Vndique ei exenia mittebantur : undique eius benedictio petebatur . Postremo quasi uitis abundantissima suos undique palmites propagauit : excepto quod in terram hierosolymitanam quamuis locus esset a rege paratus : ob incursus paganorum et aeris intemperiem non acquieuit mittere fratres suos . Neque uero episcopus ille incongruum aliquid usurpasse uidetur : qui post sacrum eius obitum dum fratres consolaretur : inter cætera hoc quoque in ipsius prosecutus est laudem : quia in omnem terram exiuit sonus eius . et in fines orbis terre . uerba illius . Vincebat tamen sublimitatem nominis humilitas cordis : nec tam poterat uniuersus eum mundus erigere : quam se ipse deiicere solus . Summus reputabatur ab omnibus : infimum ipse se reputans : et quem sibi omnes : ipse se nemini præferebat . Denique sicut nobis sæpius fatebatur inter summos quosque honores et fauores populorum uel sublimium personarum alterum sibi mutuatus hominem uidebatur : seque potius reputabat absentem : uelut quoddam somnium suspicatus . Vbi uero simpliciores ei fratres : ut assolet : fiducialius loqueentur† : et amica semper liceret humili | tate frui . ibi se inuenisse gaudebat : et in propriam redisse personam . Innata ei a puero uerecondia : usque ad diem perseuerauit extremum . Inde erat quod licet tam magnus esset et excelsus in uerbo gloriæ : nunquam tamen sicut sæpe eum audiuimus protestantem : in quolibet humili cœtu sine metu et reuerentia uerbum fecit : tacere magis desyderans : nisi conscientiæ propriæ stimulis urgeretur . timore dei . caritate fraterna . Patientiam eius maxime quidem flagellis dominicis exercitatam nouimus et probatam : quæ nimirum ab ipso suæ conuersionis initio usque ad diem sacræ depositionis tanta sustinuit : ut uita eius his qui nouerant non nisi quædam mortis protelatio uideretur . Cæterum erga homines quoque : et si rarior ei occasio minora forsitan patientiæ potuit experimenta præstare : dicendum tamen uel breuiter : ne huius quidem apparuisse eum uirtutis immunem . Et quia genus hoc patientiæ solitus erat dicere tripertitum† uidelicet ad uerborum iniurias . ad damna rerum . ad corporis læsionem : de singulis saltem singula proponamus exempla : quæ interim nobis occurunt . Scripserat aliquando dei famulus ad episcopum aliquem de curia et consilio regis : monens eum super quibusdam uerbis suadere regi et consulere meliora . At ille uæhementer exacerbatus amarissimam ei reddidit epistolam : dicens in ipsa salutatione prima : salutem et non spiritum blasphemiæ : tanquam uidelicet uir sanctus : quod horror est dicere : ex blasphemiæ spiritu illa scripsisset : Ad quod uerbum mansuetissimus christi seruus memor dominicæ responsionis : ego dæmonium non habeo : sicut hodieque extans eius epistola continet : minime quidem ait spiritum blasphemiæ habere me credo . sed nec maledixisse cuiquam : aut maledicere uelle me scio . præsertim principi populi mei . Nec minus postea carum nec minus familiarem eundem episcopum habuit : sed eulogium† illud prædictum apud eum sic fuit quasi non dictum . Abbas farfensis conuentum fratrum a claraualle uocauerat monaste || rium eis ædificaturus : sed romanus impediuit antistes : et sibi tollens eos in loco altero ordinauit . unde plurimum dolens prædictus ille uir magnus et magnæ deuotionis : collectam peccuniam sexcentarum fere marcarum argenti deposuit sub chirographo : quas ad dei hominem ueniens obtulit ei rogans : ut quod non meruerat in partibus suis : uel citra alpes nouum exinde cœnobium conderetur . Missum est pro argento : et totum prorsus amissum . Nec respondit aliud homo dei : cum ei nunciaretur quam benedictus deus : qui nobis pepercit ab onere . Nam et illis inquit qui tulere leuius indulgendum . sunt enim romani . et pecunia uidebatur immanis : ac uæhemens fuit ipsa temptatio . Gratulari etiam consueuerat : decem circiter monasteria uel ædificandis monasteriis loca congrua numerans : fraudulenter sibi et uiolenter

ablata : dum contendere nollet : et magis eum uinci : quam alios uincere delectaret . Veniens aliquando claramuallem clericus quidam ex his : quos regulares canonicos uocant : importune satis instabat : ut in monachum reciperetur . Suadente patre sancto ut ad suam reuerteretur ecclesiam : nec acquiescente recipere eum : ut quid ergo ait ille : in libris tuis tantopere perfectionem commendasti : si eam desyderanti opem renuis exhibere ? Et maligno spiritu iracundiæ uæhementius instigatus : sicut postmodum euidenter apparuit : iam inquit si illos tenerem discerperem libros . Cui uir domini : puto ait in nullo eorum legisti : non posse te in tuo claustro esse perfectum . Morum correctionem non locorum mutationem : si bene memini in libris omnibus commendaui . Tum uero impetum faciens homo uelut insanus in eum . percussit maxillam eius : idque tam grauiter : ut succederet statim rubor ictui . tumor rubori . Iam qui aderant in sacrilegum inuolabant sed præuenit eos seruus domini clamans : et adiurans per nomen christi : nullatenus eum tangere : sed educere caute et curam eius habere : ne ab aliquo ei uel in aliquo noceretur . Quod tam districte præcepit : ut miser ille timens et tremens | absque omni iniuria eductus sit et deductus .

Et quidem in libertate spiritus dei famulus excellenter enituit cum humilitate et mansuetudine tamen : ut quodammodo uideretur et uereri nemiuem† : et omnem hominem reuereri . Increpatione rarius utebatur : monitis potius et obsecrationibus agens . Quam uero inuitus et non ex cordis amaritudine uerbum proferret amare : ex eo maxime animaduertebatur : quod perfacile eiusmodi impetum cohiberet . Siquidem mirabatur hominum improbitatem : quos aliquando forte turbatos excusationem quamlibet rationabilem . satisfactionem quamlibet humilem admittere grauat : quod ipsa suæ turbationis passio miseros sic delectet : ut oderint omne remedium : ut contineant aures . claudant oculos . obiiciant manus . et omnimodis satagant : ne semel orta commotio sedari ualeat et sanari . Eisu† tamen obiurgationem non minus facile aliquando compescebat grauis et turbulenta responsio : quam humilis et modesta : ut ab aliquibus proinde diceretur cedenti insistere . cedere resistenti . Dicebat enim ubi resonat utriusque modestia dulcæ esse colloquium : ubi uel ex parte altera utile : ubi ex neutra pernitiosum . Vbi enim hinc inde duricia sonat : iurgium est : non correctio : nec disdiplina† sed rixa : ut deceat magis interim dissimulare prælatum : et commotione sanata utilius castigare subiectos : aut certe : si ita res exigit : obseruare consilium sapientis : quia stultus non corrigitur uerbis . Loquitur ipse de increpationibus minus utiliter : minus patienter acceptis . in sermone super cantica canticorum quadragesimo secundo inter cætera dicens : Vtinam neminem obiurgare necesse sit : hoc enim melius . Sed quoniam in multis offendimus omnes : mihi tacere non licet : cui ex officio incumbit peccantes arguere : magis autem urget caritas . Quod si arguero et fecero : quod meum est : illa autem procedens increpatio minime quod suum est faciat : neque ad quod misi illam : sed reuertatur ad me uacua tanquam iaculum feriens et resiliens : quid me animi tunc || habere putatis fratres ? Nonne angor : nonne torqueor ? Et ut mihi usurpem aliquid ex uerbis magistri : quia de sapientia non possum : prorsus coarctor e duobus : et quid eligam nescio . placere ne mihi in eo quod locutus sum : quoniam quod debui : feci . an pœnitentiam agere super uerbo meo : quia quod uolui non recepi . Et infra : Dicas forsan mihi : quod bonum meum ad me reuertatur : et quia liberaui animam meam et mundus sum a sanguine hominis : cui annunciaui et locutus sum : ut auerteretur a uia sua mala et uiueret . Sed et si innumera talia addas : me tamen minime ista consolabuntur : mortem filii intuentem . Quasi uero meam illa repræhensione liberationem quæsierim : et non magis illius . Quæ enim mater etiam si omnem quam potuit curam et diligentiam ægrotanti filio adhibuisse se sciat : si demum se frustratam uiderit : et omnes labores suos esse penitus inefficaces : illo nihilominus moriente : propterea nunquam a flætibus temperabit ? Et hæc hactenus . De cætero tantus æmulator erat mansuetudinis et pacis : ut si forte improbus quisque petitor durius extorsisset a negante responsum : haud facile deinceps cum eadem repulsa dimitteretur inanis . Siquidem uelut naturaliter ut fatebatur oderat omne scandalum : et grauamen cuiuslibet hominis sustinere ei ad modum graue : non sentire impossibile erat . Adeo neminem spreuit . nullius hominis scandalum paruipendit : et si ueritatem dei iusticiamque prætulerit . Nam et quotiens oporteret noxios aliquorum uel repræhendere actus . uel impedire conatus : tam considerate fiebat ; ut abundanter ipsi quoque qui læsi uiderentur : habe-

rent unde sibi pro eo satisfacerent in cogitationibus suis . Sane uidimus ex ipsis quoque nonnullos : et de quibus minus id uidebatur posse sperari : ampliori deuotione eius postmodum uel obsequiis deseruisse : uel etiam adhæsisse uestigiis . Dicitur tamen et inuidos habuisse : ut et haberet meritum ex eis : Cæterum tam singulariter eminebat gloria nominis eius : ut pestis illa magis desperatione quam liuore tabesceret : et ti | meret agnosci . Quin etiam humilitate eius et mansuetudine uincebatur . beneficiis suffocabatur o .† bruebatur obsequiis . Nimirum doctus erat uincere in bono malum : sicut ad quosdam fratres scribens inter cætera ait Adhærebo uobis : et si nolitis : ad hærebo : et si nollim ipse : Inuitis præstabo . ingratis adiiciam . honorabo et contemnentes me . Vsque adeo siquidem omnes homnes† germano amplectebatur affectu : ut eorum scandalo : sicut ipse fateri solebat : grauius ureretur : quibus nullam uideretur occasionem scandali præbuisse . Plus enim piissimum pectus gratuitum affligebat alterius scandalum : quam proprie immunitas conscientiæ solabatur . Siquidem minus sperabat posse sanari : quod unde procederet non uidebat : magnum sibi e regione solatium fore perhibens . quotiens inueniret unde satisfacere posset : uel homini pro se uel deo pro homine non sine occasione turbato . Erga omnium quidem homnium† spiritale commodum incommodumue amplius afficiebatur : et summum ei desyderium : et summum gaudium erat animarum fructus . conuersio peccatorum . Et corporeas tamen necessitates piissimo miserabatur† affectu : Cuius tanta erat humanitas : ut non modo hominibus sed irrationabilibus etiam auibus compateretur et feris : nec compatienti deerat uirtutis effectus . Contigit enim aliquotiens : ut iter agens fugitantem et ut uidebatur protinus capiendam uel lepusculam a canibus uel auiculam ab accipitribus signo crucis edito mirabiliter liberaret : diceretque sequentibus : frustra sese conari : nee† ullatenus se præsente eiusmodi exercere posse rapinam . Hæc nos quidem de sacris moribus patris nostri : pro modulo nostro snb† breuitate perstrinximus . Cæterum longe eminentius in suis ille libris apparet et ex litteris propriis innotescit : In quibus ita suam expressisse uidetur imaginem : et exhibuisse speculum quoddam sui : ut illud quoque ambrosianum merito illi posse uideatur aptari : Laude ipse se sonet : et laureatus spiritu scriptis coronetur suis . Si quis enim nosse desyderat quam sollicitus ab inicio sui ipsi || us diiudicator et scrutator extiterit : primum opus illius de gradibus humilitatis inspiciat . Inde si quæritur piæ mentis religiosa deuotio : transeundum ad omelias in laudibus uirginis matris : et illum : quem de diligendo deo edidit librum . Si feruens contra suorum vel aliorum uitia zelus legatur : is quem apologeticum uocat . Si uigil in zelo cordis et circumspecta discretio de præcepto et dispensatione disserens audiatur . Quam uero fidelis cuiuslibet piæ conuersationis commendator fuerit et adiutor : exhortatorius ad milites templi sermo declarat . Quam non ingratus gratiæ dei : ex his liquet : quæ de gratia et libero arbitrio tam fideliter quam subtiliter disputauit . Quam liber in uoce . quam disertus et in rerum superiorum pariter inferiorumque scientia locuples : in iis quæ ad papam Eugenium de consyderatione scripsit : diligens consyderator agnoscet . Quam deuotius prædicator alienæ sanctitatis : tam diligenter episcopi sancti Malachiæ uitam prosecutus ostendit . Nam in sermonibus super cantica et indagator mysteriorum et morum ædificator magnificus innotescit . In epistolis quas ad diuersas personas ob negotia diuersa dictauit : prudens lector aduertet quo feruore spiritus iusticiam omnem dilexerit : omnem æque oderit iniusticiam . Fidelis et enim seruus christi non querebat aliquid suum : quidquid tamen erat christi : sic curabat ut suum . Quæ enim scelera non arguit : quæ odia non extinxit : quæ scandala non compescuit . quæ scismata non resarciuit . quas hæreses non confutauit ? quid uero sanctum . quid honestum . quid pudicum . quid amabile . quid bonæ famæ . quid uirtutis aut laudabilis disciplinæ . suis ortum in qualibet regione diebus non roborauit eius auctoritas . non fouit caritas . diligentia non promouit ? Quid ante promotum dilatari amplius non optauit . quid forte collapsum non totis pro loco et tempore uiribus egit : ut repararetur ? Quis maliciam quancunque disponens eius zelum et auctoritatem non timuit ? quis proponens quodcunque bonum : eius si potuit : non consuluit sanctita | tem . non desyderauit fauorem . opem non flagitauit ? Quis ad sacrum in eius pectore habitantis templum diuinitatis de quacunque tribulatione fideliter clamaturus accessit . et inefficaciter laborauit ? Mæstus ab eo solatium . afflictus auxilium . consilium anxius . æger remedium . pauper subsidium reportabat . Ita sese

omnium fecerat seruum ac si toti genitus orbi : ita tamen liber ex omnibus conscientiæ suæ curam gerens : tanquam soli deditus curæ et custodiæ cordis sui .

Oliua spetiosa . uitis fructuosa . palma florida . cædrus multiplicata : platanus exaltata . Vas electionis . uas honoris in domo dei : uas auri solidum ornatum omni lapide precioso . Fide et sanctitate solidum : sed et uariis charismatibus tanquam gemmis præciosis ornatum . Quo præsente omnis sanctitas exultabat . omnis erubescebat impietas . iuxta illud : Videbunt recti et letabuntur : et omnis iniquitas obturauit os suum . Quo præsente cælebris quisque conuentus uelut quodam sole resplenduit : absente caliginosus : et quodam modo mutus apparuit : Cuius denique medicinalis manus et lingua morbos utraque curabat : illa corporum ista morum . Et nunc iam super iis quæ in signis exterioribus et uirtutum multiplici exhibitione consistunt : Secundus : ut promissum est in præfatione : libellus aliquanta narrabit .

EXPLICIT LIBER PRIMVS . INCIPIT SECVNDVS .

Sicut sermone super cantica ancticorum† uigesimo quarto seruus domini Bernardus clareuallensis gratulatur : et gratias agit illi . tercio quidem reditum ab urbe suum clementior e cælo respexit oculus : et serenior tandem uultus arrisit : quod quieuisset rabies leonina : ac cœpisset finem malicia . recepisset ecclesia pacem . Tanta uero exultatione ecclesia illum gallicana recepit : ut non minorem uideretur de suo reditu exhibere quam de pace reddita nunciare læticiam . Vnde etiam mirari || ipse sæpiusque causari : quod dum sibi post tam graues frequentias hominum et tumultus uelut ab exordio uale faciendum sæculo iudicaret : et tanquam de nouo adoriendum sacræ propositum conuersationis : tunc potissimum huberioribus exciperetur gaudiis . obsequiis coleretur . Rediens autem pater sanctus ab urbe ex sanctorum apostolorum martyrumque corporibus exenia secum retulit præciosa : haud modicum hunc sui reputans fructum esse laboris : Inter quæ beati Cæsarii dentem quonam modo receperit memorandum . Cum enim integrum ei prædicti martyris caput exhiberetur : ut tolleret inde : quod uellet : dari sibi petiit dentem unum . Frustra uero aliquandiu fratres qui cum eo uenerant laborantes concessum sibi trahere penitus non ualebant . Fractis enim cultellis duobus aut tribus quos applicuerant : nihilominus adhuc dens immobilis permanebat . Cum ille orandum nobis ait : Nec enim habere possumus : nisi martyr ipse concedat . Facta denique oratione reuerenter accedens incredibili facilitate duobus tulit digitis : quod ferreis ante moueri non poterat instrumentis .

Fratres autem hyerosolimitani templi fidelis militiæ professores : cum nouam habere eo tempore domum in urbe cœpissent : redeunte prædicto patre specialique patrono suo tunicam eius pro eximia benedictione seruabant : Apud quos eodem anno sacerdos quidam grauissima febre correptus sine ulla spe egrotabat . Vt autem omnino deficiens deuenisse uisus est ad extrema : portari sese in oratorium et prædictam beati uiri supponi sibi tunicam fecit in sola positus expectatione exitus mortis : Cum subito raptus in quendam mentis excessum : ac ueluti iam carne solutus uidere sibi uisus est corpus suum eodem quo iacebat loco exanime : iam circumdatum multitudine sacerdotum apertos tenentium libros : et celebrantium exequias ex more sollemnes . Nec mora . in uultu habituque prædicti patris sancti reuerenda quædam persona prodiens ex altari manu illis innuit : ut tacerent : uoce pariter prohibens ne mortuum | reputarent : cuius uitam clareuallensi abbati donauerat deus . Confestim denique ad se rediens sanum se repperit : et quod uiderat fratribus indicauit : Qui quidem ut a fidelibus uiris nuper accepimus : hodieque superstes et in partibus aquitaniæ degens : beneficium quod accepit sedule confitetur ipsius præconio : cuius merito sit uiuens . Si quis hoc minus miratur : animaduertat de beato Nicholao ex innumeris : quibus est decoratus miraculis in natalis eius annua commemoratione tanquam eximium commendari : quod imperatorem Constantinum ab interitu quorundam longe constitutus per uisum deflexit . Nec illud dissimile est : quod adnectimus :

Abbas Gerardus de Moris quod est monasterium proximum Clareualli testatus est nobis : uidisse se eum aliqnando† psallentium fratrum circuire choros : et sicut frequenter agebat excitare torpentes ita : ut affectuosius et uirilius psalleretur : quod reliquum fuit uigiliarum . Cumque die sequenti apud eum familiariter causaretur : tardius illum quam oportuerat ea nocte uisitasse psallentes : ego ait nocturnis horis

corporeo occupabar incommodo . sed quo non potuit corpus : spiritus uenit . Expauit ille audiens non affuisse in corpore . quem tandiu ipse corporeo spectasset obtutu circueuntem utrumque chorum : et ut consueuerat manum singulis imponentem .

Ad multorum aures famam credimus peruenisse uiri uenerabilis Vilielmi : qui olim Montis pessulani dominus : nunc uerus christi pauper et humilis monachus degit in cœnobio : quod Grandissyilua† uocatur . Ipsius relatione didicimus : quod dicturi sumus : sicut ab eius ore : cui contigerat : se accepisse dicebat . In ciuitate accitanorum† : quæ metropolis est Gasconiæ : miles quidam infirmabatur . Cuius cum inferiores corporis partes a renibus et deorsum morbus sæuiens occupasset : erat diebus multis lectulo decubans . non modica parte præmortuus . Conpunctus denique et confisus de misericordia dei ad seruum eius : cuius circumquaque tam celebris sese uirtutum fama diffu || derat : quocumque labore se præcepit deportari . Iam per dies aliquot proiesserat† . profeceratque non minus in fide et deuoiione† quam in itinere ipso : cum miseratus hominem deus mirabiliter satis : et infirmitati eius subuenire dignatus est : et parere fatigationi . Occurens enim quidam in uia : quisnam esset : aut quo tenderet inquisiuit : Acceptaque itineris eius necessitate : ego ait ex parte sancti illius tibi præcipio : ut reuertaris : sciens quod ubi domum ueneris : sanus eris . Persuasit illi deus : ut crederet : cuius nimirum dispositione omnia gerebantur . Rediit : rediensque paulatim recepit eam quæ sibi promissa fuerat misericordiam : ut non prius domum pertingeret : quam plenariæ donum reciperet sospitatis . Verum ille : quotiens tale aliquid contigisset audire : non minus humiliter quam iucunde refutans dicere consueuerat : Hoc enim mihi sic imputandum : sicut ei qui conscius omnino non fuit .

In monasterio cui nomen est Bellauallis prope urbem Chrysopolim homo : quidam a dæmone uexabatur . mira eo instigante faciens . mira loquens . Post multas igitur orationes fratrum cum improbe persisteret illa nequitia spiritalis : recordatus est uenerabilis Abbas loci illius Pontius hodieque superstes : habere se stolam qua beatus pater aliquandiu usus fuerat in oblatione hostiæ saluraris† . Nec cunctatus tulit protinus arma potentia deo : et fiducialiter aggressus est inimicum . Vix limen attigerat cellulæ : in qua miser homo iacebat : cum subito ille malignus horrendis uocibus uictum se profitens : en inquit egredior : recedo protinus . manere ultra non possum . Respondente autem Abbate per nomen domini et ipsius beati uiri meritum cuius hæc stola fuit tibi præcipio : exi citius : ne moreris : continuo dæmon fugatur ab homine . homo a dæmonæ liberatur . Quis alter non periculosæ forsitan exultasset . usque a deo sibi spiritus esse subiectos : ut cederent et absenti ? Verum ille Abbate ipso nunciante nil motus : magisque subsannans eos quos uidebat magna super hoc ammi | ratione moueri : hæc eadem uerba respondit : Quidni facile nos duo præualuissemus in unum . leuiter illum eiicere potuit deus : præsertim cum ego ei socius datus sim et adiutor . huiusmodi nempe responsis in huiusmodi rebus sæpius utebatur . Nouerat siquidem uerus et uerax non ostentator sed æmulator humilitatis efficacius dissuaderi posse hominibus : quod stupebant obliqua quadam et artificiosa obiectione . quam aperta excusatione : quæ humilitatem magis prædicabilem præferendo estimationem non minueret hominem sed augeret . Vnde quodam loco ex propria loquens experientia : uerus inquit humilis uilis uult reputari : non humilis prædicari .

Illud quoque notissimum fuit : quod adhuc in carne degens : apparens autem in spiritu fratri cuidam obitus sui prænunciauerit diem . Infirmabatur nouicius quidam frater in claraualle bonæ conuersationis et bonæ indolis adolescens . Nec longe aberat dies : qua post aminuam† ex more probationem nouum indueretur hominem : si non prius hominem exuisset . Siquidem consummatus in breui expleuit tempora multa : placita enim erat deo anima illius . Quinto igitur die ante ultimum diem suum uisitante se fratre quodam idem nouitius exhilaratus plurimum inter alia spirttualis† gratiæ uerba : ecce inquit quinta moriar die . Hodie enim mihi pater noster dominus Abbas apparuit cum multitudine monachorum : et blanda consolatione refouens : quinta die moriturum me esse dicebat . Exiit sermo inter fratres : et ante quam impleretur diuulgatum est uerbum . Expectabatur ab omnibus dies illa : sed præ omnibus ille beatus in expectatione sua fuit . Iam dies quinta inclinabatur ad uesperam . illius autem spiritus magis ac magis eleuabatur ad dominum . Demum circa undecimam

horam in ipso mortis agone positus . obducto prorsus ut assolet lumine oculorum : et nemini iam intendens ad exitum festinabat . Interim uisitans eum pater sanctus uelut ab alto somno reuocat : et quasi retrahit commeantem : nec insalutatum abire permittit . Ad cuius uocem aperiens oculos : et mi || rum in modum facie serenata aliquandiu intendebat in eum . Mirabamur omnes mortalem hominem imo iam morientem eatenus triumphare de morte : ut in ipso mortis articulo exultaret in gaudio . pulcherrime nobis illud exhibens poetæ : Incipe parue puer risu coguoscere† matrem . Tum uero consolans eum pater sanctus nihil timere iubet : sed recto protinus cursu pertingere ad dominum Iesum christum : et offerre ei humilem pauperis suæ familiæ salutationem . ad hanc uocem qua potuit capitis inclinatione et motu annuens labiorum : iterum clausit oculos : et eadem hora in pace quieuit .

Multa quidem huic dei famulo reuelata per spiritum : multa sine præcedenti reuelatione mirabiliter ab eo prædicta cognouimus : Ex quibus exempli gratia pauca subnectimus . Cum esset aliquando pater sanctus in urbe nouiomensium in domo episcopi Symonis : adductus est ad eum Herueius de Baugenceio puer admodum graciosus ortus ex regio sanguine et ipsius episcopi nepos . De quo sequenti nocte famulo suo christus ostendit : quod erat post tempora longa futurum . Siqnidem† uidebatur sibi tanquam in missarum celebratione angelo cuidam pacis osculum dare : quod ad puerum deferretur . Nec dubius de reuelatione : eundem Herueium renunciaturum sæculo . et futurum aliquando deuotum christi famulum ptomittebat† . Quæ promissio tam celebris extitit et uulgata : ut ipse quoque Herueius nobis postea fateretur : adolescenti sibi ad omnes arguentis conscientiæ stimulos semper occurrere : impossibile esse : ut post uiri sancti tale promissum in sæculari habitu moreretur . Nec fraudatus est a spe sua . Siquidem uenerabilis Guallerannus Vrsicampi cœnobii primus abbas monachum illum fecit : et angelico functus officio pacem quam ex ore patris sancti ipse susceperat communicauit Herueio : Cuius talis postmodum apparuit conuersatio : ut tali dignus oraculo uideretur . Nam et prædicto Gualleranno in regimine monasterii Vrsicampi ille suc | cessit et nouissime obitum suum imminentem sanus adhuc et incolumis eodem Gualleranno per reuellationem sibi annunciante præsciuit atque predixit .

Et quod addimus huic simile fuit . Patrem sanctum fines parrhisiorum aliquando peragrantem : ad ipsam diuertere ciuitatem : episcopus Stephanus et cæteri omnes pariter qui aderant obnixe rogantes : non poterant obtinere . Magno siquidem zelo nisi causa grauis urgeret : conuentus publicos declinabat . Cumque uespere iter suum alias ordinasset : mane ubi primum locutus est fratribus : dicere iubet episcopo : quia parrhisius ibimus : ut rogasti . Conueniente igitur clero admodum copioso : sicut semper ab eo solebant expetere uerbum dei . continuo tres ex illis conpuncti sunt : et conuersi ab inanibus studiis ad ueræ sapientiæ cultum : abrenuntiantes sæculo et dei famulo adhærentes : Quorum ille primum intuens cum subito inter loquendum surgeret : peteretque uestigia eius : inclinauit se modice : et fratri cuidam propius assidenti in aure locutus est dicens : Istum ego sicut nunc uideo uenientem : nocturna uisione preuidi : propter quem etiam dominus nos adduxit . Qui nimirum nouitius in multa postmodum puritate et deuotione conuersatus : plurimumque acceptus deo et hominibus in claraualle post annos aliquot beato fine quieuit .

Apparuerunt aliquando uiro dei in trecensium urbe posito uenerabiles eius filii iam quidem carne soluti Galdricus et Gerardus : quorum etiam secundum carnem alter germanus alter auunculus eius extiterat . Cumque uelut accelerantes ocius pertransirent : reuocanti et retinere uolenti respondebant : eundem sibi pro fratre Gaufrido monacho : qui eorundem a prima conuersione socius strenue satis in multis cœnobiis extruendis militauerat deo . Continuo pater sanctus excitatis fratribus accelerari iubet : et ad monasterium ueniens ipso die : sicut eis prædixerat : eundem maufridum† iam positum requirit in extremis . ||

Fidelissimum principem comitem Theobaldum in magna tribulatione probatum non minus mirabiliter quam misericorditer dominus liberauit . Is nimirum potentissimus in regno et secundus a rege totus :† tamen eleimosynis deditus et studio pietatis intentus : omniumque seruorum dei sed spetialiter Bernardi clareuallensis amator deuotissimus erat : Quem eatenus impugnari et affligi passus est deus : ut rege pariter et uicinis potentibus fere cunctis coniurantibus aduersus eum : usque adeo de eius eua-

sione desperaretur : ut publicæ quoque iam insultaretur religioni . pietati detraheretur . eleimosynis derogaretur . Monachi et conuersi inutiles eius milites et balestrarii dicebantur . Nec modo apud extraneos sed in ipsis quoque eius ciuitatibus et castellis eiusmodi iam blasphemiæ personabant . Denique congregatis aliquando episcopis pluribus aliisque personis : præsente etiam uiro dei dum super his agerent : et colloquerentur : episcopus quidam eo tempore auctoritate et opinione prudentiæ celeberrimus aiebat : In manu regis est comes Theobaldus . non est qui possit eruere . Respondente alio quodam antistite est qui possit liberare eum : multum ille miratus : quisnam crederetur posse quærebat . Demum audiens : quia potest eum eripere qui omnia potest deus : non parum substomachans : potest inquit si manifestus appareat . si clauam teneat . si hinc inde percutiat . sed hactenus ista non fecit . In tanta igitur desperatione : cum prædictum principem uæhementer urgerent extranei : grauius tamen impugnarent : qui ab eo defecerant uniuersi pene potentes homines sui : nec minus illum affligerent : pauci qui residui uidebantur ex aliorum defectu ipsi quoque suspecti : lingonensis episcopus Godefridus frequenter et familiariter dei hominem consulebat : quidnam slbi† dominus super his reuelaret : Cui ille cum iam sæpius respondisset : nihil sibi apparere nisi tribulationem super tribulationem : demum aliquando sciscitanti ait : quia quinto mense pax erit . Sane ultima die quinti mensis reformata est pax : ipso quidem et orante et operante | ut non esset ambiguum eius potissimum studio et merito piissimum illum principem a tam grauibus imminentibusque periculis liberatum .

Ingressus aliquando seruus christi germaniæ regnum festinabat ad partes moguntinorum pacem reformaturus inter Regem Lotharium et predecessoris eius imperatoris Henrici nepotes Conradum scilicet qui Lothario postea successit in regnum . et Phredericum patrem huius Phrederici : qui post Conradum electus obtinet hodie principatum . Venerabilis autem metropolitanus moguntinorum Albertus honorabilem quendam clericum nomine Mascelinum uiro dei obuiam misit . Hic igitur Mascelinus cum a domino suo missum se esse diceret ad seruiendum ei : paulisper intuitus illum uir dei : alius inquit dominus ad sibi seruiendum te misit . Expauit teutonicus : et miratus quid dicere uellet : firmius asserebat a domino suo moguntino sese archiepiscopo destinatum . E contra seruus cbristi† falleris ait : maior dominus est : qui misit te christus . Tunc demum intelligens homo : quorsum uellet uibrare sermonem : putas inquit quod monachus fieri uelim ? Absit a me . non cogitaui : nec ascendit super cor meum . Nihilominus tamen renuente illo : dei famulus affirmabat omnimodis fieri oportere : non quod ipse de se cogitauerat : sed quod de eo disposuerat deus . In eodem denique itinere conuersus ad domiuum† sæculo uale fecit : et cum aliis pluribus litteratis honoratisque personis quas collegit eo tempore seruus christi ipse quoque sibi sicut predictum fuerat secutus est eum.

Henricum quoque germanum regis francorum : qui beluacensem hodie cathedram ornat : non dissimili dominus conuersione mutauit . Accidit enim : ut ueniens idem Henricus ad hominm† dei super quodam sæculari negotio locuturus : conuentum etiam fratrum uisitans eorum sese orationibus commendaret . Cui pater sanctus inter uerba sanctæ exhortationis confido ait in domino : nequaquam in eo te moriturum in quo nunc positus es : sed uelociter experimento proprio probaturum || quantum tibi istorum prosit oratio quam expetisti . Quod eodem postmodum die non absque multorum admiratione completum est : et de tanti iuuenis conuersione cœnobium omne exultatione repletum .

Lugentibus autem sociis et familia tota ac si mortuum illum cernerent eiulante : præ cæteris Andreas quidam parrhysiensis Henricum ebrium Henricum uociferabat insanum : nec conuiciis nec blasphemiis parcens . E contra sane idem Henricus pro illius potissimum conuersione dei hominem dare operam præcabatur . Cui uir sanctus audientibus multis dimitte ait hominem . modo enim anima eius in amaritudine est : nec pro eo multum sollicitus sis : quia tuus est ille : Cumque amplius spe concepta Henricus instaret : ut loqueretur Andreæ : Sæuerius intuitus eum uir dei : quid hoc est ait ? Numquid non iam dixi tibi : tuus est ille ? Audiens hæc Andreas : astabat enim et ipse : sicut plurimum improbus erat et a sacra conuersatione uæhementer abhorrens : talia secum : ut hodie fatetur : tacita cogitatione uoluebat : In hoc nunc scio falsum te esse prophetam . Hoc enim certus sum : quia locutus es uerbum : et

non fiet . Hoc tibi ego coram rege et principibus in celebri quocumque conuentu improperare non parcam : ut tua omnibus falsitas innotescat . Cæterum quam mirabilis deus in consiliis super filios hominum : ridens eorum uana conamina : ut propositum suum quando et quomodo ipse uoluerit impleatur . Siquidem die altera ibat Andreas mala omnia impræcans monasterio : ubi dominum dimitebat : ipsam quoque desyderans uallem funditus subrui cum habitatoribus suis : Nec parum moti sunt et mirati : qui prædictum uiri sancti de ipso audierant uerbum : cum taliter uideretur abire . Sed non diu pusillanimitatem eorum et fidem modicam temptari passus est deus . Illa tantum die procedens et repellens quodam modo gratiam dei : nocte proxima uictus et quasi uinctus : trahente se et uim faciente spiritu dei : diem expectare non potuit : sed exurgens ante diluculum : uelociterque ad monasterium rediens alterum nobis Sau | lum uel magis de Saulo altero Paulum alterum exhibebat .

Inter cæteros quos de uana conuersatione huius sæculi per ministerium serui sui christus eripuit . de partibus flandriæ multi aliquando nobiles multi sapientes et litterati uiri sub ipsius magisterio sacram professi sunt seruitutem : Quorum primus uidebatur Gaufridus ille de Perona : qui postmodum in Claraualle prioris officio functus est : et defunctus in eo : In quibus euidenter satis euangelicum illud impletum est : multi dicent uobis : ecce hic est christus . ecce illic . plurimis enim persuasionibus actum est cum eis : ut aliam magis eligere professionem et loca alia debuissent . Donec occurrit dei famulus iam prope dispersis et in uerbis gratiæ quæ procedebant de ore eius : pristina omnis hesitatio facta de medio . et omnium pariter in ipsius consilio irrefragabiliter est firmata uoluntas . Quod quidem non sine subita et penitus insperata quorundam ex ipsis mutatione factum est animorum . Denique cum iam hominem dei sequeretur predictus ille Gaufridus : grauissima cœpit temptatione pulsari . Intuitus autem illum unus e fratribus quid est inquit : quod facies tua exterminata et tristiciæ quodam nubilo grauiter obuoluta uidetur ? Cui Gaufridus : scio inquit scio quod nunquam amplius lætus ero : Quod uerbum cum ad dei famulum idem frater satis anxius retulisset : uidens ille Basilicam prope uiam : per quam gradiebantur diuertit : et ingressus orabat . Cæteris autem foris præstolantibus : Gaufridus ille grauatus tædio super lapidem obdormiuit . Demum cum ambo parirer† surrexissent : ille de oratione ille de somno : apparuit idem Gaufridus tanto iocundior et hilarior cæteris . quanto tristior prius : Cumque ei prædictus frater uerbum mesticiæ quod locutus fuerat amicabiliter improperaret : et si tunc inquit dixi : nunquam amplius lætus ero : sed nunc dico nunquam amplius tristis ero .

Idem quoque Gaufridus primo tempore tyrocinii sui pro patre suo uiro nobili et potenti quem in sæculo relique || rat filiali pietati sollicitus : patrem sanctum pro eius conuersione rogare dominum affectuosius exorabat : Cui uir dei ne timeas inquit : ego illum probatum monachum manibus meis in hac Claraualle sepeliam . Vtrumque secutum est . et perfectus monachus factus est : et a parte† sancto sicut ipse prædixerat in Claraualle sepultus . Tanquam enim mori illo absente non posset : quinto mensibus infirmatus . creberrimum imo continuum in se ipso responsum mortis habens : sustinuit donec pater sanctus rediret : qui : ut olim promiserat : eum traderet sepulture .

Domnus abbas Imardus cisterciensis quem ex Claraualle assumptum pater sanctus et amplectebatur ut filium : et reuerebatur ut patrem : ob quorumdam monasteriorum ordinationem prouinciæ partes intrauerat : De quo uir dei in Claraualle consistens : dum fratri cuidam loqueretur : subita inspiratione permotus : domnus ait cisterciensis aut mortuus est : aut in proximo moriturus . Nec parum frater ille miratus est audiens uerbum : magis tamen obstupuit : cum eiusdem abbatis obitum post dies paucos audiret nunciari .

Pernoctabat aliquando dei famulus in oratione in suo claraualensi cœnobio constitutus : et solita intentione dominum precabatur . Contigit autem eadem hora pauperem quendam et uere pauperem spiritu in cella hospitum mori : Cuius animam cum uocibus canoris in cælum deferri pater sanctus audiuit : et interrogatis mane fratribus qui affuerant : illam fuisse horam obitus eius comperit : qua prædictas audierat in sublime tendentium uoces .

Cum beatus episcopus Malachias cuius uitam uirtutibus plenam uir sanctus studiose descripsit iuxta desyderium cordis sui : Claraualle beatam cælo animam reddi-

disset : offerens pro eius transitu uenerabilis Abbas hostiam salutarem : gloriam eius domino reuelante cognouit : et eodem inspirante . sacrificio iam expleto : formam mutauit orationis : et collectam intulit : quæ ad sanctorum pontificum cælebritates : | non ad commendationes defunctorum pertinet : ita dicens : Deus qui beatum Malachiam pontificem sanctorum tuorum meritis coequasti : tribue quesumus ut qui pretiosæ mortis eius festa agimus : uitæ quoque imitemur exempla . Deinde reuerenter accedens : sacra eius uestigia deuotissime osculabatur . Modum tamen aut seriem uisionis nec cuiquam aperire nec in eiusdem episcopi uita scribere adquieuit : hoc tantum respondens : cum plurimum rogaretur : nimis ad propriam sui ipsius pertinuisse personam .

Super his quæ ad gratiam pertinent sanitatum : tam multa per hunc famulum suum operatus est christus : ut in eo uideretur quoque exhibere : quod de ipso Iohannes euangelista testatur : si omnia scriberentur : ne ipsum quidem mundum capere eos qui scribendi fuerant libros . Ceteerum† nos saltem pauca de pluribus exempli gratia proferamus .

Castrum iullanum† accole uocant : quod a Claraualle : ut aiunt : sex miliariis distat : Vbi mulier pregnans tempus omne transierat pariendi : et aliquantis mensibus iam decursis cum necdum pareret : amplius mirabatur : Cuius eousque dillatus est partus : ut morbus potius uideretur : nec iam crederetur pregnans esse sed tumens . Quis enim credere posset infantulum anno integro intra uiscera posse materna teneri? Desperata igitur mulier ad monasterium uiri dei ducitur : sic se habens . Sistitur ad portam misera : et portario fratri causa tam miserabilis intimatur . Rogatus ille et inaudito compassus incommodo supplex adiit patrem sanctum . fideliter ei necessitatem indicans mulieris : fideliterque explens negocium susceptæ legationis . Et o mira diuinæ uirtutis operatio : mirabilius accelerantis quod mirabiliter tardabatur . Tanquam enim hoc solum tanto tempore oriturus expectauerit infans . hora eadem fœmina peperit : et precurrente remedio : ad portam rediens frater ille . incommodum quod nuntiauerat non inuenit . ||

Alio tempore in territorio autisiodorensi apud oppidum quod Cona uocatur : mulier quædam periclitabatur multis diebus : quod uenisset filius usque ad partum : et uires non haberet parturiens : Cumque superuenisset interim seruus christi : postulanti benedictionem aquam benedictam misit . Gustauit mulier : et confestim natus est puer . Quem uenerabilis episcopus carnotensis Gaufridus baprizauit† : Bernardi ei nomen imponens .

In eodem itinere et in territorio eodem dum febrientium multitudo : sicut ubique solebant : a dei homine panem peterent benedictum : Gerardus quidam clericus ex castro : cui nomen est Clamiceium : male sciolus et subsannans fidem populi blasphemabat . In ipsis autem uerbis blasphemiæ grauissima febre correptus : usque Autisiodorum abeuntem sequi coactus est uirum dei : et pœnitentiam agens apud eum : ipsam cui detraxerat : multis obtinuit precibus benedictionem .

Tam multis uero gustata eiusmodi benedictio reddidit sanitatem : ut solius dei : cuius hæc uirtute fiebant : possent noticia compræhendi . Vidimus in meldensi territorio militem deuotissimas referentem gratias uiro dei : quod ad primum gustum panis ab eo benedicti plenam receperit sospitatem a febre quartana : qua sic grauiter laborauerat mensibus ferme decem et octo : ut in hora accessionis quasi phreneticus nec matrem agnosceret suam .

Virum quoque uenerabilem Gerardum lemouicensem episcopum testantem audiuimus : iuuenem quendam de familia sua lœtaliter in capite saucium : cum iaceret spumans et impos mentis : immissa sibi in os bucellula panis quem benedixerat homo dei tam celerem sensisse uirtutem : ut incolumis surgeret ipsa hora .

Neque illud tacendum : quod ipsam quoque suberam panis ab omni corruptionis iniuria eadem benedictio uendicabat : adeo ut plures uiderimus qui per scptennium† et ultra eosdem seruauerant panes nec colo | re nec sapore mutato .

Ante hos paucos dies uenerabiles abbates Gerardus et Henricus de Suetiæ partibus uenientes : dum super his conferremus : testati sunt nobis panem ante annos undecim eius benedictione signatum manere adhue† apud se penitus incorruptum : Nec dissimilem apud aliquos nostrum usque hodie nouimus : et apud alios multos credimus esse repositum .

Et nunc idoneum satis et euidens huius rei testimonium proferamus . Vir magnus et magnifice honorandus danorum archiepiscopus AEschylus patrem sanctum unico uenerabatur affectu : unica deuotione colebat . Nec contentus est in filiis eum uidere : cum nouum cœnobium extruxisset : et impetrasset ab eo desyderatum sacræ congregationis examen . Prævaluit apud eum desyderium uæhemens : ut homo tantæ auctoritatis et in insulis illis tam ecclesiastica quam sæculari auctoritate singulariter potens : expositis suis omnibus etiam semetipsum periculis multis traderet et labori . Nam de expensis dicere non est magnum : quamuis eundem audierimus protestantem : quod expenderit in itinere ipso argenti marchas amplius quam sexcentas . Venit ergo Claramuallem persona humilis et sublimis : quam a finibus terræ non curiositas audiendæ sapientiæ sed fidei zelus et plenitudo deuotionis attraxerat . Vbi quantum flæuerit . qualem sese non modo erga eum quem tam unice suspiciebat : sed etiam erga minimos quoslibet frattum† exhibuerit : non est facile dictu . Demum rediturus ad propria : ut benedictum a dei famulo panem referre possit et diutius conseruare : humano sensu præcipit : ut in clibano recoquatur : sicut solent qui maria transeunt : panem ferre bis coctum Audiens autem sanctus non est passus errare hominem tam deuotum : sed amicabiliter arguens in hac parte fidem eius modicam inueniri : ita ne inquit non poterit panem ipsum benedictio magis quam recoctio conseruare ? Et non acquieuit benedicere illum : sed communem sibi panem præcipiens exhiberi benedixit || et dixit . Ecce hunc tolle tecum : nihil deinceps de corruptione sollicitus tulit :† et ad suos rediens usque hodie gloriatur : fidei suæ defectum euidentissima rei ueritate conuinci . Nec enim passus est patris sancti non uisitare sepulchrum : nec minus nunc erga eum afficitur : nec minus quam olim in uiuente confidit : nimirum quem uerius uiuere omnino non ambigit . Confessus est etiam nobis de pane quem retulit : quod nunc usque cum iam tertius annus transierit : illæsum eum beati uiri fides et benedictio custodiuit . Narrauerunt etiam nobis uiri religiosi : qui cum eodem archiepiscopo uenerant miraculum dignum memoria nuper factum in cœnobio : quod : ut supra meminimus : in terra sua ipse fundauit . Erat enim inquit in regione eadem adolescens nobilis ipsius quoque archiepiscopi secundum carnem propinquus : sed ob multa sua flagicia minus carus . Correptus autem grauissima ualitudine uisitationem eius uix impetrauit : et per manum eius ad monasterium quod fundauerat ille se contulit : Vbi et cum maxima cordis compunctione renuncians sæculo : per dies aliquot in humili et fidelissima confessione persistens magis ac magis eadem ægritudine laborabat . Qua demum inualescente exitum sibi imminere cognoscens : Abbatis et fratrum præsentiam miro amplectebatur affectu . mira eos deuotione rogabat : ut spiritualia arma corriperent : egressuram protinus animam sibi commendatam efficaciter protecturi : et exhibituri fideliter necessarium prorsus inter imminentium hostium crudelissima tæla conductum : Cumque in huiusmodi supplicatione diuinis iam sacramentis munitus et de eorundem seruorum dei patrocinio et domini miseratione piissima deuotione præsumens : ac perinde circonstantibus omnibus multam suæ salutis relinquens fiduciam expirasset : offerebant fratres pro commendatione animæ eius quam deuotissime poterant dominici corporis hostiam salutarem : Cum subito inimicus humanæ salutis ex eiusdem : sicut indubitabile esse uidetur : liberatione animæ quam ex multis diebus irreparabiliter sese occupasse credebat iram | magnam concipiens : et eandem permittente deo crudeliter satis exercens : unum e fratribus repentino furore inuasit . Clamabat igitur horrendis uocibus miserabilis homo : et uix multorum manibus tenebatur . Demum cum maximo quidem labore asportatus et in lectulum religatus : tam sua quam astantium membra dentibus appetens dirissime uexabatur . Nec ulla quam prius nosset lingua sed noua quadam quam nec astantium quisquam nouerat loquebatur . Et cum nihil quod diceret intelligerent : tam libere tamen et sine offendiculo non inconcinnas eum audiebant edere uoces : ut indubitanter crederent : quod lingua aliqua loqueretur . Post aliquantas igitur horas cum uæhementer confusi fratres quid agere possent anxie cogitarent : et studiose conquirerent : unus ex eis salubre consilium domino inspirante concipiens : sacra pignora ab ipso archiepischopo† eodem anno istic deposita : uidelicet de capillis et barba et dentem unum beati patris nostri Bernardi afferri monet : et eius pectori superponi : Quod ut factum est : germanica lingua per os eius cœpit horrendis uocibus nequam spiritus exclamare : tollite . tollite . ammouete bernardum . Et dicebat : Heu quam ponde-

rosus factus es Bernarde : quam grauis quam intolerabilis factus es mihi : Cumque hæc et similia aliquandiu clamitans loqueretur : factum est breue silentium : et subito frater idem domino miserante purgatus aperuit oculos : ac uelut de graui somno euigilans circunstantes fratres et sua plurimum uincula mirabatur : uereconde satis quidnam sibi uellent hec : uel quid accidisset interrogans . Ex ea igitur hora pristinam sanitatem mentis et corporis per beati patris merita sancta recepit : nil penitus quod in illo tam graui casu fecerit : aut locutus fuerit recordatus . Hæc quidem a nobis de testimonio uiri reuerentissimi AEschyli danorum archiepiscopi ex occasione panis a dei homine benedicti non sine quadam anticipatione supradicta .

Non modo autem homnibus† sed pecoribus etiam et armentis iam frequenter || frequenter† eius benedictio profuit : ut monasterii sui cellararium dure aliquando increparit : quod sibi non indicans mori animalia permisisset : unde fuerant pauperes sustentandi . Dehinc ut solitus erat benedixit salem : et animalibus iussit apponi : ac protinus lues orta cessauit : Quod in aliis quoque monasteriis uidimus et cognouimus : ut audiens fratrum animalia mori interdum etiam non rogatus : sed ipse prior admonens illos eodem remedio subueniret .

Gaudum dicitur locus quidam caziacensium monacorum . Vbi uir sanctus cum aliquando pernoctaret : exhibitum sibi iuuenem claudum oratione et benedictione sanauit : ita ut post dies paucissimos per eumdem locum redeunti incolumis et deuotus astaret .

In eisdem partibus uico cui nomen Algorium : mulierem phreneticam populus obtulit transeunti : Cui manus imponens et orans : sanam dimisit et abiit . Hanc in eodem uico postea uidimus uiro dei cum gratiarum actionibus occurrentem .

In remotis etiam regionibus quocumque eum ecclesiæ sanctæ necessitas traxit : uirtus est prosecuta signorum . Apud Viridefolium : sic enim dicitur : castrum territorii tolosani : quod : ut superiore libro meminimus : aliquando pater sanctus introiens : multis ibidem uirtutibus claruit . Puer manchus et claudus ex utero matris suæ ad cuiusdam memoriam martyris utriusque pedis et alterius manus receperat sospitatem . Huius alteram manum adhuc inualidam tanquam diuinitus seruatam sibi pater sanctus benedcendo† sanauit : ut sanctorum innotesceret particeps esse uirtutis .

Caturcium dicitur ciuitas Aquitaniæ : per quam uiro dei ipso tempore transitus fuit . Ibi præter alia beneficia quæ præstitit infirmantibus multis : unus de pueris episcopi ciuitatis : ipsius qui ex uulnere graui alterius oculi lumen amiserat : sub manu eius uisum recepit .

In pago quoque engolismensi loco cui nomen est Castellare post oblationem hostiæ salutaris : astantibus uenerabilibus | episcopis Lamberto engolismensi et Geraudo lemouicensi : puerum ex utero matris claudum et mancum : cuius in modum pilæ cubiti cum genibus umbilico : pedes autem natibus achæsissent† : dei famulo offerebant . At ille singula membra edito prius signo crucis attrectans : mira facilitate extendit protinus et sanauit . Appræhendens denique manum eius erexit illum : et dimisit libere gradientem . Populus autem pro tantis nimirum uirtutibus magnis uocibus dominum collaudabat .

Nam et die sequenti in pago lemonicensi† in uico : quem Sanctigeniani nomine uocant : signa per eum plurima claruerunt . Vndique enim confluebant qui incommodis uariis laborabant : et uirtus erat domini ad sanandum eos . Vbi inter cæteros puer ferme decennis : cæcus ex utero matris suæ coram omni populo oblatus est uiro dei : Qui in digitos suos expuens et liniens oculos eius : breuem fecit orationem : et in nomine christi aperuit oculos cæci nati .

Regnum quoque Germaniæ cum introisset aliquando uir beatus tam excellenter enituit in gratia sanitatum : ut nec uerbis exprimi : nec credi ualeat si dicatur . Nam et testati sunt : qui affuere in territorio constantiensi circa uicum : quem Domguen nominant : ex his quæ diligentius uestigarunt et uiderunt oculis suis : una die illuminatos ad eius impositionem manus cæcos undecim : sanatos etiam mancos decem : et claudos erectos decem et octo . Cæterum ne fecisse nos inopes copia uideatur : ex innumera multitudine saltem pauca memoriæ commendamus quæ in locis celebrioribus facta noscuntur .

Cum uenisset constantiam homo dei et undique se uirtutum eius fama diffunderet : Abbas augensis quod inter lacum leinannum† antiquum extat et nobile monasterium :

hominem quem suis eleimosynis sustentabat : cæcum misit ad eum : et confestim uidentem illum recepit .

Heitereseim dicitur locus ad eiusdem diocessim pertinens ciuitatis : sed plurimum a ciuitate remotus . Ibi quoque sicut et in cæteris illius prouinciæ per quæ || transiit locis : multis in seruo suo miraculis glorificatus est deus : Vbi etiam cæcus natus sub manu eius uisum recepit . Item alteri a natiuitate surdo et muto : auditus redditus est et loquella .

In ciuitate etiam Basilea cum ex more sermonem habuisset ad populum : ut impleretur in eo : quod de sanctis apostolis legitur : qui uidelicet profecti prædicauerunt ubique domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis : oblata est ei fœmina muta : et confestim orante eo locuta . Oblatus est claudus : et ambulauit : oblatus est cæcus et uidit .

Apud spirensium ciuitatem præsente romanorum rege Conrado qui dei hominem ab ecclesia ad hospitium deuotissime deducebat : offerebant puerum claudum rogantes : ut ei manum imponere dignaretur : Quem signatum protinus erigens super pedes statuit : et libere gradiebatur : in dei laudem acclamantibus uniuersis .

Item in capella episcopi ciuitatis ipsius rege ipso uidente uisum reddidit cæcæ cuidam mulieri : et claudo nato gressum donauit . Multa quidem et alia in manu eius ibidem Christus effecit : sed ad exemplum pauca sufficiant . Nonnullos enim pauperculos etiam pueros rex ipse deuotus suis illi manibus offerens : de multorum curatione meruit gratulari : Nec modo apud prædictam spirensium urbem : sed et apud Franxeneuort moguntine diocesis locum : ubi innumeris uirtutibus idem dei seruus efulsit . De tota siquidem regione quotquot patiebantur afferebant ad eum : et tantus erat concursus : ut prædictus rex cum aliquando populum comprimentem cohercere non posset : deposita chlamyde uirum sanctum in proprias ulnas suscipiens de basilica asportarit . Inter plurimos sane qui ibidem adepti sunt sanitatem : senex quidam paralyticus de uicinia illa homo notus et honoratus . multis suorum precibus et non sine multo labore introductus est ad hominem dei . A quo post breuissimam : ut solebat : orationem erectus protinus et sanatus : non modo incolumis sed et fortis apparuit : ut posses credere : si uideres : non | tam alteratum hominem esse quam alterum . Iamque eo uiriliter procedente parabant alii tollere lectum eius : in quo aduectus erat . tum reuocans eum unus ex circumstantibus Hugo tulensis ecclesiæ archidiaconus . euangelici illius paralytici memor : non sic ait non sic uacuus reuerteris : tolle grabatum tuum : et ambula . Et imponens in humeros eius dimisit eum libere procedentem : sed omnis plebs ut uidit : dedit laudem deo .

Ibidem etiam puer surdus et mutus ex utero matris suæ subleuatus per scalam : et in fenestra accedens ad uirum dei sub manu eius auditum recepit pariter et loquelam . Sed et paralytica quædam mulier de eadem regione diues et honorata ibidem recepit amissam ex multo tempore sospitatem : Dumque exiliens ambularet : omnes quidem letati sunt : qui uidebant : sed præ cæteris exultauere milites : qui attulerant et obtulerant eam . Nam et ipsius sibi particeps esse uirtutis : religiosa deuotio uidebatur .

Per idem tempus transeunte sancto prope uicum in littore reni positum quem Bobardum uocant : et uarios per uniuersam prouinciam curante langores : oblatus est paralyticus in grabato . Audita siquidem fama uirtutum a prædicto uico in occursum eius se fecerat asportari : Cui in medio populi manus imponens erexit hominem : incolumemque remisit ad propria . Eodem anno ingredienti urbem treuerensium seruo christi : ex more obuiam ruit populus uniuersus . Offerunt autem ei sorores duas : quæ ab annis quatuor amborum lumen amiserant oculorum . Quarum ille utrique imprimens signum crucis : uisum reddidit lucis . et uidentes uirum dei cum cæteris sequebantur . In eiusdem basilca† ciuitatis cum ad altare beati Petri apostoli uir apostolicæ gratiæ immortalem hostiam immolasset : oblatus est ei claudus : et ambulauit : oblatus est cæcus et uidit : oblata est surda mulier : et audiuit . Hæc in somnis ammonitam se esse dicebat : ut dei hominem peteret : cuius beneficio receptura esset auditum .

Apud confluentiam treuerensis dio || cesis nobile castrum : Mosellam fluuium qui ibidem in renum labitur dei famulus pertransibat : Cumque paululum processisset : oblatum sibi et signatum hominem claudum deponi iussit et ambulare : et non fuit

qui obediret . Nec mora claudus idem retractum femoris neruum clamat sponte laxari : et dum nescit extendi uelut ab altero genu suum : quod quamlibet ante conatus nullomodo potuisset . Mirantur omnes probatur sub omni uelocitate quod dicitur : deponitur illico . illico graditur . illico sanus et incolumis innotescit .

Non est nobis Colonia transeunda . magna est ciuitas . magna illic dei famulo uirtus affuit : magna illum deuotio coluit populorum . Ostenditur usque hodie in claustro beati Petri sicut a personis ueridicis nuper accepimus . adolescens olim claudus nunc libere gradiens : qui oblatus uiro dei ad impositionem manus eius gressum recepit : unde etiam filius eius publice cognominatur .

Abbas Henricus de Suetia : cuius supra fecimus mentionem : nuper retulit nobis fœminam nobilem Germani sui olim uxorem : cum post obitum uiri sui præ dolore phrenesim incurrisset : et multo tempore sic se habens in uinculis teneretur : eidem patri sancto in prefata urbe oblatam et uix tenuiter in turba circumstrepente signatam : dum ex more ligata reuehitur : mentem pristinam atque integram recepisse salutem .

In eadem etiam ciuitatate† filiam surdam eidem patri sancto parentes nobiles obtulerunt . Hanc aiebant a pueritia traditam sanctimonialium monasterio fœminarum ibidem amisisse prorsus auditum : et annos plures in eodem incommodo peregisse : Cuius aures signo crucis edito pater sanctus attrectans : protinus et auditum ei et parentibus eam reddidit audientem .

Accedens inter hæc mulier honorata coloniensis itidem ciuis : quæ alterius oculi lumen amiserat . plurima iam per quinquennium inutiliter sese in medicos expendisse dicebat . et ipsam quoque continuo per signum crucis illuminans uir beatus : quod gra | tis acceperat : gratis dedit .

Sed et matronam alteram in beati Petri Basilica oblatam in lectulo idem christi seruus erexit : protinus et incolumem suis pedibus abire præcepit . Huius ex multo tempore nerui femorum fuerant sic retracti : ut nec erigi ullatenus posset : nec consistere pedibus suis .

Nam ex personis aliis perhibebant qui studiosius obseruarunt : ad eiusdem uiri sancti orationem et manus impositionem in ciuitate prædicta infra triduum : quod ibi fecit : duodecim claudos erectos : mancos duos sanatos : quinque cæcos illuminatos : loquellam redditam mutis tribus : et decem surdis auditum .

Aquisgraui† sede regia dum in illa famosissima toto romanorum orbe capella uir beatus missarum sollemnia celebraret : claudo homini gressum et cæcis quattuor uisum . sub manu eiusdem serui sui rex regum et dominus dominantium potenti uirtute restituit .

Eodem etiam tempore intra leodiensium fines : præter innumera alia quæ breuitatis studio præterimus : iuxta oppidulum : quod Fontanas uocant : orante eo aperuit dominus oculos cæci nati . Huius non modo oculi cæci : sed ipse etiam palpebræ clausæ et emortuæ erant . Quas sacratissimus digitis suis aperiens uir beatus : diuino munere et uigorem palpebris . et pupillis præstitit claritatem . Confestim denique idem puer lucem miratus ignotam : maxima cum exultatione clamabat . Video diem . uideo . omnes homines uideo capilatos . Plaudens quoque manibus et tripudians : deus inquit ex hoc iam non offendam ad lapides pedes meos .

In urbe etiam Cameraco : celebranti missarum solemnia uiro dei surdum et mutum a natiuitate puerum offerebant : Quem audientem protinus et loquentem qui propius aderant : super gradum ligneum statuere : ut de loco eminentiore nouo sermone populum salutaret . Nec mirum quod mira plebis deuotio mira protinus uociferatio sit secuta . Et hæc quidem super his quæ in regno Germanie in manu serui sui || mirabiliter operatus est deus : e pluribus pauca sufficiant . Nam et in hispaniis ubi presens ipse non fuit : sanctitatis eius indicia claruerunt .

Cum enim fidelis seruus et prudens pretiosum dominicæ crucis fructum undique colligeret : atque iterum propagaret ubique : contigit : ut de filiis suis in hispanias mitteret . in illis quoque sicut in cæteris gentibus fructum aliquem habere desyderans : de quorum numero Albertus quidam faber in loco cui nomen est Superadum grauissima ualitudine occupatus : per multum iam tempus iacebat paralyticus in grabato . Interim per abbatem suum incommodum suum nunciat patri sancto : et ut sui misereatur exorat . Eadem autem die qua uir beatus in claraualle pro eodem

paralytico ad petitionem sui illius abatis orauit : currente uelociter uerbo uirtutis : et uirtute orationis ille in hispaniis repente conualuit : tanquam uas plenum aqua suo sentiens capiti superfundi . Regressus siquidem abbas cum prædictum fratrem incolumem reperisset : diligenter sciscitatus ab eo modum et tempus suæ liberationis : certissime comperit : orante in galliis dei famulo : illum in hispaniis esse curatum .

Et quia semel ad hispanias uertimus stilum : illud quoque quod contigit de uiro reuerendo Petro asturiensi episcopo prosequamur . Is quidem Petrus nobilis genere : monachus professione : pietate deuotus : in cœnobio quodam : quod eo tempore ipse regebat tam uæhementi capitis dolore laborabat : ut nec regulam obseruare ieiunii : nec sine pelliceis pileis posset stare . Audiens autem creberrimam uirtutum famam : quæ per dei hominem efficiebantur : per quendam fratrem legationem mittit suæ supplicationis : et opem flagitat piæ intercessionis : Cui uir sanctus laneum quo ipse utebatur pilleum misit : et promisit ægro capiti de domini uirtute remedium . Suscepit ille missam sibi benedictionem : maxima cum reuerencia et deuotione . Confitens enim quam sollicite potuit delicta sua : et stola sese induens sacerdotali : ita demum uelut christi fimbriam tangens : serui christi pileum sumpsit : et im | posuit capiti suo : Nec tardauit fidei fructus et benedictionis effectus : sed miratus et ipse est celerem protinus sentiens medicinam : et ex tunc usque hodie ab huiusmodi langore salus et incolumis : annunciat homnibus† : quam experiri meruit ipse uirtutem . Nam et episcopus factus exenia illa dimisit . partem mediam suis secum in scriniis honorificentissime ferens : mediam in monasterio sub eadem ueneratione deponens : nec locum scilicet unde uocatus : nec sedem cui prælatus est uolens tanta benedictione fraudari .

Ex hoc nobis ad ea quoque quæ mirabiliter egit in regione propria redeundum . Nam in eo forte etiam plus quam propheta dici posse uidetur : quod propheticus ei non defuerit honor : ne in patria sua . Musseium dicitur uilla super Sequanam fluuium paucis a Claraualle milliaribus distans . Ex hac uirum hydropicum ad dei hominem adduxerunt : Cui manus imponens et orans : proprio quoque cingulo tumentem enormiter uterum eius accinxit : præcipiens : ut incolumitate recepta præstitum sibi cingulum reportaret . Nec tardauit sanitas : sed paulatim tumor abscessit : Denique circa uicesimum diem gracilis incolumisque reuersus : cingulum simul et gratias multas suo retulit curatori .

Exeunti alio tempore monasterii claustra senem paralyticum ex proximo uiculo : qui Mundiuilla dicitur : obtulerunt . Subsistens autem modice : et breuiter orans tetigit hominem : et incolumem suis pedibus abire præcepit : Quo abeunte : populus multus qui in occursum uiri sancti confluxerat non sine lachrymis dominum collaudabat .

Item redeunti aliquando de uia pro foribus monasterii est oblatus : puer surdus et mutus . Expuens igitur tetigit linguam eius : et digitos immisit in aures . Protinus autem aurium eius obstacula facta de medio : et solutum est uinculum oris eius . Malenuilla dicitur uicus tribus circiter milliariis a monasterio distans . Hunc quandoque pertransiens uir beatus mancam puellam tetigit et curauit : quam nunc usque superstitem || et incolumem esse nuper accepimus .

Per idem tempus in finibus illis apud castrum quod nominant Burlenmontem duo milites de beati patris uirtutibus conferebant . sed minus credulus alter si hunc inquit sanauerit puerum : ex tunc firmius credam . Dicebat autem surdum quendam et mutum : qui apud eos nutritus nec locutus fuisset aliquando : nec audisset . Post dies paucos transeunte propius patre sancto : ambo pariter puerum tollunt : et offerunt ei : Imposita igitur manu puero et signando os illius et aures allocutus est eum : et loquentem protinus et audientem dimisit .

Apud Risnellum oppidum regionis eiusdem usque modo cernere est adolescentem Symonem nomine satis notum : qui præfato dei famulo claudus oblatus est : et sub eius manu gressum recepit .

Barrhum super albam dicitur opidum tribus ut aiunt leugis distans a monasterio clareuallis . Ibi quoque sæpius per hunc hominem dei diuinæ uirtutis opera claruerunt . Siquidem præter ea quæ minus diligenter curauimus uestigare : quod omnis nostra curiositas signorum multitudine uinceretur : quatuor illic claudos ad ipsius

orationem et manus impositionem diuersis temporibus christus erexit : cæcos duos illuminauit : duobus æque surdis et mutis auditum præstitit et loquelam .

Sed et iuxta alterum Barrhum super Sequanam ad eius tactum illuminatus est cæcus . conualuit etiam paralyticus . gressum recepit puer claudus ex utero matris suæ.

Cum reuerendus Papa noster tercius Eugenius ex monacho clareuallensi et abbate sancti Anastasii in urbe roma ad apostolicam assumptus cathedram gallias introisset : ibat cum eo uir sanctus : nec minus apostolica uirtus in illo quam in illo dignitas præminebat . Tantus enim ad beatum uirum concursus erat incommodis uariis laborantium : ut cum aliquando summus pontifex basilicam ubi ille missarum solemnia celebrabat deuotus intrasset : expleto sacrificio et ex more accedentibus eis qui curam desyderabant paulominus idem Papa | comprimeretur a turbis : et uix potuerit per ministrorum manus educi . E plurimis sane quæ in eiusdem apostolici uiri facta sunt comitatu : duo scribimus quæ nos obliuisci ipsa quam uidimus magnitudo leticiæ non permittit . Chaleta dicitur uicus inter Prouignum castrum et Sequanam fluuium constitutus : Vbi puer ferme decennis ab anno priore paralyticus sic iacebat : ut ne ipsum caput flecteret : nisi ab altero moueretur : Quem afferentes in culcitra mater eius cæterique propinqui offerebant uiro sancto prope eundem locum per stratam publicam transeunti . At ille signatum erigens statuit supra pedes suos : et ire præcepit . Nec mora . exiliit puer et ambulabat : magnificans deum : Qui tandiu sanctum prosecutis† est abeuntem : donec ille inuitum licet et renitentem redire precæpit : Vbi non immerito quidem magna admodum facta est admiratio . magna exultatio omnium : qui uidebant : sed præ cæteris frater iunior in ipsius tanquam rediuiui oscula ruens multos eorum ad lachrimas usque permouit . Hunc quidem puerum et post annos quatuor in eodem uico beato uiro mater offerens : sacros monebat osculari pedes : hic est inquiens pater tuus : qui tibi uitam reddidit et te mihi .

Eodem anno apud cistercium iuxta morem abbatibus congregatis prædictus Papa uenerabilis affuit : non tam apostolica auctoritate præsidens : quam fraterna caritate residens inter eos quasi unus ex eis . Vbi cum ad cellulam in qua iacebat facto uespere et conuentu soluto dei famulus diuertisset : surdum ei puerum obtulerunt . Erat autem puer ille de uicinia eadem : et sicut postea didicimus : ex longo ante tempore uigilans in custodia gregis sui . subito terrore percussus amiserat prorsus auditum Orans itaque pater sanctus et puero manus imponens : utrum audiat sciscitatur : At ille mira deuotione proclamans audio domine audio : tam firmiter amplexatus est eum : ut uix ab eo posset auelli . Auditum est uerbum oblatus est puer summo pontifici aliisque personis : celeberrimumque hoc miraculum fuit . ||

Venerat pater sanctus ad monasterium in diocesi bisuntina : cui nomen est Caruslocus : et erant cum eo ex abbatibus sui ordinis multi . Vbi matrona quædam de finibus illis ex multo iam tempore clauda in carro allata : et oblata est ei . Orans uero breuiter et signans eam in nomine domini erexit et sanauit : ut eadem hora incolumis remearet ad propria .

Eodem tempore in monasterio Morimundo quæ est cisterciensis ordinis abbatia una de primis : monachus quidam iacehat† usque adeo paralysi dissolutus : ut omnibus pene membris officio proprio destitutis non manum posset mouere . non pedem . Interea superueniens uir beatus paralyticum uisitat : manum postulatus imponit : et continuo opem sentit ægrotus . Vt tamen gratius esset miraculum : uelut gradatim prius alteram manum secundo alteram recuperauit . Exinde profecturus palliolo suo operuit postulantem : et subito in breui obtinuit etiam reliqui corporis sospitatem .

In monasterio Alberrippe monachus quidam adolescens usum uocis amiserat : ut nec psallere inter fratres : nec a quoquam nisi multum proximo sibi intelligi posset quid loqueretur : Cui uir sanctus dum idem monasterium uisitaret : aquam cum uino benedicens potum dedit : et post paululum frigidus ex eius pectore mira cum suauitate sudor erupit . Denique ipsa die ab eodem incommodo liberatus : psallere cœpit quasi unus de cæteris fratribus . et hoc illi beneficium usque hodie perseuerat .

Cum uenisset aliquando pater sanctus ad monasterium Triumfontium : oblatus est ei clericus quidam ex his : qui regulares nominantur : homo grandæuus et cæcus . Imposuit ei manum : et breuem ex more fecit orationem : et eadem hora uidentem illum remisit ad ecclesiam suam .

In trecensium urbe multa per hunc dei famulum miracula claruerunt . E quibus duo quæ præsentibus episcopis Godefrido lingonensi . et Henrico trecensi facta sunt memoramus . Puellam curuam in prædicti trecensis episcopi domo propinqui et | noti cum multis ei præcibus offerebant . Tantus uero concursus erat ut cum eam signatam dei famulus : ac si molle lutum inter sacras manus mirabiliter formans erexisset : et erectam incedere præcepisset : locus non potuerit inueniri . Demum super mensam magnam quæ prope posita erat statuerunt illam : et erecta libere gradiebatur : magnifice dominum collaudantibus uniuersis . Hanc quoque adhuc superstitem ab his qui eam nouere nuper audiuimus .

In eadem urbe filiam mutam patri sancto obtulit mater : cui morbus epilexxie loquendi ademerat facultatem . Nec mora . seruo christi imponente ei manum solutum est uinculum oris eius : et loquebatur recte .

In eiusdem urbis diocesi loco cui nomen Domnamantum : cum uir sanctus missarum sollemnia celebrasset : cæcum illi filium obtulit pater . Expuens autem in digitos suos et palpebras eius liniens : eadem hora uidentem illum reddidit patri suo .

Nec longe ab eodem uico apud oppidum Argillerias post missarum similiter celebrationem fœminam claudam quæ ibidem multo tempore mendica uiuebat cum basilicam egrederetur signans et sanans : populum multum qui undique fuerat congregatus ammiratione et exultatione repleuit .

In exitu quoque oppidi quod Rosnaium uocant : paralyticum hominem sic extenuatum corpore : ut solam circumferre uideretur pallidæ mortis imaginem impositum plaustro transeunti uiro dei offerunt . Is quoque ubi signatus est : deponi et incedere iussus : plaustrum suum suis pedibus incolumis sequebatur : uæhementer stupentibus et in dei laudem acclamantibus uniuersis .

Alio tempore proximum castrum Brenam transiens obuiam habuit populum multum : sicut ubique semper et undique in ipsius occursum confluebat innumera multitudo : Vbi cernentibus cunctis fœminam claudam ex eodem oppido tetigit et erexit : quam et ibidem postea uidimus occurrentem ei cum cæteris . et præ cæteris gratias referentem . ||

In pago senonico apud castrum quod Triangulum uocant inter missarum sacra sollemnia fœmina cuius ibidem per annos decem cæcitas omnibus innotuerat : sub manu uiri dei mirantibus omnibus uisum recepit .

Apud monasteriolum quoque ubi Iona et Sequana confluunt præsente piissimo principe comite Theobaldo . aliis quoque astantibus non paucis potentibus uiris : offerenti diuina sacrificia uiro dei paralyticam fœminam obtulerunt : Quam expletis sollemniis tangens et erigens ipsa hora sanam remisit ad propria : ita ut suis illa pedibus abeunte grabatum in quo fuerat asportata : in eadem basilica uacuum remansisse uiderimus .

Eiusdem quoque diocesis castrum Iouiniacum transeunti eidem famulo Christi in strata publica cæcam fœminam offerebant . Substitit : et breuiter orans eidem fœminæ manus imposuit : et dominus aperuit oculos eius . Vt autem uidere uisa est : exultatio magna secuta est omnium : qui aderant : et clamantes alter ad alterum Anna uidet . Anna uidet : hoc enim eidem fœminæ nomen erat : copiosius undique confluebant .

Interea uir sanctus accelerans declinabat turbas . et egrediebatur : cum iuuenis quidam altero oculo cæcus ab utero matris suæ secutus et consecutus est eum . Qui quidem et ipse continuo ad eius benedictionem uisum recepit : et geminata leticia est populi prosequentis .

Chableia nomen est uico : qui insignem beati Martini habet . Nam et fundus ipse ad possessionem spectat ecclesiæ turonensis : et eiusdem gloriosissimi confessoris . Hunc uero uicum dei famulo transeunti claudum adolescentem populus offerebat . Quem ad eius orationem erectum protinus et libere gradientem : ad prædictam beati Martini basilicam deduxerunt : magnifice dum† collaudantes : qui Martini sui spiritum suscitauerat in Bernardo .

Nonnullas etiam sanitates quas in manu fidelis serui mirabiliter Christus efficit . per uisum ei mirabilius pre | ostendit : multas ipse cum fierent animi uirtute persensit : ad aliquas etiam spiritu suggerente non rogatus accessit : E quibus ne uideatur in immensum processisse narratio : exempla pauca subicimus : illud etiam e regione monentes : ne quis forte tam breuiter scribi opera tanta miretur . Siquidem

multa ex his in tam breui fieri uidimus : ut tam celeriter ea proloqui nequeamus . Et cum dici soleat nihil esse facilius dictu : huic tamen dei famulo per gratiam quam acceperat signa facere magis facile uidebatur : quam nobis facta narrare .

Egredienti aliquando monasterium patri sancto homo quidam de finibus illis occurens sanandum filium offerebat . Nam intra monasterium quidem infirmis imponere manum difficilius acquiescebat : ne uidelicet si concursus illuc hominum fieret : quies cœnobii turbaretur et disciplina periret . Erat autem predictus puer ille fatuus et mentis inops : claudus quoque et surdus et mutus . Qui eadem hora per ipsius orationem et manus impositionem ab omni simul inconmodo liberatus : audiebat et loquebatur et ambulabat : et sanæ mentis effectus a priori penitus iniquietudine† et furore cessabat : Cumque eundem iam incolumem filium pater deuotus ad oratorium beatæ dei genitricis cum gratiarum actione deduceret : loquebantur mutuo fratres de tam multiplici unius incommodo pueri conquirentes : Ad quos pater sanctus flagellum inquit dei erat : et maligni spiritus dira uexatio . Vidi enim nocte præterita hoc eodem in loco : erat autem iuxta fluuium Albam : ubi sanatus fuerat puer : hic inquit uidi oblatum mihi puerum talem : exeunte ab eo spiritu nequam : omnem recipere protinus sospitatem usumque membrorum .

Addidit etiam uir beatus de eadem scilicet uisione : Cumque paululum processissem in eodem itinere : quo nunc pergimus uxta† proximum : dicebat autem de eo quem nominant Longumcampum offerebatur mihi puella clauda : et dominus ei gressum reddebat . Audierunt et mirati funt† fratres : futuri magis attoniti expectatione miraculi quam || recordatione preteriti Quid enim unquam simile mundus audiuit? Ventum est ad locum : inuenta ibi protinus puella clauda expectans dei hominem transiturum : et a simul transeuntibus iuxta uerbum quod ipse dixerat expectata . Oblata igitur ab eis qui attulerant eam : signata ab homine dei ex dei munere gressum recepit : et ibat gratias agens .

Anno altero causa extitit : ut uir sanctus lingonas peteret : inter episcopum et clerum ciuitatis illius orta graui admodum simultate . Vbi cum prima die inefficaciter laborasset : et mane facto pararet abire : dicebat fratribus quia uidi per uisum noctis introeunti mihi ecclesiam offerri claudam fœminam et sanari . Post unam fere horam cum iterum clerici conuenissent præter spem omnium reformata pace : multis precibus coegerunt illum beati Mammetis martyris intrare basilicam : et quia fames inualuerat populum ad eleimosynam exhortari . Vbi inter loquendum sicut prædixerat oblata est clauda mulier et erecta : mirantibus quidem omnibus sed eis amplius qui sicut uidebant factum : ita sese recondabantur† audisse futurum .

In pago treuerensi antiquum extat cœnobium : quod Rutinense uocatur . Vbi celebrante aliquando missarum sollemnia uiro dei inmunerabilis† aderat multitudo . Interea Guntraimus de Sirca quod est oppidum eidem proximum monasterio : claudam fœminam fecit afferri . Hæc ex multo iam tempore repens humi erigi penitus non ualebat : sed schabellula tenens manibus renes emortuos post se trahere consueuerat . Cum autem præ multitudine populi ad dei hominem introduci fœmina non ualeret : in basilica media repente conualuit : et exiliens ambulabat : non sine lachrimis agens gratias deo : Cuius scabellula populus iubilans tulit protinus ad altare : ut sisterent eam domino et Bernardo seruo eius . De cuius nobis curatione confessus† est pater sanctus : quod præcedenti nocte sibi præostensa fuisset . Videbatur enim sibi in eadem basilica in medio populi circum | stantis clandestinus et ignotus eiusmodi fœminam tangere et transire : ac protinus eam uidere sanatam : plurimum sibi ipse congratulans et exultans quod agnitus non fuisset : Eadem etiam die rutilauit rutine in beati uiri præsentia lux cælestis : cuius benedictio aliis quoque claudis duabus fœminis gressum : uisum reddidit cæcis æque duobus .

Sæpissime uero contigit : ut inter orandum indubitanter dei seruus agnosceret uirtutem adesse diuinam : Cuius tamen modum cognitionis : nullis se posse verbis exprimere fatebatur . Nonnunquam uero cum signasset aliquos : et transisset : sanatos esse dixit : et regressus aliquis ex his qui audierant : sicut dictum erat inuenit .

Egressus aliquando Basileam urbem : surdum quendam signauerat et transierat : Cumque paululum processisset : uocans Alexandrum coloniensem : reuertere ait . quære utrum audiat homo . Rediit ille : et illum repperit audientem .

Similiter ipso die cum signasset alium cæcum altero oculo et abiret : deus inquit

aperuit oculum eius . Hoc etiam prædictus Alexander cum ad inquirendum reflexisset iter : ita esse cognouit . Iste est Alexander : qui in eisdem diebus ad uiri dei sacra monita ostensionemque uirtutum cum aliis ferme triginta sæculo ualefecit : et secutus est eum . A quo etiam post modicum tempus Abbas est ordinatus in monasterio tolosanæ diocesis : quod Grandisylua uocatur .

In constantiensi quoque diocesi prope castrum Frieburgum . cum homini cæco in uia manum imposuisset : remisit : qui uideret eum : et inuentus est uidens .

Quod de duobus aliis cæcis in pago coloniensi prope monasterium quod Brunuillare dicitur similiter fecit : et cum uidere nunciarentur : confessus est se quoque sensisse uirtutem .

In territorio etiam senosensi† in oppido quod Sanctiflorentini nomine uocant oblata est uiro dei mulier surda : Cui manus imponens per spiritum sensit uirtutis effectum : cum illa adhuc stupida et tumultuosa ut est genus illud : et || ut ipsa ante solebat : nihil se audire clamaret . Mane facto cum nec illa rediret : nec alter aliquid indicaret de ea : sciens sanctus diuinam illi misericordiam affuisse : accersiri fœminam iubet . Inuenta igitur auditum recepisse : uenit glorificans deum et dei famulo gratias agens .

Egrediebatur idem pater metensium ciuitatem : et ex more deuotus eum populus deducebat cum episcopo eorum Stephano et fratre eius Rainaldo barrensi comite aliisque personis tam ex clericali quam ex militari ordine multis . Interim causa extitit : ut rogaret nobilem uirum Henricum de salinis super uerbo quodam : quod ipse ei episcopus et alii qui conuenerant suggerebant : ut uidelicet metensi ciuitati et populo pacem daret : cui grauiter inimicabatur . Ille uero renuere penitus et abiurare : nec ullis præcibus flecti . Inter hæc superuenientes alii offerebant beato uiro hominem surdum : obsecrantes : ut ei manum imponere dignaretur . At ille fidei zelo succensus sicut interdum ob causas necessarias : terror quidam et auctoritas supra hominem in eius facie rutilabat : conuersus ad militem : tu nos inquit audire contemnis . quos continuo coram te audiet surdus : et imponens manus homini signauit eum : et in aures eius digitos misit . Quo protinus audiente : pauens Henricus et tremens ruit ad pedes homnis† dei humiliter satisfaciens : et libere annuens : quidquid fuerat postulatus .

Transiens aliquando seruus christi Brenam oppidum : medicantem† in platea uidit fœminam cæcam : Quam aliquantisper intuitus : cum ex more a transeuntibus eleimosynam flagitaret : tu inquit petis argentum : et deus tibi uisum donabit . Accedens ergo tetigit eam : et oculos eius aperuit . Quæ beneficium sentiens insperatum non minus misericordie magnitudinem quam lucem insolitam mirabatur .

Inter primas propagines quas hæc abundantissima uitis emisit in remorum parrochia monasterium igniacense plantatum feliciter radicauit . Quod aliquando | uisitans idem sanctus : uicum maternæ fluuio proximum quem Ruolium nominant pertransibat . Vir quoque magnificus et deuotissimus eius amator Samson remorum archiepiscopus comitabatur illum solita ueneratione deducens . Senex autem claudus ad mendicandum positus erat in uia : cui unus e fratribus eleimosynam dedit . Secutus abbas sanctus cum iam hominem pertransisset : conuertit se : et paulisper intendens in eum : quid patiatur interrogat circumstantes : et sibi illum præcipit exhiberi . Suspicati homines quod esset ei amplius aliquid ipse daturus : domine inquiunt : claudus est . nec moueri potest : nos ad eum ferimus : quod uolueris dare . Quo repetente uerbum et dicente : tollite eum : et afferte ad me : primo quidem præ ammiratione mutuo sese intuebantur : ignorantes quid esset facturus . Demum agnoscentes eum clamabant ad inuicem : Abbas est clareuallis : et protinus illum sanabit . Nimirum solitus erat quotiens poterat operam dare ne in uicis agnosceretur : et interdicere sociis : ne cui ex occurrentibus manifestarent eum : aut de eo aliquid loquerentur : sed quærentibus quis transiret : dicerent monachos esse : aut aliquam de personis simul euntibus nominarent . Igitur agnito dei famulo ruunt undique : et leuantes hominem ferunt : et offerunt ei : Qui imponens utramque manum capiti eius : et in cælum suspiciens : ac breuiter orans : deponi illum iubet et ambulare . Excusante illo et dicente non possum : ego tibi ait in nomine domini et eius uirtute precipio . uade : et sanus esto iam ab hac hora : Quid plura ? Statim depositus . statim sanatus est . statim libere gradiebatur repletus stupore et extasi in eo quod contigerat sibi . Sed et uicini eius et noti pariter congratulantes dominum collaudabant : qui miserabilis hominis et

meritum simul et uotum abundantia suæ pietatis excessit . Vnde etiam usque hodie locus ab incolis demonstratur : ubi signum tam euidens diuinæ uirtutis effulsit : ubi senex claudus ex multis annis tota inferiori sui corporis parte præmortuus : et a renibus deorsum omni || prorsus membrorum destitutus officio : dum stipem postulat : sanitatem recepit . Hic fuit uiri sancti nouissimus in remorum partes ingressus : siquidem factum est hoc ante sacram eius depositionem corporis anno uno . De qua felicium eius actuum felicissima consumatione erit nobis iam : sed sub alia narratione dicendum . Nimis enim fallitur : si quis arbitratur huius sanctissimi uiri facta mirifica posse cuncta narrari : et tam necesse est multa sileri : quam impossibile omnia compræhendi .

EXPLICIT LIBER SECVNDVS . INCIPIT TERTIVS .

Cum post tantos iam labores dominus dilecto suo Bernardo clareuallensi abbati diu desyderatum pretiosæ mortis somnum dare disponeret : et fidelem seruum in requiem introducere suam : cœpit magis ac magis promptus in ipsum proficere spiritus : caro infirma deficere . Cognoscens enim uir sanctus prope esse iam brauium solito currebat alacrius : et terrestris suæ habitationis dissolutionem sentiens imminere uotis uberioribus aspirabat ad habitationem ex deo domum non manu factam æternam in cælis : In cuius purissimo pectore sacri sese desyderii flamma non capiens crebris erumpebat indiciis : et ignitum eloquium uæhementer feruoris interni uæhementiam declarabat : sicut in sanctis animalibus per prophetam inter cætera describuntur scintillæ quasi aspectus æris candentis . Corpus lectulo decubans uariis exercebatur incommodis . animus tamen nihilominus liber et potens que dei erant exercebat inuictus . non cessans in mediis quoque doloribus meditari sacrum aliquid aut dictare : orare affectuosius : fratres studiosius exhortari . In oblatione hostiæ salutaris : quam usque ad defectum ultimum uix aliquando intermisit : artus sibi uix cohærentes uigore spiritus sustentabat : semetipsum pariter offerens acceptabilem hostiam deo in odorem suauitatis . Quo tempore ad auuncu | lum suum Andream militem templi : qui et ipse regionis hierosolymitanæ columna maxima habebatur epistolam scribens : inter cætera ait : Ego enim delibor : nec puto me longum facere super terram .

Dum adhuc pater sanctus in suo clareuallensi cœnobio licet lectulo decubans cursum uitæ uiriliter consummaret : grauis admodum plaga metensi populo superuenit . Egressi enim in multitudine graui aduersus uicinos principes a quibus præter morem lacessitam se esse tanta ciuitas indignabatur : traditi sunt multi in manus paucissimorum . Conclusi denique inter Frigidimontis : sic enim eum appellant : et Mosellæ amnis angustias : ac mutuo sese impetu collidentes : una hora : sicut dicebatur : plus quam duo milia corruerunt : quidam gladiis trucidati : plures amne submersi . Vehementi igitur indignatione concepta nobilis illa ciuitas totis ad ultionem uiribus parabatur : cum e regione aduersarios quoque et fortiores præda copiosa et audaciores fecisset euentus . Imminebat totius prouinciæ certa uastatio : cum uenerabilis eorum metropolitanus Hillinus archiepiscopus treuerensis dolens anxie de præteritis : sed adhuc grauiora formidans : unicum in tanta necessitate refugium petiit : et expetiit uirum dei . Veniens ergo Claramuallem ipsius atque omnium fratrum uestigiis tota humilitate prostratus rogabat et obsecrabat : ut se tantis dignaretur opponere malis : quibus alter nemo posse modum ponere uideretur . Dominus autem sicut semper fidelis serui sui direxerat uias : et in præcipuis quibusque causis aptissimo usus fuerat instrumento : ex paucis ante diebus ægritudinem corporis eius aliquatenus releuarat : Quibus diebus cum ad litteras uenerabilis Hugonis ostiensis episcopi rescriberet : ait : Verum est : quod audistis : Infirmatus sum usque ad mortem : sed interim : ut sentio : reuocatus ad mortem : atque hoc : ut me sentio : non diu . Vitam quippe mortalem mortem magis quam uitam reputans : non a morte sed ad mortem reuocatum se sentiebat : cum ab exitu reuocaretur[†] : || licet sentiens haud diutius retinendum . Quod quidem sæpius erga eum prouidentia diuina disposuit : in cuius manu erat placita ei anima illius : ut quotiens eum grandis aliqua necessitas euocaret : uincente omnia animo uires corporis non deessent mirantibus qui uidebant eum et robustos homines in tolerantia superare . Expletis namque nægotiis uelut in se rediens multiplicibus infirmitatibus laborabat : ut uix uiueret feriatus : qui occupatus deficere

nesciebat . Cui in opere nouissimo tam manifeste tamque magnifice diuina affuit uirtus : ut ex laboribus uires capere uideretur . Accidit autem : cum in predicti Mosellæ fluuii littore residentibus hinc inde partibus mediator fidelis rogaret : quæ ad pacem erant : ut pars altera ex tanta siquidem hostium strage ferocior quod exigebatur obstinata animositate renueret . Subito denique tanquam agitati furiis discesserunt uiro dei insalutato : solam uero cæteris omnibus relinquentes desperationem pacis . Nec sane ex contemptu aliquo sed ex metu reuerentiæ eius iniere fugam . siquidem uerebantur ne præsentium quamlibet improbas mentes facile flecteret : minus consyderantes : quid ille per spiritum nusquam absentem posset etiam in absentes .

Iam conuentus in magno turbine soluebatur . sola utrinque meditabantur arma . sola inibant consilia malignandi : cum uir sanctus eos qui secum uenerant consolatus : fratres ne turbemini inquit . licet enim per multas difficultates omnino tamen pax desyderata proueniet : Quibus etiam unde id nosset : innotuit dicens : Videbar mihi per nocturnum soporem missam celebrare sollemnem : Cumque expleta paulominus oratione prima recordarer angelicum ex more canticum idest gloria in excelsis deo præcedere debuisse : erubui : et quod oblitus omiseram canticum inchoans : uobiscum pariter ad finem usque compleui . Iam medium noctis transierat : cum uir sanctus de prædictorum pœnitudine principum legatione suscepta : iuconde satis conuersus ad suos agnoscite ait pro | missæ uobis canendæ gloriæ et cantici pacis præparationem . Iterum ergo partibus conuocatis per dies aliquot de pace tractatum est : et ob maximas difficultates occurrentes utrimque sæpius desperatum : nisi quod omnes iam consolabatur quæ omnibus innotuerat abbatis sancti tam certa de reformanda pace promissio : Nec parum ipsa dilatio profuit his præsertim : qui uariis incommodis laborantes remedia consequebantur in carne : seu etiam qui uidentes ædificabantur in fide . Tantus enim concursus erat : ut multitudine pariter atque importunitate sua ipsum quoque negotium componendæ pacis pene desperabiliter impedirent : donec quæsita tandem in medio flumine insula partis utriusque primarii in nauiculis accesserunt : Vbi compositis omnibus secundum quod fidelis arbiter deffiniuit datis sibi inuicem dextris : reconciliati sunt in osculo pacis .

Inter omnes sane quas per manum serui sui ibidem præstitit dominus sanitates : celeberrima fuit cuiusdam curatio mulieris . Hæc ab annis octo pessima ægritudine laborabat . uæhementi tremore et ualidis motibus uniuersa pariter membra concutiens . Cum autem uideretur grauioribus ortis difficultatibus propemodum excidisse spes pacis : domino disponente uenit mulier ita tremens : nec minus horribilis quam miserabilis : et omnes pariter ad spectaculum conuenerunt . Orante denique dei famulo sub oculis omnium paulatim concussione sedata perfectam adepta est protinus sospitatem : Quæ res in tantam ammirationen etiam durissimos quosque permouit : ut percutientes pectora sua per horam fere dimidiam cum lachrymis acclamarent . Tantus denique factus est impetus et concursus procidentium et deosculantium uiri dei sacra uestigia : ut propemodum comprimeretur : donec tollentes eum fratres et imponentes in nauiculam a terra modice subduxerunt : Cumque accedentes ad se principes : ut cœperat : pro pace rogaret : suspirantes dicebant : Oportet nos libenter audire eum : quem ut ipsi cernimus deus diligit et exaudit : et audito eo multa facere : pro quo tanta facit in ocu || lis nostris : Quibus ille ut semper cautus erat competenter huiusmodi gloriam declinare : non propter me inquit sed propter uos facit .

Simili quoque miraculo et in simili oportunitate ipsa etiam die metensium animos dominus inclinauit ad pacem . Ingressus enim sanctus metensium ciuitatem : episcopum simul et populum ad ea quæ pacis erant uæhementer urgebat . Grauiter autem urebat illos uulnus acceptum : quibus enim ualide satis reponere cogitauerant : secus quam uellent remittere cogebantur . In ipsa hora oblata est ei mulier paralytica de ciuitate eadem : Cui manus imponens et orans dignatus est palliolum quoque proprium quo utebatur ipse superextendere ei : tenendumque episcopo tradere propter astanti : et sub eodem uelamine debilia tangere membra . Expleta autem oratione et benedictione data erexit illam : omnibusque mirantibus per medium illorum incolumis ibat : quam attulerant in grabato . In flumine quoque Mosella dum ob intolerabilem concurrentium multitudinem uir beatus nauicula ueheretur : unus ex iis qui curam desyderabant cæcus clamabat in littore : obsecrans ut duceretur ad eum . Cumque ille iam pertransiret : audiens homo nauigantem post eum in nauicula altera

piscatorem : diffibulatam protinus chlamydem qua erat opertus porrigens dabat illi ut in nauicula reciperetur . Factum est : et ut peruenit ad sanctum iuxta suæ fidei magnitudinem magna uelocitate sub manu eius uisu recepto miratus clamabat uidere se colles . uidere homines . uidere arbores . et cætera uniuersa . Paucis ab eodem loco miliariis distat cœnobium : quod sancti Benedicti nomine uocant : Vbi puer claudus et a renibus infra omni prorsus membrorum destitutus officio solis ad mouendum manibus utebatur et renibus . pedes emortuos post se trahens : Quem ex burgundiæ partibus pater aduectum ante annos quatuor ibi reliquerat : et ex tunc fratrum eleimosynis alebatur . Itaque cum beati patris aduentum et uirtutes quas dominus operabatur in ipso per omnem circa prouinciam celebris fama uulgaret : impositum plaustro eundem | puerum fratres prædicti cœnobii adduxerunt ad eum : rogantes : ut solita pietate misero subueniret . Acquieuit . imposuit manus . orauit . et eadem hora sanum reddidit firmiter stantem firmiter ambulantem . Denique sicut ab eiusdem loci abbate nuper accepimus usque hodie fratrum pecora idem . puer incolumis sequitur et custodit : et si quis desyderat scire : Iohannes est nomen eius . Alter etiam claudus in eiusdem monasterii uicinia degens eodem tempore ad prædicti patris sancti benedictionem sanatus est : et gressum recepit . Sed et prope leucorum urbem loco : cui nomen est Gunderuilla : idem uir dei fœminam cæcam illuminauit sub oculis plurimorum : qui de tota confluxerant regione . Cæterum nimis difficile aut omnino impossibile foret itineris illius magnalia uniuersa conpecti† . Sed neque propositi nostri est eiusmodi modo prosequi signa : et narrandis uirtutum operibus operam dare : Hic enim uiarum tuarum pater dulcissime finis beatus : et hic labor ultimus fuit . In hoc opere non minus utili quam difficili nec minus desperate quam necessariæ pacis labores tuos gloriose compleuit : qui magnifice semper honestauit : te in laboribus tuis . te in suo nomine . et nomen suum in te glorificans : rex gloriæ dominus deus tuus .

Vt expleta metensium reconciliatione et prouinciæ illi pace reddita Abbas sanctus ad monasterium rediit : graui admodum ian iamque† deficientis incommodo corporis occupatis : in tanta animi suauitate et dulcedine spiritus quottidie propinquabat ad exitum : ac si in portu nauigans paulatim uela deponeret . Euidenter quoque fratribus aiebat : Hæc sunt uerba quæ loquebar ad uos cum præterita hyeme ægrotarem non uobis esse quod adhuc timeretis : æstate proxima imminere me mihi . credere huius corporis dissolutionem . At quam euidenter proprio didicimus experimento quod de sanctis apostolis euangelia testantur : quod dum suam illis prædiceret dominus passionem : erat uerbum absconditum ab eis : et capere non ualebant . Nimirum quod tam uæhementer || horrebat animus : minus facile persuadebatur : ut crederet : presertim cum et ipse compatiens filiis eiusmodi uerba supprimeret . Cæterum factis quodammodo clamans . opera consummaui : quæ dedit mihi pater : ut facerem . magis ac magis actus omittere : affectus retrahere : et sacrorum funibus desyderiorum sedula intentione præiactis uicino iam littori hærere firmius : et commodius applicare . Denique cum uenerabilis antistes sedis lingonicæ Godefridus de quibusdam eum sollicitaret agendis : et minus apponere animum miraretur : ne mireris inquit : ego enim iam non sum de hoc mundo .

Videns autem pater sanctus compassionis et misericordiæ uisceribus affluens . carissimos sibi filios miserabiliter admodum tabescentes : et arescentes præ timore et expectatione superuenientis desolationis grauissimæ et lamentibilis orbitatis : dulcissimis eos consolationibus refouebat . Et monens eos in tuto diuinæ clæmentiæ sinu spei fideique suæ anchoram per inconuulsibilem caritatem firmius radicare : se quoque promittebat nec post mortem eius aliquando de futurum . Propensius autem quam noster queat exprimere seruo : rogans obsecransque per multas lachrymas . timorem dei et sacræ puritatis ac totius perfectionis amorem nostris imprimere animis conabatur . Sed et monebat et cum lachrymis obtestabatur : ut si quid forte uirtutis aut exemplo nobis aliquando commendasset : aut uerbo id æmularemur . id firmiter teneremus : et proficeremus in eo : aliis quidem uerbis sed eodem spiritu illnd† apostolicum loquens : Rogamus uos : et obsecramus in domino Iesu : ut quemadmodum accepistis a nobis quomodo uos oporteat ambulare et placere deo per omnia sicut et ambulatis : ut ambuletis magis . Atque utinam tam efficaciter persuaserit : quam affectuose suasit .

Modum autem egritudinis eius si quis nosse desyderat : extat epistola quam ad

Vnicum quemdam paucissimis diebus ante sacram a nobis profectionem suam ipse dictauit : Quam nimirum huic nostræ narratio | ni duximus inserendam : quod uidelicet et si aliena quoque de ipso : amplius tamen nos ipsius de se uerba delectent .

Epistola ad Arnaldum bonne uallis abbatem qui ei quedam exenia mittens de vallitudine eius sollicite sciscitatus .

Suscepimus caritatem uestram in caritate et non in uoluptate : Quæ enim uoluptas : ubi totum sibi uendicat amaritudo : Nisi quod solum nihil comedere utrumque delectabile est ? Somnus recessit a me : ne uel beneficio sopiti sensus dolor unquam recedat . defectus stomachi fere totum quod patior est . Frequenter in die et in nocte exigit confortari modico admodum qualicumque liquore : nam ad solidum omne inexorabiliter indignatur . Hoc parum quod dignatur admittere : non sine graui molestia sumit : sed timet grauiorem si sese uacuum omnino dimiserit . Quod si plusculum quid interdum admittere acquiescat : id grauissimum . Pedes et crura intumuerunt : quemadmodum hydropicis contingere solet . Et in his omnibus ne quid lateat amicum de statu amici sollicitum : secundum interiorem hominem ut minus sapiens dico : spiritus promptus est in carne infirma . Orate saluatorem : qui non uult mortem peccatoris : ut tempestiuum iam exitum non differat : sed custodiat . Curate munire uotis calcaneum nudum meritis : ut is qui insidiatur inuenire non possit : unde figat dentem : et uulnus infligat . Hæc ipse dictaui sic me habens : ut per notam uobis manum agnoscatis affectum .

Hoc exemplar epistolæ quam ut nos diximus et ipsa quoque eiusdem uerba declarant : pater sanctus exitu iam imminente dictauit . Ex cuius tenore possit nimirum diligens lector sacrum illius uel ex parte aliqua pectus agnoscere : quanta illi in ipsa sui ruina corporis tranquillitas mentis serenitas animi . suauitas spiritus . quanta sub fidutiæ culmine radix humilitatis . Sed et nostros ei inter hec animos || aliquatenus estimare : ac sibimet exhibere licebit . uultus .† exangues singultus graues . crebra suspiria . anxias cogitationes . Nimirum cum thesaurus tantus et tam amabilis adhuc nobis esset in manibus : et tamen nec spes esset diutius retinendi nec facultas pariter commeandi . Nec lugendum nobis ullatenus super illum : qui in gaudium domini dei sui feliciter inuitatus intrabat : sed super nos utique quibus erat iam uita tædio : et adhuc mors timori . Iam enim tibi serue bone bonum illud euge dicebatur a bono domino : sed nostra grauis erat in hac seperatione conditio . post mirificam lucem horrere magis tenebras subintrantes . post aurea sæcula grauius ferre ferreum : quod successit . Igitur ante patris huius excessum accedentes ad eum filii : quos per euangelium genuerat piissimum eius animum lachrymabili supplicatione pulsabant : et hæc atque huiusmodi loquebantur : Numquid non misereris huic monasterio pater ? numquid non compateris nobis : quos tanto pietatis affectu maternis lactasti huberibus : paterna consolatione fouisti ? Quomodo sic exponis labores tuos : quos in loco hoc laborasti ? quomodo tam dilectos hactenus filios sic relinquis ? Tunc uero flæns ipse cum flæntibus et columbinos oculos in cælum porrigens : ac mente tota apostolicum illum concipiens spiritum testabatur coarctatum se e duobus : et quid eligeret ignorantem : diuinæ totum tribuere arbitrio pietatis . Nam et hinc paterna illum urgebat caritas : filiorum uotis annuere : ut maneret : et inde trahebat christi desyderium : ut migraret . Cui tamen ab olim iam atque altius radicata in pectore eius humilitas persuaserat : ut ex intimo cordis affectu seruum inutilem esse se diceret : et arborem sterilem reputaret : ex cuius uita nullus sibi fructus nullus alteri cuiquam proueniret . Nam et solitus erat in familiari collocutione fateri : uix credere se hominibus : quod sic eum sibi utilem crederent : ut dicebant . Sed nec paruum sese in suis super hoc cogitationibus perhibebat aliquando sustinuisse conflictum : quod nec tam ueraces homines fallere | uelle : nec tam prudentes falli posse uerisimile uideretur : cum alterutrum excusare non posset . Quem enim totus mirabatur orbis : solus ipse : quod erat mirabilius : ut uidebat suæ uidelicet operationis opinionis ue splendorem : sicut ille quondam uir simplex et rectus nec solem cum fulgeret : nec lunam incedentem clare uidisse se memorabat .

Nouissime cum exterioris habitaculi undique iam soluta compago desyderanti animæ liberum prestaret egressum : magnus ille dies illuxit : quo perpetuus illi ortus

est dies : Ad cuius exitum uicini episcopi cum abbatem et fratrem copiosa multitudine fuerant congregati . Hora autem diei pene tertia singularis lucerna suæ generationis sanctus ac uere beatus abbas Bernardus a corpore mortis in terram uiuentium feliciter christo duce migrauit ex filiorum circunstantium et inter graues singultus ac lachrymis uberes utrumque psallentium choro ad multorum quos ipse præmiserat cœtus transiens letabundos . ad sanctorum cuneos gratulantes . ad obuia agmina angelorum felix anima quam sic leuabant excelsa suorum priuilegia meritorum : quam sic pia filiorum prosequebantur inferiorum uota : sic quoque superiorum desyderia sacra trahebant . Felix illi et uere serenus dies : quo plenus ei meridies christus illuxit . Dies cunctis uitæ suæ diebus tantis ab eo expectatus desyderiis : expetitus suspiriis : frequentatus meditationibus : orationibus premunitus . Felix transitus de labore ad refrigerium . de expectatione ad premium . de agone ad brauium . de more† ad uitam : de fide ad noticiam . de peregrinatione ad patriam . de mundo ad patrem . De quo transitu eius multa nouimus apparuisse quammultis . et quidem non indigna relatu : sed difficile nimis singula uestigare : et scribere omnia nimis longum . Nam et usque modo multifarie multisque modis paternus erga filios amor uere etiam nunc imo nunc uerius uiuens et uigens crebris reuelationibus eorum dignatur solari lachrymas . reuelare mæsticiam : ut quo dulcius ei gaudent : minus anxie doleant || sibi . si qua tamen ex his minus prolyxam desiderantia narrationem lector scire desyderat : proprio magis et nouissimo credimus reseruandam capitulo . Interim cætera prosequentes quanta possumus uiolentia animos auertamus ab illo tam graui gemitu et rugitu : quo nimirum grex miserabilis pastore migrante personuit . Parcamus paginæ : et quantum possumus stringamus oculos . palpebras conplodamus aduersus lachrymas : quibus in illo suæ claritatis abscessu uallis nostra fluebat . ecclesiæ protinus uniuersæ calicem sui propinatura mæroris : cui hactenus consueuerat stillare dulcedinem . gaudia fundere . fluere consolationes .

Dum fidelis minister et sacerdos altissimi feliciter ingreditur in locum tabernaculi ammirabilis ad altare dei sacram ei et acceptabilem hostiam sui spiritus oblaturus : corpus etiam rite paratum et ornatum sacerdotalibus indumentis : oratio beate dei genitricis infertur . Plurima quoque nobilium et ignobilium de uicinis quibusque locis gemebunda protinus turba conuenit : et uallem totam ploratus et hululatus multus implebat . Amarius tamen pro foribus monasterii lamentabatur sexus miserabilior mulierum : quod accedentibus ad beata uestigia uiris monastici ordinis disciplina in exorabiliter eis etiam tunc negaret ingressum . Biduo mansit in medio gregis pastor extinctus : dum pristina illa dulcissimi gratia uultus nil minorata sed aucta magis omnium in se figeret oculos . animos traheret . sepeliret affectus . Crescebat autem supra modum ruens undique populi multitudo : et intollerabilis iam fiebat impetus concurrentium ac desyderabiles tenentium pedes . osculantium manus . applicantium panes . balteos . nummos : et alia quæque seruanda sibi pro benedictione et uariis necessitatibus pro futura . Maxime tamen parati in diem tertium sollemnem per loca proxima præstolabantur reponendi sacri corporis eius horam copiosius undique conuenturi . Nam et secunda die tantus circa meridiem populus fuerat congregatus : et tanto pietatis zelo stipati undique | sacrum corpus obsederant : ut nulla pene episcopis reuerentia nulla fratribus haberetur : Vnde ueriti ne quid simile aut forte grauius accideret : die tercio præoccupantes horam et mane diuina ex more sacrificia consummantes sicut et biduum iam in celebratione missarum et iugi fecerant psalmodia purissimum illud balsamum suo uasculo commisere in lapide reponentes lapidem pretiosum . optimam margaritam .

Consumatis ergo feliciter uitæ suæ diebus et annis circiter . LXIII . expletis : dilectus domini Bernardus clareuallensis cœnobii primus abbas aliorum quoque amplius quam . CLX . monasteriorum pater terciodecimo calendas septembris inter filiorum manus obdormiuit in christo . Sepultus est autem undecimo calendas eiusdem mensis ante sanctum altare beatæ uirginis matris : cuius fuerat deuotissimus ipse sacerdos . Sed et pectori eius ipso in tumulo capsula superposita est : in qua beati Thadei apostoli reliquiæ continentur . Quas eodem anno ab hierosolyma sibi missas suo iusserat corpori superponi : eo utique fidei et deuotionis intuitu ut eidem apostolo in die communis resurectionis adhereat . Facta sunt hæc eodem anno : quo beatus Papa noster tercius Eugenius eiusdem patris sancti in sancta conuersatione filius ab hac

luce uel ab hac magis caligine migrauit ad lucem : cuius merita in ipsa cui insigniter præfuit urbe miraculis pluribus illustrata coruscant : successore eius Anastasio romanæ ecclesiæ præsidente . regnantibus autem in romanorum imperio Phrederico illustri . in francorum regno piissimo rege Ludouico filio Ludouici : principatum ecclesiæ uniuersæ ac totius creaturæ uisibilis et inuisibilis monarchiam tenente dei filio Iesu cristo anno ab incarnatione sua . M . C . LIII . qui cum patre et spiritu sancto uiuit et regnat deus in sæcula sæculorum .

Iam de supra memoratis reuelationibus pauca dicturi ab eo sumamus initium : quod prædictum est anno septimo ante quam fieret . Erant duo fratres in || monasterio de sacra beati patris uita et felicibus eius actibus colloquentes : Quorum alter ab ineunte adolescentia educatus ibidem ad alterum ait : Nosti quot annos sit uicturus hic beatissimus pater noster? Cui ille : Nescio inquit . Et alter : Ego ait noui eum sex aut septem annos adhuc in carne uicturum . Hoc autem unde sciret minime iam scire possumus : quia nec tunc indicauit : et ante patrem sanctum ipse decessit . Porro alterius hodieque superstitis relatione hoc uerbum nobis innotuit : qui tunc magis miratus est : se audisse : quando ut ab olim audierat : ita uidit . Talis uero ille est : de cuius testimonio nec nos ambigimus . nec cuilibet alteri qui eum nouerit credimus dubitandum . Neque id solum sed quod non minori dignum ammiratione uidetur : nomen quoque et personam successoris ipsius indicante sibi eodem fratre ex tunc innotuisse testatur . Manifeste enim eadem hora frater ille prædixit : quia dominus Robertus qui hodie abbas est de Dunis post hunc beatum patrem abbas futurus est clareuallis . Nam quod disiunctiue sex uel septem annos uicturum dicebat : ad hoc pertinuisse uidetur : quod inuentus sit terminus idem ultra sextum annum infra septimum tamen .

Prope erat iam tempus : et festinabat pater sanctus ad metam . Infirmabatur enim sicut in huius libelli principio memorauimus : adeo ut in illa iam infirmitate ipsius perfici uirtus : iam imminere exitus uideretur . Interea fratres instare supplicationibus et obsecrationibus quibus poterant apud deum . Vnde etiam sanctus ipse cognoscens eorum precibus desyderium suum diferri : cum aliquanto melius secundum corpus habere cœpisset : congregatis fratribus hæc eadem uerba locutus est : Quid tenetis miserum hominem? Fortiores estis : et inualuistis . Parcite queso . parcite : sinite me abire . Prius tamen cum in summo periculo et timore fratres omnes in orationibus humiliarent animas suas : uni eorum uisio talis apparuit : Occurrebat cum multa exultatione uiro dei | extra monasterii claustra innumerabilis multitudo . In qua tamen processione solos quatuor præeuntes idem frater qui uidebat agnouit . magnum illum dilectorem eius atque dilectum : cuius et ipse in libro quarto de consyderatione cum laude meminit . Gaufridum episcopum carnotensem . Humbertum quoque qui igniacensis cœnobii fuerat primus abbas : et duos eius Germanos Guidonem scilicet et Gerardum . Exceptus itaque reuerenter et post osculum pacis amica diu colloquia miscens pater sanctus ac beatus cum his quatuor stabat . expectante seorsum multitudine cæterorum . Nouissime salutantes eum prædicti uiri ex hoc sibi iam redeundum esse dicebant . Tum uero ex palluit ille : et circumfusa sibi mæsticia internum declarans animi dolorem : quid ergo ait sine me uultis abire? Et illi : Non potest adhuc tuo et nostro satisfieri desyderio : donec ueniat tempus nouorum . Dicebant autem tempus nouorum quo fruges nouæ colligerentur : sicut euidenter postmodum probauit euentus : dum in Augusto mense decessit . Mane ergo frater ille cui hoc ostensum fuerat consolatus est cæteros : uelut iam imminentem patris obitum formidantes : et quod uiderat et audierat indicauit . Adhuc autem hyems erat .

Eodem tempore altera quoque uisio prioris confirmatio fuit . Nisi quod euidentius iam utriusque completa ueritas probat : quam euidenter utraque quod futurum erat dominus reuelauit . Videbat enim frater quidam : et ecce parabat uir beatissimus ascendere hyerosolimam : iamque ipso in procinctu itineris erat . Ad quem uenerabilis Odo qui a primis fere annis strenue satis et laudabiliter conuersatus in monasterio absentium consueuerat præpositorum supplere uices reuerenter accedens : dicebat se præcessurum . Cuius uisionis sic ostensa est ueritas : ut prædictus uir deo dignus ad cælestem hierusalem ubi uere uisio pacis parantem iam egredi : et paulopost secuturum patrem sanctum felici functus legatione præiret .

Sed et Abbas quidam satis ei habitatione uicinus nec minus affectione || deuotus

paucis diebus ante felicissimum patris huius excessum : uidebat eum preciosissimis ornatum sacerdotalibus indumentis et excellenti perfusum gloria : cum ingenti sollemnitate ad altare deduci : Ad cuius introitum ecclesia magna magnis resultans uocibus exclamabat : puer natus est nobis . Vere et enim puer ipse erat mitis et humilis corde : et sicut paruulus accipiens regnum dei : in cuius merito gratulabunda natali angelica multitudo et omnis pariter sanctorum ecclesia : dum nobis uideretur mori . sibi illum nasci . dum hic consummaretur : ibi inciperet : non tam sonoris uocibus quam uotis paribus concinens exultabat . si enim ad unius pœnitentiam peccatoris tota illa cælestis regio in læticiam suscitatur . quænam illa gaudia exhibuisse credenda est : per quem gaudia tanta receperat de tam multorum conuersione et pœnitentia peccatorum ? Quis enim ualeat existimare : quantis in sæculari habitu et conuersatione manentibus : quantis etiam ad alias uirorum seu fœminarum congregationes transeuntibus per huius fidelis famuli ministerium dedit dominus pœnitentiam ad salutem ? Aut quis numeret eos : qui sub eius cura in . C . LX . monasteriis per dei benignitatem ad pœnitentiam sunt adducti ? Nam ex his solis qui spirituales eius filii uidebantur præter eos qui iam cursum uitæ feliciter consummauerant : præter eos qui per alia loca fuerant propagati : ea die qua felicissimus pater ex Claraualle montem ascendere meruit clariorem : reliquit habitantes in ea septingentas ferme animas domino seruientes . Quid igitur mirum : si gratus curiæ . si acceptus regi . si exceptus cum læticia et exultatione credatur : in quo gratia dei usque adeo uacua non fuit : qui tam fideliter tam efficaciter plus omnibus sui temporis et multarum retro generationum laborauit : qui talentum sibi traditum tam copiose multiplicauit : tanta denique lucra retulit de negotio ? Sed de his hactenus : ne quis nos arguat eius quam polliciti sumus metas excedere breuitatis .

Sane in monasterio prædicti illius abbatis qui sic eius natale præuide | rat : ea nocte quam nobiscum Pater sanctus mane profecturus ultimam fecit uenerabili eius præposito apparens : uale fecit illi : et ait : Noueris : quia iam migro : nec ulterius hic morabor . Quod ut ille indicauit Abbati : accelerans abbas et Claramuallem ueniens : ipso die Abbatem sanctum sicut dixerat repperit iam migrasse .

Frater Villielmus de Montepessulano cuius et supra fecimus mentionem uir magnificus olim in sæculo fuit : sed magnificentior in sæculi fuga . Hic in monasterio Grandissyluæ monachus factus Patrem sanctum deuotissime uisitauit . Rediturus autem lachrymabiliter quærebatur : quod non esset eum ultra uisurus : Cui uir dei ne timeas ait : adhuc sine dubio me uidebis . Huius effectum promissionis deuotissimus ille Villielmus expectans ipsa nocte cum beatus pater ex hac uita decessit : in monasterio Grandissyluæ apparentem sibi uidere meruit et dicentem . Frater Villielme . Et ille : Ecce ego domine . ueni inquit mecum . Ibant igitur pariter : et ad montem quendam altissimum peruenerunt . Interrogabat autem Sanctus : an sciret : quo uenissent : ille uero se nescire professus est . Cui ipse : ad radices inquit montis libani uenimus . Et nunc manebis hic : ego autem ascendam in montem . Interrogatus qua de causa uellet ascendere : discere uolo inquit . Miratus ille : quid inquam uis discere Pater . quem nulli hodie in scientia credimus esse secundum ? Ad quem Sanctus : Nulla ait hic scientia : nulla ueri cognitio : sursum scientiæ plenitudo : sursum uera noticia ueritatis : et in hoc uerbo dimittens eum in montem altissimum subiit coram illo . Cumque intueretur euntem illum expergefactus est : et occurrit ei protinus uerbum illud quod ad Iohanem olim de cælo sonuit . beati mortui : qui in domino moriuntur . Vt ergo mane locutus est Abbati suo et fratribus : Patrem sanctum ex hac uita migrasse dicebat . Et notantes diem : ac diligentius inquirentes : ut audierant inuenerunt . Euge pater sanctæ qui ascensiones in corde disposuisti in ualle lachrymarum : feliciter iam ascendisti de claraualle || in montem libani : montem candidationis : plenitudinem lucis : celsitudinem claritatis . Innocens manibus et mundo corde ascendisti in montem domini : ad diuitias salutis . ad thesauros sapientiæ et scientiæ peruenisti : ubi pure puram uideas ueritatem : ubi unns† tibi cum omnibus sanctis magister est christus : ubi omnes iam docibiles dei . Trahe nos post te quæsumus : et de monte excelso misericorditer respice uallem tuam . adesto laborantibus : subueni periclitantibus . ascendentibus manum porrige . Dat fiduciam tua nobis olim experta nec exinanita modo sed amplius cumulata benignitas : quin etiam uisio quam subnectimus ab eadem nostra præsumptione non discrepat .

Proxima nocte post quam sacrum corpus sepulturæ traditum fuerat : quantam adhuc pro filiis sollicitudinem gereret Pater sanctus : et quomodo suos quos in mundo dilexerat in finem quoque diligeret : euidenter ostendit . Apparens enim cuidam fratri in multa gloria et fulgore magno uestis ac uultus et desyderantem tenere cito pertransiens aiebat : quia pro quodam fratre simplice ueni . Audierunt hoc fratres : et mirabantur : sed circa horam diei terciam ueritas comprobata est uisionis . Defunctus est enim quidam frater laudabilis admodum simplicitatis : et sicut omnino credibile est animam eius tanto duce felicem : qui pro eo uenire se dixerat secum tulit .

Paucis quoque expletis diebus alteri cuidam fratri magnifice satis apparens : et arguens de suo nos doluisse discessu : post uerba multæ cosolationis† et promissionem felicitatis eternæ in sua perseuerantibus obedientia et doctrina : hoc etiam scito ait : et dicito fratribus cuiusdam uere sancti corpus cuius et ego habeo uestem in oratorio esse sepultum . Dicebat autem episcopum Malachiam . Ipsius enim tunicam in qua sanctus ille feliciter obdormierat ad missarum sibi seruauerat celebrationem : et moriturus in ea sese iusserat sepeliri : sicut et sanctum illum in sua sepelierat ueste . Quod tamen uerbum et ipsi fratri et compluribus aliis usque | ad hanc uisionem prorsus erat ignotum .

Felix pontifex cuius merita Pater sanctus et uiuens prædicauerit et defunctus . Felix caritas : quæ in morte non excidit : felix societas : quam nec illud diuortium tam crudele diremit . Gloriosi siquidem patres quemadmodum in uita sua dilexerunt se : ita et in morte non sunt separati . Nam et post dies circiter . XL . Abbas quidam ex maioris britanie insula sacræ illius societatis uirtutem feliciter experiri meruit in se ipso . Qui eodem tempore cum cæteris coabbatibus suis ex more cistercium petens . in claraualle remanserat gemino quodam desperabiliter occupatus incommodo pleuresis scilicet et febris quottidianæ . Iamque eatenus longa uexatione defecerat : ut solum animæ eius exitum fratres qui ei numquam deerant obseruarent : Cumque animum eius angeret non tam desyderium uitæ præsentis quam absentium desolatio filiorum : quod peregre moreretur : obnixe petiit : ut ad tumulum sancti deportaretur abbatis : Vbi cum orasset tota deuotione qua potuit : beati quoque episcopi Malachiæ in aquilonali ipsius oratorii latere positum cogitauit uisitare sepulchrum . auxilium flagitare . sed fatigationem ueritus : et quasi iam securus de incolumitate quod cogitauerat non impleuit . Die altera iterum fratres aduocans : ut ad oratorium ueniant opem sibi postulat exhiberi . Causantibus illis periculum siquidem uerebantur : omnino inquit oportet ut sancti Malachiæ tumulum petam . cum enim nocte præterita uix tenuiter obdormissem : expergefactus subito audiebam uocem dicentem mihi : Sanatus iam ab ægritudine tua : si ab altera uis sanari : episcopum pete . Fecerunt illi : ut ille uoluit : et continuo factum est sicut dictum erat ad illum . Eadem die sanus factus post paucissimos dies iter arripuit : et incolumis est reuersus ad suos . Tuum in hoc opere spiritum . tuum agnoscimus Pater dulcissime zelum tuam consyderationem . Tuum hoc opus sic deferre collegæ tuo : ut hunc quoque ei communicares honorem et amorem : cum quo uerius et felicius honorifica || ris in cælis . Imo uero tui sunt hæc omnia operis : tui muneris deus noster . Tu enim omnem replesti ab inicio temporis terram præsentia diuinitatis . omnem aliquando repleturus gloria maiestatis : cuius tamen partes interim quasdam et æterno præelecta loca consilio excelentius uisitans . reples spetiali gratia sanctitatis . Fac domine spetiali semper abundare frumento uallem : quam ut faceres re quam nomine clariorem : dignatus es tam eximie claritatis syderibus illustrare duobus : custodi domum in qua tibi geminum hoc tam pretiosum depositum custoditur . Fiat nobis denique iuxta uerbum tuum : ut ubi est thesaurus tuus : ibi sit et cor tuum . ibi gratia et misericordia et respectus assiduæ pietatis omnibus adsit in tuo ibidem nomine congregatis : quod est super omne nomen : sicut et tu super omnia deus benedictus in sæcula sæculorum :

PASSIO SANCTAE BASILE AC PROTHI ET HYACINTI MARTIRVM .

Miro modo dissentiunt historiæ de hiis martyribus qui passi sunt sub Decio imperatore . Nam Cornelius papa sub eo legitur passus fuisse : et tam ita legitur passus fuisse in gestis beate Eugeniæ Valeriano et Gallieno imperantibus : qui utique post Decium et Gallum et Volusianum leguntur imperium suscepisse . Orta est sedicio de christianis : quod cyprianus carthaginem euerteret : et cornelius Romam . data est auctoritas Paterno consuli : ut Cyprianum occideret . Cornelius autem : quia a multis Romanis etiam illustribus fouebatur : erat in abditis . Tunc beata Eugenia uidens Basilam ait : Reuelatum est mihi a deo : quod te uirginitatis magnum præmium expectat . At illa : et mihi inquit reuelatum est a deo . quod martyrii duplicem coronam accipias . Vnam quam apud Alexandriam pro iustis laboribus acquisisti : alteram quam in effusione sanguinis acceptura es . Tunc Eugenia residen | tibus sanctis uirginibus multo sermone eas de castitate custodienda monuit . Et ipsas flæntes osculans deo commendauit : et discessit . Eodem die perrexit una ex ancillis Basilæ ad Pompeium sponsum suum dicens : quod Basila ab Eugenia christiana facta esset : ut ei non nuberet : et duos eunuchos Prothum et Hyacintum magicæ artis doctores quam christiani committerent quasi dominos excoleret : Quibus ille auditis uæhementer iratus peruenit ad cubiculum clausum : in quo Basila cum Proto et Hyacincto orationibus erat occupata . Cumque se intromitti peteret : audiuit a Basila sibi esse mandatum : causam penitus non habeo te uidendi . Illi enim qui corpus integrum mihi commendauit : fideliter conseruare disposui . Tunc ille uæhementius furens prostrauit se coram Imperatore dicens : Sacratissime princeps romanis uestris subuenite : et deos nouos quos Eugenia de ægypto ueniens secum adduxit ab hac urbe separate . Ecce christiani coniugium seperant . gratiam sponsantes sibi associant . inuenti sunt dii : qui homines nasci prohibeant . Tunc decreuit Gallienus : ut aut sponsum suum Basila reciperet† : aut gladio puniretur . Eugeniam† quoque iusserunt ut aut numinibus sacrificaret : ut crudeliter interiret . Conuenitur Basila : ut recipiat sponsum suum . profitetur se sponsum habere christum dei filium regem regum : Et quoniam ex regio genere erat et publice audiri non poterat intra domum suam gladio transuerberata est : Qua interfecta tenentur Prothus et Hyacinctus : et ad templum trahuntur : Sed illis orationem facientibus simulachrum Iouis cui sacrificare compellebantur cecidit ad pedes eorum : et ita communitum est : ut ubi fuerit non compareret : Quod Vincentius præfectus non diuinæ uirtuti sed magicæ arti tribuens iussit eos decolari .

VITA BEATI BOBONIS DE VIQVERIA .

In prouinciæ partibus castello quod Nuglerium dicitur nobilissimis et christianissimis parentibus natus est beatis || simus Bobus . Pater eius Adelfredus . mater Odilinda nominabatur . Opibus diuites et nobilitate sublimes uana gloria et sæcularibus cupiditatibus depulsis : omnipotentis opus uigili sub corde fouebant . Gressibus et fidei sequebantur uerba magistri . Ideo æquali uoluntate et pari concordia carissimam nutrientes prolem bonis eum moribus instruebant . Puer autem bonæ Indolis crescendo paternum morem arte quasi hæreditario iure non morabatur amplecti exercens se arcu et pharetra et equestri luctamine : ut si quando necessarium foret : arcum cognosceret : et si aliquando equum non ignoraret : fide tantum catholica eruditus studebat : ut christianus in omnibus haberetur . hoc magnum posteritatis præsagium erat . cum puer nondum quindecim esset annorum : sæculariter ut mos est desyderans scandere inter sæculares operationes christianum opus retinere studebat . In pueritia fidelis christicola habebatur . Cum uero ad Iuuenilem peruenit ætatem : uirium uirtutum initio in pueritia sumpto de uirtute in uirtutem scandere conabatur : quod adeo factum est : ut ab omnibus amaretur : et cum grandi diligentia uenerare-
tur et merito . Incursus enim hostium christicolarum terram defendendo sæpe refre-

nauerat : et pro pauperiæ multorum se clipeum opposuerat . proposuerant enim hispaniculam Deuastare prouinciam quod sæpe numero temptauerant : Quibus ipse magis mori desyderans quam christianum nomen illis subiiceretur : uiriliter obsistebat . Creuit igitur huius ualentiæ fama laudabilis : ita ut non nulli paganorum piratarum quoque et latrocinantium regionem præfatam soliti deturbare a barbarico impetu adquiescerent : His et multis aliis lætus uterque parens deposito pondere carnis ad patriam redire suam quam culpa parentum clauserat : et cæli ciues meruere uideri . Vnde factum est : ut totius familiæ et possessionis pondus deuerteretur quam ipse bene regendo opibus et moribus confouebat . Post paucum uero tempus accidit : ut per prouinciæ partes quæ una ex transalpinis regionibus ferti | litate potens ut abundantia uirorum ad præsens habetur : paganorum perfidia superabundanter excresceret : qui ex hispania nauigantes circunquaque regionem deuastare moliebantur . Possidebant enim assidue audacis crudelitatis auxilium insulam quæ Fraxenetum dicitur : quam ipsi præocupauerant naturali munitione et maris amplexu munitam Nullus in ea introitus habebatur : nisi quod tellus tenuem linguam in æquora porrexerat quæ cum insula iungebatur : quam ipsi firmissimæ turris munitione obstruxerant : In hac absque omni timore uelut in propria patria morabantur . Excitabant quoque in christianos quottidie neces et latrocinia et quotquot inuenire uel superare poterant : ad præfatam insulam reportantes in tuto refugio colligebant . unde eleuata superbia paganorum dicebant se qui sunt transalpes leuiter deuincere partes : Et populum christi diuellere lege magistri . Raræ quoque munitiones in regione illa habebantur . Sed unusquisque in uilla sua gaudens ante præscriptam paganorum incursionem propriis utebatur . Et non solum diuites et nobiles in diuiciis et nobilitate congaudebant : sed etiam pauperes christo deuote seruientes a quo liberati sunt . et in paupertate sua cum summa alachritate uiuebant .

Postquam uero præscripta incursio præualuit : iam multis in captiuitatem ductis : Bobonem lacessere molliti sunt : ut fortiore deuicto : acolas leuiores ocyus delinirent : Quod audiens Bobo beatissimus : et quadam iam ex parte cognoscens quod tutum esse præuidit : montis unius cacumen : quod Petraimpia nuncupatur præoccupans speque uiuens in domino sæcularis suæ munitionis ibi construxit ædificium : in quo firmissime habitans dominum deprecabatnr† quottidie : ut populum suum conseruaret : triumphum de inimicis et pacem concederet : ne pro perturbatione impiorum regnum cælorum amitteret . Vouit etiam dicens : quod si sibi deus inimicos christicolas oppugnantes suffocare permitteret : se arma depositurum . Orphanorum et uidu || arum curam deinceps habiturum . Beatorum apostolorum Petri et Pauli limina semel in anno et si magis posset per totum uitæ suæ spatium deinceps petiturum : sicque denique factum est . Quod enim petiit a deo obtinuit : et ipse quod uouit fideliter adimpleuit . Firmabatur igitur in manibus ipsins† monarchiæ totius prosperitas : et ammiratio cum uirtutibus adcrescebat . Quod supradictæ gentis regem : regem enim habebant : latere non potuit . et ideo studentes insidiarum iaculis illum moliebantur deuincere . Accidit autem ut die quadam Bobo fortissimus uillam in qua sui commorabantur tribus tantum comitantibus uernaculis uisere decreuisset : quod confortationis studio faciebat . Postquam ad uillam prouentum est : et sub cuiusdam arboris patulis frondibus moraretur : sol enim in meridie præualebat . arboreæ umbræ oblectamine uictus dormire non distulit . Cui dormienti Beatus Petrus apostolus somni uisione apparuit dicens : Confortare Bobo . tecum deus . esto robustus : Nec timeas : sed sperne minas quas pestifer hostis actibus in modicis nunc nunc implere minatur . Ego enim precibus meis a domino obtinui ut triumphum tibi de uisibilibus et inuisibilibus inimicis concederet . surge tamen et citissime ad arcem recurre . ne inimici ad hoc mirabiliter cupidi illam ualeant præoccupare . His dictis nusquam comparuit . Expergefactus itaque Bobo confidendo pertimuit . Et enarrans seruis quod uiderat somnium properabat ad arcem : redeuntibus secum qui uenerant . Et ecce e specula quadam eminus prospiciens illos fere iam fastigia montis captantes uidit : Vnde perterritus ocyus properabat . magis tamen gressibus fidei quam corporali incessu . et iterum atque iterum apostolica recoligens uerba se uicturum sperabat : quod loci difficultas et ocyor illorum ad arcem progressio negare uidebatur . Quapropter longa trahens suspiria dominum exorabat dicens : Omnipotens deus cuius obsequi uoluntati nihil aliud est quam perfecte ditari : cui possibilia sunt

quæcumque impossibilia uidentur : respicere digneris ad humilitatis mee preces . Confirma in manibus meis : quod beatissimo aposto | lo tuo Petro de me promittere dignatus es ne elata superbia paganorum : christianum nomen ualeat delinire . Et hæc dicendo arcem præintrare uiriliter satagebat . Pagani tamen montem preoccupantes ante portam manebant et ingredi non ualebant . O mira potentia saluatoris . Bobo adhuc obsentabat et precibus repugnabat : et quod clipeo uel asta non ualuit : precibus totum meruit obtinere . Per quorum medium uir beatissimus spe prouidus et fide feruidus arcem ingreditur suosque secum ducens : desuper tela ceperunt deicere . Confusi uero pagani . et nimio terrore perterriti . dum se nihil profecturos aspicerent : ad tutum refugium repedarunt . In quo fiducialiter commorantes : studebant qualiter Bobonem suosque deuincerent : Sed deus populi christiani salutem præuidens : omnes illorum perturbabat insidias . Qui postquam multas deuastauere prouincias quarum opibus diuites effecti creuere . Cum extrinseca uero rabies aliquatenus deferbuisset : intrinseca rabie commoti : in se suas conuertere manus : Et adeo ut non nulli aliorum bonis inuidentes quod communiter ceperant commune non existimabant . Vnusquisque etiam nefanda adulteria prout poterat exercebat . Quod non solum quidam de plebe operabantur . Verum etiam rex in quo tota uictoria esse credebatur : luxurie mirabiliter deditus : si quempiam suorum coniugem sæculo habilem habere cognosceret : contra ius omne rapere nitebatur . Sed post quam multas alias ad temptauit et ut uoluit abusus quieuit portitoris illius qui insule introitu assidue utebatur coniugem pulcherrimam adamauit . Quam nec multas diuitias aurum argentum . uestes preciosas promittendo nec etiam ministrando flectere potuit . Vnde uæhementer iratus rex : quod precibus et minis non potuit : ui tandem potitus est . Tristis itaque effectus est portitor : et magis mortem quam uitam desyderans : uoluebat assidue qualiter suam posset uindicare iniuriam . Ft† post multa multa reuoluens ad portum tandem uoluntatis adtinxit . Tunc puerum ad se accersiens quendam . || hunc precibus monuit dicens : Festinus adito Bobonem cuius inclitissima fama tuas ut credo iam sæpe perculit aures . et has illi meæ paruitatis litteras salutando deferto . Quarum exemplar litterarum infra continetur : Boboni inclitissimo uiro christicolarum clipeo Paganus in quo totius Fraxeneti custodia stabilita quiescit salutem . Quia te christianitatis amatorem cognoui hominem : cuius promissio firma et rata uidetur : has tibi miserabilis angustiæ meæ uoces significare salutiferum esse cognoui . Mihi et enim denegatur cum paganis uiuere : unde christianus mori desidero . Pagani enim in sua conuersi uiscera : alter alterius neces molitur . Exercent adulteria et rapinas : mihi etiam rex ipse uxorem rapuit : et quod deterius est mortem minatur . Præpara igitur te . et congrega non modicam multitudinem ad delendam inuisam gentem . quotquot enim tecum duxeris introducam : quod in fide mea paciscor . His auditis gratias egit Bobo omnipotenti deo qui fere ad portum salutis suum iam adduxerat populum . et conuocans non modicam multitudinem equitum et peditum iter agreditur . Dum autem ad insulam propinquarent : præmiserunt legatos portitoris uoluntatem renunciaturos : Qui cum gaudio remeantes significauere uictoriam de inimicis . Profecti itaque uenerunt ad introitum insule : Quibus portitor portam aperiens : insule denotauit introitum : quam ipsi gratanter intrantes oppugnantium colla cedebant . Vnusquisque uero circunquaque discurrens quoscunque poterat trucidabat . Vt autem ad regem peruentum est : a cede cessandum fore iudicauit inclitus Bobo : et ad se regem uocans interrogabat si uellet confiteri christum : Cui ille libentius inquit : uolo cum christianis feliciter uiuere : quam cum paganis in feliciter mori : Quod omnes audientes ammirati sunt : et educentes eum mirabiliter uenerabantur . insulam quoque comburentes deuastauerunt . et quicunque uolebant confiteri christum reseruabantur : nollentes autem duplici interitu damnabantur . Exeuntes autem cum leticia magna : baptizauerunt regem cum non modica multitu | dine suorum : et gratias illi agentes qui benedictus in sæcula conseruat uniuersa : unusquisque repedauit in propria . His ita transactis : tellus multis diebus pacificata quieuit . Sed postquam sathanas suas cassatas cognouit insidias : non solitus a malo desistere alias demolitur . Accidit ut quidam diabolice fraudis stimulante nequicia : carnalem fratrem Bobonis ausus interficeret . Vnde Bobo commotus : funditus turbabatur : Vincebatur enim intrinsece perditionis metu : uincebat tamen fortitudinis assumptione . et iram in inimicum excitatam reuocabat sui misericordia . et ita athleta Bobo plus

intra se : quam in hostem præliabatur . Quotiens enim hostem cogitabat : accendebatur : sed cum anime sue periculum pertractaret : moliebatur . Victus igitur ad tempus quieuit . Post aliquot uero curricula temporis : Bobo tribus comitantibus uernaculis : solum inimicum uidit : quem eminus prospiciens : adeundum fore iudicauit dicendo : nullus eum : uidetote : percutiat : sed mihi soli : cui debetur fratris uindicta : seruetur . Cuius uoluntatem in coaptatione inimicus cognoscens : locum euadendi non habens : de propria est diffisus salute . Meliori tamen facto usus arma proicit : et ante Bobonem corruens : clamabat : Parce parce inclitissime Bobo : ne me interficias peccatorem : Si enim interfectionem distuleris suffocabo diabolum : quem nunc cognoui de mea interfectione gaudere . His auditis : commota sunt uiscera eius et pietate commotus : inter longa suspiria loquebatur : Impie crudelis cur tale facinus perpetrare non dubitabas . putabas ne in solo isto uniuersum semen familie sue posse delere ? Equidem non fecisti . Reddere qui ualeo pro factis digna supersum : Non manibus moriere meis : sed uiue fidelis . Sis domino Christo qui tempore saluet in isto . Surge itaque et pacis osculum accipe : et nec differas inimici mortales deuitare insidias : ne ipsius deprehensus seruitio eternaliter puniaris . Felix felicem imitatus est magistrum : qui suis monendo dixerat discipulis : nulli malum pro malo || reddentes . Quibus ita sedatis : siluit terra omni gloria circumsepta . Bobo quoque accrescens quotidie : sui compos . et uoti non immemor arma deposuit : et totus pacificus effectus per singulos annos romipeta habebatur memor promissionis apostolice uisionis . Quotienscunque romam proficiscebatur mulum secum semper ducebat : in quo uel uix uel nunquam sedere consueuerat . Nunquam tamen uel absque ceco uel claudo uel paupere aliquo uacuum dimittebat . Et quem uehebat ciborum refectione alebat . Macerabat itaque corpus genere quodam martirii ne uicia carnis deliciis accrescentia : irrumpendi aditum inuenirent . Eques enim non talibus usus pedestri exercicio terebatur : et baiulans sibi crucem : christi sequebatur uestigia . Sed dominus multas serui sui non deinceps passus erumnas : hunc finem uoluit habere Bobonis laborem . Die autem quadam cum Romam profecisceretur† sancto pentecostes festo appropinquante Viqueriam adusque peruenit . Quæ una ex italicis uillis : et nobilitate laudabilis : populoso frequentabatur accessu . Cum uero ad uillam uenisset et more solito hospitaretur : pati uidebatur : et non ultra progrediens : in cuiusdam compatris sui domo morabatur . Ft† prænoscens extremum aduenisse diem : locum elegit in quo prciosa† illius membra reconderentur . sumensque quidquid secum de facultatibus habebat : pauperibus gratanter distribuens : fundens uigiles preces ad dominum et corde integro illum exorans apostolum undecimo calendas iunii sancto sabbato pentecostes membra matrem repetunt : petiit sed spiritus astra : eo regnante qui cum patre : et spiritu sancto uiuit et regnat deus per infinita sæcula sæculorum . amen .

Postquam de eius laudabilibus actibus in quibus ipse se adhuc carnali pondere circonseptus excreuit : sufficienter significauimus : ea quæ per eum dominus carnali dissoluta materia operari uoluit : Præsens stilus explicare non differat . Beatissimi igitur membra Bobonis sepulturæ tradita in prædicto loco quiescunt : sicut ipse uiuendo disposuerat . Cuius gloriosissimi corporis | præconandæ uirtutes : ad tempus primitus quieuere . Assidue tamen per eum dominus uirtutes magnificas operabatur . Nam si equus uel pecus uel aliquod animal : ut forte eius sepulturam transiret cominus : expirabat . Vnde accole perterriti : usi consilio : clausuram ligneam circumquaque struxerunt ut et locus sepulture nitidissime conseruaretur : et animalium deinceps iactura cessaret . Quod ita factum manebat . Sed dominus nolens fidelis sui uirtutes diu ignorari infirmorum claudorum aridorum preuidens hoc modo illum reuelare dignatus est . In ligurie partibus in castro quod Tragautium dicitur : quidam iuuenis morabatur Iohannes nomine qui nimio corporis langore depressam sororem habebat lumine utroque carentem . Et ideo omnipotentem recuperatorem omnium assidue precabatur : ut illi perdita restauraret . Ad cuius humilitatis preces inclinans dominus suæ misericordiæ aures : nocturna uisione angelum suum sanitatis consilium defferentem : ad illum usque direxit dicentem : Si uis tuæ infirmitatis remedium habere sororis : surge et Viqueriam festinus adito : ibique in capite uille sepulturam inuenies lignis undique circumseptam : in qua gloriosa membra Bobonis in pace quiescunt . Cuius intercessionibus infirmitatis euasionem et uisus restaurationem

inueniet . His auditis : surrexit ille : et angelicis est roboratus promissionibus : nullo modo de sororis diffidens salute : concitusque puerum itineris ductorem accersiens Viqueriam adusque peruenit : sciscitans ubi talis haberetur sepultura : ad locum adtinxit : in quo contrito corde et humiliato dominum precabatur : ut meritis et intercessionibus inclitissimi serui sui Bobonis : passionem et priuationem depelleret . Qui post orationem subito prosilientes : sana et uidens effecta est mulier : Quod omnis audiens populus : senes et iuuenes : uirgines et uidue : pueri et puelle ad stupendum miraculum procurrebant . Et interrogantes hominem quid acciderat : rei geste uisionem per ordinem audiebant : unde letus effectus omnis populus : in beati Bobonis laudibus prorumpe || bant : fodientesque preciosissimum inueniunt corpus . A quo tanta odoris habundantia emanabat : ut si etiam uirtutes cessarent : in odoris illius fragrantia : corporis sanctitas cognosceretur : Et accipientes corpus : cum hymnis et laudibus condiderunt in sarcofago nouo : eodem depositionis suæ die : Construxerunt quoque basilicam ibi ad laudem et gloriam omnipotentis dei : in qua tria altaria edificauere . Quorum medium in honore sancte dei genitricis semperque uirginis Mariæ : sanctique Nicholai atque sancti Bobonis consecratum est . Aliud quoque in sancti Bartholamei nomine . Tercium uero in honore archangeli Michaelis et sancti Benedicti edificauere gratias agentes omnipotenti deo qui suum uisitare dignatus est populum . Hoc audientes innumerabiles populi utriusque sexus ad eius limina concurrebant . Christi misericordiam eius intercessionibus postulantes . Vnusquisque secundum suæ passionis effectum : eius benignitatis precabatur auxilium . Si conscius peccatorum obstaculis angebatur : peccatorum remedia postulabat . Si corporali premebatur infirmitate : passionis euasionem : sanctis intercedentibus meritis inueniebat . Sonuit igitur fama uirtutum : et diffamando miraculo : tota prouintia replebatur . Quo audito : quidam cæcus letus effectus : in castro quod Riuusturbidus dicitur degens : absque mora ad sancti Bobonis gloriosa conductus uestibula : eius merita precabatur dicens : Inclitissime fidelis domini benedicte Bobo : miserrimo mihi peccatori subuenire non differas . Exaudi in neccssitate† laborantem : eius postulando uirtutem : qui ceci nati oculos aperuit qui est benedictus in sæcula . Qui postquam ab oratione surrexit : oculorum remota albugine optatam meruit uidere lucem : laudans et magnificans omnipotentiam conditoris : qui solo præcepto restaurat uniuersa . His ita transactis Alius quidam in uilla que Carlaxe dicitur morabatur : quem ita superueniens egritudo contraxerat : quod uel uix uel nunquam celum uidere ualeret : Pedum officio minime utebatur sed | manibus scabella uehentibus : genibus proficiscebatur . Qui uirtutum audiens famam : eius tendere ad limina nitebatur . Sed postquam sanctum peruenit ad limen : more solito ingredi festinabat : benedicens dominum qui suum assidue erigebat populum . Dum hæc talia agerentur : et ad præconanda miracula populi frequentia aduenirct : Puella quædam cecitatis obstaculo diu tribulata in Montebello solita habitare : aduenerat . Et audiens quod factum fuerat : multis audientibus precabatur dicens : Et mihi subueniant queso sanctissime preces pietatis tue . me miseram . succurre pater te corde precanti : ut oculorum cecitate depulsa : meæ mentis oculos de hinc ad religionis opus aperias . Vix illa uerba compleuerat nullo interueniente temporis spacio : sana facta dicebat : Benedictus es deus omnipotens : qui patris mei Bobonis meritis me in hac hora uisitare dignatus es . Vnde populi exultantes qui uenerant : et alii præ gaudio flentes : conditoris laudabant magnalia . Alia quoque miracula quæ sequntur† : nullomodo credo prætereunda : Secretum enim regis celare bonum est : sed dei mirabilia enarrare magnificum est . In castro quod Caselle dicitur : duo homines morabantur : qui eadem egritudine deuincti : fere nulla membrorum habebant officia . Curuata enim erat iunctura membrorum : adeo quod neque brachia : neque tibias ualerent distendere . Quadam die itaque quod optauerant facere decreuerunt : et immissi uehiculo : ad eius usque perducuntur ecclesiam : Qui postquam de uehiculo sunt depositi : et ante altare adducti per spatium ferme duarum horarum : prostrati iacuere : orationes ad dominum prout nouerant effundentes : ossium crepitus cum membra distenderentur paulatim audiebantur . Illi quoque uociferantes præ nimio dolore preces miserabiliter effundebant . Mirabile satis : qui per multa temporum spatia eandem infirmitatem perpessi fuerant : eodem momento sanitati sunt restituti . Exeuntes gaudebant sani propriis incedere plantis : quos aliena modo condictio duxerat illuc . His ita pristine sanitati restitutis :

alius qui || dam de lacusano : qui manus habendo : illorum carebat officiis : aduenit . Et postquam sanctissima tetigit limina : sanitati restitutus : contractionis impedimentum euasit . Nec non quidam in castro quodam : quod Viacaua dicitur nutritus : pedum officio destitutus : infirmitatis euasit obstaculum . post quorum euasionem puella quedam de Vicopiculo : febribus et alia egritudine circumsepta : eius auxilia postulabat : cuius ipse exaudiens preces : pristine restituit sanitati . Quidam quoque puerulus papiensis aduenerat corporis infirmitate omnino constrictus : quem illico sanitati restituit . Aduenit etiam bobiensis quidam : qui gutte impedimento funditus loquelam amiserat : cui post diuturnas cordis contriciones : redduntur officia : Aduenit etiam quedam mulier ceca : habitans in castro quod sancte Iulitæ nomine sonat : que diu rogitans suæ pietatis auxilium : ad portum tandem uoluntatis adtinxit . Quidam quoque de Lardiraco aridus in parte membrorum : et cecus unus de Lomello gratia propriæ consolationis aduenerant : eius misericordiam miserabiliter postulantes : Et ideo unusquisque petitionis suscepit consilium Alter enim horum sanitatem accepit membrorum : Alter uero cecitate depulsa : optatam potuit lucem uidere . In Viqueria quoque quedam theutonica mulier morabatur : cui neque pedibus proficisci : neque manibus aliquid operari licebat : Quæ uidens eum tantas assidue operari uirtutes : sui misericordiam expectabat : et ipsa tandem quod expectauit obtniuit†. Mulier etiam de Equitania aridam habens manum : et mutus quidam ad eius postulanda suffragia aduenere : et dum aliquandiu ibi commorarentur : fœmina manus sanitatem inuenit : et uir ut optauerat loquebatur . De Adda quoque cecus quidam aduenerat : qui mox ut eius tetigit limina lumen recepit : De laudensibus uero partibus homo quidam secum ducens puerulum aduenit : ambo membrorum grauati contractione : quos eodem die sanitati restituit . Inter tot et tantas nominabiles uirtutes homo quidam aduenit : quem morbus qui uulgo cancrum dicitur adeo deua | stauerat : quod fere iam oculum dextrum amiserat . Qui diu uigiles fundens ad dominum preces : ita pristine restitutus est sanitati : quod nec in facie illius etiam plage cicatrix inueniretur . Hoc peracto miraculo et Mulier quedam aduenit : per os cuius dæmon loquebatur . dicens : Bobo : tuis precibus cur me compellis abire ? Et terribiles emittendo Rugitus compulsus tandem precibus Bobonis abiuit . Aliud quoque miraculum quod inter cætera patratum audiui : scriptum etiam uidisse me recolo : prætereundum non credo . Equites quidam tanta de eo mirabilia audientes Viqueriam adire festinant : non ut delictorum suorum ueniam postularent : sed ut uiderent mirabilia quæ fiebant : Quos hac intentione uenisse sequens littera declarabit : Postquam cere multitudinem aduenire conspicerent : cupiditate deuicti . candelas a monachis altare custodientibus : obnixe petebant : Quorum illi annuentes petitionibus prout poterant : caritatis studio imparciebant . Sed quia illorum non replebatur cupiditas : blasfemantes monachos mirabiliter uituperabant : Vnde tristes effecti monachi : lamentabantur a beato Bobone auxilium acclamantes . Illi uero cum superbia recedentes a minis nullomodo desistebant : sed postquam a monasterio discessissent cecitate percussi : ultra progredi non ualebant : Stupefacti igitur : et multo dissoluti timore : quia ultra progredi non ualebant : reuertebantur : corde integro ueniam postulantes . O diuina potentia et præconanda glorificatio : qui paulo ante uenerant : ut in aliis uirtutum operationes uiderent : in se proprias agnoscentes gauderent . Hoc audientes uniuersi populi : concurrentes dicebant : Benedictus deus omnipotens : qui facis mirabilia solus . Duo quoque milites necessitatis suæ causa Viqueriam adusque peruenerant : Dumque ibi aliquandiu commorarentur : inter diuersas sermocinationes : alter alterum interpellabat dicens : Velles ad ecclesiam sancti Bobonis proficisci ? Cui ille : uadant inquit illi : qui illius uirtutis auxilio indigent : Nos autem sani et incolumes : non talibus indi || gentes uirtutibus : ad propria redeamus . Quo facto conabantur supplere : et proficisci incipientes : cum ad uille exitum peruenirent : equos calcaribus et uerberibus urgentes nullo modo egredi potuerunt . Descendentes itaque quod equites non poterant : pedites complere conabantur . Sed nec uno nec alio modo egredi ualuere : donec prius ad sancti Bobonis merita : eius collaudando peruenirent uirtutes . Et postquam sanctam intrauere ecclesiam : qui modo confusi aduenerant : leti effecti : christi laudabant magnalia : offerentesque prout poterant dona et uota uouentes ad propria cum gaudio sunt reuersi . Amen .

VITA SANCTAE BRIGIDAE VIRGINIS .

Brigida quam deus ad æternam gloriam prædestinauit ex nobili genere in Scotia orta est patre Dabtoh et matre Crocha a pueritia bonarum rerum studiis inoleuit . Electa enim ex deo puella moribus sobrietatis ac pietatis et pudiciciæ plena in melius semper crescebat : Et quis eius opera ac uirtutes quas etiam in hac ætate gessit plene enumerare ualet ? pauca uero de innumerabilibus demonstrabimus . Exinde hæc cum tempus maturum aduenit : in opus coaguli ut de turbato uacarum lacte butyrum congregaret . a matre transmissa est : Vt sicut aliæ fœminæ hoc opus exercere solebant : ipsa quoque æquali modo perageret : Et ut cæteris in tempore placito uaccarum fructum ac pondus mensuratum butyri soliti plenissime in usum redderet . Sed hæc moribus pulcherrima et hospitalis uirgo : obedire magis uolens deo quam hominibus hospitibus et pauperibus lac largitur : butyrumque distribuit . Et cum secundum morem oportunum aduenit tempus : ut omnes redderent fructum uaccarum suarum : ad eam peruentum est : Cumque cohoperatrices eius monstrarent opera sua completa : quæsitum est a supradicta uirgine : ut et ipsa similiter opus suum assignaret . Et | ipsa timore matris pauida cum non haberet : quid monstraret : quia totum pauperibus erogauerat : crastinum non procurans tempus tanta et inextinguibili flamma fidei accensa : ac firma ad dominum se conuertens orauit . Nec mora dominus uocem uirginis audiens ac preces : Largitate diuini muneris sicut est adiutor in oportunitatibus affuit : et pro sua in se uirgine confidente affluenter butyrum restituit . ex illa hora post orationem uirgo sanctissima nihil de suo opere deesse ostendens : sed super omnes cohoperatrices abundasse et complesse officium suum monstrauit . Et cum plenissime inuentum in oculis omnium tanti muneris miraculum innotuit : laudantes deum qui hoc fecit : tantam dei uirtutem in uirginali pectore constitisse mirati sunt . Ac non multo post cum eam sui parentes more humano uiro desponsare uellent : illa cælitus inspirata se uirginem castam exhibere deo uolens : ad episcopum sanctissimum nomine Machillem perrexit : qui eæleste† intuens desyderium et pudicitiam : et mirum castitatis in tali uirgine amorem : palium album et uestem candidam super ipsius uenerabile caput imposuit : quæ coram deo et episcopo ac altari genua humiliter flectens : et suam uirginalem coronam omnipotenti deo offerens : fundamen ligneum quo altare sustentabatur manu tetigit . Quod lignum in commemorationem pristinæ uirtutis usque ad præsens tempus uiride : ac si non esset excisum et decorticatum : sed quasi in radicibus esset fixum uirescit : et usque hodie langores et morbos ex hominibus expellit fidelibus . Non prætereundum mihi uidetur commemorare quam hæc egregia dei famula diuino incessanter cultui tradita inseruierit . Nam cum illa aliquando in lebete lardum aduenientibus coxerat : cani adulanti ac flagitanti misericorditer illud tradidit postea de uase attractum et hospitibus diuisum est ac si non esset demptum . Et ualde qui uiderunt ammirantes puellam incomparabilem uirtute fidei et merito bonarum uirtutum dignis laudibus diuulgauerunt .

Eadem quoque uirgo messores et operarios conuocauit in messem || suam . et facta conuentione nebulosa ac pluuialis dies accidit . et pluuiis largiter ex nubibus effusis per totam illam in circuitu prouinciam . ac riuulis imbrium affluenter per conualles et rimas terrarum currentibus : eius messis sola arida sine pluuiarum impedimento et perturbatione perstitit : Itaque cum omnes messores regionis undique pluuiali die ab opere sunt prohibiti : sui operarii sine ulla umbra caliginis et pluuiæ : die tota dei opus exercebant . Aduenientibus episcopis et cum ea hospitantibus cum non haberet : unde eos cibaret : adiuta dei multiplici uirtute : solito more abundanter : ut sua poscebat necessitas : uaccam unam ter eadem die præter consuetudinem mulxit . Et quod solet de optimis tribus uaccis exprimi : ipsa mirabili euentu de unica expressit : hæc etiam cum suas opere pastorali pasceret oues in campestri et herboso loco : largitate nimia pluuiarum forte perfusa humidis uestibus domum rediit : et cum umbra solaris per foramina domus intraret : illa obtusa oculorum acie arborem fuisse transuersam et fixam putans desuper humidam suam uestem posuit : et tanquam in arbore uel pertica grandi et firma in ipso tenui solari umbraculo pependit uestis . cumque ipsius domus habitatores et uicini hoc fuissent miraculo perculsi : Hanc incompara-

bilem dignis laudibus extollebant . Sed et hoc silentio non est prætereundum . Cum enim Brigida in agro de more gregem ouium pasceret : alius nequam adolescens callide aliquid surripiens : et ipsius largitatem in pauperes comprobans : mutatoque semper habitu ad eam ueniens septies : septem ab ea uerueces una detulit die : eosque in secreto abscondit : Cum uero grex ad uesperam ex more ad caulas fuerat dirigendus : bis terque diligentissime numeratus sine damno eius mirum in modum totus integro grex ouium numero repertus est . Et ammirantes hi qui conscii facti fuerant uirtutem dei manifeste factam per uirginem : septem quos absconderunt uerueces suo restituerunt gregi : et ille gregis numerus non plus minusue sed ut ante perspectus est integer . His | et aliis innumerabilibus uirtutibus clarissima hæc dei famula in ore omnium super omnes non immerito uisa est : et mirabili quoque euentu ab hac uenerabili uirgine leprosi ceruisiam flagitantes cum non haberet illa : et uideret aquam ad balnea paratam : eum† uirtute fidei benedicens in optimam conuertit ceruisiam : ex qua abundanter tribuit sitientibus . Ille enim qui in chana gallileæ aquam conuertit in uinum : pro huius quoque beatissimæ fœminæ fide aquam conuertit in ceruisiam . Potentissima enim et ineffabili fortitudine fidei quandam fœminam post uotum integritatis fragilitate humana in fornicationis uitium lapsam . et iam habentem pregnantem et tumescentem uterum feliciter benedixit : Quare cum euanuisset in utero fœtus sine partu et sine dolore eam sanam ad pœnitentiam restituit : Et secundum quod omnia possibilia credentibus sunt : sine ulla impossibilitate innumera quottidie mirabilia operabatur .

Dum aliquando quidam ad eam salem petens ueniret : sicut cæteri pauperes et egeni innumerabiles uenire solebant pro suis necessitatibus beata Brigida in illa hora lapidem benedixit : et mox ex illo salem factum opus poscentis sufficienter largita est . Et hoc opus potissimum eiusdem iungendum esse mihi uidetur inter cætera : quo saluatoris imitatrix diuini operis excelsissima operata est uirtute . Nam secundum exemplum domini : hæc oculos aperuit cæci nati . Sua enim oratione et opere uisum membris dominus largitus est suis : qui cum de semetipso loquitur : ego sum lux mundi : nihilominus suis dicit apostolis : Vos estis lux mundi : et de eisdem dicens intulit : Opera quæ ego facio et uos facietis : et maiora horum facietis . Inde est : ut quem naturalis partus cæcum protulit natum : fides eiusdem Brigide grano comparata sinapis et consimilis : eidem oculos simplices et lucidos ingenti miraculo aperuit . Hæc itaque tantis uirtutibus illustris humilitate cordis et puritate mentis et morum temperantia ac spirituali gratia plena tantam auctoritatem in diuino cultu celebre nomen præ omnibus coætaneis uirgi || nibus habere meruit . Nam quadam die cum una ex adhærentibus sibi extrinsecus fœmina : Cum filia annorum duodecim ex naturali procreatione muta ad eam ueniret uisitandam : protinus digna ut omnes solebant reuerentia se inclinans humilli collo ad eius pacificum osculum processit : quam beata Brigida conditis sale diuino sermonibus salubriter allocuta est : ac saluatoris nostri exemplo iubentis paruulos ad se uenire filiæ manum tenens manu sua : nesciens quod muta esset . Sed uoluntatem ipsius interrogans utrum uelato capite permanere uirgo an nuptiis tradi mallet : matre eius monente : quod sibi nullum filia daret responsum : reddit illi non dimissuram puellæ manum : nisi prius responsa sibi redderet : Et cum filiam iterum interrogaret de re eadem : respondit filia dicens . Non aliud nisi quod tu uolueris uolo agere . Ac sic postea aperto ore sine linguæ impedimento et soluto ipsius uinculo sane loquebatur . Et quibus hoc opus eiusdem nonnullis multorum auribus antea in auditum scrupulum non moueret? Cum enim hæc animo esset intenta cælestium meditationi : ut semper solebat : suam de terrestribus ad cælestia eleuans conuersationem : quandam non paruam lardi partem cum cane diuisit : Et cum esset inquisita non alicubi sed in loco ubi canes esse solebant : mense transacto intacta et integra reperta est . Non enim canis ausus est comedere positum beatæ uirginis : sed custos parens lardi idoneus contra suum morem solitum diuina refrenatus uirtute et domitus extitit . Excrescente quottidie miraculorum numero quæ numerari non possunt : quantum misericordiæ et pietatis et in pauperes eleimosynarum oportune postulantes operata est : satis uix dici posse puto . Nam cum aliquis indigens cibo pauperum eam rogaret : illa ad eos qui coxerant carnes : ut ab illis aliquid pauperi deferret festinauit : et illorum stultissimus quidam famulus qui carnes coxerat : insipienter partem carnis nondum coctæ sed sanguinæ† et crudæ in alba-

tum ipsius sinuatæ uestis receptaculum transiecit . Et sic illa non fu | scata nec maculata de sanguinis inquinamento ueste : sed in suo candido colore manente : portans pauperi tribuit . Nec non et hoc de eius gestis felicibus ammirari debemus . Confluentibus enim ad eam undique pauperibus et peregrinis ingenti fama uirtutum et nimie largitatis tractius† accedeus† inter eos ingratus quidam leprosus optimam de armento uaccam cum uitulo sibi dari poscebat : nec ipsa eius audiens preces distulit . Sed mox illam quam optabat dedit ex omnibus uaccam : et alicuius uaccæ uitulum elegantem et optimum roganti infirmo uoluntarie donauit : Et misericorditer suum cum illo transmitens currum : per ita longum et latum campum ne molestiam uacca traducenda infirmus longo fessus itinere sustineret : uitulum post tergum eius in curru poni præcepit . Et sic eum uacca lingua tangens : et quasi proprium diligens nemine eam cogente usque ad loca destinata secuta est . Videte carissimi fratres et bruta contra naturam uel consuetudinem famulabantur ei animalia . Et quodam interuallo temporis alii nequissimi fures : qui non deum nec homines ueuerabantur† : ob latrocinium uenientes : et per amnem grandem facili meatu pedum egredientes boues ipsius furati sunt : Sed eos eadem reuertentes uia : impetus fluminis ingentis innudatione† aquarum subito facta conturbat . Non enim flumen instar muri erectum scelestissimam fraudem boum beatæ Brigidæ in se transire permisit : sed eos fures demergendo et secum trahendo : boues de ipsorum manibus liberati loris in cornibus pendentibus : ad proprium armentum reuersi sunt . Cumque quadam etiam die Brigida cogente aliqua utilitatis necessitate conuentionem plebis uisitaret in curru sedens binis uehebatur equis . Et cum suo uehiculo meditatione theorica : cælestem agens in terris uitam : suum ut solebat dominatorem oraret : de alto procidens loco alter efferato animo equus saliens sub curru et in frenatus habenis semetipsum absoluit : equo altero sub iugo remanente suo : exterritus per campestria cucurrit : Et sic manus || diuina iugum pendens ac sine præcipitio sustentans et uidente turba ob testimonium uirtutis diuinæ : secura in suo orans uehiculo uno tantum equo sub curru posito ad plebis conuentionem discursu placabili illæsa peruenit . Et signis et uirtutibus suam confirmans doctrinam sermonibus salutaribus : et sale diuino conditis plebem hortata est .

Cum deinde aper ferus et syluestris territus et fugitiuus esset ad gregem porcorum Brigide felicissimæ concitus cursu præcipiti peruenit : quem ipsa inter suos cernens porcos benedixit . Deinde impauidus ac familiaris cum ipsius permansit grege porcorum : Ecce uidetis fratres : quod et bruta animalia et bestiæ : sermonibus et uoluntati eius resistere non poterant . sed domita et subiecta sibi famulabantur . Nam cum aliquando aliquis inter cæteros offerentes ei munera longo itinere ueniens offerret porcos pingues : et alios secum missos ire ad suam uillam quodam interuallo terrarum positam rogaret : ut ab eo porcos acciperent : per longum itineris spatium dierum trium uel quatuor amplius prolyxum ex eo suos transmisit comites . Ac transacto unius diei itinere in contiguo monte qui proprio nuncupatur uocabulo Gabor porcos suos quos in longinquis opinabantur esse regionibus : obuios contra se uenire a lupis directis per uiam coactos contemplati sunt . Et cum ille cuius erant intellexisset : suos esse : eos agnoscens uidensque agrestes lupos lætatus est . qui ob maximam beatæ Brigidæ reuerentiam de syluis maximis et campo latissimo idonei pastores : in coactis et ducendis porcis laborabant . Aduenientibus missis relinquentes eos illæsos mirabilique hoc agentes intellectu : et mansueto more discesserunt . sicque altera die qui missi erant cum porcis receptis factum mirabile narrantes : domum reuersi sunt : Quadam enim die cum aliquis nulla suffultus scientia uulpem per regis palatium ambulantem uideret : putans illam obcæcatis sensibus suis feram esse bestiam : et quod in aula regis familiaris et mansueta esset : Variis artibus docta agilitate corporis et subtilitate animi regi et su | is comitibus grande præstans spectaculum ignoraret : uidente multitudine occidit eam : Et nunc ab his qui uiderunt factum : aligatus et diffamatus ad regem perductum rex iratus nisi sibi uulpem similem in omnibus callidatibus : quas sua uulpes operabatur : restitueret : illum iubet occidi : quod cum non potuisset facere : iussit eum rex interfici . et uxorem et filios suos et omnia quæ habuit in seruitutem redigi præcepit . cum uero rem gestam sancta ac uenerabilis Brigida didicisset : magno pietatis et misericordiæ affectu per motta eurrum† suum iungi præcepit : et ex intimo corde dolens pro ipso infelici : qui iniuste iudicatus est :

preces ad dominum profudit : quod cum fecisset : subito ex aduerso uulpes exiens : et magna uelocitate ad eam ueniens : quasi domestica et mansueta in sinum eius recubuit : hanc accipiens regi pro sua restituit : miserumque liberauit . Et omnes mirantes hoc factum priuilegio sanctitatis et prærogatiua uirtutum multarum semper polentem maioribus gestis sanctam uenerati sunt Brigidam . Cum quadam die anates pectore carnali natantes in aqua : et per terram interdum uolitantes beata uidisset Brigida : eas ad se uenire accersiuit : Quæ pennigero uolatu et tanto ardore obedientiæ eius uocibus tanquam sub humana cura essent consuetæ sine ulla formidine ad eam uolitantes uenerunt : has manu tangens et amplectens : et per aliquantum temporis spatium hoc faciens redire ac uolare permissit : collaudans creatorem omnium rerum inuisibilem per creaturas uisibiles : cui omnia subiecta sunt animantia : et cui omnia uiuunt : ut quidam ait officio gerendi : Ex his omnibus manifeste intelligi potest : quod omnis creatura bestiarum et pecorum et uolucrum subiecta fuit eius imperio . Et hoc eiusdem miraculum omnibus sæculis celebrandum auribus fidelium insinuandum est . Nam cum sæmina saluberrima uerbi dominici de more seminaret : uidit nouem uiros in forma quadam speciali uanæ et diabolicæ superstitionis habentes uocem ridiculam : et insaniam mentis maximam : in quorum uisceribus || contritio erat et infelicitas . hi antiqui hostis qui in illis regnabat uotis scelestissimis et iuramentis se facturos effusionem sanguinis antequam calendæ illius mensis superuenirent per iugulationem et homicidia facere disposuerunt : quibus reuerenda Brigida mellifluam uerborum copiam prædicauit : ut mortiferis relictis erroribus sua crimina per cordis conpunctionem et ueram delerent pœnitentiam : illi autem hebetudine mentis suæ nisi prius uana sua uota complessent : illud facere resistentes : in uiam abierunt suam : et pro hac re fudit ad dominum assiduas preces decora uirgo uolens exemplo domini omnes saluos fieri : et ad agnitionem ueritatis uenire . Egredientes illi nefarii homines : imaginem instar uiri quem uoluissent iugulare contemplantes . continuo suis iugulantem lanceis et gladiis decollauerunt . quem quasi post triumphum de suo aduersario et inimico cum armis sanguineis et cruentis reuersi multis apparuerunt . mirum in modum cum neminem occidissent : illis uisum est sua complesse uota : atque cum nemo aderat de illa prouincia de quo triumpharent : nulla dubietas pro hac re alicui persistens : largitas muneris diuini per sanctam Brigidam facta omnibus innotuit . Et sic qui antea uoluntate fuerant homicidæ : per pœnitentiam ad dominum conuersi sunt : Et hoc opere per decoratam Brigidam cultu inenarrabili sacræ religionis diuina manifesta est potentia . Erat enim Lugdemais nomine ualidus admodum et uirorum fortissimus . Is ut duodecim uirorum opera multa fortitudine corporis cum uellet faceret ita cibaria quibus duodecim sufficienter uiri uesci potuissent similiter comedebat . Deprecatus itaque est ut pro se dominum rogaret omnipotentem : ut ingluiuem† gulæ quia superflua deuorabat temperaret : neque tamen antiquam uirtutem corporis hac causa amitteret . quare sancta Brigida illum benedicens : et pro illo deum orans : ipsi postea uictus unius uiri satis erat . Ac ut ante laborans secundum duodecim operarios operabatur : et in eadem antiqua permansit uirtute . Item inter | eius opera præclara hoc opus etiam excelsum : compertumque omnibus explicare debemus . Arbor quædam grandis et maxime ad aliquem parata usum ab his qui artificia exercere solebant in sylua securibus excisa est : ad quam conuentio uirorum fortium propter ingentem eius molem et itinera difficilia . multis bobus et artificum machinis ad locum destinatum ut necessitas exposcebat : conducenda erat . uerum cum eam uirorum multitudo et uires boum et uariæ artificum artes mouere uel trahere non possent : recedentibus cunctis ab ea per fortissimam fidem beatæ Brigidæ grano sinapis similem : per quam ut magister cælestis organo euangelico docet montes mutantur : sicut possibilia sunt omnia credentibus : eam grauissimam arborem angelicæ uirtutes per diuina ministeria : nullo mortalium auxilio leuantes sine ulla difficultate ad locum quem uoluit sancta Brigida detulerunt . ac per omnes prouincias tanta uirtutis diuinæ huius excellentia diuulgata est .

Et hanc uirtutem indignam silentio nostro putamus quam inter cæteras innumerabiles eadem uirgo operata est . Quidam enim uir sæcularis ex gente nobili et dolosus moribus cum exardesceret in alicuius fœminæ concupiscentiam . et quomodo eius concubitu frui posset callide cogitaret fibulam argenteam preciosamque in depositum sibi commendauit : quam postea dolose retraxit : et muliere ignorante iecit in mare .

Vt cum ipsam gemmam non posset reddere : illa in ancillam sibi fieret : ex quo eius postea uteretur ut uellet amplexibus . Fecit quod Machinatus est : nullaque alia re ac redemptione placari posse dicebat : nisi propria fibula argentea redditaretur : aut ipsa fœmina ei daretur in seruitutem ut pro causa culpabili illa abuteretur . quod metuens pudica fœmina tanquam ad ciuitatem refugii tutiissimam[†] ad sanctam confugit Brigidam : Quæ cum quid pro hac re agere deberet cogitaret : et nondum uerba complesset : superuenit quidam cum piscibus de flumine tractis : quorum postquam illa excisa et aperta fuissent : fibula illa quam || crudelis homo iecit in mare : in aluo unius ex eis reperta est . hanc deinde secum portans . et ad conuentum multitudinis progrediens . et tiranno eius propriam fibulam ostendens multis attestantibus eandem esse adhærentem sibi mulierem pudicam de manibus tyranni crudelissimi liberauit . ille uero confitens suam culpam sanctæ Brigidæ humiliter colla subdidit . Iter aliquando faciens beata Brigida forte in amplissimo campo : cui Brego nomen erat : declinante ad uesperam die consedit . ubi eam mulier fidelis suscepit hospitio : gratias deo de eius aduentu agens . Hæc autem cum propter paupertatem unde ignem nutriret : et cibum unde tales hospites cibaret non haberet : incidens ligna in quibus telæ texebantur in pastum ignis uitulumque occidit : quem super horum lignorum strue igni assauit . Itaque cæna in dei laudibus facta est : et nox assuetis transacta uigiliis . mane sequenti mulier hospita pro uitulo quem occiderat alterum eiusdem formæ domi reperit . una cum instrumentis ligansque telariis pariter et in forma et quantitate qua fuerunt restitutis . beata Brigida hospite mulieri uale faciens iter expleuit .

Tribus deinde leprosis munus a beata Brigida : postulantibus uas largita est argenteum quod ne illis in diuidendo esset causa discordiæ et contentionis : cuidam iussit ut inter illos tribus æquis partibus diuideret : Et cum ipse se excusaret dicens : diuidere æqualiter non posse : ipsa apprehenso uase argenteo ipsum lapidi allisit : et confregit in tres ut uoluit æquales et consimiles partes . Mirum in modum ita ut nulla pars minor uel maior uno obulo inuenta sit . Secundum Iob exemplum beatissima Brigida nunquam inopes a se recedere sinu uacuo passa est . Nam uestimenta trasmarina et peregrina episcopi Conleath quibus in solemnitatibus domini et uigiliis apostolorum in altaribus et sanctuario offerens ministeria utebatur : pauperibus largita est . Et cum tempus solemnitatis aduenit : ut ipse sumus populorum pontifex pro consuetudine suis indutus esset mutatoriis uestibus : sancta Brigida priora uestimenta ilius episcopi Christi in forma posito dona | uerat : Alia similia omnino uestimenta prioribus tam texturis quam coloribus quæ in illa hora a Christo : quem per pauperem induebat prolata sibi in curru duarum acceperat rotarum : pro aliis traddidit . uoluntarie enim alia uestimenta pauperibus obtulit : et hæc oportune pro eis recepit . Nam cum ipsa esset unum et felicissimum summi capitis membrum : potenter omnia quæ uolebat operabatur . Et hoc eiusdem opus egregium minime prætermittendum puto . Quidam melis indigens sextario . eum ut suæ necessitati beata Brigida daret : precatus est . cumque illa mente doleret dum quod roganti traderet paratum non haberet : sub pauimento domus in qua ipsa fuerat : murmur apum tunc auditum est . Et cum ille locus in quo suis uocibus apes resonabant : eam ob rem perfossus fuisset : repertum est in eo quantum sufficiebat in opus poscentis : Ille ab ea recepto mellis munere : ad sua gaudens reuersus est habitacula .

DE SANCTO BONEFACIO ET AGLAE .

Erat Romæ mulier nobilis nomine Aglae filia Acacii quondam proconsulis . Hæc ergo ter Candidam egerat : Romæ præfecturam : habens sub se septuaginta et tres procuratores et unum qui super omnes erat nomine Bonefacium adulterum qui etiam cum ea commiscebatur in peccatum . Erat tamen hospitalitatis largus et opibus misericordiæ intentus . Tandem Aglae per gratiam dei compuncta : uocato illo dixit : frater sis[†] in quanta peccata conuoluti sumus : non estimantes quia deo assistere debemus : et rationem reddere de malis quæ gessimus . Audiui autem a christianis : quod si quis administrauerit sanctis qui patiuntur pro nomine Christi : consors eorum fiet in die iudicii . Perge igitur in partes orientis ubi patiuntur ut didici : et affer nobis reliquias

martyrum : si quomodo administrantes eis et oratorias domos ædificantes : per sanctas eorum passiones saluemur tam nos quam alii multi : Qui acci || piens aurum ad comparanda corpora sanctorum : et ad ministrationem egenorum : et duodecim equites : egrediens domine sue ait . Si inuenero ad comparandum corpora sanctorum martyrum : afferam mecum : Sin uero corpus meum uenerit in nomine martyris suscipies illud : At illa abice inquit abs te ebrietatem et stultiloquium : et sic uade ut deuotus : Quare sic loqueris : qui sanctorum corpora portare habebis : Egrediens ergo puer Bonefacius cogitauit : ut quia licet indignus et peccator sanctorum corpora portare haberet : a carnibus et uino abstinere deberet : factaque oratione ad deum : ambulans uenit in ciuitatem Tharsum : et cognoscens quod athletæ Christi cruciabantur in martyrio : dixit ad eos : qui erant cum eo : Euntes requirite nobis hospitium : et ego uado uidere eos quos ualde desydero . Pergens igitur ad stadium : uidit martyres in tormentis positos : unum suspensum a capite deorsum et ignem subtus eum stratum : alium inter ligna quattuor extensum et diutissime maceratum : alium ungulis laceratum : alium manus habentem abscisas : alium stipitem in collo eius fixum et a terra exaltatum : alium retro manus et pedes habentem : et sic fustibus a ministris cæsum . Accedensque cœpit osculari eos : et uoçe magna clamare . Magnus deus christianorum : magnus deus sanctorum martyrum : obsecro uos famuli christi : orate pro me : ut ego merear uestri consors inueniri . Sedensque ad pedes martyrum qui plectebantur : uincula eorum osculans : ipsosque ad pacientiam exhortans . Quem intuens iudex Simplicius ait : Quis est iste : qui de contemptu meo ac deorum iniuria hoc gerit applicetur ergo ante tribunal meum .

Cumque adductus fuisset interrogatus quis esset : christianum se esse constanter respondit : et idolis immolare penitus recusauit . Vnde iratus iudex : iussit eum suspendi et corpus eius diutius radi ita ut ossa eius apparerent . At ille tacebat et oculos attentos ad martyres habebat . Cumque sacrificare nolens perseueraret : iudex iussit calamos accui eosque | sub ungulis manuum eius infigi . Quod cum fieret : aspiciens martyr in cælum dolores alacriter tolerabat . Videns autem iudex : quod minime tormenta sentiret : iussit os eius aperiri : et plumbum bulliens infundi . Qui aspitiens in cælum orauit : et ad sanctos martyres ut pro ipso orarent exclamauit . Qui cum complessent orationem et dixissent amen : factus est ploratus a turba : et uociferatio maxima dicentium : Magnus deus christianorum : christe fili dei salua nos : pereant simulacra gentium . Omnisque plebs impetum fecit : et aram destruxit . Iudex uero timens turbas propter tumultum secessit . Diluculo autem pro tribunali residens : eum sibi assisti fecit : uidensque eum adhuc in fide crucifixi perseuerantem : iussit afferri ollam et pice impleri : et bulliente pice sanctum in ea inuerso capite mitti . Angleus† domini descendens ollam tetigit : et ut cera protinus ante faciem ignis liquefacta : sancto quidem molesta non fuit . Multos autem de astantibus accendit . Tremefactus igitur iudex pro uirtute christi et admirans : patientiam martyris sancti : iussit gladio caput eius abscidi . Spiculatores eum de medio incendii festinanter tulerunt : qui impetrata ab eis hora parua ad orandum conuersus ab orientem : deum precatus est . Deinde a spiculatore percussus est : et factus est terremotus magnus : ita ut omnes exclamarent dicentes : Magnus est deus Christianorum .

Conserui autem Bonefacii circuibant ubique requirentes eum : et non inuenientes dicebant ad inuicem : modo in adulterio aut in taberna positus epulatur . Cumque obuiasset eis unus ex officialibus dicunt ei . Vidisti ne forsitan aliquem peregrinum romanum ? qui respondit heri uir peregrinus pro Christo capite plexus : adhuc in stadio est ubi et passus est . At illi : Hic inquiunt quem quærimus adulter est et ebriosus . Secuti sunt tamen officialem usque ad stadium : qui ostendit eis corpus pretiosum Quæsierunt etiam ab eo ut ostenderet eis et caput . Quo ostenso cum illud || consyderarent : risit in spiritu sancto . et cognoscentes flæuerunt amare dicentes : Ne memineris peccati nostri : quia tanta locuti sumus de te famule Christi . Emerunt igitur ab officiali corpus martyris quingentis solidis : ungentesque illud aromatibus et inuoluentes pretiosis linteaminibus posuerunt in basterna et sic profecti sunt : Angelus autem domini apparuit dominæ suæ dicens . Quoniam aliquando habuisti seruum nunc suscipe sicut dominum . Pro sola enim eius interuentione peccata tibi relaxabuntur omnia . Quæ confæstim surgens : clericos et religiosos secum accepit : et sic cum hymnis et canticis et omni ueneratione sancto corpori obuiauit . Et repo-

suit illud ad spatium quinque stadiorum ab urbe Roma uia latina dignam domum ei ædificans . In quo etiam loco beneficia sancti martyris orationibus exhuberant . Beata autem Aglae abrenunciauit mundo et eius pompis omnia sua distribuens egenis . Relaxans etiam uniuersam familiam suam a iugo seruitutis . Sicque cum paucis puellis christo famulata tantam gratiam a deo meruit accipere : ut et dæmones expelleret : et diuersas infirmitates curaret . Superuixit autem in habitu sanctimonialium : annis tredecim et sic obdormiuit in domino .

DE SANCTO BENIGNO PRAESBYTERO .

Aurelianus imperator Diuionem ingressus ad uidendos nouos muros ibi constructos iussit templum ædificari Mercurio : et ne paterentur ullum christianæ legis professorem in locis illis residere : Quod audiens Terrentius comes ait : quid sit christianus : nescimus . sed uidi quendam peregrinum caput habere tonsum : cuius habitus et uita differt a nobis . deorum cerimonias refutat . populum nostrum aqua abluit : et balsamo linit : et signa multa in populo facit . Post mor | tem aliam uitam in deo suo credentibus promittit . Audiens hoc Aurelianus ait : Quantum audio christianum hunc esse hic habitus designat . Inquirite eum : et ligatum in conspectu meo adducite : quia diis nostris ista conuersatio non placet : sed cum eis crucifixi quem colunt signum ostenditur : statim tabescunt : et fremunt dentibus : nec illius signum intueri patiuntur . Quæsitus ærgo sanctus Benignus præsbyter : et in uilla cui nomen Psamatus ubi uerbum dei gentibus pnædicabat† inuentus : uinctus in conspectum imperatoris est exhibitus : Qui ait illi : Ex qua regione es o crucicola et quod nomen est tibi? ille respondit : Ab oriente uenimus ego et fratres mei : quos tu iam occidisti a sancto Policarpo misi : ut uerbum dei gentibus prædicemus . Aurelianus ait : si sermonibus meis præbeas famulatum : magnum sacerdotem deorum meorum te constituo : et primum in palatio meo te esse iubeo . Ille respondit : Lupe rapax primatum sacerdotii a te non accipio : quia tibi manet æterna et pessima damnatio : Nec me mutabis a Christo : cui ego seruio . Audiens hæc aurelianus neruis durissimis eum cædi præcipit : et nisi sacrificaret : diuersis pœnis affligi : Qui ad trocleas extensus cum cæderetur gratias agebat Christo : et orabat sed cum fuisset cæsus carceri mancipatus Angelo eum confortante ita pristinæ sanitati redditus est : quasi nec unam plagam accepsset† . ||

. FINIS .

VITA BEATI CALOCERI MARTYRIS .

Cum beatissimi martyres Faustinus et Iouita diuersa tormentorum genera ab Adriano imperatore pro Christi nomine sustinerent : accedens unus ex ministris nomine Calocerus uidit Faustinum et Iouitam stare extra capitollium : Et ingressus ad Adrianum uidit eculeos uacuos et ministros torquere : leuauit uocem ante Adrianum populumque dicens : uere magnus est deus : quem Faustinus et Iouita colunt : qui tanta beneficia in se credentibus præstat . Adrianus dixit : Qua insania arreptus es Calocere? attende sanguinem tuum . Quid uidisti ut ista loquaris? Calocerus dixit : Bone imperator quid modo uides in hos eculeos torqueri? cui ille Faustinum ait et Iouitam . et Calocerus : uisionem uides . Ministri autem clamabant : Iam torquendo deficimus : et hi in nullo pœnas sentiunt . Hæc fieri cernens Calocerus doluit ualde : atque exiens fleuit uehementer . Et ecce apparuerunt ei Faustinus et Iouita dicentes Calocere quid de nobis doles? uade et intra ad Adriani conspectum : et quid ministri faciant uide . Quibus Calocerus : non recedam ait a uobis : quousque detis mihi signum Christi : per quod liber efficiar . Faustinus dixit : Calocere confidenter spera te Christi signum accepturum : in quo diabolus effugatur . Ille uero : utique obsecro uos sancti dei : ut dignus merear esse : et ad tantam claritatem peruenire . Iouita inquit : fidem serua Calocere creatori tuo et redemptori animæ tuæ . Et cum hæc ille dixisset : intrauit Calocerus ad Adrianum : uiditque ministros congerere carbones quasi super sanctos

dei . Tunc scindens chlamydem suam Calocerus uere ait . magnus et potens est deus christianorum : quem Adriane denegas et eos persequeris : qui ei sancti deseruiunt . Adrianus ait Calocere ista loquendo uanus capite factus es : cui ille : Vere caput inquit mortuum habetis et sensus in uobis nullus est ut | contra deum cæli factorem huius mundi statuas diuersorum opera manuum hominis factas conferatis . Audiens Adrianus Caloceri uociferationem : iussit eum foras mitti : ne amplius magnificaret deum et ait ad ministros : uidete iam si mortui sunt? ministri prunas excutientes inuenerunt eos tamquam de somno faciem habentes : et nulla in eis arsura apparuit . Et uidens Adrianus nihil passos : iussit eos in carcerem reduci . ut aliam illis pœnam excogitaret : qui ad carceris custodes conuersus cauete inquit : ut a nullo pœnitus uideantur : uel sic dementur magiæ eorum . ducti itaque sancti dei in carcerem dominum collaudabant dicentes : Ecce quam bonum et quam iocundum habitare fratres in unum . Et saluator ad eos aduenit circa mediam noctem . Erat enim in carcere lux magna nimis : et odor suauitatis fragrabat : Ita ut custodes præ timore domum Caloceri fugerent : omniaque ei quæ in carcere fieri uiderant retulerunt : quibus Calocerus ambulate inquit mecum ad carcerem : ut uideam quæ narratis : tunc abeuntes nullo modo potuerunt appropinquare : sed procul stābant† propter saluatoris splendorem : qui cum Faustino et Iouita ad eos confortandos prospiciebatur . Hic tamen Calocerus fide ductus accessit ad ostium carceris : et dixit : Memento mei saluator domine : ut merear ingredi in numerum ouium tuarum ut signatus inter eos cognoscam : te esse creatorem meum : et accepta purificatione merear pati et sustinere persecutionem pro nomine tuo : ut contra diaboli artes possim resistere . tunc facta est ad eum uox dicens : Calocere accipies : quod petisti . crastino enim uenies cum seruis meis Faustino et Iouita ante Adrianum : refutare eum in conspectu populi ad eius confusionem : quæ ubi Calocerus audiuit : fletu magno ingemuit : proiiciens se ante carceris ostium usque mane . Postea ministri ad Calocerum uenerunt dicentes ecce Adrianus ad templum Martis uadit ut Faustinum et Iouitam audiat . Calocerus mox ad officium suum conuersus ait usque hodie dæmonibus militaui : similis enim eram cymbalo tinnienti in quo sensus || non est . audite me : et faciam uos fieri collegas et consortes meos : quoniam militia huius sæculi damnum est animæ . uere uobis dico quia magnus est deus christianorum : quem colunt Faustinus et Iouita . hæc dicebat ad officium suum ut et ipsi conuerterentur . Iterum ait ad eos : fratres audite me : et conuertamur ad dominum deum cæli : qui est super omnes deos et super omnes reges terræ : qui unus est deus creator puræ conscientie : qui fecit mirabilia solus in ægypto . Audientes eum omnes ex officio eius dixerunt ad eum : unde nobis ut possimus ad istam tantam uirtutem attingere : aut quis erit homo : qui nos ducat ad illum deum : quem gloria uestra præfert ? Calocerus dixit : si ex toto corde uestro quæritis deum : ueniet ad uos . et uidebitis eum et erit uobis salus : et illuminabuntur corda uestra . et dabuntur uobis habitacula in quibus requiescere possitis ante conspectum saluatoris : qui uos eripiet ab inimicis uestris : et cum hæc diceret : omnes uno animo illi responderunt : nunc usque fuimus sicut oues sine pastore non habentes ad quem conuerteremnr† . cito anticipiet† misericordia tua domine : quia pauperes facti sumus . Mitte ad nos ueritatem lucidam de sede regni tui : quæ obscuret mendacium cordis nostri : ut refutemus Adrianum principem iniquitatis : et perucniamus† ad te principem ueritatis : in quo ueritas letatur una cum sanctis tuis . Hec illis ad Calocerum dicentibus misit Adrianus Calocerum ad templum Martis uocari : cui dixit Adrianus : paratum est quod iusseram uobis : ut faceretis ? Calocerus respondit sed ad confussionem tuam hæc dicis : ut iniquitas tua confutetur : cui Adriaanus† Calocere ait : dignum te inter omnes habeo : sed ista dicendo pro Faustino et Iouita : inimicum me facis anime tuæ . Et ille : propitiatio tua animam meam ducit usque ad mortem . Adrianus adducite inquit Faustinum et Iouitam ut ab eis ueritas excerpatur . ministri uero statim e carcere eos produxerunt : et ecce occurrit eis totum officium Caloceri : et præcedebant eos usque ad templum Martis : Adrianus dixit ego inimicus uester sum et nihil apud me ualetis cum deo uestro . Iouita dixit . Suf | ficit tibi ut per plures deos erubescas . tunc iratus Adrianus iussit eos iterum recludi in carcerem . Congregauerunt autem se omnis populus ciuitatis Brisianæ quærens pastorem bonum Apollonium episcopum : ut eis baptismum traderet . Inuenerunt autem eum absconsum propter persecutiones Adriani : et adduxerunt eum

scretè† in ciuitatem dicentes : trade nobis signum per quod ciuitas nostra uel nos liberi efficiamur . ait ad eos sanctus Apollonius Filioli uenite : et ascendite mecum ad montem : qui est supra ciuitatem : ut cum adorauerimus : ostendatur nobis signum de cælis . Verebatur ei Apollonius propter populi turbam ne circumueniretur ascenderuntque cum eodem omnes in montem : ibique genua ponentes adorauerunt in conspectu dei . Tunc beatus apollonius erexit se a terra : et dixit : domine exaudi orationem meam : ad te omnis caro ueniat . hæc cum dixisset : populo orante : apparuerunt septem angeli fulgentes sicut sol : et dixerunt : Appolloni quid quæris ? misit nos dominus : ut tibi simus in auxilium ad istum gregemn† : qui fontem salutis desyderat nunquam deficientem . Ecce paratum habeo fontem : in quo eos renoues . Fac eos surgere : imponens eis benedictionem domini : Nos enim ibimus ad carcerem : et adducemus Faustinum et Iouitam quos iussit dominus fieri sacerdotes Faustinum præsbyterum et Iouitam diaconum propter oues quæ erant per diuersa : ut restituant eas creatori suo . et abierunt angeli ad carcerem : et salutauerunt Faustinum et Iouitam dicentes : Gaudete iusti in domino . in conspectu gentium date laudem et claritatem . Surgite ergo sancti martyres dei : et uenite nobiscum : ut uideatis oues : quas domino acquisiuistis . Qui mox exeuntes de carcere abierunt cum angelis ad sanctum apollonium : et inuenerunt eum benedicentem populum . consumata uero benedictione uenit ad locum : ubi erant angeli cum Faustino et Iouita et salutauit eos diceus† : ecce uiri in quibus dolus non est inunetus† . Imposuit Faustino manum et benedixit illum in presbiterum : similiter et Iouitam benedixit : et fecit eum diaconum : et dedit || eis pacem . Tunc dixerunt angeli Faustino et Iouite : ubicumque habueritis cum Adriano certamen baptizate omnes qui crediderint per martyrium uestrum in domino . accedite ergo modo baptizate oues istas . erat autem quasi hora diei sexta et baptizare cœperunt populum credentium in domino . uenit deinde Callocerus cum officio suo : et prostrauit se in terram sic præcatus : Miseremini mei : quoniam deficio uæhementer : et corpus meum tremor compræhendit a timore dei gloriæ : qui in sanctis habitat : et humilia respicit in cælo et in terra . Videns autem Apollonius confidenter Calocerum petere signum Christi : iussit uenire eum ad fontem eduxitque ad eum . Calocere credis te deum resuscitaturum a mortuis . respondit utique credo per renouationem fontis me resurecturum a mortuis . Fecit adduci et officium eius similiter et illis dixit : at illi una uoce omnes dixerunt : credimus unum deum in trinitate esse in cælis : et imposuit illis manus : et fecit eos catecuminos : et baptizauit eos . Suscepit uero Calocerum Apollonius : et officium eius Faustistinus† et Iouita sicut omnem populum . Erant omnes baptizati quasi ad duodecim milia hominum : et erat hora circiter duodecima : et altare non habebant : in quo eis firmamentum dominici corporis traderent . Fecerunt itaque orationem : et respicientes uiderunt syndonem niueum expansum tanquam supra altare . et erat plenum corpore domini : et calix dominici sanguinis erat plenus in eo . Tunc accedens Apollonius ante altare domini precari cœpit . et ecce apparuerunt quattuor luminaria ardentia in conspectu populi : quoniam iam nox erat : et fecit missam : et tradidit corpus domini similiter et calicem . omnes deinde per noctem abierunt cum Apollonio . Beati autem martyres dei redierunt ad carcerem . Mane facto uenit Calocerus ad carcerem cum officio suo : et intrantes ad Faustinum et Iouitam salutauerunt eos dicentes : ecce firmati sumus accepto corpore et sanguine Christi . ut et noster sanguis fundatur pro nomine eius . Faustinus dixit : Oremus in conspectu saluatoris no | stri : cumque orarent : ecce Angelus domini uenit ad eos dicens : Forti animo estote . accepistis petitionem uestram . Tu uero Calocore† sic dicit dominus omnipntens† : Mitto te in medio luporum ut conuertas eos : et accipias paratum tibi fructum . tunc dixit Calocerus ad angelum : Ego fui homo in peccatis meis ambulans . Quid faciam : si non conuersi fuerint homines ad deum cæli . Respondit angelus : Calocere tu tantum spera in domino : et in illa hora dabitur tibi petitio tua : et replebuntur omnes spiritu sancto : qui crediderint uerbis tuis : et ibi accipies coronam martyrii . In illa die uenient angeli : qui tollant te de isto sæculo : et portabunt te ad creatorem tuum . transactis igitur diebus in quibus Adrianus luxit fratrem suum Pompeium : iussit dari circum : ut uale diceret populo : Et misit ad carcerem Aurelianum comittem Italiæ : ut uideret signaturam anuli eius . Qui ueniens ad carcerem ut fuerat : ita signatum inuenit . Tunc aperuerunt ostium carceris : ubi erant Faustinus et Iouita

inclusi . et inuenerunt cum eisdem Calocerum et officium eius . ammirati sunt ualde . quod ostiis clausis et signatis ad eos ingressi fuissent : Rennnciatum† est Adriano Calocerum cum officio suo in custodia carceris inuentum ubi erat Faustinus et Iouita . admiratus est ualde . et eos iussit ligatos adduci : quo facto sic alloquitur eos Adrianus : Calocere quid fecisti infirmum te reeddere† his : qui sunt in palatio meo ? deinde conuersus ad officium eius dixit : Vos uero qualis insania compulit : ut participatam cum Faustino et Iouita et Calocero mortem desyderetis ? Illi uero una uoce dixerunt : Adriane non timemus mortem istius sæculi : quia adiutor noster est in cælis . Adrianus dixit : et uos unde scitis deum esse in cælis ? Simul omnes dixerunt : per renouationem fontis uidimus eum ascendentem in cælis cum multitudine angelorum : et hunc credimus deum uerum et uiuum esse in cælis . Tunc iussit Adrianus eos . post terga ad circum adduci : et amputari capita eorum . Calocerum uero cum Faustino et Iouita in ferrum mitti præcepit : et profici || sci Mediolanum : quibus post triduum ingressis ciuitatem mediolanensem iussit Adrianus in thermas herculinas Faustinum et Iouitam cum Calocero in conspectum suum adduci : quibus dixit : scitis quoniam translati sub custodia estis de ciuitate uestra . modo ergo conuertimini ad me : ut liberi a pœna esse possitis . Sacrificate ergo deo Saturno : et eritis nobiles in Italiæ partibus . Calocerus respondit : Tyranne christianorum : ubique oratio eorum confundit deos tuos et teipsum cum eis . Et Adrianus : audite me et sacrificate priusquam morti uos tradam . Faustinus respondit : sacrificamus et offerimus deo nostro : qui nobis in omnibus auxilium præstat . Adrianus dixit : uidebo citius : qualiter adiuuat uos deus uestę . Tunc ait ministris : afferte eculeos : ut uideant populi pœnam eorum : et suspendite eos : et torquete usquedum animam reddant . ministri ita fecere torquentes eos uæhementer . Calocerus clamabat : beati martyres orate : quia grauiter circa me diabolus pœnam exercet . Faustinus respondit : Sustine modicum . ecce enim angellus ueniet in auxilium tibi contra diabolum . Calocerus dixit : Orate : quia uideo me superasse diabolum : qui mihi dolores inferebat . modo enim pro nihilo habeo tormenta Adriani . Audiens Adrianus uerba Caloceri cum grandi risu dixit : Calocere modo senties : cum uideris circa uos uæhementiora adhiberi tormenta . Tunc dixit ministris : afferte ante nos lampadas : et ponite circa latera eorum : ut sciat Calocerus : si non sentit sententiam nostram . Ministri autem infigebant membris eorum multitudinem lampadarum : Calocerus clamabat : Adriane nondum est tertia hora : quomodo te tenebre compræhenderunt : ut lampadas tibi afferri præciperes ? Adrianus dixit : Calocere quantum uideo adhuc ignem non sentis . cui ille uere tibi dico : quia in nullo tormenta tua sentio . Adrianus dixit : Afferte stupam resinam et oleum : et ponite circa eculeos : ut cum ipsis eculeis concrementur : Faustinus respondit : Adriane pœnam nobis adhibuisti ad confufionem† tuam . Tunc ministri quod | iussum est impleuerunt . uidens Adrianus flamam circa eculeos copiossam : iussit eis clamari : uel modo sentite uim deorum : quos non adoratis . Erat enim flama ignis circa eculeos . beati uero martyres ab igne non tangebantur . Calocerus de igne clamabat : Adriane infestissime cultor . idolorum præparari tibi aliam pœnam : quia hanc non sentimus . hæc Adrianus audiens iussit ministris dicens . augete stupam et resinam ut sentiant calorem deorum . Faustinus respondit : Adriane uide quia in mediis flamis stamus : modo uidebitis et confussionem uestram . Erant enim statuæ saturni et herculis : ubi sedebat Adrianus : et audiebat sanctoos† dei seruos . Iouita dixit ad ignem : Imperamus tibi in nomine domini : uade ad statuas saturni et herculis : ut calefacias eas : quia frigide sunt . Tunc ignis ad præceptum eorum perrexit : ubi stabant statuæ : et ita circonplexus est eas : ut mox uelut cera defluerent . Adrianus uidens ardere statuas exiliit de sede et foras fugit : quia statuæ quæ ardebant : super sede eius positæ stabant . Faustinus et Iouita et Calocerus foras secuti sunt Adrianum dicentes : Vbi pœne tuæ sunt Adriane ? confudit te dominus deus noster : et pro nihilo habemus pœnas tuas . Adrianus ad ministros ait : adducite tauros et aferte istos magos ab oculis meis . ligate eos ad posteriora taurorum : ut in deserta loca delati deficiant . Tunc ministri tulerunt Faustinum et Iouitam et Calocerum : et ligauerunt eos post tauros indomitos : et demiserunt eos in sylua abdeta† . steterunt autem tauri in sylua quasi ad præsepe ligati . uenerunt angeli ad eos dicentes . Faustine misit nos dominus ut reducamus uos ad ciuitatem : ut uideat Adrianus confusionem suam : conuersi postea angeli dixerunt ad tauros : Abite cum

Faustino Iouita et Calocero in ciuitatem : et dabitur uobis uirtus : ut multa per uos mirabilia ostendamur . Regressi sunt Faustinus Iouita et Calocerus in ciuitatem sicut præceperant eis angeli Tauri uero sequebantur eis . Qui intrantes || ciuitatem prima luce perrexerunt ad palatium : ut a populo uiderentur . Anunciatur Adriano . Faustinus Iouita et Calocerus foris stant : et tauri ad quos ligati fuerant cum ipsis sunt : Audiens ille ualde miratus est : et præcepit ut ad se intrarent : Tauri uero illos sequebantur : custodes autem pallatii eos foras expellebant : quod uidentes tauri : et a sanctis seruis dei se segregari : facti sunt subito tanquam tempestas ualida . Intrantes palatium : ostia confregerunt et quotquot in medio inuenerunt tanquam ferro percussi mortui sunt : donec ad martyres dei peruenirent . ubi uero peruenere : mansere ut agni læti quasi de pascuis redeuntes . Adrianus uero tauros uidens grandi furore ingressos et subito : tanquam agnos effectos miratus dixit . Faustine uideo in uobis gratiam esse magnam dei nostri Syluani : adeo ut tauri quos uobis quasi leones adhibuimus facti sunt tanquam oues . Cui Calocerus : Quem dicis deum Syluanum : cuius similitudinem sibi infantes de frondibus faciunt et statim mittunt focum et nusquam comparet ? Adrianus dixit : audite me priusquam faciam uos ferarum morsibus tradi : et sacrificate . Calocerus respondit non audimus consilia tua . sed quam habes paratam pœnam adhibe : ut qui non uiderunt : uideant : et qui non audierunt : audiant . Audientes hic populi uerba eorum omnes una uoce clamabant : tolle magos de medio nostrum : quibus Calocerus audite nos inquit ciues mediolanenses : intendite ueritati : et nolite sperare in mendacio Adriani : a quo ueritas alienata est : et subdit : ubi sunt minæ tuæ Adriane . Ecce tauri iacent in conspectu nostro mites ad tuam confusionem . Sed prouideat tibi pater tuus Diabolus acriora tormenta aduersum nos : Audite itaque populi et intendite uerbis meis : dei quos colitis cum tempore ueterascunt . si enim in uobis esset sensus : et acciperetis uerba nostra in cordibus uestris : deum cæli puræ adoraretis . et dæmonia idolorum execraremini . unum deum timete : qui est super omnem faciem terræ : qui suscitat a ter | ra inopem : et de stercore erigit pauperem . Certe uidetis quanta sit misericordia in seruis suis . ut non patiatur uerum in mendacio teneri : quoniam iustus est dominus : et iusticiam diligit . æquitatem uidit uultus eius . Tunc facta est uox ad eum dicens : Tibi dicitur Calocere† : quia hodie traderis in manus iudicis : qui te ducat per diuersa loca : quousque peruenias in ciuitatem : in qua multi per te in nomine meo credant : et ibidem accipies coronam tuam . Tunc iussit Adrianus Calocerum ad palatium adduci : ut eum traderet Antiocho præsidi : Quare Antiochus ad officium suum dixit : Tollite Calocerum foras : ut per me mortem euadere non possit . hic Calocerus osculatus est Faustinum et Iouitam dicens : memores estote mei incessantem orationem facientes : ut detur mihi diabolum superare : cui Faustinus : Calocere frater uide : quoniam certamen tuum non est graue . dederuntque ei pacem dicentes : uade in nomine domini : et præpara nobis habitacula : ut cum superauerimus Diabolum omniaque phantasmata eius : accipiamus palmam iusticiæ : et inueniamus a deo præparatam habitationem : in qua gloriemnr† . Tunc dixit Antiochus : Calocere exi foras : Erat enim complexus Faustinum et Iouitam : feceruntque sibi inuicem uale . hic ministri ligauerunt Calocerum : et duxerunt ad palatium : cui Adrianus ait : Calocere uide quantæ magiæ te auerterunt a nobis : ut iudex in nostro palatio constitutus ita sis circumuentus : ut nos per multas fallacias refutares . hic Antiochus præses dixit : per clementiam uestram iubete mihi parari secretarium : ut eos iussu uestro audiam : et adorent deos nostros : aut grauissimis tormentis eos faciam extendi : cui Adrianus ecce quinquennii tibi dono administrationir† honorem . tantum age ut conuertantur ad deos nostros : Ecce satis age : ut sacrificent diis . Tunc iussit Adrianus in capitollio secretarium Antiocho parari : ut audiret Faustinum et Iouitam . Calocerum uero ad Alpescotias præcedere iussit : Et dixit Adrianus Antio || cho . Isti homines mihi in urbe plurimum sunt necessarii . Tu uero nobiscum proficiscere : ut te agente ad nostram relligionem conuertamur . Antiochus dixit : de Calocero quid faciemns† : quem ad Alpescotias præcedere iussistis . Adrianus dixit : mittemus qui uices tuas agat : quandiu nobiscum fueris . Antiochus respondit : Pietas uestra talem ordinet : qui uersutus sit circa contemptores legum uestrarum . Erat quidam Sapritius ualde in legem nostram durus . hic militabat in palatio primicerius candidatorum , hunc ordinauit Adrianus uices gerere Antiochi : cui sic præcepit : Mittemus te ad Alpesco

tias uices gerere Antiochi : ita ut quoscumque inueneris christianos : gladio animaduertas . Sapritius itaque cum ingressus fuisset ciuitatem astensem : ait beato Calocero : sacrifica ut possis indulgentiam consequi . Calocerus respondit : Sacrifico deo meo : et adoro in loco sancto eum : quia suauis est laudatio eius . Sapritius dixit : Quem dicis deum ? quem nemo uidet ? Nam certe dei quos colimus : omni hora uidentur : et ab omnibus adorantur : et quæ ab ipsis postulata fuerint : ea hora præstantur . Iussitque Sapritius ministris : ut regelarent picem : et mitterent super resinam : quique Sapritius denuo ad Calocerum ait : Calocere priusquam tibi adhibeantur tormenta : quæ sunt præparata : consenti mihi : et sacrifica : ut liber a pœna esse possis . Calocerus respondit : Non uidebis seruum dei in aliquo contristari . Tu uero uide retro : quia non ualebis lædere famulum dei . Sapritius itaque ministris afferte inquit ut uideat præparata sibi tormenta : et attulerunt ministri ollas cum pice et resina : quas iussit iratus Sapritius mitti in caput eius . cum uero mitterent : resiliuit in eos : et sanctum dei penitus non tangebat . Iterum fecit afferri liquamen feruens et in os eius mitti præcepit : quod ubi ministri facerent : quasi aquam suauissimam biberet : gaudio magno delectabatur . proinde leuans oculos ad cælum dicebat . Quam dulcia faucibus meis eloquia tua domine : et ad circunstantem populum conuer | sus ait : Ergo inquit cauete : ne uos seducat Sapritius per pœnas quas mihi infert : quando quidem eas penitus non sentio . uos uero respicite ad creatorem uestrum : et conuertimī† ad eum : et adorate deum : qui est in cælis : fecit uos : et nolite adorare deos lapideos et ligneos : in quibus non est salus . Audiens hæc uerba Sapritius iussit Calocerum fustigari : et in carcerem recipi . et furore correptus dedit Calocero sententiam : ut mox Albiganum ductus esset : et finem uitæ acciperet . Tunc exiens muros ciuitatis Astensis ait : domine fac cum seruo tuo ut uideam ante conspectum tuum Faustinum et Iouitam . Et accepta sententia ductus Albiganum huius uitæ finem accepit : et in locum subito aduenit non parua multitudo psalentium angelorum . Vniuersas uero sententias quas in Calocerum tulerat Sapritius : transmisit ad principem Adrianum : cui cum omnia relecta fuissent ualde placuerunt . Passus est beatissimus Calocerus quarto calendas maias Imperante Adriano : et regnante domino nostro Iesu christo : qui cum patre et spiritu sancto uiuit et regnat in sæcula sæculorum Amen .

PASSIO SANCTI CALISTI PAPAE .

Temporibus Macerini et Alexandri incendio concremata est diuino pars capitolii a meridiano . et inter templum Iouis ruit manus sinistra aurea et reliquatum est . Venerunt harispias et sacerdotes ad Alexandrum dicentes : ut sacrificiis et odoribus placarentur dii ipsorum : Hoc audito Alexander iussit fieri petitionem ipsorum : dum sacrificia offerent : subito cælum serenum mane die Iouis fulmine diuino mortui sunt quattuor sacerdotes ydolorum : et ara Iouis incendio concremata est . Et factus est dies obschurus : ita ut omnis populus Romanus fugeret foras muros . Et dum aspergeretur populus per fugam uenerunt || transthyberim in urbe ad templum rauenatium : et audierunt in quoddam cænaculum multitudinem christianorum psalentem : Inter quos erat Calistus episcopus urbis Romæ cum clero suo . Audiens autem hoc unus ex consulibus nomine Palmatius : multitudinem christianorum in quodam loco collectam : nunciauit Alexandro dicens : Magne princeps hoc signum ideo factum est : quia Ciuitas sordescit : Si ergo fuerit purificata gaudebimus summe de gloria culminis uestri : et res publica uestra fulgebit Alexander dixit : purificetur . Tamen . declara nobis quæ est ipsa purificatio . Respondit Palmatius : ut profani non sint . Alexander dixit : Qui sunt profani ? Respondit Palmatius : christiani . Alexander dixit : Ego præcepi et semel et iterum : ut ubicumque inuenti fuerint puniantur : aut sacrificent diis immortalibus . Respondit Palmatius : Per claritatem uestram ego audiui : dum tristis essem : propter signum quod factum est : quomodo canticis et incantationibus in quodam loco clamabant in regione transtyberim multitudo christianorum : unde non mirum ea causa fecit hoc signum . Dicit ei Alexander : Accipe potestatem : ut ubicumque eos inueneris : trahas ad sacrificandum : ad placendum diis : aut certe exquisitis eos tormentis afflige . Tunc Palmatius accepta potestate : collecta multitudine mili-

tum uenit transthyberim : ubi erat collecta multitudo christianorum cum beato Calisto : inter quos erat Calepodius senex presbiter . et uenientes in quoddam cænaculum . ingressi sunt decem milites : et dum ingressi fuissent omnes decem milites : subito cæci facti sunt . Respondit Calepodius presbiter senex et dixit : Filii mei quem queritis ? Illi autem clamabant dicentes . Accendite nobis lumina : quia ante nos obscuratus est locus iste . Dixit autem Calepodius presbiter : Deus qui uidet omnia ipse creauit oculos uestros . Tunc palpantes illi descenderunt de cænaculo cæcati . Hæc autem cum uidisset Palmatius timore territus | fugiens nunciauit omnia Alexandro . Eodem die Alexander iussit : ut milites qui cæci facti fuerant in conspectum suum deducerentur : Et dum cognouisset milites : cœpit clamare : O ciues optimi uidetis artem magicam . Respondit Palmatius : et dixit : Si per artem magicam istud factum est : ubi sunt uirtutes deorum nostrorum ? Iubeat itaque pietas uestra offerri et immolari diis : ne pereat res publica tua per eorum incantationes . Et præcepit Alexander : ut immolaretur Mercurio : et responsa cognoscerent . Emanauit autem præceptum uniuerso uulgo : ut omnes ad capitolium occurrerent de urbæ Roma . ita tamen : ut qui inuenti fuissent in habitaculis suis die mercurii : omnes interficerentur : Et misso præcone ita declaratum est : ut omne uulgus die mercurii sine dilatione ad capitolium cum principe conueniamus . Qui uero non ocurrerit : capite puniendum se esse cognoscat . Occurrente autem die supradicto : omnis populus Romanus occurit ad capitolium . Palmatius uero cum omni domo sua uenit ad capitolium cum porcis et uitulis : Et factum est : dum occisione pecudum effunderetur sanguis : et incantarent carminibus sacerdotes : bachantur uirgines : una nomine Iuliana arrepta a dæmonio clamabat dicens : Deus Calisti ipse est deus uiuus et uerus : quia ipse indignatus est pollutionibus rei publice uestre : et conterret regnum mortale uestrum : quia non adoratis ueritatem . Audiens hoc Palmatius : singulus cucurit ad beatum Calistum in regione transthyberim in urbe rauenatium et misit se præcipitans : et introiuit in domum : ubi collecta erat multitudo christianorum : et cecidit ad pedes beati Calisti episcopi dicens : Cognoui dominum deum christum esse uerum : quem dæmones confessi sunt hodie . Per ipsum te coniuro : ut liberes me a cultura dæmonum et lapidum : et baptizes me sicut prædicas . Dicit ei Calistus episcopus : Noli errando irridere ueritatem . Respondit Palmatius cum lachrimis dicens : Domine mi non derideo : quia cognoui in cæcitate et || in responsis uirginum : quia deus christus est . Respondit Calepodius presbiter senex : et dixit ad Calistum episcopum : Beatissime pater petenti baptismum noli negare . Eodem tempore indixit ieiunium unius diei : et cathetizauit eum : Et allatam aquam de lympha putei qui erat in eadem domo benedixit : et deposito Palmatio in peluim dixit ei beatissimus Calistus episcopus : Credis ex toto corde in deum patrem omnipotentem : factorem omnium uisibilium et inuisibilium ? Et respondit Palmatius : credo et dixit ei : Et in Iesum christum filium eius ? Et iterum respondit : credo : Et dixit ei : Qui natus est de spiritu sancto ex Maria uirgine . Respondit Palmatius : credo : Et dixit ei : Et in spiritum sanctum et sanctam ecclesiam : remissionem peccatorum : carnis resurrectionem ? Et exclamauit uoce magna Palmatius cum lachrymis : Credo domine : Eadem hora cœpit clamare et dicere : Vere uidi dominum Iesum christum lumen uerum : quia me illuminauit : Baptizauit autem et omnem domum Palmatii et uxorem et filios aliosque promiscui sexus numero quadragintaduos . Ab eadem die cœpit Palmatius omnem facultatem suam pauperibus christianis erogare : et perquirens regiones uel criptas . ubicumque inueniret aut in custodia aut in absconsis christianos : de facultatibus suis uictum uel tegumentum ministrabat . Per dies uero triginta duos requiritur Palmatius ab Alexandro : Cui ita nunciatum est : quia christianus factus est : et alios suadet . Tunc Alexander gaudens iussit sibi eum præsentari : et uinctus cathenis ingreditur ante Alexandrum : Quem cum uidisset Alexander : iussit eum solui : et dixit ei : Sic amens factus es Palmati : ut deseras deos : et queras hominem mortuum . Palmatius tacuit . Dixit ei Alexander : Loquere fiducialiter . ne timeas . et ille : Si datis licentiam loquimur ueritatem . Dicit ei Alexander . Excepta iuiuria† deorum loquere . Dicit ei Palmatius . Optime princeps si auerteris : non sunt dii : sed sunt factura hominum mortalium . | modo cognoscat mansuetudo tua : qui debent coli : qui fiunt : aut qui fabricantur a mortalibus : quales sint : tu iudica . Sed precor ego claritatem tuam : ut dicas deo tuo : et loquatur : Et dum ego interogauero : respondeat mihi : et dum

hoc factum fuerit : non desero deos : quos tu dicis . Dicit ei Alexander : et quomodo a cunnabulis tuis ipsos adorasti : et modo dereliquisti eos ? Respondit Palmatius : feci quasi infelix . modo autem cognoui : quod uerum est : De qua re precor dominum Iesum christum : ut ignoscat mihi : quia ignarus peccaui . Eadem hora subridens Alexander tradidit eum cuidam simplicio senatori dicens ei : habe eum penes te sine aliquo timore : sed molibus sermonibus reuoca eum ad culturam deorum . Talem enim hominem res publica nostra necessarium habet . Acceptum Palmatium Simplicius senator uestimenta nobilia allata induit eum : et duxit in domum suam : Qui Simplicius hoc præcepit uxori sue uel maioribus domus suæ : ut omnem domum Simplicii in potestate haberet . Tunc Palmatius ieiuniis et orationibus uigiliarum studens non cessabat lachrimis deum patrem omnipotentem et† dominum Iesum christum filium eius rogare : ut pœnitentiam ageret de errore suo . Veniens autem ad eum quidam Felix nomine : cuius uxor Blanda nomine Clenica iacebat annis quattuor : misit se ad pedes Palmatii dicens ei Confessor domini nostri Iesu christi : exora pro ancilla tua uxore mea : ut liberetur de lecto ægritudinis : et ego percipam† baptismum cum ea : quæ diu est quod morbo paralytico tenetur . etiam facultas nostra deficit . Tunc Palmatius præsente uxore Simplicii : et omni familia cum omnibus cecimdit† in terram : et cum omnibus orare cœpit cum Felice dicens : Domine deus qui illuminasti seruum tuum : et donasti michi lumen eternum dominum Iesum christum : salua ancilam tuam Blandam : et alleua eam de lecto doloris : ut cognoscant omnes : quia tu es creator omnium rerum . Eadem hora uenit Blanda pedibus suis currens do || mum Simplicii senatoris . clamans et dicens : Baptiza me in nomine domini nostri Iesu christi : qui tenuit manum meam : et leuauit me . Tunc Felix cœpit urgere beatum Palmatium : ut baptizaretur . Eadem uero hora beatus Palmatius misit ad sanctum Calistum episcopum : Et ueniens baptizauit Felicem cum uxore sua Blanda . Hoc uidens Simplicius senator : cecidit ad pedes sancti Calisti episcopi : cum omni domo sua ut baptizaretur . Tunc beatus Calistus fiducialiter dixit : Congreget dominus triticum in horreo suo : Et chatetizauit† omnem domum Simplicii . et uxorem et filios et filias eius . animas fere promiscui sexus numero sexagintaocto . Tunc beatus Calepodius presbiter gaudio magno cœpit clamare in domo Simplicii Gloria tibi domine Iesu christe : qui dignatus es de tenebris ad lucem producere facturam tuam : et de errore liberare . fac cum seruis tuis secundum magnam misericordiam tuam : Hoc audiens Alexander factum : quia multitudo hominum baptismum percepisset per beatum Calistum episcopum . misit exercitum militum et uenerunt omnes : qui baptismum perceperant . Quos præcepit capitis subire sententiam . et per diuersas portas urbis Romæ capita eorum suspendi ad exemplum christianorum . Tenuit autem et beatum Calepodium : quem fecit gladio occidi : et corpus trahi per ciuitatem sub die calendarum maiarum : Cuius corpus fecit iactari in tyberim ante insulam Machaoniam . In ipsis diebus fugit beatus Calistus cum decem clericis suis et abscondidit in domo cuiusdam pontiani : Et noctu rogans inuenit piscatores : qui inuenerant corpus beati Calepodii : Quem leuantes de flumine nunciauerunt beato Calisto episcopo . Tunc gaudio repletus . quod corpus sanctum acceptum esset : recundidit illud cum aromatibus et linteaminibus et hymnis : et sepeliuit in cymiterio eiusdem sexto idus Maii . Ab eodem die cœpit Alexander curiose quærere beatum Calistum episcopum : Et diuulgatum est ei : quod esset transtyberim | in domo Pontiani : iuxta urbem rauenatium : et misit : et tenuit eum : Qui hoc præcepit : ut in eodem loco fame cruciaretur . Quod tamen dum quinto die nihil uictus accepisset : ieiuniis et orationibus magis corroboratur . hoc audiens Alexander : quia magis confortabatur : iussit eum fustibus cædi . ut in eodem loco in custodia manciparetur : ut uel si quis ad eum noctu ueniret occideret : Qui cum multis diebus esset in eodem loco in custodia maceratus : ueniens ad eum beatus Calepodius noctu per uisum consolatus est eum dicens : Firmus esto pater : quia corona tua iam perfecta est : ut accipias mercedem pro me . Porro beatus Calistus episcopus ieiuniis et orationibus persistens non cessabat orare in eodem loco . Erat ibidem quidam miles nomine Priuatus : qui erat hulceribus plenus : et doloribus die noctuque cruciabatur . Hic misit se ad pedes beati Calisti episcopi dicens : Salua me ab hulceribus meis : quia credo dominum Iesum christum ipsum deum uiuum et uerum : qui liberauit Blandam . potens est et me saluare : quia diu est : quo consumor afflictione ardoris mei . Respondit ei beatus Calistus episcopus dicens : Si credis

ex toto corde fili : et baptizatus fueris in nomine trinitatis mundaberis : Respondit Priuatus : Ego credo : quia saluat me dominus Iesus christus in baptismum per manum tuam : Et mox omni uulnere uel morbo quo tenebatur mundatus est . Tunc cœpit clamare Priuatus miles : Deus uerus est : et sanctus dominus Iesus christus : quem prædicat beatus Calistus episcopus : quia idola uana et surda et muta consumantur ab ominibus† : deus enim æternus christus est . Hoc audiens iterum Alexander iracundia plenus eo : quod audisset militem baptizatum : misit et fecit militem priuatum plumbatis deficere . Calistum uero episcopum per fenestram domus præcipitari : Et ligatum ad collum eius saxum in puteum demergi : et in eo rudera cumulari . Post dies uero decem || et septem ueniens presbiter eius nomine Austerius : cum clericis noctu ad puteum . Leuauit corpus beati Calisti episcopi : et sepeliuit in cymiterio Calepodii uia aurelia pridie idus octubris . Post autem sex dies tenuit Alexander Austerium presbiterum quem præcepit per pontem præcipitari : Cuius corpus inuentum est in ostia : et a quibusdam christianis sepultum est in eadem ciuitate sub die quarto decimo callendas Nouenbris in pacæ : Regnante domino nostro Iesu christo : qui uiuit et regnat deus per infinita sæcula sæculorum Amen .

PASSIO SANCTORVM MARTYRVM CHRYSANTHI ET DARIAE .

Hystoriam priorum sanctorum ad ædificationem nostram deus uoluit peruenisse : non ut laudibus mortalium pasceret eos : quos immortalitatis dapibus reficit : sed ut nos exemplo eorum doceat : præsentis huius sæculi blandimenta contemnere : et acquisitione sempiternæ gloriæ labentem et momentaneam angustiam non timere . omnis enim dolor aut leuis est : et ferri potest : aut grauis est : et finem imponit . Sed si uterque timendus est : ratio est : ut ad euadendum illum : qui æternus est : iste contemnatur . Si enim isti dolores qui hodie exardescunt : et cras refrigescunt : qui hodie imminuuntur : et cras euacuantur : qui hodie oriuntur : et cras finiuntur : tam diri et tam sæui sunt : quam graues . illi putandi sunt : qui sic inchoant : ut crescant quottidie . sic initium capiunt : ut omnino finiri non possint ? Hanc denique imaginem tenent : qui permittunt se aut secari a medicis : aut igniri causteriis : aut amarissimis potionibus sauciari . Mortis enim timore perterriti et amaritudines appetunt : et ignes non metuunt : et ferrum non pertimescunt . Si ergo amore huius uittæ quæ fidem seruare non nouit amanti | bus se : auro comparantur dolores ignis et amaritudinis : gratulandum est gratuitis passionibus : quæ ultro uenientes faciunt nos temporaliter humiles : ut in perpetuum exaltemur . faciunt nos amaritudines momentaneas incurrere : ut sempiternas dulcedines capiamus . Faciunt nobis ardores fugitiui incendii : ut refrigerii nos faciant participes sempiterni . Hoc intuitu omnes martyres christi : ut triumphum ex hostibus caperent : omnium passionum genera ridendo potius quam metuendo perpessi sunt : credentes quod et gloriam sempiternam acquirerent temporalem respuendo : et æternum ignem euaderent præsens incendium perferendo : Horum itaque gloriis delectati respuamus mundum cum omnibus delectamentis suis : et sanctorum gesta absque incredulitatis nubilo mente serenissima recitemus hystoriam uidelicet Chrysanthi et Dariæ tam nobis qui credimus quam ominibus† : qui credunt : uel crediturí sunt profuturam . Polemius uir illustrissimus alexandrinæ urbis honoratus et primus urbem Romam cum filio Chrisantho ueniens a romano senatu susceptus : et magnis honoribus a Numeriano imperatore illustratus cathedram in curia romana suscepit . Hic cum filium suum unicum Chrysanthum omnibus liberalibus studiis imbuisset : etiam philosophorum studiis tradidit . Erat enim ardentissimi ingenii : ita ut omnia quæcumque ei ab oratoribus aut a philosophis fuissent tradita : capax animo fortiter retineret : cuius autem prudentiæ cuiusque fuerit intelligentiæ rerum exitus docet . Nam uniuersa librorum uolumina cum animo curiosius discuteret : ad euangelicos apices uenit . Et fingens curiositatis suæ cursum ad semetipsum ait : Tandiu te decuit Chrysanthæ librorum tenebris curarum tuarum frœna laxare : quandiu ad lumen pertingeres ueritatis . Non est prudentiæ ut ad tenebras redeamus de lumine . Perdimus quod laboramus : si fructum laboris amittimus . Fructus enim laboris hic est : quem

a deo datum quærentibus legimus . || Sic enim legimus deum hominibus præcepisse : Quærite et inuenietis . Sicut quæsiuimus : et inuenimus : Si dimiserimus : erimus fatuis et stultissimis comparandi . Teneamus ergo : quod tenendum est animo : et omnia quæ respuenda sunt relinquamus . Fit enim iactura laboriose inquisitionis meæ : si non teneam uiriliter : quod inueni . Diu laboraui quærendo : inueni aurum . inueni argentum . Inueni lapides præciosos . Si ideo quæsiui : ut inuenirem : ideo inueni : ut teneam : iam non patiar mihi eripi : quod inueni . Teneam utar et fruar : quia hæc est summa laboris mei : quam si amisero : Videbor sine causa uixisse : sine causa quæsisse . Et hæc dicens cœpit quærere : quis esset litterarum diuinarum expositor . Et sicut audierat grammaticos et oratores magistros : sic desyderabat rusticos doctores et piscatores acquirere . Legerat enim dixisse apostolum : ubi sapiens ? ubi scriba ? ubi inquisitor huius sæculi ? Et quia per sapientes mundus displicuit : placuit deo per insipientes : ut saluos faceret credentes in se . hæc secum quottidie reuoluenti animo : et quottidie Christi famulos requirenti ocurrit qui diceret : nosse Carpophorum quendam nomine uirum per omnia eruditum christianum et sanctum sed persecutionis atrocitate sæuiente in quadam montis spelunca collocatum . uix posse a paucissimis et fidelissimis uisitari . Audiens hæc Chrisanthus cœpit esse feruentior : et genibus referentis fusis precibus aduolutus etiam cum lachrymis postulabat : ut ad eius mereretur noticiam peruenire . fit prouidente deo quod ex fidei desyderio flagitabat . Et perueniens ad sanctum Carpophorum diuinæ religionis presbiterum : intra paucos menses omnibus diuinis litteris imbuitur : atque ita cœpit esse dilligenter instructus : ut statim post septem dies baptismatis sui Iesum christum filium dei uoce publica prædicaret . Tunc affines eius uiri nobiles et potentes comprehendentes patrem eius Pollimium : cœperunt eum arguere dicentes : Periculum patrimonii et capitis tui iste iuuenis contra deos deasque nostras uociferatur | clamoribus uariis : dicitque nescio quem Christum uerum deum esse : Quem si audierit imperator ista prosequentem : nec tibi poterit nec nobis esse consultum . Quis enim audeat ista præsumere : nisi qui se sine lege romana agere credat impune . Tunc iratus pater eius Pollimius fecit eum in tenebroso et squalido loco claudi : et uespertinis horis paucissimo cibo refici . Hoc autem uir dei Chrysanthus ad exercitationem sibi magis quam ad supplitium dicebat inferri : Cumque hoc factum publica confabulatione detexisset : dixit pater eius unus ex audientibus : Si filium tuum ab hac usurpatione conaris eripere : magis eum uoluptatibus et deliciis occupa : et cuiuscumque elegantissimæ puellæ atque prudentissimæ coniugio trade : ut dum didicerit esse maritus : obliuiscatur esse christianus : Nam istas tenebras et afflictiones quas tu ad supplicium illi te credis inferre : christiani hæc ad laudem et perpetuam gloriam sibi existimant euenire . Audiens hæc Pollimius iubet triclyna uestibus sericiis† strata præparari : ipsum quoque auferens de squalenti illa et tetra habitatione . induit uestibus preciosis : Tum ponens eum in triclyno elegit quinque pulcherrimas uirgines ex ancillis suis : et acuratissimis uestibns† et ornamentis composuit et simul eas cum Chrysantho constituens : iussit quottidiana et continua affluentissimis dapibus exhiberi . Puellis autem interminatus est dicens : Nisi cum iocis uestris et amplexibus ab intentione christianitatis seperaueritis : diuersis uos faciam suppliciis interire . Agitur inter hæc ludibria uir dei immobillis : et delitias quasi stercora contempnebat . Puellas autem uirgines quasi uiperas perhorrebat . Iacebat autem in oratione immobilis : et amplexus earum et oscula quasi sagittarum ictus scuto suæ fidei excipiens clamabat ad dominum dicens : Exurge domine in adiutorium mihi . dic animæ meæ salus tua ego sum . Quis enim pugnam istam a diabolo excitatam uincere præualet : nisi pro eo tua fuerit dextera dunicata† || Errat : qui se putat castitatem perfectam suis moribus obtinere . Nisi enim tuo imbre flamæ fuerint corporales extinctæ : non potest animus peruenire : quo pergit . Libido enim est bestia maligna : quæ in sylua huius sæculi ad uorandas animas per carnem et diabolum incitatur . Qui eius morsus euaserit : tibi deo gratias referet : Quia tuum est quod euasit . Sicut tuus beatissimus famulus Ioseph : quem plangebat pater eius dicens : bestia maligna comedit illum . bestia comedit Ioseph : et nolebat penitus consolari in eo . Certe hic est Iacob famulus tuns† domine : quem nihil latebat . Quare ergo dum dixissent ei filii sui : agnosce : si tunica filii tui est : non manifestasti ei : quod fallerent eum ? Sed ideo dissimulasti : quia Patriarchas prophetico sermone patrem alloqui præuidisti . Denique ocurrit ei bestia maligna et quasi leena ita cum suis unguibus

harpagauit : Et quod peius est : insidiata est : ut solum eum inueniret unicum . Sed solus non erat : quia patris eius lachrymis iam fuerat appellatus . Ideo enim eum permisisti lugere : et mugitum imi cordis emitere : ut eius eum adiutoriis subleuares . Libido enim erat bestia maligna : per quam contra eum diabolus et mulier luctabantur . Ibi caro et sanguis ibi iuuentus et pulcher aspectus . Ibi pubertas et irritatio oculorum . ibi potestas dominationis . Ibi delectatio obscenitatis . ibi inuitamenta potestatis . Ibi ornamenta suadentia oculos . Ibi caput auro et gemmis instructum . Ibi odoramenta exhalantia . Ibi amplexus ipse deuorationi : et morti iam proximus . Inter hæc omnia solum inuenit leena : et tenuit Hunc tua manus domine iam ante os positum liberauit : unde et nunciantibus quod filius eius uiueret Iacob dixit : Mirum mihi est : si Ioseph filius meus uiuit : quasi qui diceret : mirum mihi est : si de bestia illa maligna sic euasit : uti uiuat . Sed euasit : et uixit : Quare ? Quoniam inquit deus erat cum Ioseph : et omnia quæcumque faciebat deus : benedicebat in manibus eius . Et ego domine confiteor : et | a te auxillum† contra istas uiperas precor : ut sicut serpentes obdormiscunt ad uocem incantantis : istæ ita obdormiscant in conspectu meo : et nullum in me libidinis excitent bellum : quia te didici uerum dominum : qui in omnibus in te credentibus operaris uirtutem : quæ penitus uinci non possit . Igitur dum complesset Chrysanthus orationem : ita graui somno correpte sunt uirgines : ut nisi fuissent foris triclynio eiectæ : penitus excitari non possent . Euigilabant autem foris : et capiebant cibum . Statim autem ut ingresse fuissent : ubi orabat Chrysanthus : sopore nimio arctabantur . Nunciantur hæc patri eius ab his : quorum fuerat curæ commissus : et cœpit eum quasi iam mortuum fleræ . Tunc dixit ei quidam ex amicis eius . Hic artem magicam a christianis didicit : et aduersus puellas simplicissimas facile præualuit incantando . Sed si eruditam aliquam miseris ad eum : poterit eum ad tuum arbitrium et ad suum libitum inclinare . Dicit ei Pollimius : et ego ubi nam inuenturus sum talem fœminam : quæ hæc possit implere ? Respondit ei amicus eius : Est inter uirgines quæ deæ uestæ inseruiunt : quædam uirgo supra omnem pulchritudinem elegantior : et ita sapiens : ut illi nec ipsi oratores occurrant . Hæc iam ad nubiles annos quantum ætas ostendit attingit : et necesse erit : ut quicumque eam nobilis uiciauerit : sortiatur uxorem . Hanc itaque nos : ut consuetudo est : per supplicationem mereamur : et agamus cum ea : quatenus et tibi filium reddat et sibi maritum accipiat . Facta sunt omnia : quæ isti erant consilio necessaria : et ad consensum uirginis peruenitur . Tunc uirgo uestæ nomine Daria gemmis et auro radians : repente ad Chrysanthum quasi sol resplendens constanter ingreditur : Et quasi sub specie consolationis tanta eum elegantia sermonis alloquitur : tantamque ingenii artem interserit : ut si esset ferro durior : plumbo mollior redderetur . Sed Chrysanthus domini fertur auxilio sagitas diaboli scuto fidei repellebat . Et medium inter se atque illam sanctum spiritum || postulans : alloquiis suis hoc initium dedit : Si mihi mortali homini spe temporalis connubii tantam tuæ pulchritudinis elegantiam exhibes : tantamque dulcedinem melliflui sermonis ostendis : ut etiam ab intentione propositi te animum meum reuocare credas aliis iam amoribus occupatum : et cogas mentem uelle : quod non uult : quanto magis amantem te immortalem regis filium poteris si uolueris obtinere ? Nam si ei animam tuam in corporis tui integritate custodias . et sicut corpore pulchra es : ita pulchrior fias et mente : et sicut extrinsecus gemmis auroque resplendes : ita intrinsecus in tuis uisceribus perorneris : erunt tibi proximi angeli . laudatores archangeli . paranymphi apostoli . amici martyres . Christus sponsus : qui thalamum tibi in cælo construet æternis margatitis† instructum . Tradet tibi possessiones paradisi . dotem tibi sempiternam tribuet . Constituet tibi incomparabiles redditus . et florem in te custodiens gratissime renouabit iuuentutis . Ad hæc Daria compuncta respondit : Nulla mecum O iuuenis petulantis animi cum his uestibus ad te signa perduxi : sed patris tui lachrimas miserata cupio te et patri reddere : et deorum reuocare culturæ : ad quam Chrysantus : Si nosti aliqua quæ uera mihi ratio manifestet : ponam animum : et diligenter auscultabo : ita ut ex alterna disputatione libenter audias : et loquaris . Daria respondit : Inter hæc omnia quæ humanis commodis necessaria nouimus nihil tam utile tamque pium agnoui : quam diuinitatem excolere . et supernas uires deorum nequaquam per contemptum ad iracondiam concitare . Chrysanthus ad hæc ait . O uirgo prudentissima : quam putas nos debere idolis exhibere culturam ? Respondit Daria : Hanc :

quæ nobis eos faciat esse custodes . Chrysanthus ait : Quomodo possunt nobis esse custodes : qui nisi custoditi fuerint a canibus : nocte rapiuntur a furibus ? Et ne aliquo deiiciantur impulsu : uinculis ferreis coartantur et plumbo ? Daria respondit . Si uulgus ignobile possit | absque his imaginibus deorum celebrare culturam : nulla esset necessitas similitudinis exhibendæ . Hæ autem imagines in ære et marmore : et auro atque argento funduntur : ut oculis suis cultor attendat : quem doceatur mente excolere et timere . Cui Chrysanthus : Requiramus ergo quorum sint istæ ipsæ imagines : et uideamus : si his merito honorem debeamus exhibere culturæ . Deus enim nec existimari potest nec credi : nisi qui omnem sanctitatem omnemque supergreditur maiestatem . Quæ ergo bona Saturnus furcifer habuit : qui proprios filios quotienscumque nascebantur occidit ? Vnde non dicam : comedit : sicut eius cultores scribunt . Quæ bona in Ioue fuisse existimas : qui quot dies uixit : tot inaudita incœsta . tot adulteria . tot homicidia perpetrauit ? Eneruator patris : puerorum incestor : maritarum adulter : sororum maritus : usurpator imperii : magorum adinuentor : transfigurationis arbiter : massa dæmonum : meditator mortis et omnium criminum perpetrator . Hunc tu talem deum esse credas ? si non eorum de eo ista scripta sunt : quorum testimonio dii memorantur et reges nati : tamen memorantur et mortui tempore : quo rudes homines deos putabant : quoscunque fortes in prælio comprobassent . Nam quid in Ioue diuinum esse potuit : qui omni castitati ita usque ad mortem extitit inimicus : ut aerem ipsum Ganymede pollueret : et terram ut dixi sordibus inquinaret . Quid etiam in mercurio diuinitatis putas nutritum : cuius capitalis aspectus syconophanticum indicat monstrum ? Cum in eius uertice cernimus capillos et pennas : nisi quod solum deum uiuum adorare oportet . hic maleficiis suis absconditas terræ pecunias reperiebat : et in cantationibus suis serpentium iras mitigabat . Hoc autem dæmonum patrocinio perpetrabat : quibus porcinum iecur quottidie sacrificabat et gallum . Quid autem in hercule sanctitatis : qui uicinorum suorum omnium interfectione fatigatus etiam ipse unius dei nutu ignibus traditur concreman || dus ? Et arsit miser simul cum machera : quam gestabat et pelle . Et licet leonem necauerit : hydram truncauerit : canem inferni ligauerit : ipse tamen redactus in puluerem nusquam omnino comparuit : sed periit . Quæ in Apolline sanctitas : cum mysteriis dionysialibus . in ebrietatibus . confusionibus et diuinationibus delphicis . et luxuriis poculorum ? Iam si ad reginam Iunonem et incœstissimam uenerem ueniamus : inueniemus eas idcirco acriter litigantes : quia ad usus turpes una aliam præcedebat . Clamant omnium poetarum et oratorum et hystoriographorum scripta : ut est apud Virgilium : iudicium paridis spretæque iniuria formæ . Quid enim illa indignata est : quid illa lætata : nisi quod una impudicitiæ usibus aptior pastoris iudicio delegitur : alia denegatur ? His itaque a diuinitatis honore supplosis : quibus diuinitatis priuilegium imperitum uindicat uulgus : de cæteris eorum minoribus sileamus : unum enim caput est : quod uniuersa sequitur compago membrorum . Quicumque enim deus : quæcumque dea esse iactatur : Saturno . Ioui . Iunoni . et ueneri . non erit præponenda . Si ergo priuilegia tenentes tam miseri probantur et turpes : quanto miseriores erunt : quos inferiores eorum annunciant esse cultores ? Ad hæc Daria respondit : Quoniam poetarum figmenta nulla sunt uirtute subnixa : ad philosophos eamus : quorum ingenia uniuersa uitia desecant et uirtutibus colla submittunt : Qui licet uaria interpretatione de mundi machina disputare uideantur : deorum tamen ista nomina allegorica interpretatione distinguunt . Saturnum denique tempus ostendunt . Si quidem Κρόμος[1] cronos quod est eius in græco uocabulum non aliud possit quam tempus intelligi . Iouem uero substantiam feruidam . Iunonem aerem uocant . Vestam ignem . Neptunum amare . Matrem magnam terram . cæteras deorum dearumque personas his et huiuscemodi asserunt uelaminibus coopertas . Chrysanthus ad hæc . Illorum inquit effigies per simulachrum aliquod representari | solent : qui possunt aliquando non esse præsentes : Terra uero quæ absens esse nunquam potest : et ignis qui in præsenti est semper : et aer qui aperte omnium oculis patet : cur per nescioquas effigies coli iuste putentur ignoro . Nec omnino consydero : quare magis imago rerum sit colenda quam ueritas . Nunquid est in regibus aut in iudicibus : qui se ipsum iubeat derelinqui : et suam imaginem honorari ? Quod si nulla hoc ratio patitur : restat : ut istæ effigies non sint elementorum : sed potius defunctorum et mortuorum magis hominum quam deorum imagines conprobentur . Ad hæc Daria respondit : dictis

meis assertio tua probamenta exhibuit . docuisti enim : ut si imperiti imagines colunt : nos ipsas res quarum illi collunt imagines adoremus : et unicuique honorem maiestatis suæ sapientius quam alii exhibent præbeamus . Optime ait Chrysanthus ad clausulam meæ definitionis attingis . Adducamus ergo ante oculos elementorum omnium diuersa uoluntate cultores : et colat unus terram ut deam : sed ut eam tantum obsecrationibus sacrificiis atque omni cultu : ut deam conuenit : promereri . Cesset uero ab aratri uel rastri cultura . Alter negans et contra eam deam : solum uomeris cultum in ista ostendit uel rastri : nec ut sacerdos uenerando eam excolat : sed ut rusticus operando : Cui magis fructum proferre credenda est ? Illi sine dubio : qui eam ut terram tantum coluerit : non ei : qui eam quasi deam uanissima fuerit superstione† ueneratus . Si enim uere dea esset : illi potius huberes fructus qui eam religionis titulo honorabat : afferret . Similiter et alius Neptunnum . id est mare diuino cultu ueneretur : et aut tempestiuo tempore nauiget : aut copias eius ut religiosus cultor expectet . Alius uero quasi exanime elementum omni diuinitatis reuerentia arbitretur indignum : et hic ubi certo non et opportuno tempore se fluctibus credat et marinas copias non adorando sed piscando perquirat : quem ex his duobus aut felicius nauigare : || aut piscium dapibus abundare existimas ? Illum proculdubio : qui hæc rationabiliter procurauerit : non illum : qui uanissimo ritu hæc seperanda† crediderit . hoc etiam de cæteris elementis credendum est : quod nihil se colentibus præstent : quia non suo motu sed diuino iussu hominum usibus famulantur . Iussu ergo dei calore solis terræ concipiunt . aeris temperie pariunt . cæli imbribus nutriuntur . sic igitur qualitates temporum coalescunt . Ille tantum ueneratione dignus est : qui præstat ea : non per que præstantur : Neque enim qui litteras discunt : tabulis et codicibus potius gratias referunt quam magistro . Aut ægrotantes liberati a medico : ferramentis aut medicamentis eius honorem quam ipsi medico existimant rependendum . Hæc et his similia prosequente Chrysantho credidit Darea : et quasi simulata uoluntate inter se et Chrysanthum habens consilium : nomen coniugii assumpserunt : ita ut ambo in dei timore et castitatis gloria perdurarent . At ubi Chrysanthus libertatem paternæ uoluntatis accepit : fecit baptizari Daream intra domum suam : et ita facta est sacratissima uirgo Chrysti intra dies paucos : ut omnes diuinas scripturas arriperet : et sue uirginitatis uelamenta sanctitati aptaret . Erat tamen iuncta Chrysantho non calore corporeo sed sancti spiritus feruore sociata . Et tam per Chrysanthum multitudo uirorum quam per Daream fœmine innumerabiles ad Chrysti gratiam conflnebant† . Igitur cum multæ uirgines relicto amore sponsalium Christo se traderent : ac iuuenes relicto uoluptatum studio et carnali commercio se castimoniæ manciparent : excitata est in urbe sedicio : et Celermo† præfecturam urbis ministrante interpellatio publica exhibetur . Iuuenes clamabant sponsas nostras per Daream amittimus . Viri clamabant : coniuges perdimus . Mulieres clamabant : maritos amittimus . per Chrysanthum etiam fillos† non habemus . Et erat interpellantium uaria et sediciosa confusio . Itaque iubentur a præfecto constringi : et diuersis pœnis interfici : si sacrificiorum | cerimonias contempsissent . Traditur itaque tribuno claudio Chrysanthus : Qui claudius tradidit eum septuaginta militibus dicens : Ducite eum extra ciuitatem ad fanum inuicti herculis ubi si sacrificare noluerit : diuersis eum pœnis agite : quousque consentiat . Tunc milites crudis eum neruis ligauerunt : ut sensim siccantibus neruis ad ossa eius uis pertingeret ligamenti . statim tauem† ut costrictus† est ita omnia in manibus eius uincula sunt resoluta ut non occurrerent oculi uidentium celeritatem resolutionis eorum aspicere : et quasi reluctantes contra ligaturas diuerso et diuerso modo conuersi eum milites constringebant nodis et exquisitis ingeniis . Mox autem ut manus ligantes cessassent a uiuculis† : dicto citius qnidquid† ligauerant soluebatur . Tunc irati milites mittunt eum in cippum nouum et nodosissimam† : ita ut in tertio puncto eius tybias coarctarent . Igitur cum starent ante eum et insultarent ei : ita putrefactum est lignum totius cippi : ut in cinerem uerteretur . Tollentes autem milites Chrysanthum perfundunt eum locio humano dicentes : Maleficia tua modo amittes . Statim autem ut perfusus est locio putentissimo : ita ipsa aqua putens est in nectareum odorem conuersa : ut putares eum non locio sed rosato fuisse perfusum . Auferentes autem eum ex eo loco excoriauerunt uitulum : et corio recenti cingnut† eum nudum : posueruntque ad solem Sed per totum diem in æstu nimio flagrantissimo sole nulla omnino potuit calefactione siccari : sed eadem qua fuerat uiriditate perdu-

rans corium in nullo potuit dei famulum uiolare . posuerunt deinde in collum eius cathenas ferreas : manusque eius simul et pedes constringentes clauserunt eum in obscurissimo loco . protinus autem ex manibus eius soluta sunt uincula : et tanta lux infulsit in loco : ut putarentur illic esse lampades multæ fulgentes . Nunciant hæc omnia septuaginta milites claudio tribuno suo : qui posteaquam ad locum lumen immensum conspicatus est iubensque eum ad || se egredi dixit ei : Quæ ista uis tanta maleficiorum tuorum est : ut ista perficias ? Nam omnes magos et hierofantas et chaldæos : et ariolos : et incantatores ego edomui : et adhuc istam potentiam maleficii non inueni . Omnibus tamen imperaui : quod uolui : et eorum consensus ad meum libitum inclinaui . Nunc uero te uirum nobilem et sapientem ad hanc solam partem accepi : ut contempta superstitione christianæ temeritatis : de qua murmur populi romani et sedicio excitata est : reddam te generi tuo : et diis omnipotentibus debita sacrificia clæmenter exhibeas . Cui Chrysanthus respondens : Si esset inquit in te uel scintilla prudentiæ : cognosceres me non maleficiorum argumentis sed diuinis amminiculis adiuuari . uerum sic ad me respicis : sicut ad eos : quos colere iniusto iudicio comprobaris . Si enim oculi tui sapienter aspicerent : scires quia dii tui non uident . Si aures tua reciperent ueritatem : aduerteres illos uoces clamantium audire non posse . Si interiora tua intellectum alicuius prudentiæ caperent : consyderares istos in interioribus suis nihil certe aliud præter argillam et plumbum habere . Tunc tribunus claudius iussit eum fustibus cædi . Statim autem ut allatæ sunt uirge durissimæ cœperunt in manibus cædentium quasi pluma mollescere . denique dum tenerentur uirge quasi ferræ essent ita erant nodosæ et solidæ . Dum uero percuterent : quasi ex papyro essent molissime reddebantur et leues . Hic Claudius tribunus iussit eum erigi : et eum uestibus suis induit . Tum conuersus ad milites suos omnes hac uoce alloquitur : Bene nostis me et incantatorum et magorum deprehendisse præstigia . Hic humanæ artes penitus non sunt ubi uirtutum diuinarum potestas apparuit . Nam uincula neruorum sponte soluta sunt . ligni fortitudo repentina defectione computruit . corii uiriditas in solis nimio ardore eadem qua de uitulo ablata fuerat nouitate permansit . cathenarum quoque nexus inuisibilis potestas exoluit . tenebrarum locus | nimia illustratione perfulsit . fustes in manu tenentis rigescunt . uirge in ferientis ictu mollescunt . In aspectu patientis ista sinceritas apparet in uerbo etiam ipso rationabilis ueritas comprobatur . Quid superest : nisi ut omnes huius hominis genibus aduoluti ueniam postulemus sceleribus : et rogemus : ut nos quoque talem deum faciat colere : qui cultores suos in omni faciat pugna uincentes . Ecce enim et nos et iudices et omnes quicumque contra eum uenerunt : numquid non eos ita superat : ut probastis . Igitur cum hæc et alia fuisset militibus prolocutus : cum uniuersis militibus ipse Claudius genibus eius aduolutus orabat dicens : In ueritate probaui : quia deus tuus uerus est : peto itaque ut facias me cognoscere eum : et ad noticiam culturæ eius aliqua ratione pertingere : Cui Chrysanthus dixit : Ad noticiam dei si peruenire desyderas : non pedibus tibi sed corde pergendum est . Tantum enim unicuique præsens efficitur deus : quantum eum mentis fide et corporis integritate quæsierit . Hæc et his similia Chrysantho docente : credidit Claudius tribunus . credidit Hylaria uxor eius . credunt duo filii eius Iason et Maurus . credunt omnes amici et familiares eius . credidit omnis familia eius . credunt omnes illi septuaginta milites cum suis : Et uniuersi eodem die baptizati per singulos dies a sancto Chrysantho eruditionem ueritatis desyderantissime audiebant . Et Chrysti uerbum cum omni reuerentia et timore capientes optabant in dei nomine etiam aduersa perferre . uerum quia longum est mirabilia quæ per eos dominus fecerit enarrare : rerum exitum intimemus . Cum omnes credidissent deo : et imperator Numerianus audisset : iussit Claudium tribunum ingenti saxo constrictum in medio mari dari præcipitem . Omnes enim milites singillatim audiri : et quicumque negasset se chrystianum dimitti . qui uero negare uoluisset capite amputari . Tantam autem gratiam dominus credentibus in se concessit : ut primus Iason et Maurus filii Clau || dii etiam non interrogati Chrystum se colere dicerent : et pro eius nominis confessione mortem libenter optarent . Hos inuitantes omnes unanimiter inter unam horam martyrium domino consecrarunt . Erat enim in loco ubi decollati sunt cuuiculus antiquus . Hunc circumdantes per noctem christiani simul in unum omnia corpora sepelierunt non longe ab urbe in uia : quæ salaria nuncupatur . Corpora autem filiorum eius collegit sancta Hylaria relicta mar-

tyris Claudii : et singillatim condiens id est Mauri et Iasonis in sarcophagis singulis collocauit : hæc autem dum assiduis obsequiis circa sanctorum confessionem oraret deum : tenta est . Quæ dum traheretur rogauit eos : qui se trahebant dicens : Obsecro uos : permittite me prius orationem meam complere : et ueniam quocumque uolueritis . Igitur dum fixisset gradum : accepit sacramentum domini : et expandens manus suas dixit . Domine Iesu christe quiâ toto corde te confiteor : modo me associa cum filiis meis : quos ex utero meo ad tuum martyrium conuocasti : Et hæc dicens proiecit se in orationem . Et dum oratarer† : emisit spiritum . Tunc illi ipsi qui eam tenuerant dolentes super repentino obitu eius : reliquerunt duas ancillas eius quæ cum ea erant . Illæ autem sepelierunt eam diligentissima sepultura : et super eam breuissimam basilicam fabricauerunt : quia locus in quo defuncta fuerat eiusdem erat ortus Hylariæ : et ex quo sancti passi fuerant : ibidem sibi mansionem collocarat . Interea Chrysanthum iussit in inferiori teneri custodia : ut simul cum Darea diuersis tormentorum generibus ageretur . Erat igitur una custodia in carcere Tulliano : unde putor horribilis ascendebat : quia per cloacarum cunicula digesta domorum stercora illic iugiter decurrebant : et in hoc decursu : ut diximus : erat una et lutea et ita tenebrosa custodia : ut penitus lucifluus aer nec signum ibi diei nec uestigium aliquod lucis ostenderet . In hac ergo habitatione ferro uinctus Chrysanthus mittitur nudus . Darea uero po | nitur in publico contubernio meretricum . Sed diuersis his sanctorum passionibus diuerso genere Chrystus occurrit . Nam Chrysantho lux diuina et odoramenta sancta præstantur . Dareæ autem leo fugiens de cauea amphiteatri dirigitur : qui ingressus cællam : in qua Darea prostrata in oratione iacebat : ipse quoque leo prostrauit se iuxta eam protinus : ut uideretur etiam ipse illum adorare : qui suam præsentiam deprecanti uirgini exhibebat . Nescientes itaque leonem intus esse : miserunt ad eam quemdam uirum turpissimum : qui in scelere corruptionis opinatissimus habebatur : hic ut ingressus est : insiluit in eum leo : et prosternens eum sub pedibus suis : cœpit ad faciem chrysti uirginis Dareæ respicere : quasi interrogans : quid iuberet : Quod intelligens beata Darea dixit : Adiuro te per filium dei pro quo martyrii passiones libenter amplector : ne eum in aliquo lædas : sed permitte eum sermonem meum absque terrore suscipere . Tunc leo relinquens eum : posuit se in ipso introitu : ut nec ille remissus copiam fugiendi arriperet : nec alius posset intrare . Tunc dicit ad eum sancta Darea : Ecce ferocitas leonis audito Chrysti nomine dat reuerentiam deo : Et tu homo rationabilis in tantis criminibus exerceris : etiam ut in hoc miser quo lugendus es glorieris : Tunc ille prosternens se ante eam cœpit clamare dicens : Iube me hinc ægredi sanum : ut et ego clamem omnibus dei filium chrystum : quem colis : ipsum uerum deum esse . Tunc Darea iussit leoni : ut ammoueret se ab ingressu : Qui cum fuisset egressus : cœpit clamare : et per totam ciuitatem currere dicens : Sciatis omnes Daream dei esse ancillam . Deinde cum diuersi uenatores et diuersi populi ad leonem capiendum pergerent : Hanc deus uirtutem leoni concessit : ut omnes caperet : et quasi manu tenens comprehensos sine aliqua læsione ante pedes sancte Dareæ poneret . Tunc Darea omnes alloquitnr† dicens : Si promiseritis uos Chrysto credituros : illæsi poteritis abscedere . Sin alias : nescio || si dii uestri auxilientur uobis . Tunc illi omnes una uoce clamabant : Qui non credit Christum uerum deum esse : uiuus hinc non exeat . Et hæc dicentes cœperunt omnes egredi una uoce clamantes : Credite populi romani non esse alterum deum præter Christum . Tunc præfectus Celerinus nomine iussit ignem accendi copiosum in ingressu cellæ : in qua erat Darea cum leone : Quod cum fieri uideret : cœpit leo expauescere et rugitum dare : Cui beata Darea ait : Noli timere . nec incendio cremaberis : neque capieris : neque interfici poteris : sed morte tua morieris . egredere securus : et uade : quia ille quem in me honorasti ipse te liberat . Tunc inclinato capite leo egreditur per medias turbas populorum . Nullus enim unquam capere potuit . nunquam hominem læsit . Hi autem qui ex ore eius incolumes euaserant : uniuersi baptizati sunt . Nunciata sunt omnia Numeriano : et iussit Celerino præfecto : ut ambo id est Chrysanthus et Darea si non consenssissent sacrificiis : diuersis tormentorum cruciatibus punirentur . Igitur cum eos cogeret Celerinus ad sacrificandum : et diuersa diceret et audiret : iussit sanctum Chrysanthum eculeo ingenti suspendi : Cumque imponeretur eculeo omnia ligna eculei comminuta sunt : uincula uero diuersa diruta : lampades quoque quæ erant lateribus eius applicandæ extinctæ sunt . Quicumque autem

miserunt manum ad sanctam Daream : stupebant nerui eorum et præ dolore mugitum cordis gemitumque reddebant . Videns autem hæc Celerinus præfectus uehementer expauit : et cursu rapidissimo ad imperatorem properans : cuncta quæ gesta fuerant enarrauit . Tunc Numerianus imperator non uirtutibus diuinis hæc sed maleficiis imputans iussit eos duci in uiam salariam : atque in harenario deponi simul : et illic utrumque id est Chrysanthum et Daream uiuos terra lapidibusque obrui . Mox beatissimus Chrysanthus† cum beatissima uirgine Darea deponuntur in foueam psalmis et orationibus insistentes . Facta est in passio | ne societas sanguinis : sicut fuerant mente etiam coniuges . quasi in uno lectulo ita in una fouea in una uoluntate durantes . Talis fuit passio : quæ magis sepulturam dei famulis contulit quam pœnam ingessit . Accepit autem deus hostiam uiuentem : cuius gratia hoc factum est : ut qui simul fuerant in uirginitate durantes simul pertingerent ad coronam . Igitur cum multa beneficia deus uenientibus ad eorum sepulchra præstaret : euenit : ut die natalis eorum infinita populi multitudo concurreret : uiri simul ac mulieres pariter et infantes et innupte puellæ et in uenies . Hoc cum fuisset Numeriani auribus intimatum : iussit ut in introitu quo introierant in criptam paries leuaretur quod ubi fuisset impletum adsublonem montem super eos deiecit . Omnes ergo pariter dum communiter sacramenta perciperent : et gloriam martyrum celebrarent ipsi quoque ad coronam martiirii† pertinxerunt : Inter quos Erat Diodorus presbiter et diaconus Marinianus et plurimi clericorum . Populi autem multitudo nec numerus nec nomina collecta sunt : quia superfluum et lachrymosum esse iudicamns† . Hæc omnia sicut gesta sunt scripsimus Virinus et Armenius fratres a sancto Felice papa romano in sede apostolica facti presbiteri : et direximus ad omnes ecclesias per orientem et occidentem : ut sciat omnis mundus : quia martyres suos dominus Chrysanthum et Daream cum multis filiis in triumpho martyrii et gloria perpetuæ coronæ suscepit Amen .

DECIMO OCTAVO CALENDAS IVLIAS
PASSIO SANCTORVM MARTYRVM CANTIANORVM
EDITA A SANCTO AMBROSIO MEDIOLANENSE EPISCOPO .

Seruus Christi Ambrosius episcopus Christum uerum deum colentibus fratribus perennem Italiam in domino omnem salutem . Omnia || quæ a sanctis dei gesta sunt : uel geruntur : si quis uoluerit studiose perquirere : et sibi ac plurimis ædificationis exhibet fructum : et sicut arbor fructifera non sine causa probatur occupare terram dum uiuit : cum et ipsa suis pomis ornatur . et omnis qui ex ea fructum perceperit sagi- natur : bene et iucunde tres martyres uno pene uocabulo nuncupantur . Nec mirum si similes sint nomine : qui sunt similes passione . Si una est apud homines appellatio : quibus apud deum est una uocatio . uniter enim uocati sunt a domino : non interposito tempore aliter et aliter passi : sed omnes eodem ictu pariter martyrium pertulerunt . quod quidem illis parentina quadam a christo affectione concessum est : ut congruerent meritis : qui uocabulis concordabant . Audientes itaque Dulcisius præses et Sisinius comes sanctos dei aduenisse : conueniri eos ab apparitoribus præceperunt : ut diis tura ponerent . Tunc beatissimi martyres aspicientes in cælum et respondentes dixerunt : Nos dæmoniis non sacrificamus : quia scriptum est : omnes dii gentium dæmonia . Dominus autem noster cælos fecit . et iterum : Similes illis fiant : qui faciunt ea et omnes qui confidunt in eis . Ite . renunciate iniquo præsidi uestro : nos pro Christi nomine paratos esse mortis subire sententiam : quam ab eius recedere sanctis mandatis : quando ab ipsis cunnabulis dominum Iesum christum confitemur . At illi regressi præsidi et commiti omnia quæ gesta fuerant rettulerunt . Tunc Dulcisius præses una cum Sisinnio comite ualde commoti talem dederunt impiissimis Diocliciano et Maximiano suggestionem dicentes . Piissimi imperatores subuenite romanis legibus : pro quibus uictrix dextera uestra hostium ceruices inclinat : et diis omnipotentibus qui a christianis contemnuntur præbete iuuamina . Aduenerunt enim huc tres germani ex urbe Roma uno animo fortiter reluctantes . et nescio

quem Christum confitentes : et contemnentes decreta pietatis uestræ : unde quid prouiderit clementia uestra : scriptis uestris decernite . his auditis iniquissimi im | peratores Dioclicianus et Maximianus uehementius sunt commoti : et hanc dederunt auctoritatem : ut si sacrificare noluissent : capitali plecterentur sententia . cumque huiuscemodi definitio ad beatissimos martyres peruenisset : ascenso uehiculo una cum Protho suo doctore ex urbe aquilegiensi egressi sunt : diuinam scripturam habentes : quæ dicat : cum persequentur uos in ciuitatem istam : fugite in aliam . Nunciatum est interea scelestis iudicibus sanctos dei fugam petiisse . Tunc Sisinnius comes et Dulcisius præses una cum spiculatoribus ex præcepto iniquorum Dioclitiani et Maximiani subsequuntur . Beatissimi uero Christi martyres ascenso uehiculo iunctis mulabus cum secedere uoluissent : et non longe ab urbis mœnibus iter agerent : et unum animal de subiunctis subito corruisset in locum qui appelatur ad aquas gradatas : illic a persecutoribus conpræhensi tenti sunt ad pœnam : quod factum quam gloriosum sit : et a diuinitate dispositum debemus aduertere . Semper enim deus quos elegit quasi uictores subuectione sublimi in aulam regni cælestis inducit . Nam sicut Helias curru placido ascendit ad cælum : ita et isti uehiculo amoto ad martyrium peruenerunt . et quadriga sicut illum euexit ad requiem ite et hos portauit ad gloriam . Et quamuis illa ignea quadriga fuerit : hæc tamen inferior non est habenda . Quia illa unum gestauit prophetam hæc tres martyres sustentauit . Sed dicit aliquis gloriosius gestauit ignea quadriga quam terrena . Nec hoc plane defuit sanctis uiris . Nam sicut Heliam ignea quadriga portauit ita et hos martyres ignea fides iam ferebat . Ferebat inquam illos Christus qui lumen est : qui ignis est de quo scriptum est deus noster ignis consumens est . Ergo cum beatos de quibus loquimur persecutores urguerent uehiculum conscenderunt . Qua causa? ut fugerent? Absit . non ut fugerent sed ut citius ad martyrium peruenirent . Non ut lattitarent sed ut christianos se cunctis transeuntibus manifestius adprobarent . Ceterum ocul || tius inter plures in ciuitate latere potuerant : et per diuersa singuli fuge pretio commodare . Sed hoc egerunt ut altius populi corda : dum diuersa diffugiunt : Christi amore flamarent : ut uir qui congregatione habita : stratis uehiculis ad paratum dispositum per aggerem publicum egreditur : ubi non fuga dicenda est sed profectus . Sancti enim uiri hoc factum uelut in triomphali curru positi contestabantur dicentes : Ecce persecutores : ecce proficisimur† quid residetis? Quid moramini subsequi nostra nostigia†? Nolumus eum uideri inuiti duci ad pœnam : qui præcedere nos profitemur ad gloriam . Tunc Sisinnius comes et Dulcisius præses hæc audientes iusserunt beatos martyres conpræhendi : Qui iudices iniquitatis hortabantur eos : ut Ioui tura offerent . Beatissimi uero dei famuli execrantes dixerunt : se nunquam dæmoniis immolaturos sed omnipotenti domino : qui fecit cællum et terram : mare et omnia quæ in eis sunt . Nam idola siue qui ea colunt cum eisdem ibunt in ignem perpetuum . Tunc impiissimi Sisinnius comes et Dulcisius præses hoc audito ualde irati sunt : et iusserunt spiculatoribus : ut si Ioui tura non offerrent capite plecterentur . Beatissimi uero Christi martyres Cantius Cantianus et Cantianilla una cum Proto pedagogo suo gaudentes et psallentes ducebantur a carnificibus . Tunc beatissimi omnipotentis domini famuli expansis manibus ad cælum hanc orationem fuderunt dicentes : Domine Iesu christe qui perseuerantibus in tuo nomine : te patrem et matrem esse dixisti et pro temporalibus æterna et pro perituris perpetua : pro diuitiis terrenis : incorruptam et permanentem uitam cum felicitate dare promisisti : te obsecramus amator pure conscientie : ut respicias de sumitate cælorum in hanc horam : et suscipias animas nostras in pace et inter sanctos et electos collocare præcipias ut cognoscant omnes quia tu es deus solus et benedictus in sæcula sæculorum amen . et cum complessent orationem : posuerunt genua sua in terra et | sic a spiculatore abcisa sunt capita eorum accipientes a domino Iesu christo coronas sempiternas : et ecce sanguis eorum tanquam lac omnibus uidentibus apparuit . Quo tempore uenerabilis Zenus præsbiter colligens beatissimorum martyrum corpora condiuit aromatibus prætiosis et in loculo optimo collocauit . Ipse enim sanctus Zenus post aliquantum tempus susceptionis eorum perrexit ad dominum Iesum christum . Eorum uero precibus et orationibus adiuuemur : quorum memoriam passionis sollemniter celebramus : ut socii et heredes inueniamur sanctorum martyrum et omnium qui illi placuerunt . Passi sunt autem beatissimi martyres : Cantius Cantianus et Cantianilla in qualigensi ciuitate sub die octauodecimo calen-

darum iuliarum : Imperantibus Dioclitiano et Maximiano imperatoribus : agente Sisinnio comite et Dulcisio præside : Regnante domino nostro Iesu christo cui est honor et gloria potestas et imperium in sæcula sæculorum Amen .

PASSIO SANCTI CASIANI MARTYRIS .

Prudentius sicut notum est fidei uir et religiosi dogmata pœmatis† etiam iucunditate commendans . et hoc quanquam ad cultum religionis adiungens : ut uersu ceterorum martyrum certamina sacra percurreret : et ad orandum Casiani beati martyris passionem sub hoc ordine uoluit ad posteritatis memoriam peruenire : Quam ideo uisum est communi sermone describere : ut quæ tenentur libris : recenserentur et populis : Et scientie nota doctorum : auribus quoque omnium non essent ignota fidelium . Cuius ideo in præsenti lectione nomen insertum est : ut passionem sancti martyris Casiani quam traditione colimus : tanti quoque uiri commendata auctoritatem credamus . Nam licet merita eius uirtute prodantur et deus noster suum quottidiana eius operatione || glorificet . nunquam tamen religiosus uir Prudentius passionis eius ordinem per se uoluisset agnosci : nisi fidem oportuisset adhiberi . Scribit ergo se Romam petentem dum apud Cornelium forum sancti Casiani uenerabilem tumulum affixus oraret : erectis ad cælum oculis suis huiusmodi imaginem martyris intendisse : in qua ipse esset uulneratus : omnibus membris plagis mille perfossus minutis rupta cute uulneribus : et circunstantes pueros stilis paruulis membra fodientes . in quo dum miratus fuisset aspectu : dixisse custodem : hospes non est fabula quod cernis : historia est : quæ libris tradita monstrat uetusti temporis ueritatem . Magister hic pueros paruulos litteris imbuebat : doctus notis uerba compræhendere : In quem discipulorum suorum ira eo quod ad discendum cogebantur exarsit . Quia non latet : quamuis utilia sint scientiæ bona : dura tamen esse semper infantiæ . Dum ergo eodem tempore catholica fides persecutorum tempestate laboraret : beatus Casianus est productus in medium : ut pote qui cum persecutoribus colere impia sacra noluisset : A quo cum esset quæsitum : quid artis aut quid haberet officii : responsum est : quod pueros litteris erudiret : Statim ergo a persecutore quem superauerat ipsis pueris : quos in se exasperauerat castigando : per sententiam inimici furentis edictum est : ut ipsi in magistri sanguinem cum corporis eius laceratione sæuirent . Durus inquit discipulorum suorum et seuerissimus doctor : eorum : quos terruit feritate crucietur : Statuit ergo : spoliatus uestibus : et manibus post terga religatis : et circumstante armato stilis agmine puerorum : quantum quis quod dum disceret doluit . tantum accepta libertare† sæuiret in faciem : Et ad caput magistri tabulæ et bursæ franguntur : et præactis stilis confessor Christi nunc scinditur nunc secatur : et aliis summa uulnera aliisque altiora figentibus : dum leuiores manus grauiores fierent morte dilata : humili confessor uoce precabatur : ut essent uiribus fortiores : et annos uirtute tran | scenderent : ut ætatis infirmitatem suppleret sæua crudelitas : et uelocitas . maturatæ mortis absolueret . Non contenti autem sola feritate tortores : sic magistri sui uulneribus illudebant : Tu armasti manus nostras : et ferrum hoc quod gerimus tu dedisti . Duriores reddimus quam sensimus plagas : et in te districtiore acccpta† libertate punimus . Tandem pius dominus martyris sui tormenta miseratus : morosi transitus uincula disoluit : et per uenas totius corporis sanguis effusus piam animam creatori suo cum grata reddidit corona . Passus est autem beatissimus martir Christi Casianus die Iduum augustarum Regnante domino nostro : cui est honor et gloria in sæcula sæculorum Amen .

CATHEDRA SANCTI PETRI .

Cum beatorum apostolorum Petri et Pauli et cæterorum fama et doctrina usquequaque claresceret : et quasi quidam splendor mentes audientium illustraret : diuina id agente dispositione : contingit : ut beatus Petrus appropinquaret finibus uiciuisque† locis Antiochiæ magnæ ciuitatis : Qui cum uerbum suæ prædicationis circa ea loca auribus hominum insonaret : et uelut Christi bonus athleta in sui superni Imperatoris

uictoria triumpharet : magno repletus est gaudio et immensa lætitia . Deinde uere confidens in domino Iesu christo intransque et exiens castra et alia munita loca quæ erant circa Antiochiam multum populum sua prædicationæ et miraculis deo acquisiuit : Quod cum nunciatum esset Theophilo principi inclyto Antiochiæ ciuitatis nobili et sapienti uiro secundum sæculi dignitatem : missis exquisitoribus magno impetu beatnm† Petrum comprehenderunt : et ad Theophilum principem usque perduxerunt : Cui Princeps : Petre : qua ratione populum meum subuertis : et qua fidutia nostros fines ingressus es ? Cui || beatus Petrus constanter et solito respondit : O bone princeps si rationem nostri aduentus et causam perquiris : mirabilem esse cognosces . Magister et enim noster dominus Iesus christus duodecim sibi elegit discipulos : quos nominauit apostolos : Et illis post beatam et gloriosissimam suam resurrectionem apertissime sic locutus est . Euntes inquit : prædicate dicentes : quia appropinquauit regnum cælorum . Infirmos curate . mortuos suscitate . leprosos mundate . dæmonia eiicite . Gratis accepistis . gratis date . Nolite possidere aurum neque argentum . neque pecuniam in zonis uestris . Non peram in uia . neque duas tunicas neque calciamenta neque uirgam . Hanc doctrinam dedit nobis apostolis suis dominus ac magister noster : et postea ascendit in cælum nobis uidentibus : et ibi sedet ad dexteram patris . uenturus ad iudicium : In quo iudicio O Theophile : tu mihi non poteris contradicere . Et nisi eius fidem acceperis : et nostris monitionibus assensum dederis : tu cum peccatoribus et iniquis auditurus es a domino Iesu christo : Ite maledicti in ignem æternum : qui paratus est diabolo et angelis eius . Theophilus uero furore repletus : et quasi ignita face ira succensus iussit tyronibus suis : ut beatum Petrum comprehenderent : et in præsentia sua manus post tergum ligarent . et in carcerem donec expiraret mitterent . Qui statim sine mora et sine pietate in arta custodia mancipatus est : Et ibi in magna miseria positus . et fame et siti et frigore afflictus . et auxilio hominum fere destitutus . soli deo et pietati eius est in carcere derelictus . Quid multa ? Beatus Petrus in se reuersus oculos eleuans ad cælum et cor habens in domino : positis genibus in terra . manusque extendens in cælum cum lachrimis dixit . Iesu christe miserorum adiutor in te sperantium saluator . pupillorum defensor . saluum me fac . adiuua me in his tribulationibus deficientem : qui non derelinquis in te sperantes . Adiuua me famulum tuum seruum tuum humillimum discipulum tuum : Cui | dominus respondit de cælo dans uocem : O Petre dilecte meus . amice meus . discipule meus . credis te derelictum a me ? Putas me non audire te ? Meæ bonitati derogas : si talia dicere contra me non formidas . Nescis tu : quia dominus temptat suos fideles : ut probet ? Diabolus temptat : ut decipiat ? Præsto est : qui tuæ miseriæ subueniat : Paulus apostolus amicus meus : et coadiutor tuus te cito uisitabit : et quidquid oportunum erit ministrabit . Eodem tempore Paulus audito quod beatus Petrus esset Antiochie in uinculis . nimium dolens de tali socio et amico : diuertit iter suum Antiochiam : cupiens illum sua calliditate a carcere liberare . Et ingrediens ciuitatem : magna cautela uenit ad curiam Theophili magni principis ciuitatis . Et dans salutationem Theophilo satis curiose resalutationem a tota accepit curia et prope principem sedit . Quæsitus autem magna moderatione : qui esset : quia uigorem et fortitudinem in facie ferebat : et quo officio fungeretur . Inquit : Scitote me bene summum opificem esse et in multis artibus præualere . Scio enim ligna et tabulas sculpere : et ad quodlibet opus bene disponere . Valeo enim in arte scenophegia . Tentoria autem et conopea mira incisione depingo : Et in multis aliis non desipio . Ea propter in curia tua et inter familiares tuos amodo interesse deposco . Habebat autem insignem scuticam in manu : et satis bene sua arte sculptam : Quam princeps tenens in manu satis commendauit : et per eius pulchritudinem omnia supradicta credidit : Et propaerea† nimium exorauit eum ut in palatio suo et curia sua degeret : et inter amicos suos esset : et eius amicicia frueretur . Euolutis autem paucis diebus : quoniam opportunum fuit : abscunse in carcerem ad beatum Petrum Paulus introiuit : Quem intuens Paulus præ nimia egestate fere consumptum et nimio cruciatu carceris pene mortuum : alta in suo pectore trahens suspiria præ nimio dolore amarissime cœpit flære . et in amplexibus eius flændo quasi deficere : et prorum || pens in uocem sic inquit : O Petre frater meus . gloria mea . gaudium meum . dimidium animæ meæ . meo interuentu resume uires . profer sermonem . leui aura resonet uox tua in auribus meis . Eleuans autem semiuiuos oculos beatus Petrus : et cognoscens Paulum conso-

cium suum : prius fundens lachrymas quam uocem : desiderio Pauli quasi suscitatus est : Et uiribus paululum resumptis : accipiens cibum de manu Pauli confortatus est : Et sic utrique immensas laudes deo dederunt . Paulus autem occulte rediit in curiam Theophili : nullique notum est quod ad Petrum iuisset : et sic exorsus est loqui : O bone et inclyte princeps Theophile : magna est gloria tua . Decet te sapientia tua . Tu honoras sapientiam tuam . tu superas dignitatem tuam . Dulcis est sermo tuus : sapientia plenus . Magna est curialitas tua : honestatis amica . Conserua itaque te talem : et eris omnibus carus . delectare in bonis . et omnia tibi bona prosperabuntur . Verumtamen quod nuper fecisti : in mentem reuoca : et muta consilium : si tua obnubulat bona : Dehonestat multa exiguum malum : Polluit semetipsum : qui bonam famam conseruare non studuit . Remminiscere quod fecisti deicolæ illi : qui Petrus uocatur : et in carcere uelut esset aliquid magni : iniurias patitur . Fedatur nimium miseria . Pannosus . deformis . macie consumptus . per omnia uilescit . solo sermone clarescit . Et talem decet te iniuriari ? talem decet te in compedibus ponere ? Fruere militia solita . comites et potentes Marchiones superabis : et ex illis tibi magna laude uictoriam cum triumpho ascribes . Enim uero homuncio talis in uinculis religatus : quid uictoriæ quid laudis . quid unquam utilitatis tuo famosissimo nomini accumulat? Equidem nullam . Potius uero : si Petrus ille qui uinctus est in carcerem : pristina libertate circuendi frueretur : posset tibi et nobis aliquid boni esse . Sic inqniunt† homines de illo : Sanat infirmos . illuminat cæcos . paralyticos curat . leprosos mundat . possessos a dæmonio liberat . et quod maius et mi | rabilius est mortuos suscitat . Ad hæc Theophilus respondit : Ammiror Paule : si uera sunt ista : quæ dicis . fabulosa magis et mendacio plena esse uidentur . Enim uero si ita esset : ut dicis : semetipsum de carcere nunc liberaret . Est enim mortuos maius suscitare : quam semetipsum de carcere liberare . Cui inquit Paulus : O bone Princeps et domine : satis bene rationem consyderas : et parum tibi deest ad ueritatis intelligentiam . Audiui enim illos discipulos Iesu christi nazareni crucifixi . et inimicos nostræ legis : dicentes : quoniam cum dominus illorum in cruce penderet : et sæuissimam passionem ab inimicis tamen sponte sustineret : ut innocentiam conseruaret : et custodiam humilitatis quasi in cordibus discipulorum ascriberet : pro persecutoribus exorauit dicens : Pater dimite illis : quia nesciunt : quid faciunt . Insuper semetipsum et alios a morte per resurectionem : ut potentissimus liberauit . et quod erat sibi leuissimum de cruce uiuus non descendit . Hoc enim exemplo : ut aiunt : Petrus se non liberat : et pati pro Christo non formidat . Ammirans autem Theophilus : quia Paulus eum dixerat mortuos suscitare : inquit Paulo : Vt dictis tuis assensum exhibeam : facito ut filium meum iam per quattuordecim annos mortuum resuscitet : et incolumem reddat . Et Paulus : O quam bene et quam mirabiliter filium tuum mortuum et per tot tempora in sepulchro clausum sola uoce resuscitaret : et ab inferis reuocaret . Audias consilium meum : et uidebis uiuere filium tuum : Aacipias† a latere tuo claros et honestos uiros et per omnia fidos : qui benigne eant : et cum reuerentia et honore ante magnitudinem tuam adducant Petrum a uinculis absolutum . Et ait Princeps : O Paule bonum est consilium tuum . magna est sapientia tua . Ineffabilis est dulcedo filii mei : ut illum uiuum recipiam : et paterno affectu manibus meis detineam . Cui optanti plura dicere Paulus dixit : uadam ut anticipem internuncios tuos et Petro in car || cere omnia ordine pandam . Ingressus autem Paulus ad Petrum in carcerem osculum dilectionis uicisim prælibauerunt : Et in pristinam ex integro restitutus est conualitudinem : tum quia Paulus ex quo illum prius uisitauerat semper in beneficiis ei affuit : paratim† quia illum præsentialiter cernebat pro cuius amicicia aduersa omnia flocipendebat . Cui Paulus inquit : O Petre gaudeamus in domino Iesu christo : quoniam iusticia eius non obliuiscitur sperantes in se et de sna† misericordia presumentes . Meo autem consilio actum est et dei benignitate : ut Theophilus huius ciuitatis princeps mittat a latere suo honoratos uiros et potentes : qui te ab hoc tenebroso carcere cito liberent : et in præsentia suæ maiestatis in curiam suam deducant . Habet enim unicum filium per quattuordecim annos iam defunctum : cui promisi te in nomine domini nostri Iesu christi illum resuscitare : si aqua et spirusancto† se uelit regenerari : Cui Petrus magna promisisti Paulæ : sed domini nostri uirtute satis erunt leuia . Inter hæc uero aduenerunt nuncii principis clari et nobiles uiri dicentes Petro et Paulo : Dominus noster Theophilus uocat uos . Aliquantisper uero Petrus timore perculsus : dixit :

Eamus in nomine domini . Ingredientes uero curiam principis benignissime suscepti sunt ab eo : Quibus ait princeps : O Petre si uera sunt quæ dc† te dixit Paulus : et quæ de te mihi promisit : carus et honoratus ab omnibus in palatio meo eris : Cui benigne respondit Paulus : O bone princeps credis me fallere te ? Omnia quæ de illo tibi dixi sine ambiguitate uera esse cognosces : Et ut pauca dicamus : ostende nobis sepulchrum : in quo per multa tempora mortuus iacet filius tuus : Perducentes autem eos ad sepulchrum iuuenis : quod erat in uno angulo palatii miro opere sculptum : dicit Paulus coram uniuerso populo : O ciues inclyti state cum silentio : et uidebitis uirtutem domini nostri Iesu christi . Et tunc Petrus et Paulus flectentes genua sua in | oratione : cum lachrymis dixit Petrus : Iesu christe mortuorum resurectio : te inuocantium consolatio : qui Lazarum quattriduanum et iam in monumento fætentem tua gloriosissima inuocatione resuscitasti : qui super undas maris ineffabili potentia ambulasti : qui de quinque panibus et duobus piscibus quinque milia hominum satiasti : exaudi nos misericors et propicius inuocantes te et laudem tuo nomini dantes . Eleuantibus se Petro et Paulo ab oratione : dixit Paulus : Tollite lapidem a monumento : ut uiuere uideamus : quem mortuum esse cognoscitis . Et aspicientes in sepulchro uidebant omnia ossa a se disiuncta . et nulla signa carnis habentia : Et facto sillentio : magna uoce dixit Petrus : O Iuuenis nimium dilecte præcipio tibi in nomine domini mei Iesu christi nazareni crucifixi : ut a morte resurgas : et uiuus exeas de sepulchro . Ad hanc uocem caro paulatim supra cœpit crescere : et ossa quæ erant prius disiuncta ad priora membra formandum cœperunt coniungi : Et sic tandem subito pristinam ex integro accepit formam et priorem pulchritudinem et satis elegantiorem . Et ita totus mirabiliter reformatus : uiuus coram omni populo exiit de sepulchro : et cum magno gaudio patri redditus est . Et sic mirabiliter totus populus immensis uocibus deum cœperunt benedicere : qui talia mirabilia inter eos operatus est . Theophilus autem ne singulariter crederet : sed cum totis ciuibus : dixit Petro et Paulo : Quoniam mihi immensa beneficia fecit ineffabilis deus uester : et mihi sanum et in columem reddidistis filium meum : audite quid uolo : Egredimini si placet : a ciuitate ista O Petre et Paule : et monete uniuersum populum comitatus mei : ut in Iesum credant : et a cultura dæmonum recedant . Ego uero agam in ciuitate : ut una mecum totus populus in dominum credant : et nostris monitis obediant . Exeuntes uero apostoli de ciuitate Antiochia hac fiducia totum populum deo acquirebant : et unda baptismatis perfundebant . Theophilus simi || liter in ciuitate apostolos laudibus extollebat et populum in quantum poterat suadebat : ut omnes simul deo crederent . Quid multa ? ad laudem apostolorum coronantur plateæ omnes paliis pretiosis . et cortinis sericiis . et tapetis ægypti aliisque diuersis mirabilibus ornamentis . Et sic Theophilus cum uniuerso populo Antiochie reducunt apostolos in ciuitatem cum gaudio et immensa læticia . Baptizatus est autem princeps Theophilus et totus populus Antiochiæ ciuitatis prædicatioone† et miraculis apostolorum Petri et Pauli . Princeps autem Theophilus cum omni populo magnam fabricauerunt ecclesiam : et miro opere ornauerunt ad laudem dei et ad honorem apostolorum Petri et Pauli : Clericis autem : ut decebat : ibidem ordinatis consilio apostolorum factum est : ut per totam illam prouinciam templa destruerentur . ecclesiæ ædificarentur : Quod breui tempore diuina uoluntate satis bene factum est . Paucis autem euolutis diebus totus clerus cum populo et principe beatum Petrum summum pontificem elegerunt : et magno desyderio et nimio gaudio et immensa reuerentia in Cathedram patriarchatus deuotissime in magna ecclesia quam fecerant sublimauerunt : ipso adiuuante : cui est honor et gloria in sæcula sæculorum Amen .

PASSIO BEATAE CATHERINAE VIRGINIS .

Temporibus Maxentii impiissimi imperatoris anno quinto imperii eius erat multa insania idolorum . Et sedens Imperator pro tribunali in ciuitate alexandrinorum posuit præceptum : ubique sacrificari diis : et huiusmodi scripsit epistolam : Omnes conuenite ad nostram præsentiam : ut cognoscatis præceptum : quod positum est a nobis Si quis uero obedierit huic nostræ iussioni : habebit gratiam nostram : qui uero non

obedierit : statim eum faciam gladio et diuer | sis penis corruere . Missis uero litteris conuenit ad eum multitudo copiosa : quæ sub imperio eius erat constituta : et cum uenisset imperator Maxentius . altera die sedens pro tribunali præcepit præcones acclamare : ut omnes ad templum idolorum conuenirent . Et ut diuites secum deferrent tauros ad sacrificia : Pauperes uero saltem uiles uolucres haberent . Imperator autem obtulit in sacrificium tauros centum triginta . Similiter et principes illustres et magistri militum . præfecti . et tribuni offerebant tauros . Pauperes uero diuersa uolatilia : ita ut præ multitudine quadrupedum uel uolucrum non possent simul esse iu† templo aut in ciuitate : quin etiam et magna uociferatione irrationabilium animalium mouebatur locus et ciuitas Archori una canentes cum tybiis et cytharis : et pluribus instrumentis et plaudentibus manibus . etiam obtenebrabatur lux ex effusione sanguinum irrationabilium animalium . Tunc quædam uirgo religiosa unicaque filia regis cuiusdam in prædicta ciuitate alexandrinorum post mortem patris eius ipsa sola in palatio cum familia et sua substantia remanserat . Puerorum autem eius et ancillarum erat innumerabilis multitudo et erat illi nomen Catherina . Hæc didicerat omnem scientiam omnium artium tam poetarum quam philosophorum : et omnis interpretatio lingue etiam uoluebatur in ore eius . Erat enim hæc beatissima uirgo annorum decemocto . Audiens autem uocem irrationabilium pecudum et uolucrum et strepitum tybiis et aliis instrumentis canentium : ac multitudinem bonorum hominum plorantium et non audentum dicere : quia christiani sumus propter timorem Imperatoris . Gentibus uero currentibus ad choros : et canentibus diuersis instrumentis in sacrificiis : beatissima uirgo Catherina accipens† secum pueros : gentilium templum introiuit : quo et imperator et grandis multitudo sacrificantium conuenerant . Erat autem Catherinæ irreprehensibilis forma : præeminensque ultra omnes mulieres cum || florida spetie sicut excelsa cupressus portans matutinum rorem : et sicut palma quæ circumadsistit decorata super omnes arbores . Tunc beata Catherina christi faciens sibi signaculum in fronte templum ingreditur . ingressa imperatorem sacrificantem inuenit . Milites autem nunciauerunt hæc Imperatori : qui mox eam ante se astare iussit . astans uero beata Catherina ita Imperatorem allocuta est : Quare O imperator frustra hanc tantam multitudinem cogens animas eorum in stulticia et idolorum errore : perdis ? Nunc ergo resipiscens a stultitia mentis tuæ euidentius audi : et cognosce dominum : qui huius mundi spacium et omnia quæ in eo sunt solo archano uerbo fecit et cognosce : quia ipse est deus æternus : qui uidens mundum perditum et in potestate diaboli positum : misit filium suum unigenitum Iesum christum : et per crucem suam genus humanum de perditione gehennæ ignis liberauit . Ipse est creator omnium rerum et omnium saluator : cui debetur honor et gloria in sæcula sæculorum . His autem stupefactus Imperator et non ualens respondere dixit ad eam : Dimitte nos O mulier offerre sacrificium : et post plane sciemus de te : cumque fuisset coinquinatum sacrificium : præcepit militibus suis : ut compræhenderent Catherinam . et ducerent eam ad palatium : Videbat enim Imperator astantem cum splendida facie : et innuebat aduersus eam forma enim eius erat quasi angeli : et facies eius per gratiam dei fulgebat sicut sol : et multitudoque populi ad eius stupebat aspectum . Veniens itaque Imperator in palatium dixit ad eam : O figura solis annuncia nobis : quæ es tu : et quod est nomen tuum : et quæ sunt uerba tua : ad quem Catherina : non me cognoscis O Imperator ? Ego sum de prima : et splendida progenie Costi regis . nomen mihi Catherina est . Et didici omnis linguæ dictionem et omnem scientiam philosophorum et poetarum . Et quia cognoui omnia hæc uana esse : dereliqui ea : et secuta sum dominum meum Iesum christum : ipsiusque nomini sum de | sponsata : quia scriptum est : perdam sapientiam sapientum : et prudentiam prudentum reprobabo : respondit Imperator : puto quia tu de terra nostra es nata : sed intellectualis uisio offert te nobis : ut sacrifices diis immortalibus : cui beata Catherina . robuste et nequiter affatus es Imperator . Dii autem tui nihil ualent : sed sunt surdi et muti non habentes intellectum . Ego autem ancilla sum domini mei Iesu christi . Disputemus ego et tu : et ostendam tibi inenarabilem et gloriosam sancte crucis extensionem : per quam totus mundus est redemptus . Tu autem errore idolorum tuorum ad æternam pœnam deduceris : hic stupefactus Imperator : Ego inquit non sum compos tibi respondere . uenient autem† rethores ceterique sapientes et in tuis nugis confundent te . quare sic diis nostris credes : Et hæc dicens Imperator huiusmodi scripsit epistolam : Imperator

Maxentius omnibus in suo imperio commorantibus salutem . Omnes philosophi et rethores festinis gressibus uenite ad nos : quandoquidem mulier plena accumine totius scientie tam obscurum sermonem proposuit nobis : ut non possimus illius resistere sermonibus : quos quidem nobis in media philosophia proposuit . Quod si poteritis : eidem mulieri resistere : et eam superare : non paruis uos honestabo muneribus . Missis itaque litteris uenerunt ad eum rethores numero quinquaginta : et dixit ad eos Imperator : Si est in uobis obcurus sermo et fusco plenus : dicite mihi : est enim apud nos mulier quædam gloriosa spetie fulgida omni scientia et rhetorico sermone decorata . Si est ergo sapientisimus sermo in uobis : et potestis contradicere aut superare eam : dabo uobis quæcunque postulaueritis . Primus rethor dixit : Veniat mulier huc : et ego eam primus scriptura homeri uincam . Quæ est mulier in rethorica arte : quæ possit stare ante faciem meam ? Si non eam primis uerbis superauero : sacrifica mihi caput meum . Audiens hæc Imperator gauisus est ualde : et iussit assistere beatam || Catherinam ante tribunal congregans omnem multitudinem ciuitatis : et philosophos aduersus eam . His autem dictis : angelus domini apparuit Catherinæ dicens : Noli timere ancilla dei : Ecce addit tibi dominus sapientiam super sapientiam tuam : et superabis rethores : et multi credent per te in nomine domini nostri Iesu christi . Post bæc† a deo appretiabilem coronam accipies : et regnabis in æternum . Ego enim sum Michael archangelus testamenti domini : et missus sum euangelizare hæc tibi : ut replearis magno gaudio . Et hæc dicens discessit ab ea . Dicit ei primus rethor : tu quæ primam dictionem habes rethoricam robuste respondendi : pone mentem tuam et diligenter asculta†. Tunc beta† Catherina faciens signum crucis . et asperiens os suum dixit : Stulte non legisti : quia scriptura dicit : Compræhendam sapientes in astutia eorum : et apostolus Paulus dicit uidete : ne quis uos decipiat per philosophiam et inanem falaciam : et iterum : Sapientia huius mundi stultitia est apud deum . Sed uerbum crucis est odor bonus : his qui salui fiunt : et his qui pereunt . Aa† hæc uerba stupefactus est Imperator et omnis multitudo . Resplendebat autem facies eius sicut facies angeli . Tunc beata Catherina dixit ad rethorem : sane tibi dico : quoniam calcaneum scripturæ rethoris non cognoscis : sed cum possem multa in sublimioribus dictionum Homeri dicere græca lingua Aristotilis . Aesculapii . et Hippocratis . Dionysii . Platonis . et Ianni . et Mambris et Phylistonis : et Sibylæ . omnia ista sub calcaneo meo posui : quia horum fabrilæ† : et aliorum philosophorum demergunt homines in profundum ignis gehennæ . De ligno autem sanctæ crncis† Sibylla dixit : O lignum beatum : in quo uita pependit : et propheta dixit : Et enim regnabit a ligno uitæ . Cognosce ergo quis mundum composuit : et quis pedibus super mare tamquam super aridam terram ambulauit : De Aesculapio et Hippocrate talia non leguntur . Hæc ea dicente . stupefactus et confusus rethor discessit . Impera | tor autem et omnis multitudo admodum dubitauerunt . Cæteri uero rethores timuerunt uidentes : quod primus eorum superatus esset . quod consyderantes nemo eorum audebat ei apropinquare . Et quoniam uidebant primi magnum stuporem rethoris . ad primam disputationem conuicti pro nihillo deputati sunt : Dicitque eis Imperator : accedite uos : et interrogate eam . Repondentes autem rethores dixerunt . Ptimus† omnium nostrorum cecidit : et quomodo nos audemus ei contradicere ? Tunc iratus Imperator iussit deportari ignem in mediam ciuitatem : et uiuos quinquaginta rethores incendi dicens : quoniam ab una muliere uicti estis . Et appræhendentes milites quinquaginta rethores trabebant† eos ad ignem . unus autem eorum exclamauit dicens : Væ nobis : quoniam tempus resolutionis nostræ aduenit hodie : Venite procidamus ante dominum ut det nobis sanctæ crucis signaculum . ut uel sic inueniamus reqniem† : et euntes ceciderunt ad pedes beatæ Catherinæ dicentes : da nobis christi signaculum . ut per tuam intercessionem aperiat nobis dominus portas paradisi . Illa autem plena gaudio magno dixit : Beati estis : fugite errorem : et cognoscetis deum . Ecce habetis baptismum cbristi† per ignem . Nolite ergo timere : modicum laborabitis : et habebitis requiem in sæcula sæculorum : Et hæc dicens dedit unicuique signaculum christi . et sic missi sunt in ignem . consumataque est uita eorum in christo : et inuenta sunt corpora eorum illæsa : nec capillus capitis eorum combustus est ab igne . Vespere autem facto uenerunt religiossi homines de ciuitate : et tulerunt corpora eorum et posuerunt in sacro loco . Videntes autem populi hoc signum : crediderunt eorum multi in domino . His deinde consumatis inquit Imperator ad beatam

Catherinam . Modo confitere deo soli : et ueni in palatium meum : quia decet te habere imperium : et faciam imaginem similem speciei tuæ : erigamque per omnes ciuitates : et faciam ab omnibus salutari : quia facies tua est similis lumini : quod gloriosse fulget . Di || cit ei beata Catherina : Inuerecunde canis nonne dixi tibi : quia uolo desponsari deo meo : Dicit ei Imperator . Noli me cogere iniurias facere in splendidam faciem tuam : cui Catherina : fac quod uis . Ecce enim multitudinem uideo copiossam ex palatio maxime tuo futuram ut in christo credat . Tunc furore repletus Imperator iussit expoliari eam regali purpura et sic de bubalinis neruis per duas horas lacerari . Deinde iussit eam in carcerem mitti : ut duodecim diebus cogitaret quali pœna eam exterminaret . Imperatrix uero uxor prædicti Maxentii audito rumore dictionis eius admirabilem Catherinæ speciem uidere desyderat . Quadam autem die Porphyrius intrauit in palatium cum Araba Imperatrice : ad quem ea inquit : adiuro te O Porphyri : ut penes te reconditum habeas quod tibi dico . Valde enim desydero tuo consilio alloqui Catherinam . respondit Porphyrius : Faciam quod uis Imperatrix : tantum uesperi esto præparata : Vespere autem facto Porphyrius eam ad Cathreinam† duxit . Regina uero pretio custodibus dato clam intrauit ad eam in interiorem carcerem . Et cum intrasset faciem uirginis uidit sicut solem lucere in tenebris . Magno autem timore territa cecidit ad pedes eius dicens : Beata tu inter mulieres : facies tua non similis terrestrium mulierum : sed celesti gloria est completa : et ego multo desyderio properaui te uidere . Vidi : et gauisa est anima mea . Dicit ei beata Catherina : beata es O Imperatrix : quoniam uideo coronam delatam ab angelis : ut eam super caput tuum . imponant Et post triduum deferes eam . Perges ad dominum : ubi sunt cætera bona et infinitum imperium domini nostri Iesu christi . Sed nil cura Imperatrix : Christus enim stabit tibi in omni tua inuocatione : Et dicit ei Imperatrix : timeo ualde pœnas : et tormenta : et Imperatorem pauesco : quoniam plenus est furore : et maligno spiritu : ad quam beata Catherina : Noli inquit timere O regina : sed habe signaculum christi : et non continget te pœna : sed parum patie | ris : et regnabis in sæcula sæculorum . Hæc ea dicente : Dixit Porphyrius ad Catherinam profer quæso nobis : quæ sint : quæ donat Christus credentibus in se : uolo et ego illi militare . Catherina : Non audisti aliquando scripturas christianorum de æternis bonis . Dicit ei Porphyrius : Non aliquando cognoui . et beata Catherina : Quali lingua aut quibus uerbis aliquid de æternis bonis dici queat? nullis certe : qui autem perseuerauerit usque in finem pro Christo : hic saluus erit . hereditabitque bona illa : quæ angeli possident . Tunc gaudio repletus Porphyrius credidit domino christo cum ducentis militibus . et osculantes† eam exierunt de carcere media nocte : præcipientes custodibus : ut nulli hæc indicarent . Erat autem beata Catherina in carcere duodecim diebus et nutriebatur a splendida columba dei : quibus expletis apparuit illi dominus cum multitudine angelorum et dixit ei : beata es inter mulieres : quoniam multi per te credent in nomine meo . ueruntamen ne timeas : ego enim sum semper tecum . Hæc cum dixisset : cum angelis suis ascendit in cælum . Mane autem facto iussit Imperator eam duci de carcere : et uenire ad palatium : quæ cum duceretur : facies eius resplendebat : sicut sol per gratiam dei : ita ut omnes mirarentur . in aspectu eius . Videns autem eam Imperator stupefactus dixit : forma solis decet te . Veni sacrifica diis : et regnabis mecum : et noli perdere pulchritudinem tuam . Catherina respondit : Quid miraris in pulchritudine mea : quæ hodie est : et cras non erit : Vmbra est enim et transiens sicut flos siccabitur . Noli consyderare pulchritudinem meam : quæ hodie pollet : et cras in sepulchro mittetur : et fiet nigra marcescentibus ossibus : et caro edetur a uermibus . Ego autem sum desponsata domino Iesu christo : et illi seruo fidem : ut non perdat corpus meum in gehennam ignis . Hæc illa dicente præfectus quidam Cusarsates nomine dixit Imperatori : Audi Imperator : et fac quod dico tibi : aliter enim non poteris suade || re ei : nisi uideat supplicium timoris : et sic sacrificabit . quod si non crediderit . male pereat . Dicit ei Imperator : Et si hoc noluerit : quid inde facturi sumus ? Dicit ei præfectus : fiant rotæ quattuor et in unaquaque rota figantur claui accutissimi et seræ tres : sedeatque hæc iuxta rotas et inter immanes morsus rotarum fiat magnus stridor cum cursu : ut uideat et sacrificet . sin autem male moriatur . Præcepit ergo Imperator : ut statim consumaretur illud machinamentum : et consumatum est opus tribus diebus : Et iussit eam ligari prope rotas et uolui in rotulis : cumque diu uolueretur : nihil mali sensit . Veniens autem

angelus domini rapuit eam de curru . Rotæ autem deuolutæ interfecerunt multos ex gentilium militibus . Cæteri uero clamabant dicentes : uerus deus est christianorum . Facta autem hac uoce cœpit Imperator trahere eam ad tormenta . Hæc autem eo agente exiuit Imperatrix Augusta de palatio suo cum dissolutis crinibus : et ait Imperatori : Dimitte ancillam dei : quoniam non tangit eam pœna . Quare luctaris cum deo ? Cui respondit Imperator : Nunquid et tu uis fieri christiana ? Quæ dixit : Volo . et sum : quoniam non est alius deus præter deum Catherinæ . Ira autem commotus Imperator iussit deferri magnum instrumentum : et ligari plumbum in quattuor partibus et trahi Imperatricem : et adduci longos clauos infigique in eius mamillas : et sic recludi eam sub instrumento . et iussit tolli sursum operimentum instrumenti : et statim abscisse sunt mamillæ Imperacricis†. tunc in eam dedit capitalem sententiam : qua lata : dixit beatæ Catherinæ : Ora pro me ad dominum : ut aperiat mihi portas regni cælestis . Respondit Catherina : Perge : quoniam regnabis in æternum . Et cum ducta esset extra ciuitatem consumata est uita eius gladio . Veniens autem Porphyrius magister militum cum ducentis militibus dixit Imperatori : Et ego christianus sum cum istis militibus : et christo militare uolumus . Audiens hæc Imperator clamans uehementer dixit : | Ve mihi Porphyri . tu quidem eras omnis uirtus mea . Et conuersus ad milites . quid passi inquit estis : quia recessistis a diis ? Illi autem timentes non responderunt Imperatori : quos ubi uidisset Porphyrius perterritos dixit eis : Dimittitis caput : et ad pedes itis . Ad hunc sermonem respondit Imperator . Malum caput tu es illorum . Et iussit eos trahi extra ciuitatem : et sic consumata est uita eorum gladio . His itaque gestis iussit Imperator ut duceretur Catherina extra ciuitatem : et gladio decolaretur . Plurimus autem populus maximeque in signes mulieres sequebantur eam Veniens autem ad locum : ubi decolanda erat : et uidens multitudinem conuenientium dixit spiculatoribus . Sustinete fratres : ut orem ad dominum meum Iesum christum : et relinquam nomen meum in posteriorem generationem . Videbat autem multos causa sua lachrymantes . Illi autem dixerunt ad illam : Ora sicut uis . Sancta autem Catherina extendit manus suas ad cælos : et dixit : Domine deus exaudi me : et tribue omnibus memorantibus nomen meum Catherinam : pro tuo amore abundantiam panis et uini . sanitatem corporis . seruitium quadrupedum . reppelle ab eis omnem morbum et omnem auram tempestatum : et da omnibus colentibus nomen meum : ut non possint a subitanea morte perire : nec careant aliquo membrorum : nec mulier patiatur abortum : nec in partu pereat : et non sterilitas fructuum in ciuitate aut in regione sed cælestis ros sit super eam die ac nocte : et da eis remissionem omnium peccatorum : quod si recordatus fuerit aliquis nominis ancillæ tuæ Catherinæ in hora exitus sui : angeli tui deducant eum in paradisi sanctam requiem . et cum finisset orationem : Dominus locutus est de nube dicens : ueni electa mea : quia aperte sunt tibi portæ regni cælorum . Ecce omnes angeli congregati tenentes in manibus coronas : et præstolantes aduentum tuum : Gratiam autem quam postulasti : dabo omnibus uenerantibus nomen tuum : et festiuitatem tuam : et uitam æternam possidebunt . Et cum data esset uox dei : || cum magno gaudio . dixit beata Catherina spiculatori . Veni : et fac quod iussum est tibi ab Imperatore . Veniens autem spiculator amputauit ceruicem eius : et pro sanguine lac emanauit in terra . angeli uero uenientes tulerunt corpus eius : et portauerunt illud in montem synai : et posuerunt in monumentum nouum : De quo in omni solempnitate beatæ Catherinæ emanat oleum et lac usque in hodiernum diem : et quicumque habent ex eis : curantur a quæcumque ægritudine . Videntes autem populi corpus sanctissimæ Catherinæ ab angelir† deportari . glorificauerunt deum : et crediderunt in eum . Decolata est beata Catherina septimo calendas decembris in ciuitate alexandrinorum regnante domino nostro Iesu christo : cui est honor et gloria in sæcula sæculorum Amen .

PASSIO SANCTORVM CLAVDII . NICOSTRATI . SIMPHORIANI . CASTORII . SIMPLICII . ET QVATVOR CORONATORVM .

Tempore quo Dioclitianus Augustus petiuit Pannonias ad metalla diuersa sua præsentia de montibus abscindenda : factum est : dum omnes artifices mettallicos congregaret : inuenit inter eos magnæ peritiæ artis imbutos homines . Claudium . Castorium . Simphorianum . et Nicostratum mirificos in arte quadratoria . Hi occulte christiani erant : custodientes mandata domini : et quidquid artis operabantur in sculptura : in nomine domini nostri Iesu christi sculpebant . Factum est autem ut quadam die : imperante Diocliciano Augusto : simulacrum solis cum quadriga ex lapide thasio artifices cum omni argumento currumque et equos et omnia ex hoc lapide sculperent . Eodem autem tempore omnes artifices cum phylosophis cogitantes cœperunt artis declinare sermonem : Et cum incidissent lapidem magnum : non conueniebat ars sculpturæ secundum præceptum Diocliciani Augusti : et | multis diebus erat contentio inter artifices et phylosophos . conuenerunt ergo in unum omnes artifices numero sexcentiuigintiduo cum philosophis quinque ad textum lapidis : et cœperunt uenas eius perquirere : Et erat mira contentio inter artifices et philosophos . Eodem tempore Symphorianus confidens in fidem quam tenebat : dixit ad artifices suos : rogo uos fratres omnes date fiduciam mihi : et ego inueniam textum lapidis eius cum discipulis meis Claudio . Simplicio . Nicostrato . et Castorio : Et querens uenas metalli cœpit sculpere in nomine domini nostri Iesu christi : Et bene consequabatur sculptura secundum præceptum Augusti . facta est sculptura sigilli solis in pedibus uiginti quinque : Hoc autem nunciatum est Diocliciano augusto et lætificatus est . Eadem uero hora ibidem in partes Pannoniæ . præcepit ædificari† templum in loco : qui appellatur ad Montempinguem : et ibidem constituit : posuit simulacra : et deaurauit : Et cœpit in eodem loco sacrificiis et unguentis et odoribus lætari . dedit dona magna artificibus : lætatusque est admodum in arte eorum : et nimio amore captus præcepit : ut ex metallo porphyretico columnas uel capitella collumnarum ab artificibus inciderentur : et uocauit ad se Claudium . Simphorium† . Nicostratum et Castorium . atque Simplicium : quos cum gaudio suscipiens dixit ad eos : Desydero peritia artis uestre columnas uel capitella columnarum ex lapide porphiritico incidi . Hæc illi audientes a rege iilico† abierunt cum muliitudine† artificum et philosophorum . Venientes autem ad montem porphyriticum in locum : qui uocatur Igneus cœperunt incidere lapidem in pedibus quadraginta . Claudius autem omnia quæ operabatur in nomine domini nostri Iesu christi faciebat : et bene sequebatur eum ars . Simplicius autem qui erat gentilis quæcumque faciebat non erant conuenientia . Quadam autem die dixit ad Simplicium Nicostratus : frater quomodo ferramentum tuum confringitur . Respondit Simplicius : Rogo te : tempe || ra mihi ferramentum : ut non confringatur : Dixitque ei Claudius : da mihi omne ingenium artis : et cum dixisset ei omnem sculpturam ferream : Dixit Claudius in nomine domini nostri Iesu christi sit hoc ferrum forte : et sanum ad faciendum opera . Ab eadem hora cœpit Simplicius omnem artem quadratoriam cum ferramentis suis : sicut Simphorianus bene et recte operari . Tunc Simplicius miro amore et studio cœpit inquirere a Simphoriano : quod esset genus temperamenti : quia frangebantur argumenta ferramentorum suorum quod antea non ita erat . Dicit ei Simphorianus una cum Claudio : ergo frater miraris in temperamento ferramentorum? Deus qui est creator et dominus omnium : ipse facturam suam confortauit : respondit ei Simplicius Nunquid dominus Iupiter ipse non fecit omnia? ad quem Claudius : Frater age pœnitentiam : quia blasphemasti : nesciens quid loquaris . Dominus quem nos confitemur : ipse omnia creauit et Iesus ipse filius eius dominus noster et spiritusanctus : Nam quem tu dicis dominum : quare non cognoscis : quia ex nostris manibus sculpitur? Nescis : quia et sol quem nos per sculpturam artis fecimus et ipse nihil est? Eadem autem die dum altercarentur : Ecce subito iussit Dioclicianus facerent ei ex metallo porphyretico conchas sigillis ornatas cauari . Tunc

Simphorianus . Claudius . Castorius . Nicostratus . cœperunt in nomine domini cauare conchas : et lacus cum sigillis et cantaris magna artis subtilitate . Simplicius uero quiquid in arte misisset : illico confringebatur . tunc dixit ad Simphorianum : Adiuro per deum solem ut dicas mihi : qnis† est dominus : qui omnia creauit : in cuius nomine uos hæc omnia optime operamini . respondit Claudius : Placitum est tibi in sensu et in uisu oculorum tuorum quæ nos facimus ? respondit Simplicius : et dixit : Video nescio quam prædicationem : quam occulte predicatis . sed queso uos declarate mihi hanc prædicationem dei uestri : et ut mea uobiscum fruamini amicicia . Dicit ei Claudius . et est in te pura amicicia ? Simplicius dixit : Vere pura . Nam et uos | cognouistis : ecce intra quindecim annos quo pacto uobiscum operatus sum . Dicit ei Symphorianus . Si potes credere dicimus tibi . et mox artem consequeris . sed et uitam æternam habebis . Simplicius dixit Desyderio desyderaui scire deum uestrum : uosque precor . Dicit ei Claudius : Ecce hoc est quod dicimus tibi . ut fideliter credas dominum nostrum Iesum christum dei filium . et baptismum percipias et omnia ministrabuntur tibi . Simplicius dixit . Ergo nolite tardare : ut uobiscum unanimis sim in arte et in religione . Et ceperunt querere sacerdotem . et inuenerunt episcopum in custodia ligatum nomine Cyrillum ex Antiochia adductum proque nomine christi uinctum : qui iam multit† uerberibus fuerat maceratus per annos tres : Ad quem uenientes noctu Symphorianus . Claudius . Nicostratus . et Castorius . una cum Simplicio : quem inuenerunt cathenis constrictum cum plerisque confessoribus . Et ingressi ad Cyrillum episcopum : miserunt se ad pedes eius . et rogabant ut baptizaret Simplicium . Cumque hoc audisset beatus Cyrillus episcopus : gaudio repletus est magno . dixitque ad Simplicium : Fili uide si ex tote† corde credis . et omnia ministrabuntur tibi Respondentesque Claudius . Simphorianus . Nicostratus et Castorius dixerunt ad eum rem gestam de ferramentis quid obuenisset . Et tunc beatus Cyrillus episcopus gratias agens deo omnipotenti dixit ad Simplicium : Fili uidisti uirtutem in operatione nostra . modo tantum fideliter crede . Respondit Simplicius cum lachrymis et dixit ei : Et quomodo iubetis ut ostendam credulitatem meam ? Beatus Cyrillus episcopus dixit : ut credas in Iesum christum dominum nostrum dei filium creatorem omnium rerum et omnia simulacra manu facta respuas . Simplicius dixit : Ego credo quia in ueritate ipse est deus uerus Iesus christrs† : Et facto eo secundum consuetudinem ecclesiasticam cathecumino : baptizauit in nomine patris et filii et spiritusancti ibidem in carcere : et dimisit eos . Reuersique ad opera sua : cœperunt cauare conchas ex lapide porphy || retico . cum sigillis et erbacantis : In qua autem hora mittebant manus suas ad opera in nomine Iesu christi operabantur : signum crucis facientes . Vnus autem de phylosophis intuens eos : et uidens quomodo sine signo crucis nihil faciebant : sed utebantur omni hora signum christi in omni opere : contristatus uehementer dixit cum iracundia : Hoc signum magicæ artis est : quod signum nescioquid ad crudelitatem pertinet : et per ipsum omnia prospera a uobis aguntur . Respondit Claudius et dixit ei : Nescis phylosophe : quia hoc signum quod fuit aliquando ad crudelitatem : nunc autem ad uitam perducit æternam : maxime autem eos qui credunt in eo . Respondit phylosophus et dixit : Non potest crudelitas mortis ad uitam perducere æternam . Sed quantum ad uitam æternam potest aliquis per abstinentiam temporalem peruenire . Claudius dixit ad eum : Dominus et deus noster Iesus christus dixit : Qui inuenit animam suam perdet eam : Et qui perdiderit animam suam propter me : inueniet eam . Respondit phylosophus Ergo et uos christum sequimini colentes eum ? Claudius dixit : Vere in ipsius signo et uirtute omnia opera manuum nostrarum facimus : Quia sic nos docuit doctor gentium beatus Paulus dicens : Quidquid facitis : in nomine Christi facite . Ad quem phylosophus : In cuius nomine domini ? Simphorianus ait : In nomine domini nostri Iesu christi . Dixit ad eum phylosophus : Et si ipse est deus aut dominus : quomodo morti subiacuit ? Symphorianus ait : Tamen si scis quia mortuus est : quia surrexit cognitum tibi non est . Hæc autem inter se illis altercantibus . multi ex artificibus quadratariis audientes eos : crediderunt in uerbis seu doctrinis beati Simphoriani : et dixerunt ad alterutrum : Frater melius est nobis : ut arte iuuemur : et fortes esse possimus per eius nomen qui mortuus est et resurrexit . Eodem autem tempore iubente Diocliciano Augusto : perfecta est concha porphyretica cum malis et erbacantis . Per manus Claudii . Symphoriani . Nicostrati et Castorii : Et allata est ante

conspe | ctum eius : placueruntque ei omnia : quibus artificibus dona multiplicauit . Tunc dixit eis Dioclicianus : uolo mihi fieri columpnas cum capitibus foliatis : et abscindatis mihi de monte porphyretico . Dictantibus Claudio . Simphoriano . Nicostrato . et Castorio . Hoc audientes philosophi indignati sunt uæhementer . Et quidem iussio Diocliciani urgebat . Accedentes autem artifices ad montem . designauerunt partem lapidis : ut incideretur . Tunc orauerunt hi sancti : et fecerunt signum crucis christi : dictantes atque dolantes ceperunt artifices quadratarii incidere lapidem ad collyrium columpnæ : qui etiam operabantur quottidie per menses tres et columpna una mira arte perfecta est . Dixerunt ergo philosophi ad Claudium . Nicostratum . Sympholianum† atque Castorium et Simplicium : uos qui dono locuplectati† estis date operam in alia columpna incidenda . Respondentes autem hi quinque tanquam ex uno ore dixerunt eis : In nomine domini nostri Iesu christi in quem confidimus : et hanc columpnam et aliam operamur sicut et priorem . quo fit ut operam summo studio dantes intra dies uigintisex inciderunt aliam columpnam . Tunc philosophi indignati dixerunt Hæc carmina non nisi magicæ artis sunt . Ita sculpentes facturas diuersi operis dabant studium : et bene sequebatur ars consilia eorum : qui nihil per peritiam artis phylosophiæ sed tantum in nomine christi operabantur . Hoc uidentes pbylosophi† : suggestionem dederunt Diocliciano augusto dicentes : Summe princeps et ornator sæculi magnum consilium præcepti uestri et mansuetudinis damno est in opera montis designati : ut lapis preciosus incidatur ad mirificum ornatum rei publicæ uestræ et iam multa opera clara facta est . Dioclicianus augustus dixit : Vere delector peritia horum hominum : et ipsos quinque uiros artifices aspectibus suis iussit præsentari : Quibus lætus ita dixit : per uirtutem deorum . quia sublimabo uos diuitiis et donis tantum sigilla precedite de monte hoc porpbyretico† : et iussit uictorias et cupidines et || conchas iterum fieri maxime Asclepium : et fecerunt conchas uictorias atque cupidines . Asclepii autem simulacrum non fecerunt . Post aliquantos uero dies obtulerunt opera sua in diuersis ornamentis sigillorum . Similiter lætificatus est de peritia Dioclicianus artis quadratariæ : et dixit ad Claudium . Symphorianum . Nicostratum Castorium atque Simplicium . gaudeo in studio artis uestræ : tamen quia non ostendistis amorem mecum : ut deum Asclepium cunctarum sanitatum doletis : pergite cum pace et date operam in hoc simulacro . Et leones fundentes aquam : et aquilas et ceruos : et gentium multarum similitudinem operamini . et fecerunt omnia secundum consuetudinem eorum præter simulacrum Asclepii . Post menses uero quattuor dederunt suggestionem philosophi Diocliciano ut uideret opera artificum : qui iussit omnia in campo afferri : et dum allata fuissent : deerat Asclepius : Cumque nimio desyderio ipsum requireret Imperator : suggestionem dederunt philosophi dicentes : Piissime Cænsar† semper Auguste : qui omnes diligis et es pacis amicus . Sciat mansuetudo tua : quia hi quos diligis christiani sunt : et quidquid eis imperatum fuerit in nomine christi faciunt : Dioclicianus dixit ad eos . Si omnia opera eorum in nomine christi sui magnifica esse noscuntur : non est crudele sed multo magis gloriosum . Responderunt philosophi : ignoras : quia præcepto pietatis tuæ non obediunt conscientia crudeli : et ideo noluerunt artis magnificentiam habere in ædificatione simulacri : et domini Asclepii ostendere imaginem : quibus Dioclicianus . Deducantur ait ad me uiri isti : Cumque uocati fuissent Claudius . Symphorianus . Castorius . Nicostratus . et Simplicius . dixit ad eos Imperator : Scitis quo affectu et gratia uos dilexerit mansuetudo nostra : et pro amore uos fouerit : quare igitur non obedistis præceptis nostris : ut sculperetis de metallo prophiretico† deum Asclepium . respondit Claudius : et dixit : Pie semper Auguste : nos semper obediuimus pietati ue | stræ : et ei seruiuimus : imaginem uero hominis miserrimi nunquam faciemus : quia scriptum est : Similes illis fiant : qui faciunt ea : et omnes qui confidunt in eis . Tunc exarserunt philosophi aduersus eos dicentes ad imperatorem : Piissime Imperator et pie semper Auguste : uides perfidiam : quomodo pietati uestræ superbo sermone loquuntur ? Dioclicianus dixit ad eos : Non exarcebentur† periti artifices sed magis consulantur . Ad quem philosophi : Ergo aut seruiant præceptis pietatis uestræ : aut inueniemus nos : qui facient secundum eius uoluntatem . Dioclicianus dixit : Et inueniuntur uiri doctiores similes his in eius artis peritia ? Philosophi dixerunt : Nos procurabimus uiros religione suffultos . Ad quos Dioclicianus . Si de hoc metallo inquit procuraueritis : ut deum Asclepium faciant : et

ille hos sacrilegii pœna constringet : et illi magni erunt apud nostram mansuetudinem . Tunc cœperunt philosophi contra Claudium . Symphorianum . Nicostratum . Castorium atque Simplicium habere altercationem . Quare non arte uestra præceptis piissimi Augusti Diocliciani obeditis et non eius facitis uoluntatem ? respondit Claudius : Nos non blasphemauimus creatorem nostrum : quia in nos ipsos non confidimus : ne rei inueniamur in conspectu eius . philosophi dixerunt : Claruit quia christiani estis . Castorius dixit : Vere quia christiani sumus . Tunc philosophi elegerunt alios artifices quadratarios qui sculpserunt Asclepium ex metallo proconesio : et post dies triginta et unum philosophis eum attulerunt . Tunc philosophi Diocliciano Asclepium perfectum esse declarauerunt : quem ubi uidisset miratus est : et dixit hoc artis ingenium ipsorum est : qui uobis in arte sculpturæ placuerunt ? Philosophi dixerunt : Sacratissime Imperator et semper Auguste : hos quos declarat serenitas uestra in arte quadrataria peritissimos esse idest Claudium . Symphorianum . Nicostratum . Castorium . et Simplicium . innotescat mansuetudini uestræ || eos sacrilegos : et christianos : et per incantationum carmina : omne genus humanum sibí humiliari . Diocliciánus Augustus dixit ad eos . Si præceptis iusticiæ non obedierint : et uera est locutio suggestionis uestræ . ferant sacrilegii sententiam . Et iussit cuidam Tribuno Lampadio nomine sub moderatione uerborum eos cum philosophis audire dicens : Iusta examinatione eos proba : Et in quos inuenta fuerit querela falsi testimonii : reatus pœna feratur : Mox Lampadius tribunus iussit ante templum solis in eodem loco tribunal parari : omnesque artifices colligi et Symphorianum . Claudium . Nicostratum . Castorium et Simplicium ac philosophos : Ad quos publicæ Lampadius Tribunus dixit : Domini nostri piissimi Imperatores hoc iubentes dixeruut† : ut ueritate a uobis cognita inter philosophos et magistros Claudium . Symphorianum . Nicostratum . Castorium et Simplicium clarescat : si uere accusatio est inter† partes : Clamauerunt omnes artifices quadratarii inuidiose moniti a philosophis dicentes : Per salutem piissimi Cæsaris tolle sacrilegos . tolle magos . Videns autem Lampadius Tribunus : quia inuidiose clamarent artifices : dixit : causa determinata adhuc non est : quomodo possum dare sententiam ? philosophi dixerunt : Si non sunt magi adorent deum Cæsaris : Et continuo iussit Lampadius Tribunus Symphoriano . Claudio . Castorio . Nicostrato : et Simplicio : dicens adorate deum solem : ut destruatis consilium philosophorum : Qui respondentes dixerunt : Nos nunquam adorabimus facturam manuum nostrarum . Sed adoramus dominum cæli et terræ qui est imperator in perpetuum et deus æternus dominus Iesus christus . philosophi dixerunt Tribuno : Ecce ergo cognouisti ueritatem . renuncia hoc domino nostro Cæsari . Tunc Lampadius iussit eos retrudi in custodiam publicam . Post uero dies nouem inuento silentio renunciauit gestum Diocliciano Augusto . Eodem die philosophi accusabant eos inuidiose principi dicentes Si hi euaserint : peribit cultura deorum . | Tunc iratus Dioclicianus dixit : Per magnum deum solem : que† si non sacrificauerint deo soli secundum morem antiquum : et monitis nostris non obedierint : diuersis et exquisitis pœnis eos consumam . Mox Lampadius Tribunus iussit ut alia die in eodem loco ante templum solis sisterent . Lampadius Tribunus ait : Introducantur ambæ partes : philosophi et quadratarii . Quibus introductis Lampadius Veniant inquit accusatores eorum : et dicant : quid eis impugnandum sit . Introgressisque philosophis : unus ex eis Chrysolitus philosophus Tribuno dixit : Quid docuit intelligentia tua ? quid amplius queris cognoscere ? Lampadius quadratariis ait : Quod iusserunt nobis piissimi principes : cognitum uobis est . Dixerunt hi quinque nescimus : quibus iterum dixit : Vt sacrificetis deo magno soli . et antiquis numinibus detis honorem . Claudius respondit : Nos damus honorem deo omnipotenti : et domino Iesu christo filio eius : in cuius nomine speramus : et post tenebras ad lucem nos uenire confidimus . Lampadius dixit : Et quæ lux clarior quam dei magni solis . respondit Claudius et dixit : Christus qui natus est de spiritusancto : et ex Maria uirgine : qui illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum : qui est uera lux : ubi tenebre non sunt ullæ . et Lampadius . Rogo : et commoneo uos : nolite perdere tantum amorem : tantamque gratiam domini nostri principis Diocliciani . Melius ergo uos nostis : quia piissimus noster princeps tantum gratus est omnibus hominibus : ut omnes tanto affectu ueneretur quantum fratres et filios : maxime autem cultores deorum . Symphorianus una cum sociis suis dixit : Piissimus princeps tantam debet curam habere homi-

num : ut deum cæli non offendat : qui est creator omnium rerum . Nam nos curam habemus : ne pereamus in futuro sæculo ubi ignis non extinguitur . Tunc Lampadius consyderans præceptum Diocliciani . Iterum ei rem gestam retulit . Tunc Dioclicianus artem eorum consyderans : præcepit Lampadio Tribuno dicens : Amodo si non consenserint et sacrificauerint || li† uerberibus scorpionum eos afflige : Si autem consenserint deduces eos ad mansuetudinem : Post dies uero quinque iterum sedit Lampadius in eodem loco ante templum solis : et iussit eos introduci sub uoce præconia : quibus introclusis sic eos aggreditur : Audite me : et euadite tormenta : et estote cari . et amici nobilium principum : et sacrificate deo magno soli : Nam loqui non est apud uos sermonibus blandis . Respondit Claudius cum sociis in magna fiducia dicens : Nos non expauescimus terrores uestros : nec blandiciis frangimur : Sed magis nos timemus tormenta æterna . Nam hoc sciat Dioclicianus noster imperator nos christianos ueraces esse : et nunquam discedere a cultura dei nostri ueri . Tunc iratus Lampadius tribunus iussit eos statim expoliari et scorpionibus mactari sub uoce præconis dicens : Præcepta principum contempnere nolite . In eadem autem hora arreptus est Lampadius a dæmonio : et discerpens se expirauit dum adhuc in tribunali sederet : Hoc audiens uxor eius et familia cucurrerunt ad philosophos : mugitu magno : ita ut diuulgaretur Diocliciano : Hoc autem cum audisset Dioclicianus Imperator iratus est uæhementer : et nimio furore plenus dixit : Fiant loculi plumbei : et uiui in eis recludantur : et proiiciantur in fluuium . Tunc Nicetius quidam togatus assidens Lampadio : fecit quod iusserat Dioclicianus : et fecit loculos plumbeos : et omnes in eis uiuos inclusit : et præciptari† iussit in fluuium . Sanctus uero Cyrillus episcopus hoc audiens dum esset in carcere : afflixit se : et transiuit ad dominum . Sancti autem martyres passi sunt pro nomine domini sub die sexto iduum nouembris . In ipsis autem diebus ambulauit Dioclicianus exinde Syrme . Et post quadraginta duos dies quidam Nicodemus christianus leuauit loculos cum corporibus : et posuit in domum suam . Rediens autem Dioclicianus ex Syrme post menses undecim ingressus est Romam : et statim iussit in thermas traianas templum Asclepii edificari : et in eo symulacrum fieri ex lapide procone | sio : quod cum factum fuisset : præcepit omnes cucuras in eodem templo in præcogas æneas cum caracteribus infigi : et iussit ut omnes miliciæ uenientes ad symulacrum Asclepii sacrificiis seu ad thurificandum compellerentur : maxime autem urbanæ præfecturæ milites : Cumque omnes ut dictum est ad sacrificia compellerentur : Quattuor quidem Cornicularii : quorum nomina hæc sunt : Seuerus . Seuerianus . Carpophorus . et Victorinus . Hi compellebantur ad sacrificandum : sed ipsis reluctantibus nec omnino consensum impiis præbentibus : nunciatum est Diocliciano imperatori : Quos illico iussit ut ante ipsum symulacrum ictibus plumbarum cæsi deficerent : Qui dum diu cæderentur : emiserunt spiritum : Quorum corpora iussit in platea canibus derelinqui : Quæ etiam iacuerunt diebus quinque . Tunc beatus Sebastianus uenit noctu cum Miliciade episcopo : et collegit corpora et sepeliuit in uia lauiciana miliario ab urbe Roma plus minus tercio cum aliis sanctis in arenario : quod factum est eodem tempore . Sed cum post duos annos euenisset id est sexto idus nouembris : et nomina eorum reperiri minime potuissent : iussit Milciades episcopus : ut sub nomine sanctorum Claudii . Nicostrati . et Symphoriani Castorii et Simplicii annuersaria† recolatur dies eorum . Regnante domino nostro Iesu christo : cui est honor et gloria in sæcula sæculorum .

SANCTE CLARAE VIRGINIS VITA .

Venerabilis christi sponsæ deoque dicate uirginis Claræ : natalicium diem fratres carissimi honore debito celebrantes sacræ uite ipsius primordia processum et exitum breui compendio percurramus . Originis quidem nobilitate ac conuersationis honestate : præclaris orta parentibus : post acceptam superne gratiæ claritatem : non solum in urbe Assisio claruit : uerum etiam in orbe terrarum longe clarior refulsit . Nam cum mater ipsi || us nomine Hortolana nobilem hanc plantulam uteri sui gestaret in hortulo : Et partui iam uicina ante crucem dominum crucifixum attentius oraret : ut eam de partus periculo salubriter expediret : Audiuit uocem dicentem sibi : ne timeas mulier :

quia quoddam lumen salua parturies . mundum ipsum clarius illustrabit . Quo edocta oraculo iam natam infantulam ex sacri baptismatis unda renatam Claram uocauit : indubitabili fide tenens manifestandam fore de proximo a deo promissi sibi celestis luminis claritatem . Edita mox in lucem paruula Clara tempestiuo tanquam aurora diuinorum cœpit charismatum lumine clarescere : ac inter teneros annos : laudabilium morum ingenua probitate clarescere . Pietatis quidem suauitate repleta tam ex dono naturæ quam gratiæ manum libenter extendebat ad pauperes : Et ut suum sacrificium gratias deo offerret : proprio corpusculo delicata subtraebat† cibaria : Clamque internuncios mittens refficiebat uiscera pupillorum . Sancte orationis studium habebat amicum : ubi Christi Iesu sæpius odore bono respersa suauisque spiritus gustu ad perennes attracta delicias paulatim uitam celibem accendebat . Sub uestibus quoque preciosis ac mollibus cyliciolum gerebat absconditum : et tanquam nobilis altera uirgo Cecilia mundo exterius flores Christum interius induens . Dissimulato in posterum mortali coniugio uirginitatem suam domino commendabat . suauibus proinde uelut aromatica cela redundans unguentorum odoribus ore uicinorum laudari nescia cœpit : et secretos artus ueridica fama prodente rumor probitatis eius uulgabatur in populo . Talia fuerunt in domo paterna sua delibamenta uirtutis . tales primitiæ spiritus . talia præludia sanctitatis . Audiens uero tunc celebre nomen Francisi† : qui uelut homo nouus missus a deo : obliteratam perfectionis uiam et crucifixi sectanda uestigia renouabat inspirante patre spirituum ubi opportunitas societatis affuit et temporis ad eundem se contulit : suique cordis arcanum desyderium patefecit . Suadente igitur uiro dei mundi contemptum : et more fi | dellissimi paranymphi dulcia Christi connubia . uirginis auribus instillante non trahit in longum uirgo præclara consensum : quinimo cælestis ignis ardore incensa terrenæ gloriæ uanitatem ex alto contempnit : carnis illecebras prorsus horrescit thorum in delicto se nesciturum proponit : ac eiusdem beati præsbiteri consiliis totaliter se committit . Iubet ex hoc domini famulus celebritate imminente palmarum : ut in die festo ornata procedat al palmam cum frequentia populorum : ac nocte sequenti cum Christo exiens extra castra mundanum gaudium in luctum conuertat dominicæ possionis†. Igitur domo ciuitate et consanguineis derelictis ad sanctam Mariam uulgo nuncupatam de angelis festinauit : ubi fratres qui in aula dei sacras obseruabant excubias prudentem uirginem obuiam sponso cum lampade non uacua procedentem gestantes :† Et ipsi lucernas ardentes in manibus exceperunt : Eamque post crinium attonsionem coram altari uirginis matris dei habitum religionis indutam ad uicinum quoddam sanctimonialium monasterium deduxerunt . Nec enim decuit alibi florigere uirginitatis odorem ad uesperam temporum excitari : quam in eius thalamo quæ prima omnium atque dignissima sola extitit mater et uirgo ut quasi ante ipsius sacratissimum thorum humilis ancilla sublimi sponso coniuncta decantandaque iugiter dulcia cantica drammatis angelica primitus nunciatione perciperet : et harmonica post modum iubilatione cantaret . Graui post hæc persecutione consanguineorum deo sacratæ uirgini ab hoste humani generis suscitata sed cælestis dextre superata uirtute ad ecclesiam sancti Damiani pro cuius reparatione uir dei Franciscus uoce de ipsa cruce mirabiliter ad se facta mandatum acceperat una cum sorore uirgine Agnete per ipsius preces et lachrymas ad similia uota conuersa de eiusdem patris consilio commigrauit . In huius locelli ergastulo pro cælestis amore sponsi uirgo se Clara conclusit in hac mundi tempestate se celans : corpus quoad uiueret carcerauit in huius cauerna maceriæ uelut gemebunda simplex || que columba nidificans uirginum Christi collegium genuit monasterium sacrum instituit : pauperumque dominarum ordinem inchoauit . Opinione siquidem sanctitatis eius circumquaque diffusa in odorem spiritualium unguentorum cœpere adulescentulæ currere omnique suauitati sæcularium gaudiorum sponsi cælestis præferre connubium pro ipsius amore præcipuo sub clausura perpetua : uitam satagentes religiosam ac cælibem actitare . Huius itaque religionis Christo domino dedicatæ lapidem se aduertens esse primarium in fundamento sanctæ humilitatis : uirtutum omnium fabricam collocare sic ab ipso principio studuit : ut cunctis sibi succedentibus suo regimini subditis tanquam reputatione propria uilior et obsequio promptior et cultu despectior in semetipsa ueræ humilitatis formula per exercitationis frequentiam demonstraret . Nam et regimen sororum pauperum uix etiam et per obedientiam coacta suscipiens : piæ subministrationis operibus quanquam despicabilibus et abiectis humiliato non

minus corde quam corpore solicitius intendebat . Foras exeuntium famularum lutulentos pedes abluens extergens et osculans : iuxta nostri saluatoris exemplum . intus quoque ministrantium laboriosis obsequiis ac si ancilla foret empitia† cum omni promptitudine tenerum exponens corpusculum sanis infirmus† atque debilibus tanquam dominabus suis promptum et hilarem cum opportunitas aderat impartiebatur pro uiribus famulatum . Sic igitur humilis Francisi† discipula magistra uirginum iam effecta : sicut a sanctissimo patre didicerat : non tam præferri affectabat quam subiici : nec tam obedientiæ sanctæ iugum aliis imponere quam portare : quatenus perfectionis omnis radice humilitatem spontaneam et in semetipsa per exercitationis frequentiam rigaret et excoleret : et in filiarum cordibus exemplo suo conplantaret . Paupertatis euangelicæ cuius indeficientem affluentiam beatus pater filiis in successionem hereditariam dereliquit : Hæc tanquam legitima filia noluit portione carere : propter quod in suæ conuersionis inicio paternam hereditatem quæ | ad eam peruenerat : distrahi fecit : sibique de pretio nil reseruans : totum pauperibus erogauit . tantum denique cum sancta paupertate fedus iniit : et amorem contraxit ut nihil præter deum habere uellet . Nihil præter necessarium uictum et uestitum permitteret a sororibus recipi : nihil in posterum reseruari . Paupertatis priuilegium a domino Innocentio tertio : cum multa ipsius pontificis dignatione concessum : cuius primam notulam propria manu : non sine lachrymis idem conscripsit antistes . Cum dominus Gregorius nonus paterno compassus affectu mitigare disponeret : et eamdem sanctam uirginem a uoto absoluere paupertatis tam arcte : respondit domino Carissima filia : de peccatis quidem se uelle libenter absolui : non autem de obseruandis consiliis Iesu christi . Altissime siquidem paupertatis uoto tam forti inhæserat dilectionis uinculo : ut tolerabillius ei uideretur sæuienti spiculatori feriendam ceruicem protendere : quam preciosæ margaritæ pulchritudinem perdere : facieque conuersa retrorsum a tantæ perfectionis proposito resilire . Virgo itaque prudens luculenterque aduertens pro gloriosæ paupertatis inopia cælestis exhuberantiæ gloriam esse reddendam elæimosynarum fragmina panumque minutias quas elæimosynarii comportabant ualde suscipiebat hilariter : Et quasi mæsta de panibus integris : exultabat potius in fragamentis† . Cum autem unicus semel in monasterio foret panis : et hora iam instaret edendi : Dispensatrice recurrente ad matrem iussit illa dimidium dari fratribus : et dimidium reseruatum sororibus in quinquaginta diuidi iuxta earum numerum incisuras . Hac igitur iussione insolita famulæ Christi fidellis ab humili filia et si cum admirationeque suscepta non sine deuotione tamen effectui mancipata : creuit diuino munere inter frangentes manus parua illa materia et cuilibet de conuentu sua extitit portio copiosa . Et cum oleum pariter defecisset in lechito : allatum uasculum uirgo præclara propriis manibus abluit : Confestimque seorsum locatum super infuso diuinitus oleo usque ad summum || repleri sacris suis precibus impetrauit . Austeritatis sacræ rigorem pro quo Christi sponsa præfulgida nigram se non immerito asserere potuit : sed formosam partim mutabilem : partim admirabilem qui humiliter uoluerit audire ueraciter comprobare ualebit . Simplici namque tunicula et uili paliolo de rudi panno tegebat potius quam fouebat corpusculum . plumarum pellium calceorumque penitus usum ignorabat : Et teneram carnem omni tempore continuatis ieiuniis attenuabat . Maiorem quadragesimam et eam quæ dicitur sancti Martini continue pane et aqua ieiunans solis diebus dominicis uini modicum degustabat . Tribus uero diebus in hebdomode† secunda quarta et sexta feria nihil sumebat in cibum : Vt sic alternatim dies penuriosæ refectionis et dies accerbæ mortificationis inuicem sibi succederent : et uigilia perfecte inediæ quasi in festum solueretur panis et aqua . Prohibuit tandem beatus Franciscus excedentem illum austeritatis feruorem : præcipiens : ut nullum transiret diem : quin saltem unciam cum dimidia panis pro necessaria sumeret nature sustentatione . Vtebatur nonnunquam duro cylicio equinis pilis nodose conserto : Quod hinc inde chordulis rudibus corpori astringebat . Nuda humus et interdum uinearum sarmenta erant pro lectulo . Lignumque durum præstabat sub capite officium puluinaris : Donec debilitato et confracto iam corpore beati Francisci mandato sacco palearum pleno uti cœpit . Seruabat autem in omni sua hac mortificatione uultus festiuos et hylares : ut patenter in uirgine Clara ueritas illa claresceret : quandoquidem nil impossibile : nil durum : nilque difficile est amanti . Sicque ab ineunte ætate usque ad senescentem caniciem duris disciplinæ flagellis carnem illam uirgi-

neam in spiritus ardore castigans : et atterens atque mortificans sacrum sui fregit corporis alabastrum : quo et cultum regi gloriæ crucifixo redderet debitum : et domum repleret uniuersalis ecclesiæ suaui fragrantia spiritualium unguentorum . |

Quantæ uero deuotionis quanteque uirtutis : sacræ huius uirginis fuerit oratio ipsius indefessæ uigiliæ attestantur cum lachrymarum fluentis : sed et mentalles excessus ad arcana sponsi colloquia cum efficacia facilius obtinendi fiducialiter penetrabant . Longis enim post completorium tractibus cum sororibus orans : deinde postquam cæteræ fessa membra duris abibant refouere cubilibus : ipsa in oratione peruigil et inuicta manebat : ut tunc uenas diuini susurtii† furtiue susciperet : quando sopor cæteras occupasset . Lachrymanti aliquando profunda nocte astitit angelus tenebrarum in forma nigri pueruli dicens ei : quod cæca fieret : nisi flere cessaret : Cui cum illico respondisset : cæcus non erit : qui regem glorie uiderit : confussus ille discessit . Eadem nocte post matutinum dominum cum lachrymis exoranti iterato apparuit : ipsius resoluendum asserens cerebrum nasumque torquendum : nisi seipsam cohiberet a flætibus . Cernensque se uirginis animum comminationibus deterrere non posse : et hic ipsius constantiam reformidans deuotum orantis sillentium destitit perturbare . Familiaris illi præcipue planctus erat dominicæ passionis : et inter horas diei sextam et nonam . Christo crucifixo maiori compatiebatur affectu : ut cor et corpus domino cum immolato agno unum holocaustum offerret . Orationem quoque de quinque plagis domini Iesu ruminabat frequentius ex ipsis sacris uulneribus nunc myrrhata suspiria trahens : nunc melliflua suggens gaudia : ut eiusdem sponsi præ feruida caritate uulnerata tam mirrhæ fasciculum quam cypri botrum ueraciter posset uocitare dilectum . aduenerat quodam tempore dies sacratissimæ cænæ : quo circa uesperum propinquante domini Agonia uirgo deo deuota captionis et illusionis illius inebriata memoria : per noctem et diem sequentem sic supra seipsam absorta sic a semetipsa permansit aliena : ut irreuerberatis circa uisum semper intenta luminibus confixa Christo ac prorsus insensibilis uideretur . Rependebat proinde anima || ti† uicem crucifixus amatus : et quæ circa crucis mysterium tanto flagrabat amore : crucis potentia in signis et miraculis refulgebat .

Nam una de sororibus nomine Beneunta plagam fistulæ saniem emittentem per quinque foramina sub brachio duodecim fere annis perpessa : post crucis designationem a uirgine Clara cum uirtute et reuerentia impressam : perfectam recepit annosi hulceris sanitatem . Magna erat in monasterio sororum multitudo languentium diuersis doloribus afflictarum : cum ecce locum in quo iacebant uisitandi gratia pia mater ingrediens : ac non immemor quinque plagarum Christi signum crucis quinquies faciens : quinque ipsarum grauiter ægrotantes protinus eripuit a langore . Illa quoque tempestate : quam sub imperatore Federico romana sustinebat ecclesia : in Assisium peculiarem domini ciuitatem furor semel hostium irruit : et cum iam ipsis portis exercitus propinquaret : sarraceni christiani nominis hostes apud sanctum Damianum inter loci terminos enormiter claustrum uirginum influxerunt . Liquefactis igitur ac potius arefactis præ timore sororibus æterni regis ancilla tanquam mulier uere fortis atque fidelis impauido corde se licet infirmam ad hostium duci iussit et ante hostes poni : præcedente eam capsella argentea intra ebur inclusa : in qua dominicum corpus honorifice seruabatur . Matre itaque sancta pro filiarum uirginum custodiendo pudore apud totius uirginitatis florem prolemque uirgineam gemitibus inenarrabilibus insistente uox quasi pueruli suauis et uiuax de ipsa capsa auribus eius asistentiumque sororum insonuit dicens : Ego uos semper custodiam : sed et ciuitatem istam quanquam debeat sustinere grauamina : meo munere uestraque interuentione defendam : Statimque ad tam mire uocis uirtuosum eloquium præclara uirginis facies immutata ingentis luminis claritate refulgens non paruam formidantibus filiabus præstitit fortitudinem : non modicum furentibus hostibus incussit horrorem . Nam illico canum illorum repres | sa deterretur audacia : et per muros quos ascenderant celeriter exeuntes orantis sunt uirtute depulsi . Nec multo post tempore obsidione ciuitatis Assisii dextere dei potentia dissipata ac toto dissoluto exercitu superbus dux belli qui temerario ausu iurauerat se inde nullatenus discessurum nisi capta uel reddita ciuitate : necessitate compulsus abscessit : ac etiam paulo post iusto dei faciente iudicio gladio interfectus occubuit .

Quadraginta duobus annis uirgo præclara in stadio iam cucurrerat altissimæ pau-

pertatis : et ecce ad brauium superne uocationis præcedente languore multiplici propinquabat . Vigore siquidem carnis in annis prioribus austeritati pœnitentiæ succumbente posteriora tempora dura occupauit infirmitas : ut quæ sana locupletata fuerat meritis operum : infirma lætior fieret meritis passionum : Cuius miranda uirtus qualiter fuerit in infirmitate perfecta : hinc maxime liquet : quod in uiginti et octo annorum languore diuturno non murmur insonuit : non querimonia : sed semper ab eius ore sanctum colloquium procedebat et actio gratiarum . Excrescentibus autem infirmitatibus cum propinquaret ad exitum : nulloque per decemseptem dies alimento suscepto : atnta† quod est dictu mirabile illis fuit diebus a domino fortitudine robora : ut omnes ad se uenientes in Christi seruitium confortaret . Egrediendi tandem de corpore proxima iam hora : sic animam suam fiducialiter allocuta est : Vade secura uade : quia bonum habes conductum . Cuidam ex sororibus sacris familiariter sciscitanti : cui sic loqueretur : et quid etiam tam attente respiceret : benigne respondit : Animam meam benedictionibus a domino præuentam alloquor et iam reginam angellorum et dominam præclara uisione contemplor . Vix sermonem compleuerat : et ecce quasi media noctis hora in uestibus albis turba ingreditur uirginum : quæ omnes aurea serta super capitibus : deferentes : unam comitabantur elegantiorem præ cæteris : ex cuius corona tanti splen || doris gloria refulgebat : ut noctem illam in diei lucem conuerteret : nullusque uidentium matrem ipsam fore domini dubitaret Quæ cum sacro illo uirginum cœtu procedens ad lectulum in quo sponsa filii decubabat : et amantissime se super eam inclinans amplexum strictissimum præstans : perferri iussit a uirginibus miræ pulchritudinis pallium : quo uirginis Claræ corpus honorifice texit : sicque disparens in cælestia se recepit . Circumstabant matris cubiculum filiæ quam citius orphanæ futuræ Interea secus exasperante dolore q† transierat ac nimis exuberantium lachrymarum imbre copioso perfusæ : inter quas Agnes deo deuota ipsiusque germana primaque in omnis perfectionis itinere socia lachrymosis præ aliis laborabat singularibus . ne se derelicta discederet : ut quemadmodum simul Christo connupserant : sic etiam simul ex hac uita migrantes cælestem patriam introirent . Ipsa uero hylari facie ac suaui sorores demulcens alloquio : nolite inquit flære : nolite turbari : quia magnam consolationem facturus est uobis deus : Et tu mihi carissima soror Agnes ne feras . discedo : moleste : quia sic placet altissimo et tu iuxta quod mente desyderas post modicum me sequæris .

Igitur anno domini Milesimoducentesimoquinquagesimotertio in crastino beati Laurentii anima illa sanctissima premio laureanda perenni e carnis ergastulo egreditur : temploque corporis iam soluto ipsa feliciter migrauit ad astra . Paucis interiectis diebus Agnes ad agni nuptias euocata sororem Claram iuxta quod ei ab eadem dum adhuc uiueret prophetica fuerat reuelatione prædictum : ad æternas delitias subsecuta transiuit . nbi† ambæ syon filiæ . natura gratia et regno germanæ deo sine fine iubilant . Desolatis ex hoc remanentibus filiabus pro tantæ matris abscessu expectantibus consolationem a deo iuxta promissum ipsius supernæ fulgor miserationis infulsit . Cœpit enim illico præclarissima uirgo Clara miraculorum corruscare prodigiis : dum ad ipsius | deuotam inuocationem dæmones ex obsessis eiiciebantur corporibus et ægritudines uariæ curabantur : et claudis gressus : cæcis uisus : dementibus et uesanis discretio reddebatur ac sensus . Non nulli etiam paruuli ex Assisii comitatu uirginis nomine fiducialiter a matribus inuocato luporum de faucibus et dentibus sunt eruti . Inualescente peste tunc temporis in finibus regionis illius ad præuaricantium hominum punienda flagitia data tam piæ matris iam cum Christo regnantis interueniente suffragio mirabiliter effugatur . Et si difficile omnia quæ eius meritis dominus mundo fecit mirabilia recensere : unum tamen de pluribus adiiciendum putaui . Iacobus enim cui cognomentum erat filius Spoletinæ annos decem cæcitate laborabat . ducem itineris sequebatur : nec sine doctore quippe qui præcipitia timens : audebat ambulare . Hic cum iuxta pontem Narniæ quadam nocte dormiret : apparuit ei matrona in somnis dicens : Iacobe quare tu ad me non uenis Assisium et liberaberis . Horum igitur et his similium operum mirandorum fama crebrescente ueridica et ad summum perlata pontificem dominum Alexandrum totius religionis amicum et fautorem qui in uirgine santitatem† precipuam dum uixisset experientia certa cognouerat post inquisitionem legitimam et examinationem diligentem uirtutum : quas in sponsa sua pius ac iustus dominus de excelso monstrauerat : ipsam de

omnium fratrum suorum ac prælatorum tunc in curia romana præsentium concordi consilio et assensu duxit sanctorum catalogo sollemniter ascribendam . Clara itaque dum clareret meritis etiam in abyssum absorta foret perpetuæ claritatis præclarioribusque a die exitus sui usque in præsentia miraculorum prodigiis corruscare non cessans luce clarius manifestat : quod qui paupertatis obedientiæ castitatisque uotum perfecte seruauerit tanquam totius summam perfectionis euangelicæ ad claris contuendam obtutibus interducentur superne gloriæ claritatem . Intercede itaque pro nobis oramus ad Christum paupercularum pia mater || et socia uirginum : ut regi gloriæ mitilantium† acies quas tuis sacris meritis precibus et exemplis ad salutarem attraxisti pœnitentie gemitum perfecteque iusticiæ normam : tuis etiam fauorabilibus presidiis post te trahas ad gaudium et gloriam sempiternam . Quo nos perducat rex noster et dux Iesus christus crucifixus : cui cum patre et spiritusancto est omnis honor et gloria per infinita sæculorum sæcula .

EPITOME VITAE BEATAE CATERINAE DE SENIS PER FRATREM THOMAM EIVSDEM CIVITATIS ET ORDINIS PRAEDICATORVM .

Fuit uir in ciuitate Senensi nomine Iacobus Benencasa uxorem habens nomine Lapam ciuitatis eiusdem : ambo genere licet popularium satis laudabili præcipuæque honestatis et famæ Fuerunt in eorum cognationibus qui ciuitati regendæ præessent . Præcipue uero Iacobus uir erat singulari patientia : ut si quempiam forte audiret imprecari mali quicquam etiam aduersariis : bene tibi sit dicebat : ne turberis queso et que te loqui haud decet ne dixeris . Cumque uxor quemdam eos iniustissime uexantem ægro animo ferret : eam Iacobus modeste ita redarguit : Sine carissima quod bona dies sit tibi : deus enim ei ostendet suum errorem : nobis uero pius defensor erit : quod et secutum est . Multa quoque honestate domus eius pollebat . nam cum Bonauentura eius filia tradita nuptui in domo uiri : tam ab ipso : quam a sociis inhonesta quædam audiret : et quæ in domo paterna non audire consueuerat : summa animi molestia ægrotare cœpit : sic uiro suo dicens : noueris : quod si huiusmodi scurrilitas ab domo hac non auffertur : cito me defunctam uidebis : quibus auditis uir tam de illius quam de parentum probitate ædificatus : longe sese inter loquendum continentiorem reddidit . |

De ortu et infantia uirginis .

Cum autem Iacobus ex uxore plures filios genuisset : Caterinam etiam anno domini . M . CCC . quadragesimoseptimo procreauerunt . hæc genitricis propriæ lacte nutrita est : deinde cum usu linguæ fungi cœpisset : omnibus amabilis atque gratiosa reddebatur : Delectabantur omnes non omnino absque prudentia uerba eius audire castigatisque moribus infantilis ætatis moribus . in præsagium futurorum admodum delectabrntur† . ex quo a pluribus Eufrosyna nuncupabatur Anno uero ætatis tertio non tantum ante figuram gloriosæ uirginis Mariæ uerum et in gradibus scalarum tam ascendens quam descendens : aue Maria flexis genibus singulo gradu exprimebat : sexto autem anno ea de domo Bonauenturæ germanæ redeunte : in aere supra ecclesiam fratrum prædicatorum in urbe Senis saluatorem nostrum in throno indumentis papalibris† insignitum : cui comites erant apostoli : corporalibus defixis in eum oculis uidit : uicisimque saluator ipsam intuens atque subridens eleuata manu signo salutifere crucis ei benedixit : Qua uisione percepta de uita sanctorum patrum et præcipue beati Dominici diuinitus edocta menti suæ tantus ardor inhæsit : quo ipsos efficaciter imitaretur : ut alia cogitare non posset . unde cæteris omissis non solum secreta loca querens : se meditationibus : orationibus disciplinis atque abstinentiis . sed etiam ad idem uerbo et exemplo puelas alias inducebat : illas affectuose docendo : aue Maria Pater noster et huiusmodi frequentare : in præsagium futurorum per ipsam ad dominum conuertendorum . Inter hæc autem ocurrit aperte quod dum aliquando uirgo

scalas paternæ domus ascendebat uel descdeenbat† per aerem intactis gradibus uisibiliter efferebatur præcipueque dum præsentiam effugere marium peroptaret . Existimatum est autem hoc euenisse ex deuota con || suetudine qua uirginem matrem quam salutare consueuerat in eo loco ueluti dei genitricis cultrix præcipua . Deinde cum affectaret uitam heremiticam imitari mente puerili decreuit unicum panem in sinu portare : sicque domum et ciuitatem exiens unam tandem speluncam inuenit : qua uisa iuxta quod optabat iam heremum existimabat inuenisse : ubi cum orationi uacaret : a terra quantum altitudo speluncæ permisit eleuata stabat . cumque hora nona deponeretur ad terram : intellexit aperte : non esse diuinæ uoluntatis quod uitam eiusmodi persequeretur . Cum autem a ciuitate longe distaret seque solam esse cerneret : se orans deo commendauit . nec mora . uirtute diuina factum est : ut ante portam ciuitatis inueniretur : et hæc omnia secum tacens rediit : existimante matre eam de domo sororis eius nuptæ reuertisse .

De uoto uirginitatis per eam emisso .

Adeo efficax uirgini prima uisio fuit : ut solus amor Iesu christi eiusque sanctissime genitricis cor huius puelle totum possideret . Itaque a spiritu sancto edocta : cogitansque quantum puritas Iesu christo placeret : quatenus pariter eius gloriosa mater prima fuerit quæ et uitam inuenit uirgineam et uirginitatem deo deuouit . Quare cum eadem dei genitrice mediante uirgo Caterina septem annos attigisset : mente decreuit uotum uirginitatis offerre deo : ut et illi et eius beatissime genetrici gratior efficeceretur†. Itaque in secretiorem locum sese recipiens : oratione prius fusa solemniter uotum ipsum emisit : et uirginitatem illibatam Iesu christo et eius amantissimæ matri seruare promisit : Et quanquam adhuc eo eo† tempore caro spiritui minime rebellaret : attamen usum a se carnium abstulit : disciplinas continuabat atque multiplicabat : tam si solitaria quam etiam si cum puellis sodalibus esset . Porro si quos uirgineo zelo succen | sos esse animaduerteret : imprimisque beatum dominicum : eos summopere emulabatur . Cum uero solo domino reuelante : ipsum beatum dominicum propter eiusmodi zelum ordinem suum instituisse scisset : si quando fratres illius coram hostio domus suæ transire uideret : consyderabat ubi pedibus terram pressissent : et illam postea reuerenter osculabatur : deinde affectabat ueluti altera Eufrosyna : cui nomen ioco ei fuerat appositum : se fingere masculum : et in loco incognito prædicatorum sicuti illa inter monacos uixit : ordinem intrare ut hoc pacto more fratrum prædicatorum prodesse pereuntibus animabus posset Et licet domino aliter ordinante uirgo desyderium suum explere minime potuisset : zelus tamen eius diuina caritate succensus admodum fructuosus fuisse : ut in sequentibus apparebit : probatur . Stupebant itaque parentes cæterique præcipuam in ætatæ tam parua sapientiam consyderantes . contigit aliquando ut audita missa ad quam : cum decimum annum ageret : mater audiendam eam miserit : ut reuersa matrem maledicentem audisset : ea uero prudentia matrem arguit : et admonuit : ut auditenibus† omnibus nedum parentibus suis fuerit admirationi .

De feruoris remissione quem illi deus permissit et de forti patientia ad iniurias et quincuplici† uictoria prouide relata .

Post admirabilem ipsius annorum primorum cursum : annum iam agens duodecimum : et in domo more patriæ reclusa staret : parentibus ignorantibus uotum eius : et de marito congruo uirgini comperiendo cogitantibus : mater ut fit laborat iam nubilem filiam operam cultui corporis dare . recusat filia uotum adhuc tegens : atque aptiori tempore publicandum reseruans . proinde mater illam ad Bonauenturam sororem a uirgine ualde dilectam mittit : eo consilio : ut eius ingenio et amore : Caterinæ ut se ornet persuadeat || quod ita etiam impetrauit . Cum deinde Bonauentura periclitaretur ex partu : et uirgo eius angustias consyderaret sic in confessione de eiusmodi ornatu se ream accusauit : ac si peccatum grauissimum commisisset : licet ipse confessor aut nullum peccatum aut saltem leuissimum fuisse iudicaret : Quare uirgo ad Magdalenæ se contulit pœnitentiam : atque ita de hoste iterum triumphauit . Hæc autem hostis aduertens tertio loco parentes incitat : et tanto magis : quanto ex quo

nupta filia iam decesserat : acquirere parentelam aliam auidius affectabant : quod uirgo animaduertens orationibus aliisque sanctis exercitiis armauit sese . Hæc ubi parentibus innotuere : unum religiosum fidum ut ad consensum ipsorum uirginem inducat ei dirrigunt : qui reperto tandem proposito sancto suasit : ut illud efficaciter omnibus ostendat crines imprimis abscidendo† : Quod illa statim executioni mandauit : ex qua re quintum acrius bellum aduersus puellam insurgit : quia conuenientes omnes domestici pariter ipsam omni libertate priuauerunt quin et omnibus uilibus exercitiis sine contumelia deputauerunt . Sed illa cælitus edocta primo cellam mentalem quæ sibi auferri non posset instituit . uidelicet in cognitione sui : tanquam in tutissima cella quottidie residere deliberans tam per actualem affectionem diligendorum quam etiam per actualem retentionem recordandorum . Siue fingendo se superius habere pro tecto cælum : inferius pro pauimento terram : pro parietibus a parte anteriore Iesum christum crucifixum cum uitis atque moribus sanctorum : pro parietibus a posteriore parte maxima beneficia recolenda et peccata detestanda : pro parietibus dextris prosperitates cum temperantia moderandis : pro sinistris aduersitates cum patientia tolerandis . Secundo sibi fecit meditationem aliam ut patrem tanquam Iesum christum : matrem ueluti dei genitricem : germanos uero ut apostolos existimaret . Tertio uero si quando facultas dabatur : in Stefani germani sui : quæ aperta stabat : cameram | se recolligebat : Ibique deum humiliter cum sancta Cecilia orans dicebat : Fiat domine cor meum et corpus meum immaculatum ut non confundar . Et ita roborata in dies amplius firmabatur : et in domino proficiebat : adeo ut germani uidentes in uirginem constantiam inter se dicerent : uicti sumus . Pater uero cæteris innocentior iugiter aduertebat amplius filiam a spiritusancto dirigi .

De alia uictoria mirabiliter per uirginem contra persequentes habita .

Interea dum hæc agerentur contigit orante uirgine in antedicta camera forte patrem ingredi : uiditque supra caput eius columbam se ingrediente inde euolantem : Cumque filiam interogasset : quænam illa columba fuisset . et uirgo se nescire respondisset : Pater amplius admiratus : cum idem etiam aduertisset : exiens inde secum quod uiderat conferebat . In quo etiam tempore cum innouaretur in mente uirginis desyderium sumendi habitum beati Dominici : tam ut uirginitatem suam seruaret quam ut molestiam maritare eam uolentium euaderet . Atque etiam ut amplius per obedientiam mereretur : amoremque quo erga beatum dominicum longe afficiebatur : assidue deum orabat : qui deinde tali eam est uisione consolatus . Videbatur quidem sibi plures patres diuersorum ordinum institutores coram se præsentari : quos inter beatus dominicus aderat : librum altera manu ardentem absque combustione tenens : altera habitum quem pro religiosis mulieribus instituit . Cum autem a prefatis interogarretur† : quem ordinem uellet eligere : illa protinus ad beatum Dominicum gressus dirigente oculos pater Dominicus uirgini admouens sic allocutus est . Forti animo esto dilectissima filia . certissime sicut optas hunc habitum indueris . Quare illa deo gratias : et ipsi beato Dominico ob talem promissionem egit . Ita ut in sancto proposito confirmata : uotum uirginitatis cunctis propalare deliberat : pro || pter quod ipsos aduocans sic est eos allocuta . Per plura potuistis indicia uoluntatem meam compræhendere : nec ob reuerentiam qua dei iussu parentibus teneor : hucusque eam uobis declaraui . Nunc uero scittote me ab infantia uotum uirginitatis emisisse quod hucusque ita est in mente mea firmatum : ut facilius saxa molliri : quam cor meum ab sancto hoc proposito reuocari . Vnde contra tale uotum nullo pacto disposita sum uoluntatem uestram imitari : cum deo magis quam hominibus obedire oporteat . offero me tamen in cæteris uobis obsecuturam : si modo me sic habere uelitis . Sin autem sponsum habeo amantissimum qui plenissime mihi necessaria ministrabit . Quibus auditis omnes animo cunsternati† sunt : ut potius flære possent : quam aliqua respondere . Tandem aliqua post moram his ei pater orsus est . Absit a nobis amantissima filia : quod uoluntati diuinæ propositum sanctum tuum quod longa experientia didicimus : uelimus quidquam opponere . Quare decætero libere uota tua prosequaris : ut a spiritusancto fueris edocta . Prohibuitque : ne filiam suam aliquis quomodolibet deinceps preter opinionem suam molestaret : cogitans per uirginem filiam domino desponsatam

parentelam longe excelentissimam acquisiuisse : propter quæ huberes gratias tam æterno sponso quam parentibus humiliter uirgo retulit .

De austeritate pœnitentiæ .

Parentum itaque obtenta uenia camerula in qua corpus affligeret elegit : at quanto ardore ipsa uultus sponsi sui quæsierit enarrari uix potest . De ridigitate† primo quantum ad uictum sciendum uirginem carnes etiam ab infantia raro sumpsisse : quas a se prius ea penitus abstulit : seque ad esum tantum panis crudarumque hærbarum ex toto reduxisse . Anno igitur ætatis eius uigessimo uel circa : et deinceps hærbarum succo utebatur . Vinum autem ita lymphatum accipiebat ut pene uini sapore careret . Illud a de | cimo quinto uitæ suæ anno : et consequenter ex toto reliquas inedias plurium dierum alacriter sustinebat : neque id quidem absque miraculo : ita ut illa ipsius austeritas nemini imitanda uideretur . uestes ei ut erant lanis absolute : unaque tantum tam hyeme quam æstate tunica tegebatur . usamque quandoque aiunt cylicio : quod in cathenam ferream postea commutauit . Tamen sanctum Dominicum plenius imitari desyderans : ter se quottidie disciplina affligebat ipsum sanguinem usque ad pedes emittendo . Vidi autem ego cathenam unam : et unam eius disciplinam sanguine madidam : quendam etiam circulum ferreum satis latum et crassum . stratum habebat tablis† tantum conpositum : et pro ceruicali lignum absque rei alterius additamento subiacebat . Vix intra duos dies una dormiebat hora : ac si tota uigil de deo semper locuta fuisset : deque diuino colloquio refrigerium singulare sensisset . Ad tantam uero tenuitatem ex priuatis austeritatibus adductum eius corpus est : ut in obitu repertum sit umbelicum eius renibus adhæere† cum ab ineunte puelari ætate duplæ dicitur fuisse latitudinis : quam postquam uigintiocto annorum fuerit : ut uere dicatur : temporibus eius similem ei minime inuentam fuisse .

De uictoria quam habuit in balneo et qualiter habitum beati Dominici suscepit .

Sancta uirgo Catherina ut habitum diu desyderatum et a beato Dominico ei promisum induere mereretur : assiduis orationibus hinc dominicas aures pulsabat : inde parentes ad illum habendum importunis etiam precibus inducebat . Quod cum matri minime gratum esset : uirginem duxit ad balnea . Illa uero modum excogitauit ad uota sua ut optabat quantocyus prosequenda : ita ut amplius in huiusmodi delitiis quam domi otiosa affligeretur Simulauit enim se cupere balneari ex quo pleniorem a matre facultatem haberet in balneo remanendi : uirgineum corpus in canali || exponens feruentiores aquas sustinebat : quibus magis affligeretur : quam cum se ferrea disciplina uerberabat : cumque post a confessiore† interrogaretur : quonam pacto feruores eiusmodi sustinere illesa potuisset : respondit : peccata sua purgatoriique ac inferni† pœnas consyderantem se facile aquarum illarum ardorem tollerasse : Cum uero rediret a balneis : fertur oculos nunquam corporeos sustulisse : sed quasi : a sensibus abstracta penitus iter ipsum transegise . Reuersa dehinc et in solitis exercitiis occupata : matrem : ut supradictum habitum concederet : precibus importunis pulsare non destitit . Illa uero dissimulante : contigit uirginem infirmari . Quo facto dixit ad matrem Caterina : obsecro mater : habitum quem tanto opere induere opto : absque dilatione tradi mihi iubeas . Sin autem extimo : quia nec in illo : nec in alio habere me poteris : quibus auditis Mater : beati Dominici sorores ut ad eam uenirent impetrauit . Cum itaque accessissent : eiusque ardentissimum cognouissent animum : decretum est in earum collegio Caterinam admiti debere : quo facto : ex infirmitate mox conualuit : habitumque a beato Dominico promissum in ecclesia ordinis prædicatorum Senis ingenti gaudio suscepit .

Qualiter ei credenda sunt quæ suis confessoribus reuelabat .

Licet uirgo sacra præfatum habitum assumendo tria principalia uota non emiserit : eo quod ille status ita† non includit : attamen ea omnia plene seruare proposuit . Nam de uirgintate† patet : quam ab infantia usque deuouit : obedientiam tanta perfectione

seruauit : quod in obitu suo dixit : aperte se non recolere obedientiam unquam offendisse siue præterisse : paupertatem quoque non modo in persona seruauit propria : uerum et omnibus qui paternam domum incolerent efficaciter impetrare curauit : Optans atque promittens eis æterna bona : et non temporalia plena periculis . Cæterum se uidens habitu religionis indutam : semetipsam alloquæbatur : et tam habitum quam significationem | eius ad sui memoriam adducebat : Quoque pacto cerimonias obseruaret : necnon et iter suum prosequi per uiam arctam opporteret : unde silentium continuum per triennium obseruauit : excepto cum ad ecclesiam iret aut confessorem alloquæretur . Ad cibum in ipsa cæla semper prius efusis lachrymis accessit . Vigilias autem usque ad secundum matutinale signum protrahebat Cum autem ad chorum pro diuinis laudibus fratres prædicatores : quos germanos suos appellabat : et iuxta quos ipsa morabatur accesisse percipiebat : orando dicebat : Ecce domine fratres mei et serui tui nunc usque dormierunt : et ego pro eis egi custodiam coram te . nunc autem ipsi surrexerunt ad te laudandum . tu serua eos : et ego aliquantulum quiescam . Hæc uero cernens amantissimus sponsus eius cœpit illi non per angelum aut hominem : sed per semetipsum uirginem plene de iis quæ ei necessaria atque utilia essent informare : quod et confessori suo aliquando fuit protesta† : addens ipsas uisiones non modo imaginarias uerum quandoque corporales extitisse : ita ut uoces aure corporali percipere : cum uero in initio formidare cœpisset : ne aduersarii essent illusiones : qui in angelum lucis se tnansfigurate† solet : Eapropter apparuit illi dominus : ipsamque huiusmodi timore commendauit : eamque docens super ipsis uisionibus : Noueris ait tribus modis discerni posse diabolicam uisionem a diuina : primum per diuinam inspirationem : deinde per timidum principium consolatoriumque successum : quo ad uisionem bonam et e conuerso quo ad malam : sicuti de uia dei siue paradisi et perditionis contingit : Quarum prima in principio uidetur arcta : in processu uero lata . Secunda e conuerso . Tertio loco per humilitatis signum : quo ad primam : et superbe atque proprie reputationis quo ad secundaam†. Cœperunt autem ex eo tempore uisiones sic a domino multiplicari : ut quasi continue cum eo conuersaretur : non solum in sanctis exercitiis constituta : sed etiam dum cum hominibus lingua corporea loqueretur et erat cum Iesu christo . Et inde sequeba || tur in ea mirabilis a corporeis sensibus abstractio quæ dicitur extasis . Cum autem ultimus eius confessor de reuelationibus eximiis uirgini factis hæsitaret : atque per hoc optaret insolitam de suis excessibus contritionem obtinere : meritis huius alme uirginis : in signum ueridicæ sanctitatis eiusdem : non solum mirabili modo illud obtinuit : uerum etiam signum aliud ualde mirabilius reportauit . Cum enim post hæc uirgo magnifica quædam ipsi confessori narrare contigisset : et ipse tunc immemor iam habitæ gratiæ de narratis per uirginem dubitaret : aspiciens in eandem : uidit eius faciem illico transformatam in effigiem Iesu christi eum conspicientis : Et cum ob hoc exclamaret : oh quis est : qui me respicit ? uirgo respondit : Ille qui est . Quo dicto facies illa disparuit . Ipse uero confessor deinceps omni dubitatione postpossita de sanctitate uirginis ultra non dubitauit .

Non multo post ostendens sese deus catherinæ uisibiliter . Scis ne inquit dilectissima filia : quæ tu es : et quis ego sum ? Si ista duo bene noueris : Tu enim es illa quæ non es . Ego uero sum : qui sum . Si noticiam istam habueris in anima tua : nunquam te decipere poterit inimicus : omnesque laqueos eius euades illæsa . nunquam acquiesces alicui rei contra mandata mea : omnem gratiam : omnem caritaem† omnemque uirtutem absque difficultate conquires : Si quidem de nihilo facta est creatura : sibique relicta redit in nihilum : per se tendit in peccatum : quod nihil est . Per se nihil omnino boni facere aut etiam excogitare potest : ex quibus merito dicitur esse illa : quæ non est . Sed quia deus est fons totius esse : ac independens esse : ipse solus est : qui est : Quo a creatura cognito beata censetur : cum essentialiter in cognitione dei beatitudo sua consistat . hoc etiam ipse deus alteri Caterinæ dixit in carcere existenti . agnosce filia creatorem tuum et reliqua . His ergo datis omnis deceptio siue cuiusuis culpæ laqueus euaditur inimici . Nanque inflatio superbiæ : qualiter propriam gloriam queret : aut irasce | tur contra proximum : uel inuidebit eidem uel audebit externa dicere sua : siue delectabitur uel culpabitur in creatura : siue circa diuina quomodolibet marcescet habita proprie nihili noticia ? Proinde quis mandatis dei non se sponte subiiciat siue non ei agat gratias : atque illum diligat a quo cuncta sibi data : necnon etiam danda recognoscit ? Quis insuper prudentiam qua ipsum summum bonum eli-

gat : fortitudinem qua pro ipso summo bono concta sustineat : Iusticiam qua declinet a malo et ipsum bonum sequatur : atque temperantiam qua passiones moderetur ineptas : agiliter non eliciat ex præfata noticia? Etiam aliam doctrinam deus uirgini dedit et ait : Filia cogita de me : quod si facies : incontanter ego cogitabo de te . Adiiciens pro huius doctrine declaratione : ut omnem aliam cogitationem a corde suo excluderet : et cogitationem de ipso tantum modo retineret . Et ut ita faceret : nec alia solicitudo respectu hominis utriusque uirginem ullo modo retineret addidit : Et incuntanter ego cogitabo de te : quandoquidem : ego sum : qui scio : possum et uolo tibi plenarie prouidere . Vnde uirgo deducebat qualiter ex quo anima est dedicata deo : in nullo de seipsa debet esse sollicita : sed solummodo qualiter ei placere : cui se dedit . Hoc uero maxime sinceri amoris affectu et non præmii : quod non est propter aliud appetendum : nisi quatenus nos unit nostræ perfectionis principio : propter quæ mos erat uirgini suis dicere cum de aliquo timeretur periculo : Quid habetis uos facere de uobis? unde aliquando in mari multo periculo cum suis existens : consimilibus se uerbis confortauit : et miraculo duplici a naufragio liberauit : Nimis enim alte uirgo de diuina prouidentia sapiebat : de qua tam in suo libro quam in suis epistolis mire disseruit . Verum ad hæc aliam doctrinam uirgo recepit a domino : etiam ex prima deducibilem in hunc modum : anima etiam quæ uere deum diligit : neque se neque creaturam aliam uidet uel diligit : siue memoratur nisi deum : siue de deo : et hæc quasi ui || det se et omnem creaturam nihil esse : et totum bonum esse in deo : propter quod se totaliter immergit in deum : et nihil uidet nisi deum : Sicut qui se totum in mare mergeret nihil uideret uel tangeret nisi aquam siue in aqua . siue per aquam . Et in hoc aiebat uirgo stat uera dilectio tam dei quam sui et omnis alterius creaturæ : unde concludebat animam tantum habere ex odio sancto respectu sensitiue partis quantum de dilectione dei : eo quod ex tali dilectione procedit odium culpæ et offensæ diuinæ : quæ originem habent a fomite radicato in sensitiua parte : propter quod illum eradicare qnærit† et ex uirgine : sed quia totaliter non ualet : resultat odium et contemptus sui : ex quo sequitur ualde mirabilis animæ profectus et uigor : de quo dicit apostolus : quod cum infirmabatur : tunc fortior erat . Quare subdebat uirgo cum sancto feruore spiritus : O bonitas æterna dei quid fecisti ? Nam ut euidenter apparet : ex culpa uirtus procedere uidetur . Ex offensa placatio : et ex displicentia complacentia magna . Per hæc itaque tam suis quam etiam confessori post detestationem amoris proprii et commendationem odii sancti iam dicti concludebat : qualiter eradicato de corde amore proprio et in eodem odio præfato inserto infallenter uia regia proceditur et ad omnem perfectionem ascenditur omnisque defectus corrigitur .

De mirabili uictoria temptationum carnalium per aliam doctrinam a domino traditam : Et de inaudita familiaritate quam cum eo contraxit .

Erecta per Regem pacificum ista uirgine supra fundamentum doctrinæ sibi a Iesu christo tradite tanquam turri libani superbiæ rex atque pacis hostis suum aduersus illam mouet exercitum : ipsamque satagit demoliri . contra quem inspirauit ipse deus menti uirginis : ut ab eo donum fortitudinis præcipue cum instantia peteret . Quod cum diebus pluribus uirgo petisset : uolens exaudire : his eam allocutus est : Filia si uis fortudinis uirtutem excellenter adqui | rere : oportet ut me coneris imitari : qui et si hostem indubitanter debellare potui hoc tamen agere nolui nisi per uiam crucis : ad quam proposito mihi gaudio confusione contempta cucurri : ut tu me sequens in passionibus : atque pœnas in refrigerio explens tam in gratia quam in gloria mihi consimilis esse ualeas : Vnde filia dulcia pro amaris : et amara pro dulcibus accipe propter me : nec aliquid ultra formides : quoniam aduersus omnia fortis eris . Quod uirgo totum ita lætanter et affectuose recepit : ut nulla re refrigeraretur magis : quam passionibus : quod apertius infra patebit Virginem itaque admonitam ab hostibus eam impugnari permittit : Qui simul attemptantes a fundamentis illam euertere : bellum triplex : quorum quodlibet trisulcatum erat admouent : primum quidem illi admodum molesti facti sunt : tam per importunas molestissimasque cogitationum immissiones siue temptationem carnalem dum uigilaret : quam per illusiones diabolicas cum dormiret : Contra que uirgo Cathena ferrea corpus atque carnem asperrime usque ad sanguinis effusionem macerabat : atque præter solitum uigilias augebat : ita ut quasi somno

penitus excluderetur . hostes hic uirgini secundum ingerunt bellum ut pote imagines dæmoniorum multiplicantes : qui ei se compati multipliciter prætendentes ut conatus omnes quos uirgo cœperat omnino relinqueret : dicentes : quia non solum ei erit difficile sed impossibile cœptam uiam prosequi . At uirgo sacra semper orabat nec quidquam respondebat : nisi quod cum dicerent impossibile esse ista prosequi : Ego inquit non in me sed in domino nostro Iesu christo confido : quam cautelam uirgo pstmodum† alios instruxit exemplum de muliere casta adducendo : quæ cum adultero colloquia non admittit . Quo cauetur ne anima prudens cum hoste quidem astutissimo quomodolibet uelit disputare : quod ubi hostes aduerterunt : atrocius tercium bellum contra ipsam ineunt imaginibus uirorum mulierumque turpiter se commiscencium . emitentium uoces : per quas ad huiusmodi fla || gitia uirginem incitarent . Quibus bellis addebatur alia perplexitas cum more solito sponsus uirgini non appareret : ita ut consolatione priuaretur : angustiisque undique circumsepta esset . Tamen ipsa contra duo prima uiriliter se atque inuicta patientia muniuit . ne exercitia sancta quibus consueta erat omitteret : uerum ea augeret potius : qua quidem cautela multos postea instruxit . Asserens illam tanto magis debere seruari : quanto amplius contingit animam ex quauis causa tepefieri : uel quod peius est ad frigiditatem adduci : Contra tertium uero uirgo ut se muniret : orabat : ex quo aliqualiter illa dæmonum angustia mitigabatur . contra tristiciam uero de quarto domino docente se cum odio sancto tuebatur : uidelicet indignationis gratia modisque compluribus semetipsam obiurgando et uilificando atque ad exercitia pœnitentiæ consueta feruenter animando . post uero multos dies uirgo tandem operante spiritusancto meminit a domino datæ sibi doctrinæ : qua mysteria temptationum intelligens exhilarata proponit omnia læto animo perferre quam diu sponso suo placuerit . Quibus peractis dæmonum audacissimus uirginem ita alloquitur : Quid inquit es o misella factura : totam uitam tuam in hac miseria ducens? nunquam a tua molestia desistemus donec nostræ uoluntati consenseris . Cui illa : ego pœnas elegi pro meo refrigerio : quo fit ut mihi delectabiles et has et alias undecunque ueniant pœnas putem pro saluatoris atque sponsi mei nomine et honore : Quo dicto totus dæmonum conuentus confussus abscessit . nec mora . desuper apparuit lux magna : in qua Iesus erat ueluti crucifixus . Vocauitque : de cruce uirginem : et ait : Filia mea Caterina uides quanta sum passus pro te . non ergo sit tibi graue pro me sustinere . cumque post modum ipse Iesus in alia figura uirgini apparuisset : eamque dulcissime in adepto triumpho commendasset : ipsa sibi quasi cum Antonio dixit : Et ubi domine fuisti : quando cor meum huiusmodi turpitudinis uexabatur ? Cui illæ : eram inquit in corde tuo . Et cum ex hoc illa miraretur : adie | cit dominus : cum illis ualde magnam displicentiam atque mærorem habueris : hoc ex mei præsentia contigebat† : qui etiam obuiabam : ne cor tuum ex aliqua delectatione penetrarent : nec permittebam : ut illa nefanda siue diabolicas temptationum immissiones iuxta quod optabas explere posses : quousque pro maiori corona tua ita permittendum iudicaui . Ex quo uero gratia mea cohoperante libere corpus et animam obtulisti : ad patiendum pro me : ut uolui illico sublatæ omnes illæ infernales tempestates fuerunt . Tu quoque quia uiriliter egisti : maiorem gratiam meruisti acquirere : quare frequentius atque familiarius me tibi demonstrabo et appertius apparebo . Finita huiusmodi uisione uirgo admirabunda remansit dulcedineque repleta : et eo maxime quod audiuit a Iesu christo se filiam appellari . Exinde igitur uirgini modo sociatus modo solus ipse deus apparebat quandoque duorum relligiosorum more psalmos quos diuinitus ipsa didicerat in cælla cum Iesu christo decantabat . Si quidem orando tam legere quam orare miraculose didicit : unde auidius diuinas laudes persoluebat . In duobus uersibus uirgo præsertim delectabatur : eosque sæpissime freqentabat† : Deus in adiutorium meum intende et cætera . et illumina domine oculos meos : ne obdormiam in morte et cætera : Proinde meditationi uitæ Iesu christi eiusque doctrinæ singulariter erat adeo intenta : ut non solum se ipsam sed et alias ad illam intelligendum instrueret : Asserens quod ad percipiendum sensum uerborum Iesu christi nulla uia erat aptior quam inducendo se illo affectu : quo sunt ab eo prolata . Super his ergo ita feruenter et indefesse loquæbatur ut si iugiter auditores habuisset : noctes proculdubio duxisset insomnes . Cum deinde in perfectione contemplationis uirgo succresceret tam frequenter rapiebatur in extesim : ut uix orationem dominicam uoce exprimere aut perficere posset .

De mirabili desponsatione .

Crescente quottidie uirginis anima tam in gratia quam in uirtute succreuit etiam in eius mente desyderium || attingendi perfectum fidei gradum : quo sponso suo firmior et fidelior redderetur . Cumque cum discipulis assiduæ deum oraret : ut fidem augere sibi dignaretur et deus sibi aliquando respondisset : eam se desponsaturum in fide : contigit carnispriuii tempore uirginem omnibus abiectis delectationibus corporalibus orationem eundem humillime repetere : Cui deus apparens ait : Quia spretis a te cunctis ad carnis delectationem attinentibus : quibus alii gaudent : quasi per uniuersam ciuitatem : et in me solo tui cordis affectionem habuisti : ego desponsationem animæ tuæ mihi fideliter uniendæ sicut aliquando tibi promissi . hoc in tempore solemnissime celebrare decreui . Tunc apparuere gloriosa dei genitrix . Iohannes euangelista . apostolus Paulus et beatus Dominicus Caterinæ pater . Dauid quoque cum psalterio suo : quo suauissime pulsante beatissima uirgo Maria dexteram uirginis sua sacratissima manu suscipiens illiusque digitos extendens ad filium : humiliter ab eo postulabat : ut eam iuxta promissa sibi desponsare dignaretur in fide . Quod ipse dei filius gratanter annuit protulitque annulum quattuor habentem margaritas ac adamantinam gemmam ualde pulchram in sua sumitate conclusam : quem annulari digito dexteræ uirginis imponens . ecce ego inquit te mihi desponso in fide : quæ usque quo mecum tuas nuptias in cælis iucundissime celebrabis : semper illibata conseruabitur . Quare amodo filia fac absque cunctatione quæcumque mea prouidentia tuas adducet ad manus : quia fortitudinē† fidei iam armata plenariæ tibi cunctos aduersarios felicissime superabis . Cumque mox disparuisset : ipsa tamen uirgo semper ipsum annulum in suo digito uidere poterat . Quemadmodum ergo prima Caterina post infidelitatis uictoriam : ita et ista secunda post uictorias multiplices est a domino desponsata : et annulo sibi soli uisibili subarrata in signum non solum firmitatis fidei cum puritate uoluntatis intentionis cogitationis locutionisque et operis . sed etiam cum certitudine gratiæ confirmatæ : ut cum esset ul | tra consuetudinem aliarum mulierum a domino pro animarum salute dirigenda in publicum quemadmodum alii confirmati fuerunt ex alto : sic et ipsa uirgo sanctum exequeretur efficacius intentum : prout et actum est sicut in sequentibus aliqualiter apparebit .

Secunda pars in qua tractatur de conuersatione uirginis huius in publico . Et qualiter ostensa mundo sunt dona quæ in cella receperat .

Vox sponsi super cælestis sponsam ei dilectam et placitam alloquentis Aperi mihi sponsa et cætera . Quasi deus ei diceret ex quo te repleui dulcedine diuinæ suauitatis et in spirituali militia te per diuersorum prælíorum uictoriam exercui : multa doctrina ac donis excellentibus te dotaui : ne lumen sub medio† : et ne ciuitas occultaretur supra montem posita : sed aliis ostenderetur . Aperi mihi animarum hostia : ut uidelicet ministerio tuæ uitæ pariter et doctrinæ possim ad illas ingredi per gratiam : et salutem animarum ualeam adquirere : et tu cum usuris talenta tibi credita ualeas cumulare . Etiam uero post admirabilem desponsationem ipse decreuit dominus uirginem hanc ad conuersationem hominum in publicam : pro eiusdem augenda perfectione procedere : unde postquam apparuisset illi : atque de regno dei docuisset illam . et psalmodiam cum domino perfecisset : hora prandii adueniente dixit uirgini : uadas ad tuos : quia iam uolunt ad mensam ire : sisque cum eis deinde redito : quod illa percipiens et in singultuosos flætus erupit : et quasi cum sponsa de canticis dicebat : Expoliaui me tunica mea et cætera . Et cum ualde quærulosum uirgo lamentum egisset : ait illi deus : Sine quoniam ita decet implere instantiam : ut mediante mea et proximi caritatæ perfectiorem mihi te amplius uniam : Et huiusmodi duabus alis euolare possis ad cælum : ut uero deus ad hæc amplius eius animum inclinaret : inter alia sibi reduxit ad memoriam zelum animarum : quem habuerat ab infantia sua : et quonam pacto ob hoc ipsa fin || gendo se masculum ordinem prædicatorum intrare disposuerat : propter quæ tandem uirgo uoluntatem dei suæ præferendo cum beatissima uirgine Maria respondit et ait : O domine quomodo fiet istud : quod ego misella possim utilis animabus esse : cum iste sexus ualde contradicat : tum quoniam ad eum

docere non pertinet : tum quia contemptibilis est hominibus : tum etiam quia non decet eundem cum alio sexu conuersari : Cui dominus quasi cum Gabriele respondit : apud deum qui cuncta de nihilo creauit nullum uerbum est impossibile : nec etiam quemlibet modum inuenire . uerum quia noui quod ex humilitate loqueris : Ita noueris : quod his temporibus superbia et præsertim in litteratis abundat : unde sicut alias ego misi uiros idiotas mea sapientia repletos : ita nunc mittere decreui fœminas ignorantes atque natura fragiles mea tamen sapientia doctas in confusionem temeritatis eorum . Quare si doctrinam meam per uasa fragilia eis propinatam humiliter acceptabunt : agam cum eis misericordiam ampliorem . Sin autem proculdubio deducentur ad confusionem ualde maiorem . Igitur obedias humiliter uoci meæ : quia nunquam te derelinquam : imo more solito uisitabo . et in omnibus te dirigam et adiuuabo . quibus auditis inclinato capite uirgo cellam egreditur : et contigit ut cum suis æterni sponsi sui mandatum adimpleret : quibuscum residendo et corpore et mente cum cælesti sponso morabatur atque iucundabatur . Prandio finito statim ad cellam auidissime reuertitur . Ex tunc uero frequenter deliberauit uenerabile sacramentum eucharistie sumere ut non solum spiritus eius Iesu christi spiritui sed etiam corpus corpori perfectius sociare ualeret .

Videns uirgo sui sponsi esse uoluntatem : ut cum hominibus conuersaretur : excogitauit inter homines sic uiuere : ut iuste uiuens cunctis bene uiuendi esset exemplar . initium ab humilitate sumpsit continua corporali pœnitentia sociata : et caritate duce seruilibus .† cœpit actibus operam dare : cum uero | contingeret ancillam ob infirmitatem in cumbere : seruitium indefesse duplicabat . Ei namque seruiebat : atque loco sui cæteris de domo uices ancillaris officii rependebat : Quæ tamen exercendo præcipua sanctaque læticia continue uigebat miroque feruebat amore . unde quod est ualde mirabile : licet in talibus exterioribus esset occupata seruitiis : Nihilominus tamen ab æterni sponsi amplexibus impediebatur : quinimo sicut ignis naturaliter ascendit in altum : ita eius animus igne diuini amoris accensus ad supernum qui extesis dicitur continue rapiebatur excessum . Et quia spiritus eius in altum frequentissime raptus tanto impetu sæpius ascendebat : ut etiam post se corporis grauitatem attraheret . et altera tanquam Magdalena suspenderetur a terra . contigit autem in eiusmodi extesis initii ut cum aliquando in coquina uirgo ad assandas carnes occuparetur : et uerutum uerteret : raperetur in deum : quod cum eius cognata perpenderet pro ea suppleuit officium : ipsam ut erat propius ignem in extesi dimittens : Cumque fuisset pluribus ut fit occupata negotiis et dæmum ad coquinam redisset : uirginem inuenit super ignem qui copiosus erat concidisse . clamauit itaque heu quia Caterina igne combusta est uti uerisimiliter fuerit et eamque uiolenter ab igni subtrahens intactam flammis non læsam inuenit : quodque est ualde mirandum : nec ignis nec cinis ullum uel in ueste uirginea reliquit uestigium . Pro continuatione materiæ semel etiam ante ecclesiam fratrum prædicatorum cum uirgo feruenter oraret . ubi desuper accense candelæ stabant coram aliquorum sanctorum imaginibus contigit ex eis accensam super caput uirginis decidere : quæ super uelum capitis eius ardens : flammam retinuit quousque ceræ fomentum penitus consuptum† esset . Et neque tamen caput aut ipsum uelum uirginis ullo pacto offendit ne ullum quidem sui uestigium in uelo dereliquit . Præter hæc quandoque accidit aduersarium diuersimode uirginem uexare per ignem : quæ non modo illæsa semper erat . sed surri || dens astantes in domino his confortabat : Nolite timere : quia Malatasca fuit : Sic enim ipsa diabolum appellabat : eo quod ipse Malus saccus sit animarum : quibus satis constat aperte miraculum in uirginem tam trium puerorum quam sanctæ Euphrasiæ renouatum fuisse .

Cernens ulterius uirgo tanto plus effici gratiorem : quam se proximis ageret dæmentiorem cum pater ei concessisset . ut tam publice quam priuatim posset eleimosynas pauperibus iuxta suam discretionem atque conscientiam elargiri iuxta facultatem abundantius ipsis prouidebat : et præcipue familiis penuriam patientibus et erubescentibus eleimosynas mendicare . Quare cum aliquando uirgo ægrotaret : et toto corde tumefacta ualde grauaretur : auidius uiduam comicinam plures filios habentem multa uiuere inopia : quibus occulte subuenire desyderans a deo precibus desyderium suum impleri impetrauit : Nam in aurora surgens ex domo paterna recepit oleum uinum atque frumentum ponderis centum librarum sumpsit : omniaque hume-

ris suis domum uiduæ cum magna agilitate portauit . cum autem hostium eius in solito modo clausum reperisset cum silentio id ponderis deposuit : atque illico clam aufugit : disponente tamen domino se non ualuit tam celeriter proripere : quin ut alter Nicolaus non a uidua recognita non fuerit . Peracto uero caritatis opere in cœptam decidit ægrotationem . post uero cum in ecclesia fratrum prædicatorum ciuitatis Senarum pauperem eleimosynam ab se petentem uidisset : et nihil omnino præter argenteam crucem sita erat quæ inter pater noster haberet : protinus eam petenti tradidit . Apparens autem illi postea dominus . et crucem præciosis margaritis ornatam ostendens ait : Tu mihi hanc hæsterna die tradidisti : et ego promitto tibi : quod in die iudicii coram omni multitudine angelorum hominum illam ad tui cumulum gaudii tibi præsentabo . præterea cum in præfacta† ecclesia uirgo frequenter oraret : quidam pauper quasi nu | dus ætatis trigintatrium annorum uel circa petiuit ab ea uestem : quia frigore sicut asserebat affligebatur . Illa statim interiore ueste decenter ibidem exuta postulanti dedit : qua recepta dixit gratias tibi ago ait pro tunica hac quam mihi tradidisti . sed pannis lineis omnino careo : Et ipsa sequere me inquit amantissime : qnia† tibi libentissime prouidebo . Et extemplo domum ueniens de capsa quam uulgo camisiam uocant atque fœmoralia patris sumpsit : eaque illi tradidit . rursus instat pauper : ecce tunicam absque manicis a te recepi : sed ego brachia frigebo : Quare uirgo peroptans ei satisfacere : quærebat in domo tandem in pertica tunicam ancillæ et pendentem uidit a qua abstulit manicas et si alterius coloris essent pauperique dedit : quibus acceptis ei dixit : A te recedo bene consolatus : quia mihi prouidisti . sed habeo socium in hospitali decumbentem ualde pauperem . si mihi aliam pro eo tunicam dares : illam nomine tuo ei portarem : uirgo autem nihilo fastidita cogitabat quonam pacto ei satisfaceret : neque tamen unde facultas fieret uidebat : quia sola ancillæ tunica sibi remanserat : et si eam tradidisses† dubitabat ancillam id impacientius laturam esse : cui pauper satis inquit caritatem tuam noui ultra nolo te grauare . bene ualeas : quibus dictis ultra non apparuit ex quo uirgo mirata fuit . Nocte uero sequenti dominus in eadem forma oranti apparuit tunicam indutus in extimabili pulchritudine decoratam : et ait : heri me tanta liberalitate ista tunica uestisti : ut a me frigoris asperitatem effugares : et ego te nunc utiliter uestire decreui : Et extrahens a sacratissimo latere suo uestem sanguinei coloris undique radios emittentem mensuram scilicet corpusculi uirginalis : uirginem propriis manibus induit : et ait : ego nunc do tibi uestem istam inuisibilem quidem hominibus : tibi uero etiam sensibilem qua tam internis quam externis ab omni nociuo frigore ut non ignominia protegeris : quousque gloria et honore cum sanctis et angelis in cælo uestieris . Et ex tunc uirgo nunquam nisi solum || unam tunicam induit . hoc occulata fide cognoui multo tempore existens : nec intemperiem aut algorem unquam aliquomodo persensit : unde mirabamur omnes . Et ita uidentur in ista uirgine renouata sanctorum gesta Nicolai et Martini . Alio post tempore cum quemdam ægrotum uisitare decreuisset : oua complura sibi portabat in bursa tunicæ suæ consuta : Quæ forte ecclesiam in uia repertam intrans orare cœpit : et a sensibus omnino rapta contigit ad aliam partem inclinari corpusculum : ubi oua erant : quæ tamen in nullo pœnitus læsa fuerunt . Et ad euidentiam ampliorem huiusmodi miraculi notandum quod in eadem bursa cum ouis erat annulus cupreus latus et crassus iuxta morem quo sartores ad suendum uti solent : qui fuit ex grauedine corporis substentati : in tres partes aperte diuisus : ouorum uero imi cortices a uirgine illæsi manserunt . Porro cum uirgo pauperibus eleimosynam semper ex melioribus exhiberet : contigit ut cum copiam optimi uini pauperibus erogaret : meritis atque orationibus uirginis ita exauctum : ut uas ex quo uinum eripuuit† et uniuerse familiæ sufficere diebus uiginti consueuerat usque ad tertii mensis ingressum et pro familia et usu pauperum abunde durauit . ita ut admirarentur omnes unde optimi uini tanta copia præueniret . Miraculose enim et qualitate pariter et quantitate excreuerat . uirgo uero non ignorabat diuinum esse mysterium . Præterea non minus admirandum est quod aperto uase ipso tempore uendemiarum munda et defecata inuenta est quasi nullum in ea uinum multo ante tempore reconditum fuisset .

Admiranda menti huius uirginis inerat pauperum cura : maiore tamen pietate erga infirmos afficiebatur . Cum enim in ciuitate Senarum uirgo percepisset pauperculam nomine Cecham tam ob paupertatem quam atrocem infirmitatem ab omnibus esse

derelictam : amore sui sponsi se liberaliter illius obsequiis | obtulit : Ex quo caritati antiquus hostis inuidens : primam commouit infirmam ut morsibus contumeliisque sibi obsequentes repelleret . uirgo uero æquo animo omnia tolerans infirmam mansuetudine demulcebat et placabat : deinde conuertit ad matrem Caterinæ suadens illi : ut filiam ad leprosum accedere prohiberet : quandoquidem contaminanda esset : nisi desisteret : his uirgo constantissime respondit seruitium amore saluatoris cœptum contradicente conscientia nullo modo posse relinquere . Tertium bellum contra uirginem aggreditur : nam uidelicet manus eius mox lepra infecte sunt : ita domino pro illius ampliori gloria permittente . Illa tamen amore sponsi æterni corpus uelut lutum uilipendens quottidie non destitit leprose uacare seruitio : donec etiam propriis manibus eam in sepulcro collocauit . Vt autem clarissime sponsus eius omnibus ostenderet : quam gratum eius obsequium haberet : mox ut eam sepulturæ tradiderat : manusque aqua ablueret : non solum lepra mundate sunt : sed etiam apparuerunt longe quam antea pulchriores . In eadem ciuitate fuit Palmerina de pœnitentia beati Dominici hæc sathana suadente : cuius est antiqua consuetudo : electas escas ad deuorandum exquirere et inuidia stimulare : facta fuit uirgini tanta perfidia æmula : ut nec eius nomen audire pateretur sed quottidie pro uiribus ipsam clam et aperte detractionibus lacessebat eius odio : uirgo prius uerbis humillibus atque moribus gratiosis obuiare curauit : quibus omnino contentis uirgo se contulit ad impensius pro illa orandum : uerum cum ex odio Palmerina domino dispensante grauem ægretitudinem† incurrisset : uirgo omni affectu frequenter eam uisitare curabat : Illa autem facta obstinatior uirginem e domo iussit expelli cæterum cum Palmerina animæ et corporis morti miserabiliter propinquaret et id Caterina perciperet sese in oratione deuotissime prostrauit : inter cætera dicens : Amantissime domine mi supplico tibi pro salute sororis meæ nunquam enim anima mea consolaretur : si quoquomodo || causa forem æternæ damnationis alicuius animæ : cui debui esse causa salutis . Ait ei deus : Iustitia mea non uult ultra sustinere cordis eius affectatam obstinationem . Cui uirgo : nunquam a sacratissimo conspectu discedam : nisi misericordiam et optimam gratiam impendens isti dilectissimæ sorori meæ : pro qua parata sum portare quamcumque pœnam tuæ maiestati placuerit imponere . Quid plura ? tribus diebus indefesse laborauit orando pro ea . Interim autem infirma laborabat in extremis : miserabiliterque anxiabatur . mori non poterat : et uiuere non ei licebat . ex quo dominus uirgini hæc ait : Ecce suscepi faciem et affectuosam orationem tuam : daboque salubre lumen isti sorori tuæ : pro qua tu me rogasti : prout ipsa cognoscere poteris eam uisitando . Et ita factum est : quia uirginem quam prius abhorrebat multa caritate tractauit : culpam suam humillime accusans . Factaque confessione diligenter : atque perceptis ecclesiæ sacramentis : in pace quieuit . Post cuius obitum deus ostendit uirgini mulieris animam tantæ pulchritudinis esse : licet adbuc† eo tempore beata non esset : ut nullis uocabulis explicari posset : Asserens quod orationibus suis animam illam indubitanter acquisierat et adiecit : Quis non deberet uelle subire quemcumque laborem pro tam pulcherrima creatura saluanda ? Quare uirgo fiducialiter ab eo petiuit : ut idem etiam agnosceret in aliis : ut ita magis accenderetur ad ipsarum salutem procurandam . Cui dominus : quia spretis omnibus carnalibus affectibus mihi qui sum spiritus integraliter adhæsisti : et pro salute istius animæ tam uiriliter affectuose quam laborasti : Ecce do nunc animæ tuæ lumen quo poteris intueri pulchritudinem atque fœditatem ipsarum tam se tibi præsentantium quam absentium . Et ex tunc ita factum est : ut postmodum experientia manifeste docuit . Fuit etiam in dicta ciuitate Senarum alia mulier Andrea nomine quæ uitio effrænatissimæ linguæ laborabat . Cumque tam horribilem incurrisset infirmitatem : ut ab omnibus relin | queretur : intellexit uirgo eam sibi esse reseruatam : et mox pium opus aggreditur : non solum circa plagam et infirmitatem ei seruiendo sed etiam uictui necessaria ministrando : Quæ caritatis officia hostis attendens : omnibus uiribus impedire decreuit . Et primo stomacum uirginis ex illius hulceris intolerabili fœtore prouocauit ad indignationem : quod ut uirgo persensit contra se mox in sanctam exarsit iracundiam inter alia dicens : uiuit deus : quia ita non pertransibis impune : statimque naribus et ore fœtentissimo hulceri feruenter in hessit : imo tota facie desuper in cubuit : Et quanquam infirma alta uoce clamabat : filia cessa : neque temetipsam inficias : tamen inde nisi prius hoste perfecte superato surgere noluit . hostis uero quod contra uirgi-

nem prævalere nequiret : irritauit infirmam : ut impatientissime uerbis mordacibus et uenenosis seruienti diuersimode contumeliaretur : præcipue autem quoniam uirgo sanctis orationibus occupata ad eam hora consueta non redibat . Et hoste suadente ad tantam insaniam adducta est : ut eam etiam apud sorores de inhonastate† fallaciter infamaret : A quibus interrogata cum improperio illa uelut humillima non aliter excusabat uel inde turbabatur : nisi solummodo dicendo : uere sorores amantissimæ uirgo sum : atque seruitium infamatricis suæ cum omni dulcedine caritatis : ac si boni quidquam inde percepisset indefesse prosequitur . Se tamen ad orationem conuertens ait inter cætera : dulcissime sponse tu nosti teneram esse uirginis cuiuscumque famam : etiam optime nosti : quod hæc omnia confixit ille mendacii pater : ut a seruitio quod amore tuo cœpi me retrahat . Adiuua me deus meus : qui scis innocentiam meam . hæc atque similia dum orando flæret : apparuit ei saluator habens in dexteram coronam auream pretiosis margaritis ornatam : et in sinistra spineam coronam et ait : elige quid uis . si nunc elegeris auream : spinæ tibi reseruabuntur . si uero spineam : postmodum indubitanter habebis auream . At illa respondit : Absit a me domine : quod am || bulare uelim nisi per uiam sanctissimæ crucis . Et his dictis utraque manu spineam coronam affectu magno recepit : capitique suo adeo feruenter impressit : ut postea finita uisione per multos dies etiam corporaliter in capite propter spinarum puncturas grauem ad modum sentiret dolorem . Incitat hostis genitricem uirginis quæ mox ad rumores inter sorores effusos ex ore infirmantis Andree quasi furibunda aduersus humilem filiam surgit : eique imperio materno præcipit : ne domum infirmantis atque fœtentis uetulæ : quæ se tam fallaciter infamauit : ulterius intrare præsumat . uirgo uero prudentissima tanta uirtute matrem placauit : ut etiam cum eius pace ac si nihil imperasset rediit ad consuetum infirmæ seruitium . Infirma uero se uidens undique superatam dolorem animo cœpit : atque de perseuerantia uirginis fidelique seruitio stupefacta est : præcipue uero propter uisionem ei diuinitus ostensam . Nam una dierum appropinquante uirgine lecto decumbentis : mox erga lectum quædam exhimia lux ex alto diffunditur tantæ suauitatis et amœnitatis : ut ægrotam omnis amaritudinis et pœne suæ præteritæ obliuisci compelleret . Cumque causas huiusmodi nouitatis ignorans hinc inde respiceret : uidit huius uirginis uultum transfiguratum atque transformatum : ita ut non Caterina : sed una maiestas angelica uideretur . quamobrem corde ualde conpungitur : ac si exterior una lux inuisibilem atque interiorem lucem attulisset : quam aduersarii fraudem cognouisset interius atque ita et coram deo et sororibus illis atque aliis quibuscumque ream se aperte clamitat : Caterinam altis uocibns† asserens non modo puram et incontaminatam : uerum sanctam et omni uirtute dotatam : propalando quæcunque uiderat . Et sic unde putauit hostis uirginem impugnando deprimere : inde uirgo spiritusancto iuuante fuit exaltata : licet amplius in semetipsa fuerit humiliata : quare consuetum obsequium indefesse et sincero corde prosequitur . hostis autem antiquus qui uinci potest : non occidi : redit iterum | ad priora certamina stomachum uirginis ultra solitum irritando . Cum enim hulcus semel uirgo detexisset ex intollerabili fœtore stomachum ad uomitum inclinari persensit . Quod ipsa grauius longe quam prius accepit . unde recollecta lotura fœtentis hulceris in catino cum sanie sui ipsius odio sancto stomacho suo inquit : uiuit amantissimus animæ meæ sponsus : quod illud quod sic abominari uideris indubitanter absorbebis : nec mora : quod dixit opere perfecit : quo facto statim omnis abominationis illius temptatio cessauit : retulitque uirgo postea confessori : nunquam aliquid ita suauis et boni saporis et odoris bibisse siue percepisse . Post uictoriam hanc ultimam apparuit in sequeti† nocte deus uirgini feruenter oranti dixitque ei : dilectissima filia hesterna die mihi ualde complacuisti : quia natura proprii corporis conculcata caritatis ardore lætissimo corde tam abominabilem potum assumpsisti . Quare dico tibi : quod sicut in hoc actu tuam excessisti naturam : sic ego dabo tibi potum : qui quacumque naturam excedet humanam . Et ita uirginis os appropians ad proprii uulnus lateris : bibe inquit amantissima filia de latere meo potum : quo anima tua suauitate tanta replebitur : ut etiam in corpore quod ita propter me contempsisti mirabili modo redundabit . Quo facto tanta fuit abundantia gratiæ diffusa in mente uirginis : quod etiam corpus supereffluentiam eius percipiens ex eo nunquam tempore cibum assumpsit corporalem eo modo : quo prius : neque summere poterat : ut infra docebitur .

Postquam æternus sponsus sponsam sibi dilectam in fornace multiplicis tribulationis probauerat : diuersisque prælìis antiquum hostem eam superare docuerat : uolens ad hæc eandem æterna tributione præmiare : imo potius in ipsa modum uitæ cælestis in hac ualle miseriæ per modum arrhabonis mirabiliter inchoarc† : apparuit oranti : Scito iuquiens† dilectissima filia : quia futurum tuæ peregrinationis tempus ita mi || rabilibus atque nouis donis meis implebitur atque dotabitur : ut stuporem et incredulitatem cordibus ignorantium generet : et carnalium hominum etiam complures te amantes in domino dubitaturi sunt et putaturi deceptionem hanc esse diaboli . Et hæc propter gratiæ in anima tua excessum in corpus redundantis : quia inconsuetum uiuendi modum percipiet . porro erga animarum salutem eatenus accenderis : quatenus proprii sexus oblita omnino quasi auersationem elapsi temporis immutabis : hominumque consortia uti assoles non uitabis : sed temetipsam ad omnem laborem pro salute illorum expones . his scandilizabuntur† quamplurimi : a quibus tibi contradicetur . Exequaris igitur uiriliter sicut unctio te docebit . neque quidquam timeas : quia semper te in omnibus adiuuabo : nam animarum lucrum mediante te non modicum reportabo : Quibus auditis uirgo respondit : dominus meus et deus meus es tu . ego uero uilis ancilla tua . Fiat uoluntas tua semper . Cum autem uirgo super habita uisione cogitaret : qualis esset : ista futura mutatio : cœpit de die in diem dei gratia totaliter in ea superabundare : ac amore Iesu Christi languere : ut in semetipsa deficeret stuperetque cum psalmigrapho dicens : deficit cor meum et caro mea : et memor fui dei et cætera : cumque pro dicti langoris subsidio non ei mentis aut corporis flætus sufficeret : inspiratum est ei frequentare corporis dominici uenerabile sacramentum : ut ex quo satiari nequibat adhuc in patria : sacramentaliter saltem ipsum degustaret in uia . Cum autem hanc inspirationem exequi cœpisset : langoris ei amplioris extitit incentiuum . enim uero usque adeo ei desyderium sacramentum id frequentandi excreuerat : ut si eo priuata fuisset : corpus illius ualde pateretur quo penitus uidebatur deficere : propterea quod sicut corpus participabat spiritus abundantia : ita et eius spiritus angustiæ expers esse quoquo modo non poterat . Et ita communicando tantam gratiæ copiam ipse spiritus repor | tabat : quod in corpus euidentissime redundabat : adeo quod per superfluentiam quandam consumptionem humidi radicalis temperabat : stomachique naturam taliter inuitabat ut consumptio cibi naturalis non modo necessaria non erat : sed neque fieri absque singulari corporis tormento nocumentoque poterat . Et si euidenter aliquando fiebat : nulla tamen digestio sequebatur : sed opportebat quod totum quod ingressum fuerat uiolenter : etiam uiolenter per eandem uiam emitteretur . Neque fas est exprimere quantas quales ue pœnas per huius cibi substinuerit sumptionem : et nihilominus a suo confessore imponebatur præceptum : ut ederet : Et quod illa non crederet uisionibus quibuscumque . uirgo uero : uere humilis ad obediendum ipsi tantam sibi uiolentiam fecit : ut ex hoc ad mortem usque corporalem euidenter adduceretur : Quod ut confessor aperte cognouit : conscientia ductus ait : quia grandia sunt ea : quæ cerno in te dominum operari . facias amodo prout ipse te docuerit . Sed facile explicari non potest : quanta uirgo passa sit a multis uolentibus facta et dicta sua mensura propria uel communi mensurare : et non dei mensura sua dona in illa largius superinfundentis . Cum enim ex una parte uirgo uideret uoluntatem altissimi sic esse atque sic fore super omnes obediendum : et ex alia supradicti ex aduerso starent : eaque inter hæc uitare scandalum omnium uellet : in angustiis posita solum habebat orationis remedium . Fundebat ergo coram deo lachrymas mœroris atque spei dominum humiliter et instanter obsecrando : ut huiusmodi contradictionibus eius uoluntatem suam reuelare dignaretur : præcipue autem confessori : quem uerebatur amplius offendere : frequenterque exaudiebatur ita : ut mens eiusdem confessoris sæpius illustraretur atque mutaretur . his non obstantibus murmuratores multi dona uirgini collata aut ignorantes aut non attendentes quæ ab ea fiebant non poterant quiescere : quando primum contigit in uirgine singularis excessus inediæ . stetit ipsa spiritu || dei plena a quadragessimali tempore ad festum usque ascensionis domini absque cibo quocumque atque potu corporeo semper alacris et iucunda in utroque homine uegetata : reportabatque satietatem admirabilem non solum ex eucharistiæ sumptione uel ex ipsius præsentia sacramenti : sed etiam in ministrorum uel ex uasorum eiusdem sacramenti uisione . Et licet aliquando uideretur corpus ad extremam adduci debilitatem : attamen occurrente

quacumque salubri opportunitate uelociter et indillate surgebat : ac si nihil omnino passa fuisset : Et opere caritatis expleto : illico redibat ad lectulum : ita uita eius supra naturam erat : et tota mirabilis . Sed antiquus hostis tanta dei dona in uirgine esse non substinens propter inediam atque ieiunium tam mirabile multos utriusque sexus religiosos atque sæculares contra uirginem incitare contendit . Alii dicebant nullum maiorem esse Iesu christo : Alii sanctos omnes docuisse uerbo pariter et exemplo : neminem in modo uiuendi singularem esse debere . Alii extremitates uitiosas esse acclamabant . quidam uero carnales atque palam detractores hanc esse affectionem ad humanam gloriam acquirendam procaciter affirmabant : Sed ipsa uirgo cum interrogabatur : quare sicut alii cibum non accipiebat : aperte respondebat dicens : deus propter peccata mea percussit me quadam singulari passione : per quam a cibi sumptione sum totaliter impedita . ego namque libentissime comedere uellem : sed non ualeo : sed orate obsecro pro me : ut indulgeat mihi peccata mea : propter que patior omne malum . Verum uirgo Iesu christi sensu dei plena satagens eum imitari : qui loquens apostolo Petro pusilorum didragma petentium scandalum uitare curauit : uolens supradictas murmurationes quantum esset in ea compescere : scandaloque murmurantium obuiare : deliberauit omni die saltem aliquantulum hærbarum crudarum pro cibo : et parum aquæ frigidæ pro potu summere hoc modo ut quod crassum esset expueret succum autem una cum aqua usque ad stoma | chum demitteret : quem tamen succum protinus et aquam compellebatur uiolenter per eandem uiam emittere : sicut iam dixi immergendo silicet uirgulam fœniculi uel alterius uirgulti usque ad stomachum et aliquando cum tanta uiolentia : ut sanguis ab eius ore egrederetur : concurrebant etiam inflaturæ diuersis aliis passionibus : quibus quasi quottidie torquebatur . talem actum ipsa iusticiam appellabat : quare cum illam exercere deberet : dicere consueurat† tunc astantibus : uadimus ut iusticiam de hac misera peccatrice faciamus . Et hoc modo uiuendi usa est ad finem usque uitæ : ultimus uero confessor uirginis conspecta ante dicta pœna ei compatiens aliquando suadebat ne tantum ad huiusmodi murmurantes respiceret : Cui uirgo subridens ait : Nunquid non ualde melius est mihi pater : quod in isto breuissimo tempore peccata mea puniantur quam melius sine fine punitio reseruaretur . Murmurationes enim illorum admodum mihi ualde sunt utiles : quia propter eas creatori meo pœnam futuram exoluo : cum habere debeam infinitam : quare actum tantæ pœne iusticiam nuncupabat . Et ita de omnihus† tam insidiis dæmonum quam persecutionibus hominum uirgo profectum aliquem ad salutem indubie lucrabatur : nam cum aliquando cum confessore suo de donis dei conferret dicebat : Si quis uti sciret dei gratia sibi concessa : de omnibus ei contingentibus quottidie lucraretur . Et subdebat : ita uellem : quod ageretis uos : quandocumque uobis accidit aliquod prosperum uel aduersum : ut cogitaretis intra uos dicendo quicquam ego de hoc facto lucrari uolo : uere si sic ageretis ualde diuites essetis .

De mirabilibus excessibus mentis uirginis atque reuelationibus ei ostensis .

Sicut singularem uiuendi modum deus illo tempore sponsæ suæ concesserat quo ad corpus : ita mentem eius admirandis uisionum cælestium consolationibus uisitabat . Quare recitata singularitate uitæ corporeæ ad narrandum || succincte spiritus uirginalis affluentiam accedamus . Quadam die orante : ut auferretur ei cor proprium : et cum propheta petente ut cor mundum in se crearetur : uisum est ei quod deus ei apparens inde cor eius abstraheret : et post aliquos dies ad ipsam cum uenisset : circundante eam luce uirgo cecidit in terram et apropians ei sinistrum latus suum ut prius aperuit : et unum rubicundum cor atque lucidissimum intromisit : et ait : Ecce Caterina filia carissima sicut abstuli tibi pridie cor tuum : sic impræsentiarum tibi cor meum : quo semper uiuas trado . Et his dictis clausit atque consolidauit . et ad euidentiam huius miraculi cicatrix obducta remansit ibi : et ex tunc orando non ut prius dicere poterat : commendo tibi cor meum : imo semper dicere cogebatur : ego commendo tibi cor tuum . Item post huiusmodi cordis mirandam mutationem clam confessori suo dicebat : Non ne uidetis uos pater quod non sum illa : quæ fui : sed omnino mutata sum in aliam personam : Et addebat : Oh si sciretis pater : quæ sentio : credo firmiter : quod quicumque scirent ea quæ intus sentio : non esset adeo obdurus : quin

emoliretur : nec ita superbus quin humiliaretur : quia quidquid dico nihil est respectu eorum : quæ sentio . Narrabat autem : ut poterat et dicebat : tantum gaudium tantaque iubilatio mentem meam possidet quod tanta est admiratio mihi : ut uix anima in corpore ultra moretur . Et addebat : Tantus est ardor in anima mea : quod ignis iste materialis exterior mihi respectiue uidetur potius refrigerans quam exurens : et potius frigidus quam accensus . Et subiungebat : Ex isto ardore producitur in mente mea quædam renouatio puritatis : ac humilitatis in tantum : quod redisse mihi uideor ad quatuor uel quinque annorum ætatem . hinc etiam amor proximi taliter in corde succenditur : ut pro quocumque proximo libentissime mortem corpoream ingenti cordis exultatione acceptarem . contigit itaque ut apparente sibi Iesu christo et una cum genitrice sua simul et Magdalena : dixit ei dominus : Quid uis : te uel me ? humili | ter illa cum Petro respondit : Domine tu scis : quid uelim : nam nec uoluntatem præter tuam habeo neque cor præter tuum : et quia dominus uidit affectionem uirginis erga Magdalenam : ipsi eam concessit et assignauit in matrem : Et illa cum gratiarum actione suscepit eam . Quod absque misterio non existimatur esse factum : quia sicut Magdalena triginta annis in rupe absque cibo corporeo diuinis intenta . Ita uirgo hæc postquam cœpit uiuendi modum antedictum : usque ad trigesimum annum ætatis eius in quo transiuit admirandis contemplationibus diuinorum uacauit : mentemque taliter ex illis apertissime refecit : quod ullo cibo non indiguit corporali . Et prout illa septies in die rapiebatur : ubi audiebat illa cælestia et quæ non licet homini loqui : sic ista pro magna parte temporis ascensu corporeo ex uiolentia spiritus rapiebatur : ita ut etiam aliquando corpus a terra leuaretur in altum : ut a compluribus uisa fuerit . Audiens ibi frequenter arcana dei talia : ut aliquando confessori secrete diceret : Ego tantam conscientiam haberem dicere : quæ uidi defectiuis uocabulis istis quantum habere deberem : si deum quodam modo blasfemarem : uel aliis uerbis inhonorarem : eo quod tanta est distantia eius : quod intellectus taliter eleuatus intelligit : ad id quod nostris ualet exprimi uerbis : ut ea pœne contraria esse uideantur : propter quod ineffabilia fore concludebat . Ex quo euidenter apparet quod congrue a domino uirgo Caterina cum Magdalena tanquam filia matri fuerit copulata : ut ita ieiunatrix ieiunatrici : amatrix amatrici et contemplatrix contemplatrici iungeretur : licet ex humilitate uirgo diceret hoc esse factum : ut peccatrix peccatrici data esset in filiam : ut mater fragilis naturæ memor largitatis misericordiæ a Iesu christo sibi factæ fragilitatem impetraret . circha uero uenerabile sacramentum corporis Iesu christi mirabiles : et ut ita dixerim : innumeras habuit uisiones atque sensa mirabilia et admirandos effectus : præcipue autem cum illud sacramentaliter acciperet : aut accepisset aut accipere per || optaret : de quibus infra dicetur . est enim in hoc loco de sex aliqualiter explicandum . Primum est quomodo uidebat aliquando Iesum christum in sacramento modo sub una specie uel ætate : modo sub alia . Secundum est qualiter sumendo uenerabile sacramentum odorem ualde suauem et in mente gaudium indicibile sentiebat . ut pro eiusmodi gaudio cor eius in corpore strepitum sonorosum atque mirabilem faciens insiliret . Tertium est quod ubi die quadam sancti Tiburcii uirgo per impositam obedientiam a confessore ab altari semota resideret : ne propter excessus huiusmodi celebrantes aliquatenus impediret : orauit deum pro confessore : ut infunderet ei lumen : et uideret : quia spiritus dei motus ad uotum omnino compesci non potest : atque sic eam dominus exaudiuit : quod eam confessor amplius minime fuit ausus ammouere . Sic autem a remotis existenti et affectanti recipere corpus Iesu christi apparuit ipse deus applicans os eius ad proprii lateris cicatricem : ut quantum uellet se de precioso sanguine suo satiaret . Ex qua potatione uirgo tantam dulcedinem degustauit : quod ex amore puro putabat uitam corpoream illico terminare . Quartum est : quod cum in festo sancti Alexii reuelatum extitisset uirgini quod corpus Iesu christi recipere deberet : affectans et orans præcipue purificari : ut dignius illud acciperet : sensit super animam suam cadere pluuiam inundantem sanguine igne mixto : per quam purificari non solum in anima sed etiam in corpore a fomitali coruptione sese percipiebat . Cum autem postmodum ad communicandum ad altare procederet : faciem rubicundam atque micantem habens necnon lachrymis sudoribusque infusam : semetipsam ad sacramentum erigens ipsum cum tanta deuotione suscepit : ut tam celebrantem : cuius ego fui minister illa die quam memetipsum atque alios tunc astantes ualde et stupentes et deuotos effecerit : Quo facto taliter in deo absorta fuit : ut per diem

illam totam nemo ei ullo modo loqui potuerit : In quo rapta sicut in secreto confessori retulit : adeo | inefabilia sensit et uidit . quod ex pulchritudine et suauitate illorum cæteræ consolationes corporales : imo etiam spirituales quæ hic haberi consueuerunt omnino nihil uiderentur eidem . Vnde ipsis priuari desyderabat : ut amplius domino complaceret . Oranti uero deum : ut eam omni penitus uoluntate propria priuaret : et ei suam exhiberet : ait dominus : Ecce dilectissima filia trado tibi meam uoluntatem : quia ita firmata eris : ut decætero quidquid acciderit nequaquam mutaberis . ita per omnia postea probauit euentus . Quintum est : quod in die sancti Agapiti dum uirgo communicando diceret : domine non sum digna : ut intres in corpus meum : audiuit uocem ei dicentem : et ego sum dignus : ut intres in me : Et cum communicasset uisum est ei : quod sicut piscis intrat in aquam et aqua in piscem : sic anima sua intraret in deum et deus in eam . Et sic in deum absorta post aliquale spatium eleuatum est corpus eius in aera . Postea descendens cœpit loqui uerba uitæ eternæ super mel et fauum dulcia pariter et profunda prouocantia astantes ad flætum . Deinde singulariter orauit pro confessore suo : qui cum remotus esset : et in quibusdam exterioribus occupatus : indillate sensit inusitatum ardoris atque deuotionis effectum : de quo ualde miratus est ex indispositione præcipue temporis et loci . Et cum in eadem oratione pro dicto confessore cum quibusdam familiaribus amicis uitæ eternæ a domino promissionem impetrasset : petiuit ab eo signum : Cui deus ait : extende manum tuam ad me : quod cum fecisset ipse clauum protulit : cuius accumen in medio palmæ uirginis apponens ita manum strinxit : atque talem inde ea sensit dolorem : ac si clauo ferreo perforata manus fuisset . unde post modum asseruit Iesu christi gratia se ipsius stygma in dextera manu portare . Quod licet aliis esset inuisibile : ei tamen aperte non sine afflictione sensibile erat . Sextum etiam pro continuatione materiæ est quod cum uirgo pisis esset : et die quadam dominica eucharistiam communi || casset : atque secus altare more suo in spiritu rapta maneret : ex quo diu steterat : ita singulariter experiri desyderans in se doloris excessum : quem sponsus eius in cruce suspensus in quinque plagis sui sacratissimi corporis pro nostra salute pertulerat : uidit ipsum Iesum crucifixum magno super se lumine descendentem : radiosque sanguineos ex quinque suis cicatricibus pretiosis emittentem : Cumque tunc uidentibus pluribus utriusque sexus ipsam expectantibus : uirgo ipsa se facie rutilante conaretur erigere : et in genua sua stans : brachia cum manibus eleuasset intelligendo mysterium orauit : ne foris in corpore suo cicatrices apparerent : illico sanguineis radiis in solis radios et lucidos immutatis a cicatricibus Iesu christi procedentibus : et ad manus et pedes : et ad cor uirginis peruenientibus dolor non tantummodo sensibilis : sed intolerabilis potius illis in partibus corpus uirginale cruciauit : Quo diu rigido permanente clausis oculis postmodum in terram cecidit : ac si fuisset acerrime uulneratum . Post modicum autem ad sensus corporeos adducta confessori patefecit in corpore suo stygmata Iesu christi portare : unde propter doloris inualescentiam : existimatum est : a circunstantibus ei mortem de propinquo imminere . Dominica tamen in mediate sequente cum in sancte ecclesia Christinæ coripus† domini suscepisset : post raptum suum restituta sensibus : asseruit ei dum† illum excessiuum gratiose dolorem mitigasse . Postea quam dicta sunt aliquo modo ad sacramentum corporis Iesu christi pertinentia : quasdam alias uisiones prosequemur . Enimuero in solemnitate conuersionis beati Pauli exiens uirgo Senis contigit spiritum eius ad superna ea trahi uæhementia : ut tribus diebus naturalibus absque corporalium sensuum usu permanserit immobilis : Sic itaque se habens aut mortua aut prope diem moritura existimabatur . quidam autem altius ascendentes existimabant ipsam ad tertium cælum una cum apostolo raptam fuisse . Tandem extesi terminata : cum se ha | beret ad instar ebriæ : nec ex toto uigilantis neque dorminentis† : duobus deinde fratribus eiusdem ordinis interrogantibus : an uellet ire secum uisitatura quendam ualde notabilem dei seruum : et inaduertenter ac indeliberate ea respondente quod sic : stimulus conscientiæ tantus ex hoc ipsi uirgini superuenit : eo quod deliberate cum illis ire non intenderet : ut tam plene sensibus restituta totidem diebus ac noctibus : quot in raptu fuerat : continue stetit in flætibus et lamtenis† . Qui uitam eius prolixius prosecuti sunt causas permissionis huius scribunt : et quo pacto deficientibus uocabulis ea quæ in illo raptu uiderat nullatenus exprimere uel aperire confessori potuit . Daturque satis intelligi uirginem arcana dei uidisse : quæ non sunt communicabilia nisi gustantibus . exiens deinde

uirgo Senas in ecclesia fratrum prædicatorum in gloriosi Dominici sollemnitate : multa sunt ei de eiusdem gloria reuelata quæ diffuse ibidem recitantur . Contigit quoque uirginem hanc in ciuitate Senarum ex magnitudine feruoris in dominum in lectulo ægrotam decumbere : succensa suspiria et ignita eius uerba ei euidentissime quia cum sponsa in canticis amore purissimo languebat ostendebant . Et quia sponsus ei familiarissime iugiterque apparebat : immenso desyderio peroptabat a corpore dissolui : et esse cum christo : unde sponsus ait illi : Sicut ego dilectissima filia expectaui pascha desyderatum iuxta patris uoluntatem : ita tu quamuis optes uniri mecum perfecte : expectare debes patienter usque ad tempus a me determinatum . Tunc illa : fiat in omnibus uoluntas tua . ergo te de† deprecor : ut dum me iubes adhuc in hac misera uita peregrinari : saltem mihi communices passiones tuas usque ad ultimum inclusiue : ut sic uniar passionibus tuis in terris : quousque tecum uniar in cælis : Quod et de facto mirabili modo meruit reportare . Ita ut tam in corde quam in corpore nulla passionum Iesu christi defuerit quam non fuerit aliqualiter experta : cum totaliter aliquam experiri dicebat impossibile : In cuius experi || mento cum de passione Iesu christi confessori refferret : ita de illa ab instanti conceptionis usque ad finem ab eo suscepta disserebat : ut etiam aliqua confessori narraret : quæ confessor ipse nullibi legisse : uel nunquam ab alio percepisse testaretur . Et singulariter circa modum orandi quem in horto Christus egit : quando dixit : Pater transfer a me calicem istum : asserebat uirgo quadruplicem ibi intellectum esse : quod idcirco Christus orauit ita : ut per hoc ostenderet : non solum se esse uerum hominem horrens mortem : sed etiam pro confortandis imperfectis : tertio secundum perfectos feruenter affectantes pati : et dillationem in hoc ægre ferentes : nisi ex obedientia et uoluntate diuina differatur . Siue quando sic orauit cum tristitia et sudore propter illos : quos præuidebat suæ passionis fructu esse participes . Sed quia diligebat iusticiam : apposuit condictionem† uidelicet : uerumtamen non sicnt† ego uolo : sed sicut tu . Dicebat etiam passionem Iesu christi corporalem inextimabilem extitisse pro eo quod mensurabatur mensura sui amoris : qui fuit inextimabilis : et maximus : Ideo pœnas inextimabiles atque maximas adinuenit : ut ipsum amorem perfectius intimaret : quo principaliter ipse patiebatur . Et adiungebat disiunctionem ossium pectoralium in Iesu christi corpore maximam extitisse pœnam . in cuius indicium cum in se supradictas pœnas et alias experiretur : solum illa pectoralis in ea præualuit : Ex qua cum perciperet quantum ipsam atque genus humanum dilexisset Iesus . tanta facta est in corde eius ex caritate uiolentia : ut amplius non ualens in sua integritate permanere scissum sit : quemadmodum de uase continente liquorem quempiam uirtutis excessiue . Sic itaque uirgo fractis uenis uitalibus expirauit : unde tali fama diuulgata plurimi sexus utriusque conuenerunt : etiam fratres conuentus nostri : quos inter ego affui . Habitoque colloquio de funeralibus : cuidam ex fratribus ob doloris immensitatem et flætum uena pectoralis fracta est : quamobrem coa | gulatum sanguinem ore expuebat . Additus ergo dolor alterius dolori : quia uirgo iam expirauerat : et frater anxie in extremis laborabat : ualde namque dubitabatur : ne grauissima et infesta tuscis eius cum tanta sanguinis effusione cor eius illico suffocaret . Interim uero confessor ille primus uirginis cum sancta fiducia dixit ei . Certissime constat mihi istam uirginem esse magni meriti coram deo . manum igitur eius appone gutturi tuo : et eam in tuum inuoca subsidium : Quod ille deuotissime fecit : et indillate cunctis astantibus et deum in sua sponsa laudantibus integram sanitatem recepit . Dum autem in dei laudibus occuparentur : anima uirginis mirabiliter corpori restituta est : de quo gaudium immensum omnes habuerunt : præter uirginem : quæ per triduum continue fuit in flætibus atque lamentis ex amaritudine sui reditus . Post hæc ultimus confessor eius Magister Raymundus ordinis prædicatorum generalis et magister : atque suæ uitæ prolyxioris compositor : audiens mirabilia hæc ab ipsa uirgine diligentius informari uoluit : et aperte de re eiusmodi stupenda declarari : rogans eam : et adiurans : ut huius rei meram ueritatem apperiret : quæ post aliquantum silentium et singultuosa lachrymosaque suspiria : tandem ei secrete infrascripta rettulit . Primo qualiter supradicti langor et ardor amoris in tantum præualuerunt : quod eius cor omnino defecit : et illa dilectio fortis extitit ueluti mors : scissoque corde anima eius a carne per horas quatuor uere soluta fuit : Secundo qualiter intra dictum spatium in alio nobis inuisibili sæculo totum uidit eius anima : et intellexit gloriam beatorum et peccatorum pœ-

nas affirmans : quod diuinam uidit essentiam et pœnas tam damnatorum quam in purgatorio constitutorum earum quasdam confessori suo narrando . Tertio qualiter dum existimaret se possidere bonum æternum : a domino sibi dictum est : uides quanta gloria priuantur : quantaque pœna puniuntur qui me || mortaliter offendunt . Quarto qualiter causa reditus animæ suæ ad corpus fuit animarum æterna salus domino dicente sibi : Redeas igitur : et ostendas peccatoribus errorem suum periculum atque damnum . Multarum enim animarum salus exposcit : ut redeas : nec amplius modum uiuendi tenebis : quem hucusque tenuisti : quin potius urbem propriam egredi te opportebit pro animarum salute : portabisque mei nominis honorem atque salubria documenta coram magnis et paruis cuiuscumque status : daboque tibi os et sapientiam : cui nemo resistere poterit : Adducamque te coram pontificibus et rectoribus ecclesiarum : et populis christianis ut meo consueto modo cum infirma fortium confundam superbiam . Et ita postmodum oculata fide factum esse cognouimus . Quinto qualiter cum deus animæ uirginis intellectualiter ista loqueretur ignoto et imperceptibili sibi modo subito se reperit reductam ad corpus . Sexto quomodo cum prius eius anima perpendit se ad corpus redisse est intolerabili dolore sauciata : Ita ut continuis tribus naturalibus diebus in flætibus atque lamentis fuerit. Septimo qualiter cum ad memoriam ista ei reducebantur : non erat ei possibile a flætibus abstinere : nec hoc asserebat esse mirabile : quinymo potius admirandum erat : cor ei non omnino frangi . Vnde dicebat ei esse compatiendum tanquam animæ quæ a carcere tenebroso liberata fuisset : et post uisam lucem gratissimam : iterum esset consuetis tenebris inclusa . Octauo quo pacto gloriam et arcana dei quæ uidit eo quod nimium alta sint : possibile non est per nostra uocabula tam infima et penitus inepta notificari siue manifestari . Nono qnaliter† propter uisionem antedictam ipsa pati peroptabat : et omnes passiones de facto cum ingenti gaudio tolerabat : quia nouerat se per illam uisionem dei perfectiorem faturam†. Decimo dicebat non esse mirandum : si proximos amore sincerissimo diligebat : quos tam caro pretio deus comparauerat . Vndecimo quod huiusmodi proximi gloria sua et gaudium suum erant . unde admirari ne | mo debebat ait : si eos tam affectuose quæro : et præter solitum omnibus me præbeo domesticam . Duodecimo de uirgine concludi potest : quod ignifero amore dei atque proximi succensa tota seraphica est effecta Indeffesse laborando sanctum hunc ignem in cordibus omnium accendere non solum sancto desyderio : sed iugiter orando feruenter exhortando saluberrime scribendo epistolas omni dulcedine fecundas : effundendo fere per uniuersum orbem : ita ut ei uere competat Dauiticum illud : non est qui se abscundat a colore eius† .

Indubitatum esse potest apud omnes : quod si quis uellet omnia quæ uirgo circa salutem animarum est operata narrare : plura essent conficienda uolumina : Quare de multis aliqua narranda duxi . Sciendum itaque quod cum huius uirginis genitor ægritudinem ad mortem incurrisset : et optima filia solicita pro salute patris orationi se dedisset : ei reuelatum est de transitu patris : quem in hoc articulo conformem uoluntati diuinæ reperiens . iterum oraret ut absque pœnis purgatorii euolet ad gloriam : Eique deus diuinam iusticiam allegasset : illa subiunxit : Superamantissime domine qualiter ego potero sustinere : quod ille qui te concedente tot et tanta bona mihi fecit illis attrocissimis ignibus quomodolibet affligatur : Ego te per omnes bonitates tuas adiuro et obsecro : ita prouideas : ne igne purgatorio indigeat : Et ubi penitus exigatur iusticia : fiat oro super me : quod annuens ei deus . Ecce propter amorem quem in me totaliter possuisti exaudiui te . tamen pro illo pœnam quandiu uixeris sustinebis : Quod illa iucunde acceptans indillate de tanta gratia patrem in extremis laborantem affectuose lætificauit . Cum uero tandem eius anima emigrasset a corpore : modesti risus iucunditatem ostendit : et ait : benedictus deus utinam essem ego ut uos . Et ita gaudio sancto læta consolabatur omnes : ac si de tali funere nihil ad eam attineret . Vnde stupebant alii : Et hæc ideo quia uiderat ani || mam illam ingredi in eam lucem cuius ingressum ante per modicum ipsa fuerat experta . Eodem autem instanti quo anima patris est egressa de corpore dolores laterum pro toto tempore uitæ suæ iuxta sermonem dei uirginem apprænderunt† : cuius tamen patientia dolores omnes incomparabiliter excedebat tum amore patris : tum quia sciebat illos ad augumentum gratiæ atque gloriæ sibi profutoros† . hæc autem omnia uirgo confessori secrete retulit : addens quonam modo anima ipsius Iacobi sibi frequentissime apparebat : ei gratias agens de gloria per ipsam habita multaque ei secreta reuelando et de pluribus

certiorem faciendo : ac ipsam a malis indefesse protegendo . Post animam satis iusti prosequamur de anima proximi peccatoris intercedente uirgine recuperata Nouerimus in ciuitate Senensi contigisse . Andream de bellantibus diuitiis consanguineisque ornatum ad mortem ægrotasse . Qui cum multis esset uitiis inretitus omnem etiam exhortationem ad pœnitentiam uel confessionem ex toto contemnebat : et sic ad interitum hominis utriusque festinabat : cum ergo confessori uirginis innotuisset : per obedientiam inuinxit† ei orare pro illo : quæ mox et suscepto confessoris præcepto et igne compassionis accensa ualidissimis mentis uocibus pro salute sui proximi et ne periret deum obsecrabat : cui deus ait : Iniquitates istius ad cælum ascenderunt : uelut hominis in malis obstinati : dei atque sanctorum blasphemi : eorumdem imaginum incendiarii ac diuersis aliis iniquitatibus inuoluti : quare iustum est : ut æternis ignibus exuratur . At illa : Si amantissime domine nostras iniquitates uolueris obseruare quis æternam euadet ultionem . Aliasque multas allegationes adducendo cum ipso domino ab hora uespertina usque ad auroram uigilans : et ad eius pedes prouoluta cum lachrymis disputauit : ipso allegante crimina de quibus iusticia petebat uindictam : et uirgine misericordiam : qua fuerat incarnatus et passus : ac etiam promissionem ab eo sibi factam de | multarum animarum salute per eam . Tandem uicit misericordia iusticiam : et in aurora uirgo plenissime exaudita fuit : Tunc enim infirmus uoce qua potuit exclamauit : Aduocate sacerdotem indillate : quia uolo peccata mea confiteri . Vidi enim certissime diabolum uenientem ad suffocandum me : sed una uirgo uestem albam induta aduersus eum pugnauit : superauit et expulit : mihique præcepit : ut statim confitear : et ignem æternum euadam . Ipse tunc uocato sacerdote cum magna contritione dilligentissime confessus est : Atque condito testamento perceptisque sacramentis ecclesiæ ad extrema deductus cum magna deuotione migrauit ad deum : Præfatis autem additur quomodo duo alii in eadem ciuitate Senarum ad terribilem mortem condemnati : super curribus alligati : palis cum carnificibus ignitis forficibus carnes eorum carpentibus : ubi tales consueuerunt animas ipsorum astantium orationibus humillime commendare : illi uero e contra alta uoce deum blasphemantes hominis utriusque morti propinquabant . Cum ergo transirent per uiam ubi uirgo tunc erat et aperte cognouisset eos ualde uexari : non solum ab extra per iusticiam potestatis : sed etiam intus incredibiliter a dæmonibus mentaliter ad eos duplici compassione commota : pro eis orationi se feruentissime tradens : tandem post allegationes plurimas et efficaces de quibus in prolyxiore uitæ eius historia latius continetur impetrauit : ut eosdem in spiritu associaret : de quo dæmones aduertentes : qui circundederant illos complures : grandi molestia contra uirginem insurgebant asserentes : quia nisi desisteret : operarentur quod spiritus illorum et ipsi pariter eam uexando facerent esse dæmonicam† : Quibus illa fiat uoluntas dei . propter hoc enim ab incœpto minime desistam . Cum uero præfati cruciati ad portam ciuitatis aduenissent : apparuit eis saluator undique uulneratus et sanguine fluens eos ad conuersionem inuitans ueniamque promittens . tandem uero maxima contritione confessi blasphe || mias in laudes mutauerunt : se ipsos iugiter accusantes atque se dignos pœnis illis et ualde maioribus acclamantes alacres et iucundi processerunt ad mortem : ac si ad epulas inuitati fuissent : stupentibus omnibus atque deum laudantibus : et tunc ignorantibus : quod hæc mutatio dextere excelsi prouenisset oratione pariter et exhortatione sacræ uirginis : Quæ post damnatorum mortem a sociabus est audita in oratione sua dicere : Gratias ago tibi domine : quoniam eos a secundo carcere et purgatorio liberasti . Orationibus enim ipsius uirginis illorum animæ de purgatorio migrauerunt in cælum . Simile fere accidit in ipsa ciuitate Senarum me præsente : Nicolaus enim Tuldi Perusii ciuis nobilissimus : ubi ob non nulla uerba statum ciuitatis concernentia incaute prolata ab eo capitalem sententiam incurrisset : et ex hoc per carcerem uti desperatus incederet : quamobrem uirgo illum uisitauit : hortataque adeo est ut quasi agnus corde lætissimo ad mortem procederet : cuius anima meritis et orationibus eiusdem uirginis uisibiliter euolauit ad cælum . Super qua materia pulchram habemus epistolam . In ipsa quoque ciuitate Senarum uir nobilis Franciscus Tati de tholomeis erat habens plures filios filiasque duas nubiles et ætatis prouecte : sæculi admodum uanitatibus inclinate .. Deuota uero mater Rabes nomine illarum atque filiorum salutem exoptans humillime præcipue autem uanas filias Caterinæ uirgini commendauit . Quæ ueluti zelatrix animarum amplissima caritate succensa

pro eis orauit : et habito cum eisdem breui colloquio : eatenus exemplis et exhortationibus eius ad deum conuerse sunt : quatenus omnia ornamenta proiicerent in latrinis : illicoque præcisis crinibus spretisque sæculi uanitatibus : habitum de pœnitentia beati Dominici quem alma uirgo portabat humillime susciperent : quod cum fecissent : Iacobus earum frater tunc absens homo ualde terribilis : illico furore magno repletus uenit ad ciuitatem aduersus illas et fautores : minas fulminando : deuo | ta uero mater eum sedare conabatur : et uitare desyderans cuiuscumque scandali siue periculi materiam ista sanctæ uirgini notificauit . Quæ confessorem suum Iacobo direxit : et ait : loquimini ei nomine meo et ego interim domino loquar . Quid ultra : Orat uirgo : confessor uerbo laborat : et licet primum resistat Iacobus : post aliqua tamen uerba conpungitur et conteritur : atque sine mora peccata sua deuote confitetur . dum uero fiunt hæc : uirgo surgit ab oratione : et uelut omnium conscia sociabus ait : laudes atque gratias agere debemus creatori nostro qui nunquam spreuit orationem seruorum suorum : Et sanctum desyderium : quod ipsemet eis infundit adimplet . Malatascha putauit aufferre nobis ouiculas nostras : et ipse suam perdidit : Iacobum silicet qui de terribili leone factus est agnus omnino mansuetus . uix uirgo uerba compleuerat : et confessor ad eam intrans alacri corde narrauit ei Iacobi conuersionem : Cui sociæ uirginis dixerunt : antequam ueniretis audiuimus a uirgine seriose quæ narratis . Post hæc etiam opera uirginis Iacobi atque sororum frater ætatis uigintiquattuor annorum nomine Mathæus ordinem prædicatorum est ingressus . Dictusque Franciscus uxorque eius cum familia domus ex tunc uitam suam in timore dei duxerunt : quos omnes ego noui : et quasi orationibus prædictis interfui . Præterea in dicta ciuitate Senarum alius erat prudentia sæculi repletus atque diaboli laquæis irretitus nomine Vannes uallatus undique priuatis bellis maximo aduersus multos laborabat odio . Iste forte ad uirginem ueniens ita meritis orationibus exhortationibus eius est immutatus a prauo proposito . Ita ut ante quam ab illa discederet collum ei humillime submittens ait : Victum me esse fateor : flexisque genibus in eius manus non multis sine lachrymis se posuit . Cui inter alia sic ait : Age penitentiam de peccatis tuis : ut iram dei possis euadere : Quibus auditis mox peccata confessus est : et per manus uirginis cum omnibus hostibus pacem ueram habuit . Et ita de || inde a prætore esset et de capitali eiusdem sententia timeretur : quibusdam proinde formidantibus : ne forte desperationem incurreret : uirgo respondit : ut quid ita contristamini super eo : de quo deberetis potius exultare ? quia certi debetis esse deum ei pepercisse pœnam æternam : ex quo pœna temporali nunc eum affligit . Namque iuxta dei sententiam mundus diligebat : quod utique suum erat : sed quia nunc de mundo egressus est : ipse mundus eum odio habere cœpit . de desperatione uero sua nolite ambigere : quia ille qui de tartaro liberauit eum : ipsum etiam eruet a præsenti periculo . Quod et postea factum uidimus . Fuit itaque a mortis sententia liberatus : licet in rebus iacturam perpessus sit magnam . de quo uirgo lætanter ait : Venenum quo Vannes inficiebatur deus abstulit : Et ita præmentibus eum tribulationibus : et ipso in deuotione crescente : castellum quoddam quod extra Ciuitatem habebat uirgini libere dono concessit : ad monasterium construendum : bullis omnibus ad hoc expedientibus habitis a domino Gregorio papa undecimo . Cæterum quis enarrare sufficiat conuersionem omnium malorum : profectum bonorum : roborationes imperfectorum : consolationes desolatorum : ammonitiones spiritualium periculorum : tam per suas epistolas quam etiam uiuæ uocis oraculo erga omnium sexum per uirginem hanc impetratas : ad cuius aspectum et exhortationem ita conpungebantur : ut mox ad sacramentalem currerent confessionem . Ob hanc ergo causam dominus Gregorius Papa undecimus ipsius uirginis adiutorio tres confessores magna auctoritate addixit neque satis quandoque erant ob assiduas fere occupationes : ut uix tempus sumendis cibis haberent : cuius rei causa uirgo admodum in deo exultabat : qui intererant nulla afficiebantur tristicia : ut aperte cognoscerent sancti spiritus adesse presentiam .

De quibusdam mirabilibus . |

Rem ualde stupendam narro . Lapa ordinis de pœnitentia beati Dominici atque genitrix huius uirginis licet simplex : curæ tamen rei ſlmiliaris† adeo intenta erat : quod transitus ex hac uita præsenti odio illi esset Cum uero post obitum Iacobi uiri

sui grauem incurrisset ægritudinem ut pote mortalem : et eam uirgo exhortaretur : ut diuine uoluntati uellet esse conformis : Ipsa e contra respondit : Filia rogo te ut ipsum deum pro recuperanda mea sanitate preceris : de morte autem nullam mihi feceris mentionem : quibus auditis uirgo doluit : et pro genitricis sanitate deum humillime orauit : eam tamen deus eo tempore pro eius maiori gloria propalanda exaudire noluit . Quare mater in hac uiuendi cupidine perdurans inconfessa mortem temporalem incurrit : Quod ubi uirgo cognouit : affusa lachrymis eleuatisque in cælum oculis pie conquerebatur : allegationes efficacissimas et ualde dulces adducendo : et præcipue de promissionibus a deo sibi factis : quod nemo de eius domo periret . adeoque eius efficax diutina et feruens oratio cæli fastigia penetrauit : ut genitricis anima corpori restitueretur : pluribus qui tunc aderant ualde mirantibus : Itaque mirabiliter actum est : ut uirgo suis orationibus animam patris absque pœna purgatorii cælo induceret : et matrem a morte duplici liberaret : ut aperte monstraret quantum in oculis æterni sponsi sui accepta esset . Contigit in eadem ciuitate Senarum circa annum domini M . CCCLxxii . peste ibidem existente dominum Matheum rectorem hospitalis misericordiæ huius uirginis deuotissimum omnibusque et præsertim pauperibus ualde utilem pestifero eo morbo lætaliter infici : sicut a medicis apertissime iudicatum erat : quod uirgo percipens† accensa feruore caritatis uisitauit eum : uerum priusquam lecto decumbentis fieret propior alta uoce clamauit : Surge Matheæ : surge : non enim tempus est in lecti mollitie quiescendi : Ad quam uocem illico febris et inguinis aposthema iacentem omnino || dimiserunt : Quo quidem facto uirgo fauores declinans humanos recessit . Cum autem in uia de Mathei ualitudine quæreretur respondebat : estote bonæ mentis : quandoquidem in præsentia non sit moriturus . Redeuntes autem qui ad medicos iuerant inuenerunt eum incolumem atque maxima læticia mirandam suam sanitatem enarrantem : quam et ipsi percipientes in gratiarum actiones pariter cum eis proruperunt . Iuxta ipsum hospitale soror alia de pœnitentia beati Dominici hahitabat† : quæ cum solario male firmato ceciderat . cumque de lignorum lapidumque aceruo collisis confractisque membris extracta iaceret : resumpto tandem spiritu querulos edebat clamores . quod uirgo audiens subito eam uisitauit : dumque uerbo exhortaretur manibusque uulnera sua liniret atque contectaret† : eodem instanti infirma se ex eiusmodi contractu sanatam inuenit . Sed ne uirginis humilitatem turbaret ea præsente susceptum conticuit beneficium . Cum uero recessisset : tam uicinis quam medicis a uirgine Caterina se mirabiliter sanatam prædicauit . Durante quoque supradicta peste Senis accidit quændam heremitam multæ uirtutis nomine Sanctum uirgini deuotum iaculo pestifero grauissime fuisse percussum . Quod ut uirgo percepit affectuosa caritate uisitans eum in domino consolata est . Postmodum eius auri appropinquans dixit . Ne timeas quia nunc non morieris . Cum uero uideretur quottidie magis infirmitati suæ succumbere : uirgo uesperi uisitauit eum attendensque omnes de salute eius diffidere : dixit iterum ad illius aurem ut ante fecerat eadem uerba repetiuit . Sed cum uideret aperte morti propinquare : ita quod iam pro eo funeralia parabantur : uirgo tertio ueniens et auribus infirmi adherens ait : Ego præcipio tibi in nomine domini nostri Iesu christi ne transeas . Ille uero iacebat ueluti exanimis absque sensu . facto tamen huiusmodi præcepto subito resumpto uigore aperiens oculos loqui cœpit . Atque cibo refctus† surrexit incolumis : et cum uirgo discessisset narrabat omnibus quæ sibi tertio ad aurem dixerat : Asserens hoc non esse minus miraculum quam si de sepulcro resurrexisset . Et quia noumius† eum approbate uitæ atque multæ conscientie | fuisse : eius asertionibus merito credendum existimamus . Gum† etiam eodem tempore sæuiret pestis : et magister Raymundus ad exhortationem uirginis pro salute animarum indefesse laboraret : quod plerique religiosi fugiendo se subduxerant : accidit ipsum eodem morbo lætaliter laborare . domum itaque Caterinæ magno licet labore contendit : periculumque quo grauabatur narrat : quæ eum longe afflictum uidens : tam efficaciter orationi se dedit : ut a sensibus aliquanto tempore raperetur . quo facto uirgine sic orante paulatim languidus adeo aperte se conualescere percepit : ut antequam uirgo rediret ad sensus : se ex toto sanatum repererit : parua tantummodo remanente debilitate . Virgo autem impetrata iam gratia et sensibus restituta cum cibum ægroto afferri iussisset : et illum sumpsisset mox conualuit : quod uirgo intuta† uade ait : et pro animarum salute labora : gratiasque reffer altissimo : qui te de præsenti periculo liberauit . Idem

magistro Bartholomæo alteri uirginis confessori contigit . eodem enim loco et tempore : cum supradicto magistro Raimundo pro animarum salute collaborans eodem morbo et opressus est : et admirabili modo a uirgine pariter liberatus . Post hæc una sororum de pœnitentia beati Dominici Germina nomine infirmitate : quæ Squinantia dicitur : pressa fideliter accessit ad uirginem : cui illa more suo condolens quod de suffocatione timeretur : sancta fiducia guturi manum apponens : et super eo signum crucis edidit et illa statim liberata est . Cum etiam ad ciuitatem Pisanam propter obedientiam perrexisset : et domum nobilis cuiusdam uenisset : nobilis ille quendam Iuuenem uiginti annorum ad eam adduxit : ut pro eo deum oraret : eo quod per decemocto menses ualida febre laborasset . Cui compatiens interogauit ab eo quantum erat quando peccata sua confessus fuerat : qui respondit : iam pridem sese id non egisse . Ad quem uirgo : Quoniam animam tuam tam diu neglexisti : nec illam purgare curasti : ideo disciplinam istam te deus in corpore sustinere uoluit . Igitur statim confitearis : et id tibi prodesse inuenies . Quod cum ille fecisset uirgo imponnens manum humero suo dixit : uade cum || pace Iesu christi dilecte fili : quia nollo febres illas ultra patiaris : Et ita factum est et per totam Ciuitatem miraculum diuulgatum est . Dum etiam uirgo ab Auinione rediret præcedens summum pontificem Gregorium . XI . urbi propinquaturum rediensque in urbem Tholonum intrasset : suis tacentibus : uidebatur : ut ita dicam : quod lapides acclamarent uirginem illuc aduenisse . Post cuius aduentum non paruum sexus utriusque concursum : quidam infantulus adductus est uirgini ita undique tumefactus : ut monstrum intuentibus uideretur . Cumque multi precarentur ut infantulum in ulnas acciperet : et illa hominum fauorem uitare uolens omnino renueret : audenti deuotione quidam iuxta dormientis uirginis latus eum collocauerunt : qui subito pristinæ sanitati restitutus est . ad multos uero rem mirandam prædicantes : Obsecro uos uirgo ait : ut saltem ista apud uos habeatis : atque nulli indicetis : quod impetrare nequit : Nam episcopus ciuitatis omnino uoluit eam uidere : secumque diu loqui : cuius laudibus et ipse assensit . Cum autem exinde uirgo urbem Genuam peruenisset : atque in domo potentis matronæ Orietæ scottæ cum utriusque sexus uenerabili commitiua declinasset : et ab ea deuotissime recepta fuisset : contigit ibi unum de eius scriptoribus Nerium nomine grauiter infirmari qui ex immensis doloribus et clamoribusque uniuersam domum incredibiliter molestabat . Cui cum omnino de eius sanitate medici desperarent . Stefanus qui eum ualde diligebat : accessit ad uirginem et ait : ueneranda mater ego miror : quia non huic seruo tuo opem feras . Ad quem illa : ut quid fili dilectissime turbaris uel contristaris : si deus istum fratrem tuum de laboribus eius præmiare uellit : de quo lætari debes et non dolere . Ille fortius instabat : Obsecro mater amantissima exaudi uocem meam : noui certissime quia uolens eum iuuare possis . At illa maternum affectum continere non ualens ait : hortabar ut conformitatem haberes cum uoluntate diuina : sed ex quo uideo te taliter afflictum : cum cras ad missam accessero pro comunione sancta reducas hoc ad meam memoriam : et ego promitto tibi : quod precem pro eo domino porrigam : tu uero orabis deum : ut exaudire me dignetur . Stefanus autem | hac promissione contentus mane sequenti coram uirgine dum ea iret ad missam humiliter genu flectens ait . Oro dulcissima mater mea : ne sim a meo desyderio fraudatus . Quæ tunc in illa missa comunicauit : Et post moram : atque suæ sancte mentis excessum iuxta consuetudinem eius tandem est sensibus corporalibus restituta : statimque ipsum Stefanum ibidem expectantem hilari facie allocuta est dicens : habuisti gratiam optatam . Et ille . Nunquid ait mater liberabitur Nerius ? Et uirgo certissime liberabitur : quia deus eum cum gratia nobis restituit . Tunc concito gradu accessit ad ægrotum ipsum in domino consolatus . paulo post medici : uenientes et signa multipliciter attendentes de sanitate cuius omnino desperauerant : cum admiratione magna in uicem dixerunt possibile esse ut adhuc sanaretur : Ipse uero iuxta uerbum uirginis mox conualuit : et pristinæ sanitati restitutus est . Nerio itaque sancto mirabiliter contigit antedictum Stephanum qui tunc erat alter uirginis scriptor ex maximis laboribus infirmis seruiendo acutissimam febrem incurrere : quamobrem in lectum decidit . Et quia ab omnibus diligebatur omnes ei assistebant . Quod cum sacre uirgini compertum fuisset : ea ad ipsum illico accessit : cui in feruore spiritus ait : Ego præcipio tibi in uirtutæ sanctæ obedientiæ : ne amplius febres huiusmodi patiaris : quod et factum est . Ille uero tempore quo Gregorius undecimus ad urbem uenerat : cum-

que Caterina eius mandato ut infra patebit Florentiam accessisset pro reconciliandis florentinis : procurante hoste antiquo : contigit uirginem extra ciuitatem ire . una uero sociarum eius de pœnitentia beati Dominici nomine Iohanna de Senis taliter pedem passa est : ut ualida febris eam inuaderet . Cum autem uirgo nollet eam solam relinquere : refugit ad orationem : qua orante suauiter infirma dormire cœpit . A somno postmodum : excitata ita se reperit perfecte curatam : ac si nihil huiusmodi mali passa fuisset . Quare a lecto surgens itineri cum aliis admirantibus omnibus parata fuit .

De miraculis per almam uirginem operatis circa liberationem a dæmonibus obsessorum . ||

Non cessabat sponsus æternus uirtutem quam interius concesserat huic sponsæ suæ etiam multipliciter propalare : non solum de cælo diuinam gratiam pro peccatoribus impetrando aut sanando seu uiuificando humana corpora : sed etiam imperando spiritibus infernalibus : ipsosque de corporibus obsessis expellendo : Quamobrem in Ciuitate Senensi . Michael sermonaldi filias duas habuit : quas in monasterio sancti Iohannis baptistæ domino dedicauit . contigit in breui minorem ætatis octo annorum a dæmone arripi : et uexari : ita ut omnes moniales admodum molestarentur : quare puella e monasterio educta fuit . Et cum omnino grammaticam ignoraret in latino tamen apte loquebatur : multorumque secreta detegebat : et ad quæstiones respondebat altissimas . Aliaque miranda et faciebat et dicebat . parentes eapropter eam ad diuersas sanctorum reliquias frustra adduxerunt : tamquam hoc miraculum esset uirgini domino dispensante reseruatum . Cum ergo parentes ad uirginem accessissent et humiliter filiam ei commendassent . uirgo respondit : Ego proh dolor a spiritibus immundis ualde uexor : Nunquid etiam indigeo spiritibus alienis : quo uerbo prolato fugit : et ita latuit : ut inuenire eam nequaquam potuerint : Quod ex humilitate uirginis euenisse cognouerunt . Vnde maiori fide succensi ad confessorem eius recurrerunt : compassione motus uirgini per obedientiam mandauit : ut illam puellam secum pernoctare permitteret . uidens ergo uirgo se undique coartactam† ad orationem cucurrit : puellamque flexis genibus orare coegit : totamque noctem illam in pugna cum hoste orans uigilansque expendit : tandem antequam illucesceret dæmon uirtute diuina coactus abcessit : et mox tunc liberata est . Cum autem uellent parentes sanatam secum adducere : uirgo prohibuit a spiritu sancto de futuro euentu docta : paucis autem diebus puellam domi suæ retinuit : Cum uero propter occurrentia quædam uirgo domum exisset : puellaque sola remansisset : aliqua morula contracta : uirgo socie suæ dixit domum statim redire debemus : præcipio enim lupum infernalem ouiculam nostram contendere ut uexet . Ergo cum festinatione redeuntes in | uenerunt puellam mutatam ualde et quasi furibundam . Tunc inquit uirgo : ah draco teterime : et quomodo ausus es innocentem uirginem iterum inuadendo uexare ? Confido in Iesu christo : quia ita nunc expelleris ut amplius non reuerteris . Cui dæmon ait : Si ego hinc exibo : in te firmiter introibo . At illa : Si deus ita decreuerit : absque cuius licentia nihil omnino potes . absit autem a me quod a sua uoluntate quoquomodo discordem . Tunc ille dæmon ex toto perdens uires aliqualem solummodo tumefactionem atque motus in gutture puellæ causauit . Sed uirgo gutturi manum apponens et signum sancte crucis imprimens sancta fiducia dæmoni præcepit ut abiret : quod et factum est . Quare permittente Caterina parentes eam secum tanquam nil ultra passuram adduxerunt . Sicut aperte postea probauit euentus : Nam ad monasterium regressa ad finem usque illesa perseuerauit . Ego uero puellam ipsam eiusque parentes noui . Tempore quoque quo uirgo ab Auinione redierat : et apud quoddam Senarum castellum uulgo Rocham nuncupatum contigit mulierem teribiliter a dæmone uexari . Eius uero hera Bianzina nomine Caterinæ humilitatem optime cognoscens ordinauit dæmoniacam qua uirgo transitura manere . ut ea uisa : uirgo magis ei compateretur : quam ubi uirgo fuisset intuta† : dominæ eius dixit deus tibi parcat o domina : quid est quod agere uoluisti ? Nunquid non ego satis a dæmonibus uexor ut aliam etiam adduci faceres ante me hoc modo uexatam ? mox tantum ad dæmoniacam sancta fiducia se conuertens ait : Ex parte Iesu christi præcipio tibi dæmon : ne te moueas inde : quousque rediero : et apræhendens uirginea manu

guttur illius mulieris : uiolenter caput eius inflexit super genua sedentis iuxta eam et abiit . Ille uero per os mulieris alte clamabat se cruciari dicens : Et cum ab astantibus ei diceretur : quare non egrederis : cum in huius gremio neque cathenis neque funibus alligatus sis : et hostium apertum uideas ? Ille respondens ait : Ego me mouere non ualeo : quoniam illa maledicta me suo præcepto ligauit . Et petentibus quænam esset de qua sic dicebat : Illa inquit maledicta inimica mea . Et cum interrogaretur : an eius esset inimi || ca magna : Respondit utique maior quam hodie habeam . Cum uero ei diceretur tace : quia Caterina : uenit : respondit nondum uenit : sed adhuc est in loco eum nominando ubi ea quæ mihi ualde displicent pro consuetudine facit . Et postquam fortius exclamasset quod uiolenter ibi detineretur ait : Modo reuertitur illa maledicta . Et interrogatus ubi tunc esset : respondit nunc est in tali loco . Et successiue intermedia loca designabat usquequo ubi ipse erat ingrederetur : qua uisa fortiter exclamans ait : ah quare me tam uiolenter hic tenes ? Cui uirgo surge miser et egredere citius : atque dimittas hanc Iesu christi creaturam : nec eam audeas amplius affligendo uexare . Quibus dictis spiritus ille nequam cæteras partes ex toto relinquens in gutture solum motus tumefactionesque horibiles excitabat . uirgo uero manum ibidem apponens signum sanctæ crucis imprimendo illum expulit . post uero aperiens oculos admodum de tanta congregatione quæ eam circumdiderat† mirabatur . Ipsa uero petebat quis ipsam illuc adduxisset : aut quando uenisset illuc : Cui dicebant : ipsam a spiritu maligno fuisse uexatam : Et ipsa : Ego huiusce rei non sum memor : sed tantum sentio me corpore ualde confractam : ac si duro ligno in quolibet membro percussa essem . Mandauit autem uirgo : ut ei cibus aliqualiter apponeretur : quo sumpto suæ liberatrici gratias agens ad propria per semetipsam est reuersa .

De dono prophetiæ .

Incredibile forsan uideri posset aliquibus quomodo spiritus prophetiæ tam excellenter in hac uirgine uiguerit : sed ita se habuit : ut aliquotiens non solum de gestis seu dictis imo uero quod est mirabilius de cogitatis tam ea præsente quam absente : unde q$\overline{m}$† confessori suo dixit : ego te ipso clarius cogitationes tuas intelligo . In ciuitate quoque Senensi Nicolaus armorum gloriac† spectatissimus patriam tandem repetere decreuit tempore quo uirgo ibidem florebat : presertim in admirabili peccatorum conuersione adeo ut nemo qui cum ea loqueretur posset euadere qui | aut conuerteretur penitus aut saltem confiteretur : et a consuetis in posterum peccatis abstineret . A quampluribus ergo : et singulariter a deuota coniunge† sua persuadebatur ei : ut Caterinæ loqueretur : Ille uero omnino ea contemnebat dicens : quid muliercula mihi in annis centum conferre posset ? cum autem uxor ob eiusmodi pertinaciam affligeretur : essetque uirgini nota eius orationibus uirum suum affectuose commendauit : quæ percipiens in somnis militi nocte quadam apparuit : et eum efficacissime monuit : ut si uellet æternam damnationem effugere monitis uxoris acquiesceret : et indillate perficeret . Qui statim euigilans : et cum uxore uisionem conferens ait : omnino cum uirgine hac loqui uolo : et uidere si æqualis est ei quæ mihi apparuit . Quod cum fecisset aperte eandem esse cognouit . ex quo statim peccata sua confiteri : uitamque pristinam emendare promisit . perrexit itaque ad confessorem Virginis eique deuote confessus est . Post hec uero rediens ad uirginem ait : iuxta tuam obedientiam quod peccata .† confessus sum ad quem uirgo bene fecisti inquit de cætero uolo te militem Iesu christi esse . multis uerbis eum exhortans : et subdidit : Nunquid omnia pecaata† tua bene confessus es . Ille constanter ait : Omnia dixi confessori tuo in cuius manibus me totum commisi . Et cum illa replicaret : ut bene conscientiam suam examinaret : ipseque diceret : ita se fecisse tandem secrete uirgo subiecit : tu eiusmodi eo tempore narratis ei peccati atrocitatem in Apulia commissum . quod ualde ipse secrete commiserat . Quare stupefactus ait : uerum est : sed per obliuionem dimisi . Sed tamen ad confessorem rediens humillime confessus ab eo fuit absolutus : Ipse uero tanto miraculo uiso : continere non potuit quin fere per totam ciuitatem aperte propalaret : quasi cum samaritana dicens : uenite : et uidete uirginem Caterinam : quæ mihi dixit ea quæ in remotissimis regionibus secrete commiseram . Et ex illo tempore ita uirgini obediendo adhæsit sicuti boni discipuli

obedire magistro solent . quantum autem ei necessaria fuit illa conuersio : mors ostendit protinus subsecuta : optime enim persuassus mi || grauit ad dominum . Accidit : fratres duos : alteri Gregorius : alteri Thomas nomen erat a pluribus latrunculis in obscura uia obseruari : ad quam cum peruenissent : ab eisdem illico rebus omnibus expoliati sunt : quos cum et occidere : et occulte sepelire cogitarent : ne faciunus† eorum in publicum deueniret : frater Thomas omne sibi subsidium humanum omnino deficere consyderans mentem uoluit ad filiam suam in domino Caterinam : dicens in corde : O dulcissima filia Caterina deo deuota succurre nobis in hoc tam crudeli periculo : quæ uerba uix ut mente perfecerat : latrones statim immutati sunt : et non modo uitam sed omnia quæ abstulerant eis restituerunt : præter paruam peccuniæ quantitatem . Cum uero postea redissent ad ciuitatem Senarum : ipse frater Thomas inuenit aperte : quod illo puncto quo uirginem inuocauerat : ipsa sociæ suæ dixit : audio patrem meum : qui me uocat : scioque ingenti aliqua eum necessitate urgeri : Et hæc dicens ad locum orationis accessit . Ex cuius utique uirtute admirabilis illa cordium mutatio facta est : nec ab oratione surrexit : donec rerum omnium fratribus facta fuerit restitutio . Anno domini . M . CCC . Lxxv . cum uirgo Pisis esset post ciuitatis Perusii rebellionem : quam magister Raimundus ultimus confessor uirginis ei uoce lacrimabili propter animarum detrimentum et ecclesiæ dei retulerat : uirgo quoque ualde condoluit . uerum ad illius amaritudinem temperandam ita subintulit : Non incipias tam cito flære quia multo magis flere te oportet : quod enim inpresentia uides ueluti lac et mel esse puta in comparatione eorum quæ sequentur . Tunc ille : nunquid maiora etiam mala uidere possumus quam uidendo christianos aduersus sanctam ecclesiam eiusque omnem rueerentiam† et obedientiam perdidisse ? Virgo respondit : Pater hæc nunc laici : sed cito uidebis deteriora : quæ clerici tam Romano pontifici quam ecclesiæ dei facturi sunt quando summus Pontifex nollet eorum corrigere mores : tunc enim tale scandalum inferetur uniuersali ecclesiæ : ut quædam ueluti hæretica pestis eam absque dubio dllacerabit† . Para igitur te ad patientiam : quoniam oportet te ista uidere . Predicta uero dictus sacerdos oculata fide uidit : cum exeuntes in urbem | Vrbano sexto creato in ecclesia scisma uidit inchoari . Cum autem uirgo de mandato dicti Vrbani sexti ad urbem uenisset : Et ipse magister Raimundus ad eius memoriam supradicta reduxisset : ipsa peroptime memor eorundem adiunxit : Sicut illo tempore dixit† super eo quod acciderat tunc esse mel et lac in comparatione supradicti scismatis : Ita nunc dico de præsenti scismate : quod uidelicet ludus appellari potest puerorum : eorum quæ subsequentur respectu : et præsertim in patria circunstante denotando regnum Apuliæ Tuscieque prouinciam : quod quonam pacto impletum sit : non solum in dictis locis : et in Patrimonio atque Ducatu : sed etiam diuersis aliis christianitatis partibus hucusque magistra rerum experientia clarissime docet . Sed ne quis de uirgine ista uelut Achab de Michea quod non prophetauit nobis bonum sed malum obiiciat : Post illa quæ de malis in ecclesia dei tunc futuris dixit : referenda sunt etiam quæ bona percipiendo retulerit nam . postea quam uirgo prædixit magistro Raimundo ea quæ supra memorauimus curiosior factus : quod ultra sciret quæsiuit ab ea dicens : Obsecro præcarissima mater : quid post hæc malorum in ecclesia subsequetur . Ad quem illa : Istis angustiis . atque tribulationibus expletis modo imperciptibili† hominibus : deus expurgabit ecclesiam suam sanctam : atque suscitabit spiritus electorum suorum . Sequeturque post mala tanta reformatio ecclesiæ sancte et sanctorum renouatio pastorum : quod ex solo cogitatu spiritus meus exultat in domino . Et sicut alias etiam sæpe dixi Iesu christi sponsa : quæ nunc est quasi tota deformis : tunc pulcherrima omniumque uirtutum diedemate coronata erit : cunctique fideles exultabunt in domino se sanctis pastoribus esse decoratos . Itaque infideles etiam populi odorifero Iesu christi præconio tractati ad ouile catholicam† adducentur . Agite ergo deo gratias : quia post huiusmodi tempestatem deus dabit ecclesiæ suæ grande admodum serenum . hæc illa . Quemadmodum ergo mala iuxta uerbum suum uenerunt : nec dum hucusque finis : ita magis est in diuina bonitate confidendum : quod simili modo bona per uirginem prophetata subsequentur in faillibilliter : || Patebitque toti populo israelitico imo christiano Adam† usque Bersabee commoranti . quod illa deuotissima uirgo Caterina fidelis atque ueracissima fuerit altissimi prophetisa : quanquam ei non nulli detrahebant : quod ipsa uirgo transmarinam uiam petituram sese dixisset : ad quam pro salute tam fidelium quam

infidelium quoscumque poterat animabat . Tanto namque desyderio pro animarum salute circa id accendebatur : ut non solum in Senis uerum etiam Auinionem accedens in conspectu domini Gregorii papæ undecimi constituta de eadem re mentionem fecisset . Et cum pontifex ei diceret : opportere prius inter christicolas pacem et unitatem ordinare : quo facto magis congrue posset eiusmodi transitus ordinari . illico sibi uirgo respondit : nullam pater beatissime uiam meliorem ad pacificandos christianos inuenire poteris quam ad ea sanctum iter præparando . Omnes enim gentes armorum quæ bellorum fomenta sunt inter fideles contra infideles ualde fideliter seruituri deo ibunt : pauci namque sunt adeo praui qui libenter non seruiant deo de actu : in quo delectantur : et qui per illum actum peccata sua redimere non gaudeant . Remoto uero fomento remouetur et ignis . Quare pater sancte plurima in uno bona facies : quia christianos non absque multorum etiam sacramentorum salute ad pacem reduces . Aliquibus uero uidebatur eam dixisse . qualiter dominus per illam uiam multas animas saluare deberet : quodque hæc propediem esset faciendum : cui etiam ipsa uirgo cum suis interesse prædixerat . hiis et aliis phantasiis atque somniis huius uirginis . lucidissimam famam in suarum detrimentum animarum obscurare conantur . Nam accedentes horto odorifero fertilique tam utilis et exemplaris uitæ rosas colligere deberent : quanquam spinas legere maluerunt . Preterea in ciuitate Senensi Franciscus malauolta pridem in ætate iuuenili mihi notus uitiis plurimis erat irrætitus : qui cum etiam in sacro matrimonio constitutus perdite uiueret : Nerius quidam nomine Caterinam sequi illum hortando obtinuit : a qua monita salutis uisus acceptare : uitam emendare pollicebatur : licet paulo post reuertebatur ad uomitum : quod ubi sepe numero ei contigisset : multis astantibus . Tu sæ | pe uirgo inquit ad me uenis instar auis phrenetice ad uicia tua reuolas . Cum ergo pluries ita fecisset una die cum sancto feruore prophetici spiritus uirgo dixit ei quampluribus ibi presentibus : sed uadas quocumque uolueris : semel enim altissimo concedente eiusmodi ligamen in collum tuum ponam : quod non amplius poteris euolare : sicuti postea rei probauit euentus . quippe qui post uxoris obitum protinus religionem intrauit : ut idem in contestationibus ab ipso pontifice factis de sanctitatæ uitæ atque doctrina uirginis apertissime narrat . Præterea tempore quo uirgo Pisis erat uenerabilis Bartholomeus rauenas insule Gorgone carthusiensis ordinis prior ex deuotione quam conceperat in Caterinam apud magistrum Raimundum eius confessorem sic institit : quod impetrauit pro spirituali consolatione suorum monacorum uirginis ad supradictam insulam accessum . postquam uero Caterina propinquior facta fuit : et monasterii prior implere desyderium suum optaret : omnes fratres adduxit ad uirginem ut uerbum exhortationis audirent ab ea . at humiliter illa excusationem querebat asserens se præsentibus dei seruis audire potius quam aliquid loqui debere . uicta tandem omnium precibus loqui cæpit : prout a spiritu sancto docebatur : atque ita de temptationibus monachorum . et deceptionibus dæmonum de cautelis habendis euasionibusque atque modis quibus ad uictoriam peruenitur eo pacto prosecuta est : ut omnes conuerteret in admirationem . Quare prior se ad magistrum Raimundum conuertens ait : Noueris in Iesu christo pater amantissime : me confessiones horum omnium audire : et optime per experientiam in quibus unusquisque seu deficit seu proficit nosse : quæ si uirgo presens ut ego audisset nihil ad materiam utilius faciens eloqui potuisset : non diuertendo penitus : nil de quibus indigent omittendo . Ex quo euidenter patet plenam spiritu prophetiæ esse .

De miraculis in rebus inanimatis .

Quia iuxta primam iusticiæ regulam obedientibus deo perfecte necessarium est : ut per omnia obediant : Merito nunc ostendendum est et in ista uir || gine quia deo perfecte fuit obediens quomodo creaturæ etiam inanimate ipsi obediendo reuerentiam exhibuerunt . tempore quo uirgo Senis apud Alexiam eius in Iesu christo filiam in eius domo moram trahebat : quæ quidem uirginis opera eius religionis habitum acceperat : et fere sine uirgine stare nesciebat . Accidit ob instantem anonæ caritudinem in eius domo fieri panes farinæ contride† . Cumque superueniente nouo Alexia pusuleret† uirginem an ipsius farinæ residuum proiiciendum esset : respondit : nunquid proiicere uis illud : quod dominus pro cibo humano produxit? tu enim si nollis illam

comedere : dato saltem pauperibus : qui utroque carent . Illa uero replicante quod ipsis panem idoneum daret : uirgo subintulit : Aquam para : et affer farinam quam proiicere cogitasti : quia ex illa panes : pauperibus Iesu christi uolo conficere dixit atque parata sunt . Intrauit itaque prima massam . deinde ex illa panes parua quantitate farinæ quouis etiam expulso fætore : et celeriter et plures numero confecit quot de quadrupla siue quincupla† massa fieri nequissent : non sine Alexie eiusque ancillæ stupore ingenti . portati postea panes de clibano cum ad iussum uirgins† mensæ apponerentur : omnes pariter confessi sunt : nunquam tam sapidum atque sincerum panem comedisse . deinde cum de ipso tam fratribus quam aliis pauperibus abundanter daretur : nec panis alius in domo comederetur : in arca tamen semper ipsorum copia remanebat . de dictis quidem panibus ego ipse uidi : et apud me post multos annos conseruaui : Post prædictum miraculum cum magister Raymundus audisset ipsam uirginem : de causa et modo miraculi interrogauit quæ ei secrete ita respondit : Me zelus aprehendit : ne cum gratia datum a domino despicerent : et compassio quam in pauperes habebam me urgebat : Vnde archam farine accessi mihique statim dei genitrix Maria dulcissima sanctis compluribus et angelis affuit asociata : Iussitque mihi ut quæ proposueram agerem . Ipsa uero tantæ dignationis fuit : quod sanctissimis manibus suis panes illos cœpit componere : quarum manuum uirtute panes illi multiplicabantur simul et dulcosi efficiebantur . Nam sancta mater Iesu christi panes a se | compositos mihi dabat : et ego Alexiæ et famulæ porrigebam : Quibus auditis composuit ipse magister atque confessor inter alia : ut quem ad modum dei genitrix uelut omnium mater omnibus uitæ pabula dedit : Ita datum fuerit isti uirgini ut modo suo faceret prout et fecit non solum interioris hominis pabula cottidie propinando sed etiam exterioris frequentius ministrando siue prouidendo : sicuti tam ex dictis quam ex dicendis aperte patere potest : Quare non immerito mater ab omnibus secum deuote conuersantibus appellabatur . Illo enim tempore quo Romæ fuit contigit aliquotiens meritis et orationibus eius panes pro subsidio totius eius familiæ multiplicari . Et quidem cum ipsa uirgo nihil terrenum penitus possideret : et ibidem in regione columne cum suis pura mendicitate uictum acciperet : nihilominus omnes hospites uel uenientes uel pauperes leto animo accipiebat . Erat enim cor eius fiduciam habens in domino : neque dubitabat : quin omnibus in necessariis affluenter diuina bonitas prouideret : quanquam eius familia utriusque sexus ad numerum circa triginta esse consuescerent . Et ut experientia frequentissime docuit : quando plures erant nihil ibi omnino deficiebat : cum uero pauciores essent nihil supererat . ex quo mirabantur omnes . uirgo uero ut omnibus prouideretur : ordinauerat unamquamque ex eius sociabus hebdomoda† sua dispensatricis officium exequi ut alii deo deuotisque peregrinationibus suis uacare possent : Ita tamen : quod si forte panis aliquando deficeret : ei nunciari deberet ante per diem unam a præfata dispensatrice : ut ita commode posset prouisum socias alias dirrigere aut ipsamet ire . Contigit uero quod huiusmodi bebdomodaria† obliuioni tradidit uirgini significare panem in domo donec hora prandii propinquasset non esse : quod aduertens uerecunde mox ei† mæsta uenit ad uirginem ueniam petens : et ei panis caritudinem indicauit : quam uirgo satis increpauit dicens : parcat tibi dominus dilecta soror : ut quid ad istam extremittatem adducere tantam familiam uoluisti ? Postea petiuit utrum saltem aliqui panes adessent : quæ respondit tam paucos esse : ut pro nihilo possent comparari . uirgo uero subintulit iniungas illis nomine meo discunbant || et cum pane illo exiguo prandere incipiant : donec dominus aliter prouideat : qnibus† dictis ad orandum accessit . Quid ultra ? Edentibus illis famelicis et ex præterito ieiunio fatigatis exiguus panis consumari non potest : ex illo fiunt offæ pulmentariæ . quilibet ad uotum saturatur . panis ille quottidie restabat in mensa : quamobrem omnibus admirantibus interim audiuerunt uirginem feruentius orationi uacare : ex quo creditum fuit eius oratione mirabillem multiplicationem illam panis perdurasse : finito enim prandio tantum etiam panis non solum sororibus quæ tunc† aderant superfuit : sed etiam iussu uirginis de ipso larga fuit eleimosyna pauperibus erogata . Simile signum postea etiam contigit per unam in quadragesima hebdomada tunc existente dispensatrice quadam alia sorore feruoris admirandi de qua seriose scribitur in legenda : Quare gratia breuitatis omittitur hoc aliter explicare . Aliud quoque prænotatis addimus quod me præsente aliisque quampluribus in conuentu nostro Senensi contigit : Cum enim reuerendus pater magister Raymundus tunc ordi-

nis nostri generalis et olim huius uirginis confessor . ordinasset caput eiusdem uirginis ad ciuitatem Senensem a Roma transferri : ubi diem extremum clauserat : cumque solemni processione reciperetur a nostris fratribus : atque iuxta eius ordinationem honorifice fuisset executioni mandatum : et ut erat dignum ingenti deuotione tam populi quam spiritualium filiorum utriusque sexus ipsius uirginis : decreuit ipse magister die illa fratres in refectorio habere pluribus etiam præcipue ex filiis uirginis ipsius inuitatis . Hora uero prandii animaduertit prior tantum panis quanto opus erat paratum non esse . quare statim fratres misit ad non nullas deuotas spirituales :† personas et necessarium panis supplementum mendicare iussit . cum uero redire differrent et hora prandii multa esset : optimum factum putauit prandium inchoari : donec redirent fratres : tandem domino dispensante : minime antequam de mensa surrexissent redierunt : modicus enim ille panis ita multiplicatus est ut tam conuentui quam inuitatis hospitibus suffecerit : ut etiam reliquiæ pro pauperibus ad celarium exportarentur . Postea uero redeuntibus illis cum pane : totus pro alia | die reseruatus extitit . magister autem antedictus . aliquam collationem fecit inuitatis de uirtutibus uirginis : miraculum quoque introducens de panibus paulo supra recitatis : tam meritis ipsius uirginis dum uiueret frequentatum : quam etiam post eius transitum iteratum . Verum quia facta est mentio de miraculosa panis multiplicatione : ideo licet iam supra dictum sit : ubi de uino meritis huius uirginis in Senis augumentato scribitur : addam tamen illi simile : quod in ciuitate pisana duplici miraculo factum contigit . Cum enim uirgo ibi esset infirmitate corporis adeo grauata : ut de eius uita ualde dubitaretur : et sermo de uino albo : quod uulgo uernaciam dicunt : pro uirginis pulsibus liniendis occurrisset : rogauerunt quendam ex uicinis : qui hactenus uinum eiusmodi habere consueuerat : Ille uero se libenter traditurum si haberet asseruit : eo enim se elapsis tribus mensibus carere affirmauit : nuntio subiungens in huius argumentum ueritatis : uade tu ipse ad uas : Qui cum iuisset cadum : inuenit uino abundare . quare tota domus obstupuit haurientes itaque eiusmodi uinum non pro uirgine tantum : sed etiam pro uicinis ciuibusque quamplurimis : omnibus asserentibus nunquam uinum excellentius bibisse : miraculum hoc palam fit : ita ut postea domum forte egrediente uirgine illico ciuitas uniuersa ad eam uenit : optabant enim uidere uirginem : quæ cum uinum non gustaret uino miraculose uacuum uas implere potuit : quod ubi animaduertit . uirgo contristata fuit . Et humiliter orando dominum ait : Vt quid domine me misellam ancillam tuam tanto flagello cordis uoluisti afficere : ut facta sim obprobrium uniuersis ? Quis a clæmentia tua postulauit uinum . Ego tua gratia concedente uinum corpori meo iam pridem subduxi : et nunc propter uinum omni populo in contumeliam facta sum . obsecro pietatem tuam ut uinum illud taliter euanescere facias : ut omnis fama cesset huiusmodi : quæ inter istos homines diuulgata uidetur . Quid ultra ? Exaudiuit dominus uocem eius . et quasi contristationem illius sufferre non ualens : primo miraculo secundum non ignobilius addidit : quia cum uino miraculose multiplicato multi ex ciuibus multa deuotione bibissent : nec ex hoc uas uideretur quoquomodo ua || cuatum esse protinus tamen totum uinum in feces conuersum factum est impotabile : quod ut uirgo intellexit iucunda effecta est sponso suo gratias agens : qui eam a laudibus hominum quas egre tollerabat : liberauerat .

De sancte communionis frequenti sumptione .

Compertum est et deo et mihi pluribusque aliis quam multa deuotione præ cæteris uirgo hæc sacramentum corporis et sanguinis Iesu Christi admirando miraculorum successu frequentauerit : de quibus et si in præcedentibus aliqua facta sit mentio : non nulla etiam addenda putamus . e quibus unum est : per communionem corporis dominici Caterinam quottidie absque cibo corporeo uiuere : licet ipsa uirgo non uere quottidie sed frequenter eucharistiam sumebat : quanquam si licuisset quottidie sumpsisset illam : adeo autem hoc desyderabat : ut si illo priuata fuisset : longe magis eius corpusculum mentali passione : quam uæhementi dolore siue febre afflicta fuisset . Quare confessori : crescente dominici corporis desyderio : dicebat : Pater ego exurio : per deum detis anime meæ cibum . Vnde Gregorius undecimus concessit ei ut eligere confessorem posset : qui eam absolueret et ei eucharistiam dare posset . Cum in ciuitate Senarum uirgo optaret eucharistiam accipere : id magistro Raymundo

confessori suo significauit : qui libenter eam expectare promisit . Postea uero ægrota eo pacto effecta est : quod hora congrua ad ecclesiam ire nequaquam potuit : quare ne confessor eam frustra expectaret et missam omittendo impedimento uirginis perderet : ei notificatur ut eat ad altare : Interim uero desyderium sancte orationis in corde uirginis adeo creuit : ut admirantibus sociabus a lectulo surgeret : et ad ecclesiam uiolenter accelerat : Et quia missa iam cœpta erat super altare cui mulieribus erat prohibitum adesse : in ultimo ecclesiæ loco orare cœpit reputans se ad uenerabile sacramentum indignam accedere : desyderium uero suum ex hoc amplius accendebatur . Tunc ille qui sanctum ignem accendebat et qui libenter exaudit oratiouem† humilium . admirabili modo satisfacere ei decreuit : nam cum con | fessor eius ad diuisionem peruenisset hostiæ : dum uellet in duas partes diuidere : tres partes factæ sunt : quarum tertia ipso uidente super corporale cecidit : quam postea manibus expeditis diligentissime perquisiuit : nec alicubi potuit inuenire : Ex quo contristatus disposuit in missa procedere propter astantes : post uero diligentius inquirere : pannos etiam ab altari remouere et consilium superinde habere cogitauit . dum hæc aguntur . prior ordinis carthusiensis optabat uirginem alloqui : quare finita missa confessori eius indicauit : se cum uirgine optare habere colloquium . Ea uero in ecclesia erat . confessor admiratus descendit eamque inuenit : cum qua conferre cœpit de materia turbationis : quam habuerat in altari . Incipienti autem rem gestam aperire uirgo surrisit honestissime : Cui confessor Ego satis affligor : et tu rides . Et uirgo læta facie subiunxit : non expedit habere solicitudinem ultra quærere : quod nunquam inuenturus sis . proinde confessor ab ea scire causam sancte uoluit lætitiæ : Illa autem narrauit saluatorem ipsum manibus suis illam hostiæ particulam sibi tradidisse : et subiunxit : non itaque tristeris : quandoquidem tibi nihil mali : mihi uero maximum bonum obtigit : Quare totam diem hanc in laudem et gratiarum actiones expendere uolo ut teneor . quibus auditis et ipse confessor in gratiarum actiones statim prorupit : et omnis eius amaritudo conuersa est in dulcedinem : tristicia in gaudium : dubietas in solatium . Porro ex quo uirgo ab Auinione ad urbem Senas redierat : contigit ut in die sancti Marci magno desyderio succenderetur ad sacram communionem : quare confessori suo dixit O si sciretis pater quantum esurio . Ille uero uolens ei satisfacere : se præparauit ad missam celebrandam in ipsius uirginis cellula : sicuti ei Gregorius undecimus concesserat : Cumque multis astantibus missa finita se ad uirginem communicandam sacerdos conuertisset : uidit eius faciem ut faciem angeli solares radios emittentem et habentem aperte aliam figuram : ita ut ad modum miratus in mente diceret : Ista uera est facies Caterinæ ? propter quod in mente sua concepit hanc uerborum sententiam : uere domine hæc est tua fidelissima sponsa Et hæc dicens : absolutioneque fa || cta se conuertit ad altare et ita mentaliter ut antea dixit : Veni domine ad sponsam tuam . statim hostia sacra : priusquam illam quoquomodo sacerdos contingeret : ultra se ipsa mouit uenitque uersus eum ut apertissime uidit per aliquantum spatium : Donec peruenit ad patenam : quam manu tenebat : Vnde tam ob claritatem faciei quam ob hoc secundum signum stupefactus ait : non bene recolere an hostia sacra patenam ascenderit opinione tamen sua tenebat : ultro patenam ascendisse : cum apostolo dicens : deus et pater domini nostri Iesu christi scit et mihi testis est : quia non mentior . Retulerunt etiam non pauci sexus utriusque fide digni mirabile : sacram eucharistiam e manu sacerdotis in os uirginis : quando eam sumebat euolasse . prefatus quoque euis† confessor de se ipso recitat sicuti ipsam uirginem communicando sentiebat : quod ipsa eucharistia quendam sonum siue strepitum faciebat : dum in eius os intraret : ac si quidam lapillus fuisset in os eius a longe uiolenterque proiectus . Magister Bertolameus de Senis alius eius confessor quando illi sacram eucharistiam dabat : sentiebat duobus digitis quibus hostiam sacram tenebat uiolentiam quandam fieri : et eam quasi uiolenter ab eisdem digitis prosilire : Que duo inter alia dictam euolationem hostiæ confirmare uidentur . preterea non semel tantum sed aliquotiens atque diuersimode uirgo sacram sumpsit eucharistiam a Iesu Christo : atque ipse dominus loco sacramentalis communionis uirginis os ad uulnus sacratissimi sui latteris apropinquabat . Quandoque etiam dum communicaretur uirgo seu paulo post siue dum interesset missæ uidebat angelos habentes uelum aureum manibus tenentes et hostiam : quæ quandoque transformabatur in pulcherrimum puerum . quandoque angelos atque sanctos super altare domino benedicentes : Aliquando tres

facies : ex quibus una postmodum efficiebatur . nonnunquam altare totum ignitum : quandoque etiam sacerdotem et ipsum Iesum christum seque ipsam in igne esse . Aliquando lucem super altare : quæ totam ecclesiam illustrabat . sæpe sacerdote diuidente hostiam ostendebatur ei : quomodo quælibet pars erat totum : et aliquando tota trinitas sub diuersis figuris siue signis ei uidebatur : quandoque hostiam | in christum sub diuersis ætatibus transformatam : Necnon et hostiam uidebat modo ignitam : modo sanguinolentam : modo carneam : aliquando uidebat uirginem dei matrem : hostiamque sacratam ac non consecratam mirabiliter agnoscebat . Descendentes ad aliam huius capituli partem idest de miraculis erga sanctorum reliquias a domino mediante uirgine perpetratis . Notandum est quod isti uirgini dum ageret in humanis a domino reuelatum est : quod in cælo quandam sanctam agnetem de Montepolitiano uirginem atque sanctimonialem ordinis prædicatorum erat habitura consortem : quamobrem succensum est in mente eius desyderium eius reliquias uisitandi : Et ita postea fecit . cum igitur peruenissrt^{t} ad monasterium ubi corpus beate illius Agnetis conseruatur adhuc inhumatum et multis astantibus accessisset ad corpus : flectens genua inclinauit caput : ut pedes oscularetur : mox corpus exanime alterum eleuauit pedem : eique priusquam uirgo se omnino inclinasset osculandum porrexit : quod illa animaduertens : et ex hoc humilior effecta se amplius inclinauit : quare pes beate Agnetis paulatim ad locum pristinum deductus est . uirgo deinde Caterina patriam repetiuit : decreuitque ipsa uirgo duas neptes suas digno obsequio in ipso monasterio collocare : quare ueniens cum societate decenti deuote ad illud uenerabile corpus uisitandum perrexit : neque ad pedes ut prius iuit : sed quod Magdalena Iesu christo fecit : post pedes accessit ad caput : uolens : ut extimo : uitare pedis eleuationem . uerum alio modo Agnes eam honorauit : Cum enim uirgineam faciem super genas Agnetis operimentis sericis aureisque tectam posuisset : de celo descendit albissimum manna quod uirgo Caterina perpendens ad socias inquit : Num aduertitis quod donum nobis e celo porrigitur : ad cuius uocem oculos eleuantes uiderunt manna minutissimum pluuiæ more tam copiose descendere : ut non solum uti nix omnes cohoperiret : sed etiam una sociarum uirginis manus suas granis impleuerit : et non absque causa miraculum id apparuit : quandoquidem signum de manu fuerat Agnetis dum ageret in humanis ualde consuetum . unde uoluit Agnes uirgo Caterinam uirgi || nem futuram sibi sociam in celis . consueto signo illam incipere in terris et sociare pariter et honorare . Nec ab re : ut uidelicet ex prauitate^{t} et albedine manne puritas et humilitas utriusque uirginis Agnetis et Caterinæ palam fieret .

De felici uirginis Caterinæ transitu .

Vox est ueteris synagogæ admirantis ecclesiæ felicem ascensum ac anime cuiuscumque uolatum cum stupore multo percunctantis dum dicitur : Quæ est ista : quæ ascendit de deserto deliciis affluens innixa super dilectum suum : quæ uerba congrue possunt ad nostrum propositum applicari de nouella Caterina uirgine . Nam pro illa quisque potest erga uirginem istam tria patenter aduertere . Primum omnium : uirtutum eiusdem excelentiam singularem : dum tam admiranter dicitur : Quæ est ista . Secundo intueri uolatum auium leuiorem per affluentiam spiritualem : cum subditur : quæ ascendit de deserto deliciis affluens . Tertio uero cernere dominum eidem unitum per feruorem et adherentiam eternalem : cum subinfertur innixa super dilectum suum . Horum autem primum in prima historiæ parte patet . in qua singularibus donis ostenditur etiam ab infantili ætate fuisse præuentam . deinde dotatam fuisse usque ad admirabilem eius desponsationem . Secundum uero demonstratur propter ascensum uirtutum : quæ in ea fuisse narrantur . adeo ut exterioribus expeditis necessitatibus animarum ueloci et agillimo cursu per huiusmodi raptus et exteses . ueluti flamma ignis ad alta consurgens non solum mente leuaretur in deum : uerum etiam aliquando grauedo corporis a terra suspenderetur in altum . Ita ut aliquando uiuens scisso corde anima fuerit a corpore separata . Licet post aliquod spatium : ut dictum est corpori mirabili modo restituta . Tertium uidebitur : quonam pacto post merita passionum . et operum caritatis dei ac proximi innixa . miraculis atque signis dominus aperte demonstrauit : quanta fuerit ex hac luce transiens excellentia sublimata : et per gloriam sponso suo æternaliter innixa . Cregorius^{t} enim undecimus cum ab Aui-

nione ad urbeem† uirgo de ipsius mandato uenis | set pro reconciliandis eo florentinis florentiam accessit . Indeque licet interuenientibus immensis laboribus et persecutionibus usque ad mortis intemptationem nunquam tamen abscedere uoluit : quousque succedente Vrbano sexto pax inter pastorem et gregem declarata fuit . Quo facto ad ciuitatem Senarum rediens non solum more suo plures epistolas quarum plurimæ ad manus meas peruenerunt : est indefesse persecuta : uerum etiam librum non uirtute naturali sed iuxta sancti spiritus unctionem absoluit . Post hæc dicti Vrbani præcepto opportuit uirginem quam in Auinione cognouerat urbem accedere : qua iucundo animo uisa uoluit ipse pontifex : ut coram cardinalibus uerbum exhortatioois† uirgo præcipueque propter ocurrens scisma proferret in medium . Quod cum admirabiliter fecisset exhilaratus papa uirginisque uerba resumens astantes confirmauit : et uirginem abunde commendauit . Post aliquot uero dies cogitauit Papa uirginem ad reginam Iohannam tunc ecclesiæ rebellem una cum alia Caterina beatæ Brigidæ sueuæ legatam mittere : Sed ob uarios casus qui uirginibus euenire potuessent† : eam Papa reuocauit : quod cum a confessore percepisset fide caritatisque zelo succensa dolens ait : Si Caterina : Margarita : Agnes alieque sanctæ uirgines his attendissent : martyrii coronam nunquam acquisiuissent . Nunquid non habemus sponsum : qui nos de manibus impiorum possit eripere et inter fædam hominum turbam nostram pudicitiam conseruare : dubitationes enim huiusmodi potius ex defectu fidei quam a prudenti et uera uirtute procedunt . His itaque gestis Papa magistrum Raymundum confessorem uirginis in fauorem ecclesiæ in franciam destinare decreuit . Cum ergo confessor de tali materia cum uirgine uerba fecisset : illa non solum ut obediret : ei suasit : uerum etiam pluribus rationibus animauit . et inter alias ueritatem pontificatus Vrbani sexti efficaciter affirmando : Et quod pro ueritate et fide catholica uitam deberet etiam exponere . cum uero ad uirginis suasionem esset in procinctu : uade inquit uirgo in pace : quia post hunc a me discessum . inuicem uiuentes non loquemur amplius . Postea ad nauem ueniens cum iam ipse magister aliique ingres || si nauigare cœpissent : illa ibi genu flexit : atque oratione facta signum crucis post eum edidit : ac si aperte dixisset : Tu fili secure signo sanctæ crucis te protegente transibis : sed in hac uita matrem tuam amplius non uidebis . Quæ omnia miro modo conpleta fuerunt . Ipse namque sospes Genuam deinde in Franciam perueniens : pontificis mandato impeditus ibidem ad tempus resedit . Interim uirgo uitæ præsentis cursu felicissime consumato cælos admirabili martyrio laureata conscendit . Quare cum eius confessor historiam hanc post eius ab urbe disscessum† non ualuerit absoluere : sed tantum quæ uel epistolis uel ex fide dignorum relatione cognouerit attestari : multa testibus utriusque sexus cum eorum laudabili descriptione explicatam fecit mentionem : quæ omnia ego gratia breuitatis omitto .

De his quæ contigerunt ante uirginis obitum . Et de martyrio quod a dæmonibus ipsa suscepit .

Postquam in præcedenti capitulo ut dictum est magister Raymundus uirginis confessor ab urbe recessit : cum pontifice uirgine remanente plurima narratione digna circa uirginem acciderunt : quorum aliqua ueluti præludia quædam eius ad gloriam exponenda sunt . Sciendum itaque quod Vrbano . vi . propter scisma quod uirgo præuiderat atque prædixerat persecutionibus angustiisque uallato fiebant uirgini lachrymæ suæ panes die atque nocte non cessanti clamare deuotis orationibus ad dominum pro pacifico ecclesiæ suæ statu . Et quamuis habuerint aliquod refrigerium ex habito triumpho de quodam exercitu scismaticorum ab extra et de recuperatione castri Sanctiangeli ab intra : nec non et de consilio uirginis ipse Papa nudis pedibus ad ecclesiam sancti Petri se transtulisset : tamen in uirgine dolores ualde renouari cœperunt : exorta discordia inter ipsum pontificem et romanum populum : quæ adeo creuit : ut ille populus aperte mortem intemptare pontifici minaretur . Quod ubi uirgo percepisset feruenter orationi se tradens . humillime deum orabat : ne scelus id accideret . Cum autem oraret uniuersam uidit ur | bem plenam dæmonibus ad paricidii scelus populum incitantibus : eique terribilibus clamoribus insultantibus atque dicentibus : Maledicta tu quæ nos quottidie niteris impedire : sed horrenda te proculdubio morte occi-

demus . Et cum uirgo feruentius oraret : responsum a domino habuit . ut sineret populum huiusmodi scelus incurrere : ut pro suis demeritis et secundum quod exigeret iustitia diuina puniretur : apertaque terra demergeretur ad infernum . Sed illa feruenter pluribus diebus atque noctibns† orando perseuerauit . adeo quod nisi dominus eius corpusculum illico noua fortitudine circumuallasset : cor eius in corpore crepuisset . Post allegationes uero plurimas orante uirgine pro diuina misericordia et domino suam iusticiam allegante : uirgo tandem audacter ita sibi respondit : Quod pœnæ huic debetur populo : fiat obsecro super corpus meum : quia libentissime pro tui nominis honore atque pro ecclesia tua sancta bibam hunc calicem passionis corporalis et mortis sicut ueritate tua semper optaui : cum primum tuum amorem toto corde totaque mente te donante concepi : quibus dictis exaudita fuit : Nam ex eo tempore infernales dæmones a deo prius habita uenia corpusculum uirginale tot et talibus pœnis atque langoribus afflixerunt : ut pellis ossibus inhæreret : quin etiam eandem tot uerberibus atque percussionibus alliserunt : ut aperte a uirginis filiabus in christo signa percussionum et uerberum illatorum conspicerentur : Neque poterant sociæ illæ suæ ac in christo filiæ super hoc adhibere remedium ita domino dispensante . Itaque uirgo quasi monstrum uidebatur . Et quanto feruentius orationi uacabat : demones illam acrius infestabant inter illata tormenta uoces terribiles emittentes atque dicentes : Maledicta tu quæ semper nos es persecuta . nunc uero tempus adest : in quo de te plenam sumemus uindictam : quia tu nos hinc expellis : nos uero de te uita corporali excludemus . Quocirca erga sanctam ecclesiam eiusque pastorem tanto succendebatur zelo et continuis orationum exercitiis gemitibusque in enarrabilibus detinebatur : ut neque cibum nec etiam aquæ guttam ualuit ad refrigerium sumere tale in guture patiebatur incendium : ut per os || ignem quodammodo spirare uideretur . Eo tamen tempore duas epistolas confessori suo scripsit . In illis inter cætera notificando : non solum de præmissis : uerum etiam de quibusdam aliis excessibus ualde notabilibus : qui sibi tunc occurrerunt : quorum unus de dolore cordis et eiusdem super ecclesiam distillatione siue compressione inscribitur . Atque de litteris ab ea Pape dirrectis : etiam de quibusdam promissionibus et uerbis eo modo quibus usus est Iesus christus transiturus ex hoc mundo ad patrem : et beatus Dominicus in suo transitu . Interserit insuper ibi salubres admonitiones et singulariter ad prædictum magistrum Raymundum pertinentes . Ibi notificabat obedientiam a domino sibi commissam ut singulo die et mane audita missa sumptaque communione semper iret ad sanctum Petrum : Et hoc usque ad dominicam tertiam quadragessimæ præcise pro eo quod ex tunc omnino decubuit usque ad diem obitus eius : de quo transitu suo ostensum fuerat ei : cum esset in ipsa sancti Petri ecclesia : quomodo uidelicet ecclesiæ nauicula super eius humeros posita fortiter opprimebat eam : adeo ut moriendo in terram obruta caderet : Et ita post ipsam diem dominicam hebdomades octo præterierunt : in quibus uirgo decubuit . Antequam ex hac uita migraret tota pœnis atque doloribus affecta non uti naturalibus imo uerius infernalibus et inauditis . Quæ tamen omnia læto animo perferebat : ac si non esset ipsa quæ talia tolerabat : mirabantur omnes eam uidentes : et audientes : Et re uera uelle eius patientiam exprimere potius est eam offuscare . Nunquam ex ore uirgineo murmur uel otiosum aliquid audiebatur : laudes tantum altissimi resonabant atque gratiarum actiones : et si ultra quam exprimi possit corpore affligeretur facies tamen illius angelica et deuota semper apparebat .

Quomodo Caterina desyderauit dissolui et esse cum Christo .

Appropinquante termino cursus eius corporee uitæ per diuersa iudicia dominus aperte ostendebat gloriam : quam erat uirgo consumatis laboribus acceptura . Inter alia uero fuit hoc unum : quod utique per | fectorum est : quoniam eius desyderium iugiter accendebatur a corpore dissolui et esse cum Christo . quamobrem biennio ante eius transitum tanta claritas ueritatis ei diuinitus aperta fuit : ut librum de quo supra facta est mentio coacta componeret et quantocyus perficeret : Qui liber dyalogum quemdam in se continet inter unam animam : quæ petitiones quattuor a domino postulabat : et ipsum dominum ei respondentem . Ac etiam de multis ueritatibus omnem statum ecclesiæ concernentibus informantem : In cuius calce libri duo ponuntur : quorum primum est epilogus a deo factus animæ ipsius uirginis perfunctorie a

principio libri usque ad finem : secundum est oratio quædam uirginis in qua deo patri gratias agit et desyderium uidendi deum sicuti est : affectuose multipliciterque exprimens orationem ipsam concludit :

De transitu uirginis .

Sicuti paruitati meæ relatio fidelis testium fide dignorum apertissime reserauit : Ita per alias etiam uias compertum habui : uirginem sui exitus horam appropinquantem intellexisse . proinde toti familiæ sexus utriusque exhortatorium sermonem fecit : cuius articuli siue conclusiones aliquæ hic annotantur . primum quod accedens ad dei seruitium si uult deum ueraciter habere per gratiam eumque possidere : necessario cor denudare debet ab amore creature cuiuslibet extra deum : simpliciterque toto corde tendere in deum creatorem : Asserendo quia cor non potest dari deo totaliter nisi sit ab omni alio amore liberum apertum et simplex absque duplicitate : dicebatque se principaliter ad hoc perficiendum a pueritia laboriose studuisse . Secundo . dixit se cognouisse : quod ad huiusmodi statum nisi per orationem perfecte peruenire quispiam posset . magnum ideo conatum illi appossuit . ipsam orationem ualde commendabat multipliciterque extollebat : distinctionem inter uocalem et mentalem faciens . Tertio dixit quia cum lumine uiuæ fidei clare uidit et in mente concepit : quod quicquid ei uel aliis accidebat : a deo procedebat : non odio sed ingenti amore quem ad suas habet creaaturas[†] . Quarto dixit quod ad acquirendam cor || dis puritatem omnino cauendum erat a quocumque temerario in proximum iudicio . et ab omni uana de eo locutione . Nan[†] in quibuscumque creaturis solam dei uoluntatem debemus aspicere . Quinto quod maxima spes in diuina prouidentia ponenda sit quam in omnibus opportune inuenerat et experta fuerat ineffabilem . Sexto ex præcepto saluatoris suadebat eficacissime firmam dilectionem inuicem habendam quod qui facerent se eis offerebat in matrem ipsique se eius esse filios essent demonstraturi . Septimo quadam caritatiua auctoritate mandauit : ut semper eorum desyderia accensa essent : et ea in conspectu dei deuotis orationibus humiliter pro ecclesiæ sanctæ refformatione atque Iesu christi uicario offerrent . Asserendo semper se hoc optasse : sed præsertim a septem annis citra nec non et propter huiusmodi gratiam obtinendam infirmitates aliasque pœnas in corpore tolerasse et quod de Iob legittur sathanæ concessum fuisse uidebatur ut uirginis corpusculum a planta pedis usque ad uerticem torqueret : Octauo subintulit sibi uideri : quod ex anxio desyderio post huiusmodi pœnas ei diuina bonitate concessas anima sua deberet a carcere corporis adduci : et ad suum redire principium : cumque astantes admodum mirarentur quam læto animo horribiles pœnas toleraret : et ex hoc ei compaterentur . et cum gemitu ob eius transitum tristarentur : dixit eis : Non debetis amantissimi filii mei contristari de transitu meo : sed gaudere et congratulari quandoquidem pœnarum locum dimitto : et ad quiescendum in mari pacifico deo æterno uado promittens uobis . quod de cetero perfectius ero uobiscum et uobis magis utilis post obitum quam uiuens fuerim ero : post uero uelut alter Martinus uitam atque mortem in manu sponsi sui libere posituram se dixit . Nono conclusit : quod ubi transiret indubitansissime[†] tenendum erat ab eis : quod uitam exposuerat pro dei ecclesia : et hoc pro singulari gratia sibi concessum esse existimabat . Decimo uirgo de quolibet ordinauit in sua familia quid post transitum eius agere quisque deberet . Ab omnibus humillime postea ueniam exposcens tam de commissis quam de ommissis erga eos : nihilominus asserens eorum semper affectuosissime desyderasse salutem . | Vndecimo exhortatur ut uirtutis uiam usque in finem prosequerentur : quoniam ita facientes essent eius gaudium et ornata corona . Et his dictis fidem sermoni fecit omnibus deinde amare lugentibus eos singilatim affectione materna et more sno[†] signauit et in domino benedixit . Scribit magister Bartolomeus quod dum uirgo hæc ad mortem infirmaretur contigit ipsum quadam urgente occasione urbem Romam accedere : ubi uirginem inuenit ualde debilitatam et ueluti mortuam iacentem : ex quo ualde contristatus obstupuit . Adueniente uero die dominicæ resnrrectionis[†] cum ipse magister non absque difficultate confessionem eius audisset : et pro pœnitentia imposuisset ei dominum orare : ut mane illo cum eius familia solito more communicare atque pascere ualeret . Oratione facta et a domino exaudita ipsamet omnibus stupentibus surrexit a lectulo et cancellatis manibus flexisque genibus

ante altare stans eam iuxta uotum communicauit et post abstractionem assuetam sensibusque deinde restitutam stetit quasi immobilis uti prius : et alienis manibus adducta ad lectulum fuit . post multa refert uirginem ei persuasisse reditum quia sic oportebat . Ipse uero respondit : quod nisi a domino conualescentiam impetraret : nullatenus uellet eam in tali statu dimittere . Cum ita uirgo promisisset et opere perfecisset : exhilaratus ille ei ualefecit : ab eaque discessit . Non multo post ei notificatum fuit : post eius discessum ad pristinam debilitatem atque grauedinem eam rediisse . Cum igitur uirgo in dies amplius grauaretur grauissimis pœnis eam affluentibus ad dominicum usque diem fere per duas horas ante diluculum uidebatur uirgo ultimo fini propinquare : quamobrem uniuersa familia uocata fuit : qua astante uirgo humiliter et deuote annuit ut a culpa et a pœna absolueretur iterumque muniretur sacramentis ecclesiasticis et ad uotum est ei satisfactmm† cum unctionis extremæ sacramento : quibus confectis uirgo cœpit : ut in morte . fieri solet cum hoste agonizare quod astantes eius actus uerbaque attendentes aperte cognouerunt : tum cum tacendo faciem oculosque immutaret tum respondendo cum audenter diceret : uanam gloriam non : sed ueram || gloriam in Iesu Christo crucifixo libera tandem a tam terribili bello de hoste mirabiliter triumphauit . Ita ut quæ tempore belli turbata et angustiis quasi embicua iaceret : postmodum in angelicam alacritatem iucundius uerteretur . existimantibus qui aderant eam ab tam graui infirmitate miraculose liberatam . Cum autem interim iaceret in gremio unius ex sociabus : aliquantisper uellet subleuari adiuta ad sedendum sese erexit . Et anteposita ei tabula quadam : in qua sanctorum reliquiæ continebantur cum imaginibus quibusdam : uirgo statim oculum ad imaginem crucifixi direxit : cœpitque attentius orare altissima uerba de dei bonitate pronunciando . Postea etiam sua peccata conctis† audientibus atque in conspectu dei humillime confessa est . Qua quidem confessione facta : et absolutione recepta petiuit indulgentiam plenariam sibi dari : uelut Iesu christi sanguinis sitibunda per illum amplius purificanda quod eam obtinuerat tam a domino Gregorio undecimo quam ab Vrbano sexto : quod et factum est . In extrema pœnitentia uirgo sacra uestigia sanctorum Hieronymi et Augustini secuta est . Quibus ita gestis utriusque hominis oculos direxit ad crucifixum : orationem suam resumpsit altissimam more suo loquendo . Sed quam lachrymabile et deuotum erat uidere matrem filiam benedicentem et e conuerso benedictionem a filia petentem . miranda res in angustia tanta ab ipsa filia benedicebatur pariter et confortabatur . His non obstantibus uirgo suam continuebat† orationem : Et hora tertia siue sexta iam uicina primo pro ecclesia sancta feruenter orauit affirmans quod pro ipsa uitam tradebat corpoream . Secundo pro Vrbano sexto ipsum asserendo in terris indubitatum uicarium Iesu christi . hortansque cunctos etiam uitam pro tali uirtute ponendam . Tertio pro genitrice sua et omnibus in Iesu christo sibi præcipuis . quibus expletis signo crucis omnibus benedixit . Post desyderato fini facta propinquior et in sua perseuerans oratione dominum taliter est allocuta : domine tu me uocas : ut ego ueniam ad te : et ecce ego ad te uenio non meis meritis : sed solum misericordia tua : quam a te peto mihi fieri uirtute tui pretiosi sanguinis . |

Tandem ingeminauit alta uoce sæpius dicens Sangue . Sangue . Postremo nostri saluatoris exemplo dixit : Pater in manus tuas commendo spiritum meum et animam meam : et mox angelica facie inclinatoque capite tradidit spiritum . dominica dies erat hora tertia siue sexta in natali sancti Petri martyris ordinis prædicatorum anno domini . M . CCCLXXX . Ipsa die magister Raimundus eius confessor erat in conuentu genuensi . disponens non absque timore Pisas : et inde Bononiam cum multis fratribus ad capitulum generale celebrandum accedere . Contigit autem ipsum hora qua uirgo migrauit Iesu christi matrem ante quandam eius imaginem salutare : puod† cum fecisset audiuit quandam uocem ei dicentem : Ne timeas : quia ego sum hic in cælo pro te . ego te protegam . ergo securus esto . Ille uero hesitans paulo post accepit : Caterinam unde uox illa prodiret in eadem hora migrasse : qua dicta uox auribus eius insonuit . Cum uero Bononiam peruenisset : et illo in capitulo generalis ordinis prædicatorum : ut uirgo prædixerat : factus fuisset et post ad urbem Romam accesisset : Senna romana mulier præcipua dei serua et uirgini ualde deuota transitum Caterinæ quem per uisum habuerat ei reuelauit . Cum enim ipsa matutinum et alias orationes more solito persoluisset : et aliquantulum quiescere decreuisset inter diliculum† et horam tertiam uirginem uidit e quodam pulcherrimo thalamo siue tabernaculo egre-

dientem in specie puellæ pulcherrimæ nimioque decore atque candore ornatam : In cuius capite tres admirandæ coronæ erant ita ordinate : ut quælibet tota appareret . Quarum inferior argentea . secunda rubea auro mixta . tertia uero simpliciter aurea et lapidibus pretiosis intexta uidebatur . Que cum ipsi matronæ surrisisset et se Caterinam Senensem esse declarasset : uidit eandem ab angelis in cælum defferri super gestatorio thalamo siue throno cum solemnitate tam a rege omnium saluatore quam a regina aliisque sanctis acceptam et inter uirgines in gloria collocatam et honorifice cororonatam† : quæ post huiusmodi uisum die sequenti ueniens ad locum sanctæ Mariæ super Mineruam ordinis prædicatorum ubi iam || corpus uirginis erat apportatum et id inueniens a multitudine populorum circundatum esse apertissime coram enarrauit quonam modo uirginem matremque suam in cælos ab angelis afferri conspexerat . Thomaspetra Vrbani sexti prothonotarius huiusque uirginis deuotus cum nocturna officia persoluisset dieique dominicæ diluculo ut quiesceret se reclinasset eleuatus atque raptus uidit in aperto et serenissimo cælo maximum spirituum beatorum multitudinem magnam solemnitatem celebrantium diuersis organorum generibus . Et cum interrogasset : quid sibi hæc uellent : responsum est ei : animam Caterinæ senensis afferri ante diuine maiestatis conspectum . Et quoniam optabat illam uidere : ostensa ei fuit : uelut in quodam circulo siue throno solari undique radios emittente ac se taliter habente : quemadmodum regina cælorum quando in cælum assumpta fuit depingi uidemus . Et cum in ipsum illa respiceret atque hilariter ei surrideret : Thomas fuit excitatus : inde habuisse consolationem admirabilem atque precipuam gratiam ab ea reportasse testatus est .

De signis et miraculis post beatæ Caterinæ obitum .

Consumato cursu uitæ pregrinationis† huius almæ uirginis uirtus diuina non defuit : quando sanctitatis eius meritum etiam ex quo consecuta fuerat æterne gloriæ præmium omnibus aperte declararet . Si quidem undique concurrente totius urbis populo ad sacrum corpus uisitandum adhuc inhumatum deosculandum atque uenerandum seque orationibus et meritis eiusdem uirginis commendandum : tanta fuit multitudo : quod timentes fratres ne tam uestes quam corpus uirginis ex populi deuotione lacerarentur . illud intra cancellos ferreos miserunt . Cum autem mulier uocata Dominica tertii ordinis beati Francisi† : quæ iam pridem brachium ex in firmitate quodammodo arefactum habebat et inutile neque ualeret præ turba appropinquare uirginis corpori quoddam uelum porrexit : rogans astantes : ut illo corpus uirginis tangeretur : sibique postea redderetur : quo facto cum illud ipsi brachio superposuisset : statim fuit omnino liberatum : Vnde cœpit | in medio populi clamare uoce publica : se uirginis meritis ab incurabili ægritudine liberatam fuisse . quare maior populi concursus factus est : multique cœperunt infirmos quacumque ægritudine grauatos adducere ut saltem fimbriam uestimentorum eius contingere possent : e quibus puer annorum quattuor adductus est qui contractiones neruorum colli patiens et caput super humerum tenens : ut nullatenus id erigere posset : mox ut uirginis manum tetigit et collum uelo uirgineo circundedit : paulo post caput penitus liberatus erexit . Lucins† quoque romanus tibiæ graui laborabat ægritudine : ductus ad corpus uirginis : eiusque manus cum infirmæ tibiæ superposita fuisset : Lucius omnino liberatus est . Puella etiam cui nomen Rotozola erat in facie horribilem lepram patiens ad corpus uirginis tandem ingressa : non solum manibus pedibusque uirginalis corporis : sed eius etiam faciei suam applicans faciem paulo post exintegro curata est . Cyprio romano filia erat tuscim patiens incurabilem : ea uero uelaminibus quæ uirginale corpus attigerant tacta sine mora curata est . Alius Romanus nomine Antonius cum in cruribus grauem incurabilemque infirmitatem pateretur : ut ambulare non posset : audita fama uirginis uotum quodpiam pro liberatione emisit : quo quidem emisso propriis pedibus ad uirginis corpus adhuc inhumatum uenit : uotum deuote reddidit : gratiamque acceptam coram omnibus declarauit . Paula quæ aliquando huius uirginis hospita fuerat laterum doloribus podagraque uexabatur : ita ut nisi alieno auxilio adiuta : nec ambulare . nec quidquam agere posset quæ instantissime petiuerat quipam† quod uirginale corpus tetigerat : obtinuit uero deuote contrectans mane sequenti liberata est . Propter antedictum populi tumultum signaque mirabilia quæ fiebant per tres dies

corpus uirginis haud quaquam seppeliri potuit . hoc tempore quidam uenerabilis sacræ theologiæ professor pulpitum ascendit ut de uirginis uirtutibus prædlcaret[†]: nec quod optauit potuit : quare ut cumque ualuit in auribus omnium ait : Ego quidem decreueram aliqua ad commendationem huius sancte uirginis loqui : sed ut omnibus patet : prædica || tionibus nostris non indiget : quando quidem eternus eius sponsus ipsam abunde prædicat . extollit : et honorat . Tandem uero honorabilibus exequiis uirginis corpus marmoreo sepulchro reconditum est . Alia sunt inumerabilia pene signa et miracula st[†] : quæ ob honorandam hanc uirginem ostendit dominus : ea autem eo consilio omittenda duxi : quod fere sit imposibile etiam pro uiribus nitenti omnia immensa illius merita recenscere[†] quæ in ethæreo thalamo illi suo sponso iam sociata est qui cum patre et spiritusancto uiuit et regnat per omnia sæculorum sæcula .

PASSIO SANCTAE CECILIAE VIRGINIS ET MARTYRIS .

Humanas laudes et mortalium infulas uidimus aut æræ inciso conscriptas : aut auro radiantibus litteris ad posteritatis memoriam commendatas . Et ista attendens : miror quare non erubescimus militum Christi uictorias silentio tegere : et non ad laudem Imperatoris eorum quo pacto pugnauerint contra hostes et uicerint scedulis saltem uilibus tradere : et ad incitandos animos bellatorum diligentins[†] explicare . Multa bona talium narrationum scripta coniectant . Laus dei est : cum ista leguntur : memoria sanctorum excolitur : ædificatio mentibus traditur : honor martyribus exhibetur . hinc infidelibus nascitur mæror : incredulis liuor : indisciplinatis angustia : et sanctis ominibus[†] cum Christo gaudentibus gloria . Solus diabolus ingemiscit : qui uidet pugnam suam eo usque armis cælestibus debellatam : ut ex ipsa pugna ille melius uictor extiterit : qui putatus est uictus . Denique cogitabat se tunc hostis sanctos dei occidendo uincere . illi autem melius occisi uincebant : dum accusati non excusabant : interrogati illico confitebantur : damnati gratiam referebant . Sic denique legimus antiquas domini uictorias celebratas : quando dixit inimicus : Persequar et comprehendam : partibor spolia replebo animam meam . Interficiam gladio : dominabitur manus mea . Sed extendit deus dexteram suam : et deuorauit eos terra : et | populum suum sanguinis sui precio liberauit . denique nunc iacet sub sanctorum pedibus inimicus : et dans mugitum per lunaticos et inerguminos clamat : et pœnas incendii quas patitur indicat : atque se flammarum atrocitate aduri commemorans . approbat : quod omnes sancti quos pro Christi nomine persecutus est regnent . In tantum denique non sunt mortui : ut morituris donent uitam : tristibus gaudium exhibeant languentibus præbeant medicinam : atque ipsum humani generis inimicum ex obsessis corporibus proferentes in ipsum reuocant tormenta : quæ passi sunt . Et illi quidēm[†] momentaneum perpessi laborem : æternam gloriam tenent : illum uero nunquam finiendis ardentem incendiis uident perpetuæ ignominiæ mancipatum . Clamat se ardere diabolus : ut tu intelligas : quia bene refrigeratur sanctus . Clamat saluatum se infirmus : ut tu intelligas sanctos saluatori esse coniunctos . Sic enim ad patrem dixisse legimus dominum nostrum saluatorem : Volo pater ut ubi ego sum : et isti sint mecum . Excitatur ergo per hæc animus ad medelam : quando suæ restaurationis iudicia ostendit . Patulum enim sui pectoris præbet auditum : dum suæ salutis probamenta per eos : qui uere sunt copulati saluti cognoscit . Hanc fidem tenuerunt apostoli : quos e uestigio exercitus martyrium persecutus : uictorias suas ad regem uictoriosissimum reportarunt . ipse enim triumphali crucis suæ lauacro usque hodie antecedit omnium in se credentium mentes . Hunc secuti sunt priores apostoli : post apostolos martyres . Post martyres confessores . post confessores sacerdotes . post sacerdotes uirgines . post uirgines uiduæ . post uiduas continentes . omnibus patent Christi uestigia . Ideo denique omnibus clamat . Venite ad me omnes qui laboratis : et onerati estis : et ego uos requiescere faciam . Huius uocem audiens Cecilia uirgo clarissima absconditum semper euangelium Christi gerebat in pectore : et non diebus non noctibus a colloquiis diuinis : et oratione cessabat . hæc Valerianum quendam iuuenem habebat sponsum : Qui in amorem uirginis urgens animum : diem constituit nuptiarum . Cecilia uero subtus carnem cilicio erat induta : desuper auratis uestibus

tegebatur . Parentum || enim tanta uis et sponsi circa eam erat exestuans : ut non posset amorem sui cordis ostendere : et quod solum Christum diligeret inditiis euidentibus aperire . Quid multa ? uenit dies : in quo thalamus collocatus est : et cantantibus organis illa in corde suo soli domino decantabat dicens : Fiat cor meum et corpus meum immaculatum : ut non confundar : et biduanis ac triduanis ieiuniis orans commendabat domino : quod timebat . Inuitabat angelos precibus : lachrymis interpellabat apostolos : et sancta omnia Christo famulantia agmina orabat : ut suis etiam deprecationibus adiuuarent suam commendantem domino pudicitiam . Sed cum hæc agerentur uenit uox† in qua suscepit una cum sponso suo cubiculi secreta silentia : et ita eum alloquitur : O dulcissime atque amantissime iuuenis est mysterium : quod tibi confitear : si modo tu iuratus asseras tota te illud obseruantia custodire . Iurat Valerianus sponsus se illud nulla omnino prodere ratione : nulla necessitate detegere . Tunc illa ait : Angellum dei amatorem habeo : qui nimio zelo corpus meum custodit . hic si uel leuiter senserit : quod tu polluto amore contingas me : statim contra te suum furorem exagitat : et amittes florem tuæ gratissimæ iuuentutis . Si autem cognouerit quod me sincero animo dilligas : et uirginitatem meam integram illibatamque custodias : ita quoque te dilliget sicut et me : et ostendet tbi† gratiam suam . Tunc Valerianus nutu dei timore correptus ait : Si uis : ut uere credam sermonibus tuis : ostende mihi ipsum angelum : Et si probauero : quod uere angelus sit : faciam quod hortaris . Si autem uirum alium dilligis : et te et illum gladio feriam . Tunc beata Cecilia dicit ei : Si consiliis meis promitas te acquiescere : et permitas te purificari fonte peremni : et credas unum deum esse in cælis uiuum et uerum : poteris eum uidere . Dicit ei Valerianus . Et quis est : qui me purificet : ut ego dei angelum uideam . Respondit ei Cecilia . Est senior qui nouit purificare homines : ut mereantur uidere angelum . Dicit ei Valerianus : et ego ubi hunc senem requiram ? Respondit ei Cecilia : Vade in tertium miliarium ab urbe Roma uia quæ Apia nuncupatur : illic inuenies paupe | res transeuntibus petentes auxilium . De his enim mihi semper cura fuit . et optime huius mei secreti socii sunt . Hos tu cum uideris dabis eis benedictionem meam dicens : Cecilia me misit ad uos : ut ostendatis mihi sanctum Vrbanum senem : quoniam ad ipsum habeo secreta mandata quæ perferam . Hunc tu dum uideris : indica ei omnia uerba mea . Et dum te purificauerit induet te uestibus nouis et candidis : cum quibus mox ut ingressus fueris : uidebis angelum sanctum etiam tui amatorem effectum : et omnia quæcumque ab eo poposceris : impetrabis . Tunc Valerianus perrexit et secundum ea signa quæ acceperat inuenit sanctum Vrbanum episcopum : qui iam bis confessor factus inter sepulcra martyrum latitabat . Cui cum dixisset omnia uerba Ceciliæ : gauisus est gaudio magno : et ponens genua sua in terra expandit manus suas ad cælum : et cum lachrymis dixit : Domine Iesu christe seminator casti consilii . suscipe seminum fructus : quos in Cecilia seminasti . Domine Iesu christe pastor bone : Cecilia famula tua quasi ouis tibi . argumentosa deseruit : Nam sponsum quem quasi leonem ferocem accepit : ad te quasi agnum mansuetissimum destinauit . Iste enim huc nisi crederet non uenisset . Aperi ergo domine cordis eius ianuam sermonibus tuis : ut te creatorem suum esse cognoscens renunciet diabolo et pompis eius . et idolis eius . hæc et his similia orante sancto Vrbano episcopo subito ante faciem ipsorum apparuit senior indutus niueis uestibus tenens titulum in manibus aureis litteris scriptum : Quem uidens Valerianus nimio terrore correptus : cadensque in terram quasi mortuus factus est : Lege inquit huius libri textum ut purificari merearis : et uidere angelum cuius tibi aspectum Cecilia uirgo deuotissima repromisit . Tunc Valerianus respiciens in terra legere cœpit . Scriptura autem tituli hæc erat : Vnus deus . una fides . unum baptisma . unus deus et pater omnium : qui super omnes est : et per omnia . et in omnibus nobis . Cumque hæc intra se legisset : dicit ei senior : Credis ita esse an adhuc dubitas ? Tunc Valerianus uoce magna clamabat dicens : Non est aliud quod uerius possit credi sub cælo . hæc ubi dixis || set Valerianus : ille senior ab oculis eorum ablatus est . Tunc sanctus Vrbanus baptizauit eum : et edocens eum omnem fidei regulam remisit eum ad Ceciliam diligenter instructum . Veniens igitur Valerianus indutus candidis uestimentis : Ceciliam in cubiculo orantem inuenit : et stantem iuxta eam angelum domini pennis fulgentibus alas habentem et flammeo aspectu radiantem : duas coronas ferentem manibus coruscantes rosis et liliis albescentes : e quibus unam dedit Ceciliæ et alteram Valeriano

dicens : Istas coronas immaculato corde et mundo corpore custodite : quia de paradiso dei eas attuli ad uos : et hoc uobis signum erit : Nunquam marcidum aspectus sui adhibent florem : nunquam minuunt sui suauitatem odoris : nec ab aliis uideri poterunt nisi ab eis : quibus castitas placuerit : sicut et uobis probata est . Et quia tu Valerianæ consensisti consilio castitatis : misit me Christus filius dei ad te : ut quam uolueris petitionem insinues . hæc ille audiens : adoranit† et dixit : Nihil mihi dulcius in hac uita extitit : quam unicus mei fratris affectus : nam impium mihi est : ut me liberato germanum meum ln† periculo perditionis aspiciam . hoc solum omnibus petitionibus meis antepono : et precor : ut fratrem meum Tyburtium : sicut et me liberare dignetur : et faciat nos ambos in sui nominis confessione perfectos . Audiens hæc angelus lætissimo uultu dixit ad eum : Quoniam hoc petisti quod melius est quod in te Christum implere delectat : sicut te per famulam suam Ceciliam lucratus est dominus : ita per te quoque tuum lucrabitur fratrem : et cum eodem ad martyrii palmam pertinges . his itaque finitis sermonibus aspectus angeli migrauit ad cælos . Et illis epulantibus in Christo atque in ædificatione sancta sermocinantibus : Tiburtius Valeriani frater aduenit : Et ingressus quasi ad cognatam suam osculatus est caput sancte Ceciliæ : et ait : Miror hoc tempore roseus hic odor et liliorum unde respiret : Nam si tenerem ipsas rosas aut ipsa lilia in manibus : hberem† nec sic poterant tantæ mihi suauitatis odoramenta in fundere . Confiteor uobis : ita sum refectus : ut putem me totum subito renouatum . Dicit ei Valeri | anus : Odorem iam meruisti me interpellante suscipere : modo te credente promereberis et ipso roseo aspectu gaudere et intelligere : cuius in ipsis rosis sanguis florescit et liliis : cuius corpus albescit : Coronas enim habemus : qnas† tui oculi uidere non ualent : floreo colore et niueo candore uernantes . Dicit ei Tiburtius : In somnis hæc audio : an in ueritate ista tu loqueris Valeriane ? Respondit Valerianus : In somnis nunc usque uiximus : nam modo in ueritate sumus : et fallacia in nobis nulla est : Dii enim quos colimus ad omnem fidem dæmonia comprobantur . Dicit Tyburtius unde hoc nosti ? Valerianus respondit angelus dei docuit me : quem et tu uidere poteris si purificatus fueris ab omni sorde idololorum†. Dicit ei Tyburtius et si potest fieri ut uideam angelum dei : quæ mora est purificationis ? Respondit Valerianus : Nulla . hoc tantum tu mihi sponde quod omnia idola deneges : et credas unum deum esse in cælis . Tyburtius respondit : Non intelligo qua intentione ista prosequeris . Cecilia dixit : Miror ut non intelligas figuras fictiles : gypseas : ereas : ligneas atque lapideas : uel cuiuscumque metali deos esse non posse : quas araneæ texunt : et aues stercorant : in quorum capitibus solent sibi ciconiæ nidos instruere : quos damnaticii faciunt : Nam ad omne metallum pro criminibus damnaticii mittunturi† Ergo a damnaticiis initium accipientes : quomodo possunt dii uel estimari : uel credi ? Inter mortuum quoque et simulacrum nulla distantia est . Sicut enim mortuus omnia menbra habet : spiritum tamen nec uocem non potest habere nec sensum : sic et hæc uana numina omnia quidem habent membra : sed omnia fatua et caduca noscuntur et deteriora : quoniam homines mortui comprobantur : quia hominum membra dum uiuerent et oculis uiderunt : et audierunt auribus : et ambulauerunt pedibus : ore locuti sunt : manibus palpauerunt : et odorem naribus assumpserunt . Isti autem a morte cœperunt : et in morte perdurant : quia nunquam nec uixisse : nec posse uiuere comprobantur . Tunc cum omni alacritate Tyburtius ait : Qui ita non credit : reus est . Hec dicente Tyburtio || sancta Cecilia osculata est pectus eius et dixit : hodie te uere mecum fateor esse cognatum . Sicut enim amor dei fratrem tuum coniugem fecit : ita te mihi cognatum contemptus faciet idolorum . Vnde quia paratus es ad credendum : uade cum fratre tuo : ut purificationem accipias : per quam merearis angleicos† uultus aspicere : et omnium tuarums† ueniam inuenire culparum . Tunc dicit fratri suo Tyburtius : Obsecro te frater : ut dicas mihi : ad quem me ducturus es . Valerianus respondit : Ad magnum uirum Vrbanum nomine : in quo est aspectus angelicus : ueneranda canicies : sermo uerus et sapientia conditus . dicit ei Tyburtius : Tu illum Vrbanum dicis : quem Papam suum christiani nominant . Hunc ego audio iam secundo damnatum : et iterum pro ipsa re : quandam nactus est latebram : ubi se fouendo dicitur prædicare . Iste si inuentus fuerit : sine dubio atrocibus dabitur flammis : et ut dici solet centenis : et nos simul cremabimur : si ad illum fuerimus inuenti : et dum quærimus diuinitatem in cælis latentem : incurremus furorem exurentem in terris . Dicit ei Cecilia :

Si ista esset una uita : et non . alia : iuste istam perdere timeremus . Si autem est uita longe hac melior : et quæ nunquam finiri potest : ut quid istam perdere timeamus ? quando per huius perditionem ad illius adquisitionem attingimus . Tyburtius respondit : Adhuc nunquam hoc audiui . Ergo est altera uita præter istam . Dicit ei Cecilia : Et hoe† quod in hoc mundo uiuitur uita est : In qua humores tumidant : dolores extenuant . ardores exiccant : aeres morbidant : escæ inflant : ieiunia macerant : ioci soluunt : tristiciæ consumunt : solicitudo coarctat : securitas hebetat : diuiciæ iactant : paupertas deiicit : iuuentus extollit : senectus incuruat : frangit infirmitas : mæror consumit : et his omnibus mors furibunda succedit : et i a† uniuersis gaudiis carnalibus finem ponit : ut cum esse desierit : nec fuisse putetur . Pro nihilo enim computatur iam omne quod non est : illa autem uita quæ isti uitæ succedit : aut perpetuis tribulationibus datur iniustis : aut æternis gaudiis iustis offertur . Respondit Tyburtius : Et quis ibi fuit : et huc ueniens nobis potuit hoc indica | re : ut merito possimus ista asserentibus credere ? Tunc beata Cecilia erigens se stetit : et cum magna constantia dixit : Cæli terræque maris : et hominum ac uolucrum repentium pecudumque creator : ex semetipso antequam ista omnia faceret : genuit filium : et protulit ex uirtute sua spiritum sanctum . Filium : ut crearet omnia : spiritum : ut uiuificaret uniuersa . Omnia quæ facta sunt filius ex parte† genitus condidit : uniuersa autem quæ condita sunt ex patre procedens spiritus sanctus animauit . Dicit ei Tyburtius : Certe unum deum esse in cælis asseritis : quomodo nunc tres esse testaris ? Respondit Cecilia : Vnus deus est in maiestate sua quem ita in sancta trinitate diuidimus : ut uno homine dicimus esse sapientiam unam quam sapientiam dicimus habere ingenium memoriam et intellectum . Nam ingenio adinuenimus : quod non didicimus : memoria tenemus : quod docemur : intellectu aduertimus quidquid uel uidere nobis contigerit . uel audire : Quid modo facimus ? nunquid non ista tria una sapientia in homine possidet . Si ergo homo in una sapientia trium possidet nomen : quomodo non deus omnipotens in una deitate sua trinitatis obtineat maiestatem . Tunc Tyburtius prostratus in terra cœpit clamare dicens : Non mihi uidetur humana lingua rationem reddere : sed puto quod angelus dei per os tuum loquatur . Et cum multas gratias ageret : quod breuiter unum deum esse in tribus :† personis euidentius ostendisset : conuersus ad fratrem suum dixit : De deo uno mihi satisfactum esse confiteor : superest : ut ad inquisitionem meam ut cœperat sermo percurrat . Cecilia dixit : de his mecum loquere : quia tirocinii tempus fratrem tuum tibi prohibet dare responsum . Me autem quam ab ipsis cunnabulis Christi sapientia docuit : ad quancumque causam quærere uolueris imparatam habere non poteris . Dicit ei Tyburtius : hæc inquisiui : quis inde huc ueniens aliam : quam nobis indicatis uitam ostendit ? Cecilia dixit : Vnigenitum filium suum de cælis pater per uirginem misit ad terras : qui stans super montem sanctum clamauit uoce magna dicens : Venite ad me omnes populi : Curritque ad eum omnis sexus : omnis ætas : omnisque condicio : Tunc omnibus dixit : Pœnitentiam || agite per ignorantiam uestram : quia appropinquauit regnum dei : quod auferat regnum hominum . Regnum autem suum deus uult participare credentibus in se : in quo eo fit excelsior quisque : quo fuerit sanctior . Ibi peccatores æternis cruciatibus et sempiternis incendiis consumuntur : Iusti uero perpetuæ gloriæ splendorem accipiunt : et gaudiis quæ nullo fine poterunt concludi succedunt . Nolite itaque o filii hominum istius uitæ gaudia fugitiua quærere : ut illius uitæ gaudia æterna teneatis : quæ isti uitæ succedit . In ista enim uita pauco tempore uiuitur : in illa autem uiuitur in æternum . Audientes hæc increduli populi : omnes una uoce dixerunt : Quis ibi fuit et quis inde huc ueniens poterit dicere uera esse quæ asseris . Tunc filius dei dixit eis : Si ostendam uobis mortuos qui resurrexerunt : ignorantes quod mortui fuerint : non creditis ueritati . Ite ergo nunc et quos inueneritis mortuos afferte : et resurgentes ipsi asserant nobis omnia uera esse quæ dixi . Tunc populi attulerunt corpora mortuorum : Quæ ille quasi dormentia† sola uoce excitans : suscitabat : clamabatque omnibus dicens : Si uerbis meis non creditis : uel uirtutibus credite . Denique ne occasionis uestigium dubietati remaneret : cum populis ad sepulchra pergebat : Et illis etiam quatriduanis ac fætentibus mortuis uitam quam amiserant reuocabat . Transmeabat maria super undas ambulans pedibus siccis : Imperabat uentis : tempestates arcebat : atque sæuientes procellas ac turbines compescebat . Restituebat cæcis uisum : mancis reddebat dexteram : claudicantibus gressum : mutis

uocem dabat : et surdis auditum . Paraliticos uerbo sanabat : leprosos uerbo mundabat : infirmos curabat : lunaticos instaurabat : et dæmones effugabat . Sed quia in hunc impiissimi zelo moti sunt : eo quod ipsos populi relinquentes eius uestigia sequerentur : sternentes tamen uestimenta sua ante pedes eius . et clamantes : benedictus : qui uenit in nomine domini inflamati postea aduersus eum pharisæi : cuidam Pilato præsidi eum tradiderunt magum eum esse . et sceleratissimum asserentes : atque tumultuosa sedicione egerunt : ut eum crucifigeret : Quod ille præuidens mun | dum proficere ad salutem : permisit se et teneri : et illudi et uerberari . pariter et occidi . Ideo denique tentus est : qui peccatum non fecit : ut dimiteretur genus hominum : quod tenebatur uinctum in nodo peccati . Benedictus maledicebatur . ut nos a maledictionibus tolleret . Illidi se passus est : ut nos ab illusione dæmonum quæ in hoc mundo uersatur auferret . Spineam in capite coronam accepit : ut sententium† capitalem quæ ex spinis peccatorum nobis debebatur eriperet . Fel in escam suscepit : ut dulcem gustum primi hominis unde mors mundum inuaserat commutaret . Aceto potatus est : ut acredinem qua sanguis noster inferbuerat in se susciperet : et ipse biberet passionis calicem : qui nostris passionibus debebatur . Expoliatus est : ut nuditatem parentum nostrorum quam serpentis consilio factam doluerat : niueo uestimentorum tegmine operiret . In ligno suspensus est ut ligni præuaricationem ligno suæ tolleret passionis . Mortem quoque ad se uenire permisit : ut eam aduersum se luctantem prosterneret : Et quæ per serpentem regnum inuenerat : cum ipso serpente prostrata fieret captiua per christum . Denique cum uniuersa elementa creatorem suum in cruce leuatum conspicerent terrore nimio tremuerunt . Nam ex uno latere terra mouebatur : ex alio templa findebantur et saxa . Fugit dies . sol expauit : et fuscatus est : et lugubrem totum præbuit mundum . Luna pallidos sui luminis uultus : sanguinea nube contexit . Stellæ sydereo radiantes aspectu omnes pariter nigruerunt Dedit mugitum terra : et quasi parturiens cœpit multos parere de sepulchris : qui darent testimonium hoc : quod descensus saluatoris ad inferos diabolo regnum eripuit : et moriendo mortem tenuit et edomuit : et ligauit et suorum subdidit pedibus famulorum : Inde est : quod pro nomine eius uerberati gaudemus et in persecutionibus gloriamur : quia uitæ nostræ isti caducæ et miseræ æterna uita sucedit : illa quam dei filius resurgens a mortuis suis apostolis demonstrauit : Quibus uidentibus : ascendit in cælum . Hoc si trium testium doceret assertio : sapientium mentes dubitare non poterant . At uero cum non solum duode || cim discipulis sed plus quam quingentis simul se demonstrare dignatus est : ambiguitatis nulla penitus uestigia dereliquit . Hi autem qui hæc in uniuersum mundum prædicare missi sunt signis et uirtutibus magnis sua dicta firmabant . Nam et omnes ægritudines in eius nomine curauerunt : Effugauerunt dæmonia : et uitam mortuis reddiderunt . Nihil puto tibi remansisse : quod quæras : nisi ut istam uitam animo et corde despicias : et illam uæhementius et fortius quæras . Qui enim filium dei crediderit : et præceptis eius adhæserit : dum deposuerit corpus : a morte non tangitur : sed a sanctis angelis in gremio suscipitur . et ad paradisi preducitur† regionem . Inde est : quod ipsa mors cum diabolo agit ut diuersis occupationibus hominum obliget mentes : et uariis incautos necessitatibus occupet : Et nunc de dampno formidare facit nunc de lucro inuitat : nunc de sepulchro incitat : nunc de gula excitat : et de uniuerso genere suasionis de ista sola uita facit homines miseros cogitare : ut eos exeuntes de corpore inueniat nudos : nihil secum præter peccata portantes . hæc tibi breuiter explicui : Sed quid tibi deesse consyderas : quære . Tunc Tyburtius pedibus eius prostratus : ingenti flætu et lachrymis dixit : Si de ista uita ulterius uel mente tractauero : in illa uita non inueniar . habeant stulti labentis temporis lucrum . ego qui usque hodie sine causa uixi : iam non sit sine causa quod uiuo : et his dictis ad fratrem suum conuersus ait : miserere mei frater carissime : et rumpe moras : quarum nexus non patior . Dillationes timeo : pondus ferre non possum . Obsecro te perduc me ad hominem dei : ut me purificans illius uitæ participem faciat . Tunc Valerianus perduxit fratrem suum ad Papam Vrbanum : Cui cum narrasset in uniuersa quæ fuerunt dicta uel facta : gratias referens deo : suscepit Tyburtium cum omni gaudio : et baptizans eum secum esse præcepit : quoadusque albas deponeret : Quem perfectum doctrina sua per septem dies Christo militem consecrauit . denique gratiam consecutus est domini : ut angelus dei uideret quottidie : et omnia quæ poposcisset a domino protinus consequeretur . Verum quia

mul | tum est : ut omnia per ordinem prosequentes : quæ et quanta per eos dominus mirabilia fecerit conscribamus : ad gloriosas passiones eorum articulum reuocemus . Turgidus Almachius urbis præfectus sanctos dei fortiter laniabat : et inhumata corpora eorum iubebat derelinqui . Tiburtius uero et Valerianus ad hoc uocabant† quottidie : ut pretiosas martyrum facerent sepulturas : eleimosynis et pietatibus insistentes . Interea ut solitum est : bonos odio habent mali : et indicant uniuersa Almachio : quæ per eos dominus circa egentes ageret : uel quam studiose quos ille occidi iusserat sepelirent : tenti ab aparitoribus Almachio præsentantur : Quos Almachius his protinus aggressus est uerbis : Cum uos nobilitatis titulus clarissimos fecerit nasci : cur per nescio quam superstitionem infelices uos et degeneres exhibetis ? Nam facultates uestras uos audio per nescio quas uiles personas expendendo consumere : ac pro sceleribus suis punitos cum omni gloria tradere sepulturæ : ex quo datur intelligi : quod conscii uestri sunt quibus pro coniuratione honestas traditis sepulturas . Respondens Tyhurtius† dixit Vtinam dignentur nos ut seruos suos computare : quorum tu estimas nos esse collegas : Qui contempserunt quod uidetur a se† : et non est : et inuenerunt illud quod uidetur non esse : et est . Almachius præfectus dixit : Quid est : quod uidetur esse : et non est ? Tyburtius dixit : Omnia quæ in isto mundo sunt : quæ inuitant homines ad mortem perpetuam per læticiam temporalem . Alamachius† dixit : et quod non uidetur esse et est ? Tyburtius dixit : Vita quæ futura iustis : et pœna quæ debetur iniustis : ex utroque latere uerum esse nouimus quod ueniant et infelici dissimulatione quod oculis cordis nostri scimus uidere oculis corporis nostri subducimus : ut contra conscientiam :† nostram quæ bona sunt malis sermonibus obumbremus : et quæ mala sunt bonis sermonibus adornemus . Almachius dixit : Non puto quod mente tua loquaris . Tyburtius dixit : Non mente mea loquor : sed eius quem in uisceribus mæe mentis accepi . Almachius dixit : Nunquid tu ipse scis : quæ loqueris ? Tyburtius respondit : et noui et didici : et credo quod || uniuersa quæ a me dicta sunt : ita ut dicta sunt permanebunt . Almachius dixit : Quare et ego non aduerto quo ordine ista prosequeris : Tyburtius dixit : Quia animalis homo non percipit quæ sunt spiritus dei . Spiritualis autem indicat† omnia : ipse autem a nemine iudicatur . Tunc ridens præfectus iussit ammoueri Tyburtium : et applicari Valerianum cui et dixit : Quoniam non est sani capitis frater tuus : tu saltem poteris sapienter dare responsum . Dicit ei Valerianus : Auditus tuus errorem parit : quia uiam sermonis nostri non potes intueri . Præfectus dixit : Nullus sic errat : sicut uos erratis : qui relictis rebus necessariis et utilibus ineptum sectamini otium : respuentes gaudia : execrantes læticiam : atque contempnentes omne : quod uitæ blandimento concessum est . Illud tota mentis auiditate suscipitis : quod saluti contrarium inueniri potest et gaudiis inimicum . Valerianus ad hæc respondit : Iocantes et ridentes et uariis diuitiis affluentes uidi glatiali tempore transire per campos : in quibus campis stabant rustici pastinantes : et cum omni studio sarmenta frangentes : atque spinosa rosarum sarculo animose et cautissime componentes . Alii quoque taleas inserebant : alii radicitus noxia quæque truncabant : cunctaque ruris opera labore nimio excolentes . Tunc illi qui deliciis fruebantur et epulbantur† : cœperunt laborantes irridere : ac dicere : Infelices et miseri istum superfluum laborem abicite : et nobiscum gaudentes deliciis uos et uoluptatibus exhibete . Quare sicut insani duro labore deficientes . uitæ uestræ tempora tristissimis occupationibus fatigatis : Et hæc dicentes soluebantur super eos risu : et dabant plausum manibus multis increpationibus insultantes . Hæc illis agentibus : imbriferis atque algidis mensibus serena tempora successerunt . Et ecce floribus rosis uernantes campi : nemoribus pampineis ornabantur . et crispas botrionum sertas exhibebant suo partu sarmenta : et uario genere taleæ arborum meliflua poma gignebant : in quibus uidemus usque hodie abundare gratiam : et fructum pariter et decorem . Tunc gaudentibus illis qui putabantur uani : cœperunt flære omnes | qui uidebantur urbani : et qui in sua fuerant sapientia gloriati . in nimia pestilentia perierunt : et sera pœnitudine mugitum sui cordis gemitumque reddentes : sibi inuicem loquebantur : Isti sunt quos habuimus in derisum : laborem ipsorum putabamus obprobrium : uitam eorum execrabamur ut miseram : personam eorum iudicauimus indignam : et conuentum eorum sine honore . Isti autem inuenti sunt sapientes : et nos uani : quando nec ipsi laborauimus : nec ipsis laborantibus auxilium pro labore præstitimus . Quinimo eis in deliciis positi risimus : et credidimus dementes : quos

nunc fulgentes aspicimus et florentes . Ad hæc Præfectus ait : Sapienter te quidem uideo prosecutum : sed non ad interrogationem meam uideris dedisse responsum . Valerianus dixit : Stultos nos et insipientes esse dixisti : quod facultates nostras egentibus damus : aduenas suscipimus : uiduis opem ferimus . orphanis subuenimus . inhumata corpora tegimus : et honestas dei martyribus tradimus sepulturas . Insipientes nos esse et insanissimos iudicas : quod non cum lætantibus lætamur : neque cum uoluptuosis deliciis resoluimur : aut ignobiles uulgi oculis nos illustres et nobiles ostendamus . Veniet tempus : in quo fructum huius nostræ tristiciæ colligamus : ut nobis gaudentibus lugeant hi : qui nunc in suis gaudiis extolluntur . Tempus enim seminandi modo est : qui in ista seminauerint gaudia : in illa uita luctum et gemitum metent . Qui autem nunc seminauerit lachrymas temporales : in illa uita sunt gaudia sempiterna messuri . Præfectus dixit : Ergo et nos et inuictissimi Principes æternum habebimus luctum : Vos uero perpetuum possidebitis gaudium ? Valerianus respondit : Quid enim estis uos aut Principes uestri ? homontiones estis tempore nostro nati : tempore uestro expleto morituri : tantum deo rationem reddituri : quam uobis tradit summam potestatis . Almachius dixit : Quid uerborum circuitu in moramur ? Offerte diis libamima : et abscedite illæsi : Responderunt ambo : Nos non diis sed deo quottidie sacrificium exhibemus Almachius respondit : Quis est deus : cui uestrum uos dicitis tradere famulatum ? Re || sponderunt ambo : et dixerunt : et quis est deus alius : ut de deo nos interroges ? Est enim alius præter unum ? Almachius dixit : ergo Iouis dei nomen non est ? Valerianus respondit : Nomen corruptoris atque stupratoris hominis . Homicidam illum uestri auctores commemorant : et criminosum litteræ uestræ demonstrant . hunc tu deum miror qua fronte locutus sis : nisi ab omni peccato alienus sit : et sit omnibus uirtutibus plenus ? Almachius dixit : Ergo omnis mundus errat : et tu cum fratre tuo uerum deum nostis ? Valerianus respondit : Innumerabilis multitudo christianitatis sanctitatem suscepit : et magis uos pauci estis : qui sicut astulæ de naufragio remansistis : ad nihil aliud nisi ut in ignem mitamini . Tunc iratus Almachius iussit : eum fustibus cædi . Ille autem statim ut exutus est : cœpit gaudere dicens : Ecce hora quam semper optaui : ecce dies omnimodo festiuitate iucundior : Cumque cæderent eum : uox præconiaria super eum clamabat dicens : Deos et deas blasphemare noli . Ille autem clamabat populo dicens : Ciues Romani uidete . ne uos a ueritate ista mea plaga reuocet . Sed state uiriliter : et deos lapideos quos colit Almachius in calcem conuertite : quia in æterna tribulatione erunt omnes : qui colunt eos . Tunc Assessor præfecti Tarquinius lacca dixit præfecto : Inuenisti occasionem : tolle eos : Nam si moras feceris : et de die protraxeris : omnes facultates suas erogabunt : et punitis eis tu nihil inuenies . Tunc iussit carnificibus : ut ab eis ducerentur ad pagum : ubi erat statunculum Iouis : et iussit : ut si noluissent sacrificare : ambo fratres pariter capitalem sententiam subirent . Tunc gloriosi martyres tenti a maximo corniculario præfecti : ducebantur ad pagum . Qui Maximus cœpit flære super eos dicens : O iuuentutis flos purpureus : o germanus fraternitatis affectus : quem impia definitione uolentes ammittere quasi ad epulas festinatis . Tunc Tyburtius dixit : Nos nisi pro comperto haberemus alteram uitam esse perpetuam : quæ huic uitæ præsenti succedit : nunquam nos istam ammittere gauderemus . Dicit ei Maximus : Et quæ potest esse altera uita ? Respondit Tyburtius : Sicuti | uestitur uestimentis corpus : ita uestitur anima corpore . Sicut expoliatur uestimentis corpus : ita expoliatur anima corpore . Et corpus quidem quod terrenum sæmen per libidinem dedit : terreno uentri redditur : ut in puluerem reductum sicut phœnix futuri luminis aspectu resurgat : Anima uero ad paradisi delicias . si sancta est perferatur : ut in deliciis affluens . tempus suæ restaurationis expectet . Dicit ei Maximus : Optarem et ego contemnere uitam hanc : si putarem certum apud me habere : quæ loqueris . Dicit ei Valerianus : Quia nihil tibi dicis superesse : nisi ut probes uera esse : que diximus : in hora qua nos dominus faciat istam corporis tunicam et a gloriosam nominis sui confessionem deponere : aperiat oculos tuos : et faciat te uidere cum quanta gloria illa uita suscipitur : si tamen promittas nobis : quod ex animo ad pœnitentiam erroris tu uenias . Tunc Maximus denotabat se dicens : Fulminibus igneis consumar : si ex hac hora non illum solum deum confitear : qui alteram uitam facit huic uitæ succedere . Hoc tantum uos mihi quod promisistis ostendite . Dicunt ei ambo fratres : Impetra a carnificibus : ut domum tuam nos ducant : et hodierni diei inducias explica : ita ut nos

custodiant in domo tua . Illic ad te uenire faciemns† purificatorem : qui te hac nocte purificet . Statim ut purificauerit : faciat te uidere hoc : quod tibi promisimus . Quod cum impetrasset Maximus duxit eos domum suam : ad quorum prædicationem et ipse Maximus cum omni domo sua et ipsi carnifices crediderunt . Tunc Sancta Cæcilia uenit ad eos nocte cum sacerdotibus . et uniuersi baptizati sunt . Igitur cum aurora nocti finem daret : facto mane silentio Cæcilia dixit : Eia milites Christi abiicite opera tenebrarum : et induimini arma lucis . Certamen bonum certauistis : cursum consumastis : fidem seruastis . Ite ad coronam uitæ : quam dedit nobis deus iustus iudex : non solum nobis : sed et omnibus : qui diligunt aduentum eius . Locus igitur qui uocabatur pagus quarto milliario ab urbe situs erat : in quo per templi ianuam transitus erat : ut omnes qui ingrederentur : si Ioui tura non ponerentur : punirentur . Venientibus ergo || sanctis offeruntur tura : et recusant . Recusantes ponunt genua : feriuntur gladio : proiiciunt corpus temporale : et martyrium suscipiunt sempiternum . Tunc Maximus iratus asserebat dicens : uidi angelos dei fulgentes sicut sol : in qua hora uerberati sunt gladio : et egredientes animas eorum de corporibus quasi uirgines de thalamo : quas in gremio suo suscipientes angeli : remigio alarum suarum ferebant ad cælos . Ista cum lachrymis narrante Maximo : plurimi crediderunt . et ab idolorum errore conuersi se suo creatori rediderunt . Igitur cum peruenisset ad Almachium : quod Maximus cornicularius cum suis factus fuisset christianus : iussit eum tandiu plumbatis tundi : quandiu redderet spiritum . Quem sancta Cæcilia iuxta ubi Tyburtium et Valerianum sepelierat : in nouo sacrophago† sepeliuit : Et iussit : ut in illius sculperetur phœnis ad indicium fidei eius : qui se resurrectionem inuenturum phœnicis exemplo suscepit . Factum est autem post hæc : cœpit Almachius quærere facultates amborum : pro qua inquisitione sanctam Cæciliam quasi Valeriani coniugem præcepit arctari : Quæ cum uniuersa quæ remanserant pauperibus ex eorum facultatibus fideliter tradidisset : ipsa quoque ut tura poneret : cœpit compelli . Tunc apparitoribus qui eam hoc facere compellebant dixit : Audite me ciues et fratres : uos ministri estis iudicis uestri : et uidetur uobis : quod ab eius impietate alieni esse mereamini . Mihi quidem gloriosum est et ualde optabile omnia pro Christi confessione perferre tormenta : quia cum hac uita nunquam digna sunt habere amicicias sed de uestra satis doleo iuuentute : quam sine sollicitudine gerentes facitis quidquid uobis fuerit ab iniusto iudice imperatum . Tunc illi flætus et uoces dederunt : quod tam elegans puella et tam sapiens et nobilis etiam optaret occidi : Et rogabant eam dicentes : ne tale decus ammitteret : nec tantam pulchritudinem uersaret in mortem : quibus flæntibus atque animum eius reuocare cupientibus : ita respondit : hoc non est iuuentutem perdere : sed mutare . Dare lutum : et accipere aurum . Dare habitaculum uile et paruum : et accipere domum magnam et amplissimam ex lapidibus pre | tiosis et auro constructam . dare angulum breuem et oppressum : et accipere forum lucidum et margaritis cælestibus coruscantem . dare rem perituram : et accipere quam finem nescit : et mortem ignorat . dare lapidem uilem qui pedibus conculcatur : et accipere lapidem preciosum : qui in diademate regio libranti resplendet aspectu . Hodie si uobis aliquis offerret : ita ut partem summam nummorum gratanter ferret oblatam : nunquid non et uos curreretis ad talem mercaturam : et omnes patentes† et notos et affines : et propinquos et caros et amicos faceretis uobiscum concurrere ? Quicumque autem uos lachrymis reuocarent : eo quod omnes nummos uestros daretis intrepidi : nunquid non derideretis eos ut ignorantes ? Vos autem curreretis exultantes : propterea quod daretis ad commutationem auri preciosi æramentum uile : et nullius summæ iacturam : et tamen pondus ad pondus uos accipere gratularemini . Deus autem non dat pondus ad pondus : sed quod simplum acceperit : centuplum reddet : insuper et uitam æternam . Et his dictis ascendit super lapidem : qui erat iuxta pedes eius : et dicit omnibus : Creditis hæc : quæ dixi : At illi omnes una uoce dixerunt : Credimus Christum filium dei uerum deum esse : qui te talem possidet famulam . Dicit eis Cæcilia : Ite ergo : et dicite infelici Almachio me inducias petere : et non urgeat meam passionem . Et huc in domum meam uenire faciam : qui uos omnes faciat uitæ æternæ participes . Et ita domino procurante completur . Tunc ueniens papa sanctus Vrbanus baptizauit in domo eius amplius quam quadringentos promiscui sexus : et conditionis et ætatis : quos inter clarissimus uir erat nomine Gordianus . Hic sub umbratione nominis sui domum sanctæ Cæciliæ suo nomini dica-

uit : ut in occulto ex illa die ex quo ibi baptisma Christi celebratum est : ecclesia fieret : ita ut et papa urbis Vrbanus illic moraretur : licet occulte tamen quottidie redemptionis christi ibi crescerent lucra et infinita fierent diaboli detrimenta . Sed cum hæc agerentur : Almachius Cæciliam sibi præsentari iubet : Quam interrogans ait : quod tibi nomen est ? Respondit : Cæcilia . Almachius dixit : Cnius† conditionis es ? Cæcilia dixit : Ingenua nobilis clarissima . || Almachius respondit : Ego te de religione interrogo . Cæcilia dixit : Interrogatio tua stultum sumit initium : quæ duas responsiones una putat inquisitione concludi . Almachius dixit : Vnde tibi tanta præsumptio respondendi ? Cæcilia dixit : De conscientia bona : et fide non ficta . Almachius dixit : Ignoras cuius potestatis sim ? Cæcilia respondit : Tu ignoras cuius potestatis sis . Nam et ego si me interroges de tua potestate : ueris tibi assertionibus manifestabo . dicit ei Almachius : Dic si quid nosti . Cæcilia respondit : Omnis potestas hominis sic est : quasi uter uento repletus : Quem si acus pupugerit : omnis rigor ceruicis eius euanescit . et quidquid in se rigidum habere cernitur incuruatur . Almachius dixit : Ab iniuriis cœpisti : et in iniuriis perseueras . Cæcilia respondit : Iniuria non dicitur : nisi cum uerbum fallentibus irrogatur . Vnde aut iniuriam doce : si falso locuta sum : aut te ipsum corripe calumniam inferentem . Almachius dixit : Ignoras quia dominii† nostri inuictissimi principes iusserunt : ut qui se non negauerint esse christianos puniantur : qui uero negauerint dimittantnr† ? Cæcilia respondit : Sic Imperatores uestri errant : sicut et nobilitas tua : Sententiam enim quam ab eis prolatam esse testaris uos sæuientes et nos innocentes ostendit . Si enim malum esset hoc nomen : nos negaremus : uos uero ad confitendum suppliciis urgeretis . Almachius dixit : Pro pietate sua hoc noluerunt statuere : quomodo uitæ uestræ possit esse consultum . Cæcilia respondit : Nihil tam impium : nihilque tam inimicum innocentiæ quam ut reis omnibus tormenta adhibeatis : ad confitendum qualitatem sceleris . Locum . tempus . conscios socios omni examinatione perquiritis . Vos uero quos innocentes scitis : nominis tantum crimen impingitis . Sed nos scientes sanctum nomen : omnino negare non possumus . Melius est enim feliciter mori : quam infeliciter uiuere . Nos enim uera dicentes : uos torquemus : qui mendacium elaboratis audire . Almachius dixit : Elige tibi unum e duobus : Aut sacrifica : aut nega te christianam esse : ut copiam euadendi suscipias . Tunc surridens beata Cæcilia dixit : O iudicem necessitate confusum : qui uult ut negem : me esse in | nocentem : ut ipse me nocentem faciat . Si uis damnare : cur hortaris negare ? Si uis absoluere : quare uis inquirere ? Almachius dixit : Accusatores præsto sunt : qui te christianam esse testantur . Si negaueris : compendiosum dabis accusantibus finem . Si autem negare nolueris : dementiæ tuæ reputabis quando sententiæ subiacebis . Cæcilia respondit : Horum mihi accusatio uotiua est : et tua pœna uictoria . Noli me ut dementem arguere : sed te ipsum increpa : qui christum me existimas denegare . Almachius dixit : infelix ignoras quoniam interficiendi et uiuificandi mihi ab inuictistimis† principibus potestas data est ? Vt quid cum tanta superbia loqueris ? Cæcilia respondit : Aliud est esse superbum : aliud est esse constantem . Ego constanter locuta sum non superbe : quia superbiam et nos fortiter execramur . Tu autem si uerum audire non times : iterum docebo te falsissime nunc locutum . Almachius dixit : Quæ sum falsissime prosecutus ? Cæcilia respondit : hoc quod principes tuos uiuificandi et interficiendi tibi tradidisse asseris potestatem . Almachius dixit : Ergo mentitus sum ? Cæcilia respondit : Contra ueritatem publicam si iubes probo te esse mentitum : Almachius dixit : Doce . Cæcilia respondit : Dixisti principes tnos† uiuificandi : et interficiendi tibi copiam tribuisse : cum solam mortificandi scias tibi traditam potestatem . uitam enim uiuentibus tollere potes mortuis autem dare non potes . Dic ergo : quia Imperatores tui mortis te ministrum esse uoluerunt . Nam si quid plus dixeris : uideberis frustra mentitus . Almachius dixit : Depone iam audaciam tuam : et sacrifica diis . Cæcilia respondit : Nescio ubi tu oculos amiseris : Nam quos tu deos dicis : ego et omnes qui oculos sanos habent saxa uidemus esse : et æreмentum† : et plumbum . Almachius dixit : Meas iniurias phylosophando comtempsi : sed deorum ferre non possum . Cæcilia respondit : ex quo os aperuisti : non fuit sermo quem non probauerim iniustum stultum et uanum : Sed nequit deesse : etiam exterioribus oculis te cecatum ostendi . Cum quod omnes lapides uidemus esse et saxum inutile : hoc tu deum esse testaris . Do : si iubes : consilium : Mitte manum tuam et tangendo || disce hoc saxum esse :

si uidendo non nosti . Nefas est enim : ut totus populus de te risum habeat . Omnes enim sciunt deum esse in cælis . Istas autem figuras saxeas per ignem melius in calcem posse conuerti : quæ modo sui otio pereunt : ut neque tibi pereunti neque sibi ne in ignem mittantur poterunt subuenire . Tunc iratus uæhementer Almachius iussit eam domum suam reduci : et in sua domo flammis balnearibus concremari : Cumque fuisset in calore balnei sui inclusa : subter incendia nimia lignorum pabula ministrarent die integro et tota nocte quasi in loco frigido illibata perstitit sanitate : ita ut nec una pars membrorum eius saltem sudoris signo labasset . Quod cum audisset Almachius : misit qui eam ibidem in ipsis balneis decollaret . Quam spiculator tertio percussit : et caput eius amputare non potuit . Sic autem seminecem eam cruentus carnifex dereliquit : cuius sanguinem omnes bibleis linteaminibus populi qui per eam crediderant extergebant . Per triduum autem quo superuixit . non cessauit omnes mulieres quas enutrierat : et quas educauerat in fide dominica confirmare : quibus et diuisit uniuersa : quæ habuit : et sancto papæ Vrbano tradidit commendatas : cui et dixit : Ad hoc mihi triduanas proposci inducias : ut istas tuæ beatitudini traderem : et hanc domum meam ecclesiæ nomine consecrares . Tunc sanctus Vrbanus corpus eius auferens : cum diaconibus nocte sepeliuit eam inter collegas suos episcopos : ubi sunt omnes confessores et martyres collocati . Domum autem eius in æternum : sanctæ ecclesiæ nomini tradidit : in qua domini beneficia exhuberant ad memoriam beatæ Cæciliæ usque in hodiernum diem .

PASSIO SANCTI CLAEMENTIS PAPAE ET MARTYRIS .

Tertius Romanæ ecclesiæ præfuit episcopus Clæmens : qui disciplinam apostoli Petri secutus : ita morum ornamentis pollebat : ut et Iudæis et gentilibus : et omnibus christianis populis placeret . diligebant enim eum gentiles : quoniam non execrando sed | rationem reddendo ex eorum libris et cerimoniis ostendebat : unde nati : et ubi nati essent : quos deos putarent et collerent : Et quid egissent : uel qualiter defecissent euidentissimis documentis instrueret . Ipsos uero gentiles posse indulgentiam a deo consequi : si a deorum cultura recederent et crederent . Iudeorum uero gratia hoc ordine utebatur : quod patres eorum amicos dei assereret et legem eorum sanctam et sacratissimam memoraret. Primum quidem locum ipsos habituros instrueret : si legis suæ sacramenta seruarent : et quod promissum Abrahæ non negarent in Christo fuisse completum : eo quod deus in sæminæ Abrahæ . hæreditandas promiserit omnes gentes : et quod dixerit ad Dauid : De fructu uentris tui ponam super sedem tuam : Et quod per Isaiam confirmauit quod uirgo in utero conciperet et pareret filium : Cuius nomen uocaretur Hemanuel : A christianis uero ideo quammaxime diligebatur : quia singularum regionum inopes nominatim habebat scriptos Et hos quos baptismatis sanctificatio illuminauerat : non sinebat pnblicæ† fieri mendicitati subiectos . quottidiana itaque prædicatione mediocres ac diuites admonebat : ne paterentur baptizatos pauperes a iudeis uel gentilibus stipem publicam accipere : et uitam baptismatis donis gentilium inquinari : His et pluribus huiuscemodi prædicationum floribus pollens : tam deo quam hominibus omnibus rationalibus complacebat . Irrationabilibus uero nemo placere potest : qui deo placere probatur . Ideo non timuerunt iniurias hominum irrationabilium hi : quorum ratio erat : ut displicere infidelibus non timerent : Sicque factum est : ut nec Aurelianum nec Sisinium amicos Neruæ imperatoris expauesceret Clæmens : cum et Domitillam uirginem neptem Domitiani principis sponsam Aureliani credentem Christo : sacro uelamine integritatis perseuerantia consecraret : et Theodoram Sisinii coniugem conuersam a simulacris : deo castitatis propositum profiteri minime prohiberet : Quam uir suns† in cælo ducens ecclesiam intrantem occulte prosecutus est : studens uidere et audire : quid esset : et pro qua re uxor eius ad ecclesiam festinaret. At ubi || a Clæmente episcopo oratio fusa est et collecta : et a populo dictum est amen : statim Sisinius cæcus et surdus factus est . Tunc dicit Sisinius ad seruos suos. Tollite inquit me cito inter manus uestras : et foras eiicite : quoniam oculi mei cæci facti sunt : et aures meæ ita surdæ sunt factæ : ut penitus nihil uidere nec audire ualeam : Pueri autem eius girabant

cum eo intra ecclesiam totam : inter populos uirorum ac mulierum omniumque orantium : et ad introitum quo ingressi fuerant peruenire non poterant . Sicque factum est : ut dum girando in errorem conuertuntur : ad dominam suam Theodoram ubi orabat deum suum cum suo domino peruenerunt . Quæ cum uideret seruos suos cum suo domino ita circuire : Primum quidem declinauit aspectum eius : putans eum apertis oculis aliquid posse conspicere. Postea uero misso puero inquirere cœpit : cur ita pueri cum domino suo circuirent ecclesiam totam . qui respondentes dixerunt : Dominus noster cum insolenter uult uidere : quod non licet ei uidere : et audire secretum : non solum cæcus : sed et surdus factus est : Quo facto nobis quoque hoc imperauit : ut eum eiiciamus foras : sed nobis non conceditur : ut eum aliquatenus de ecclesia proferamus . Cumque nunciatum fuisset hoc Theodoræ a puero : prostrauit se in oratione : et cum lachrymis cœpit postulare a deo : ut inde uir suus cum pueris qui eum portabant exire posset : Et conuersa ad pueros qui eum portabant : Dixit eis : Ite modo : et perducite dominum uestrum domum suam . Ego enim orationem meam quam cœpi donec eam explicem non deseram : Sed offerens hostiam domino expletis mysteriis prosequar uos : Cumque abissent pueri dantes ei manum et egressi fuissent : perduxerunt dominum suum domum : et reuersi sunt ad dominam suam : cæcum nunciantes uirum eius et surdum effectum . Theodora uero amplius deo preces et lachrymas effundebat : ut illi diuina misericordia subueniret . Post sanctam autem missam et sacrificium consumatum prostrauit se ad pedes sancti Clæmentis Theodora dicens : quod uir suus curas agens mysteriorum domini nostri Iesu christi : cæcitatem incurrisset oculorum amborum : et utrarumque aurium auditum perdi | disset. Tunc beatus Clæmens uincitur flætu : et omnes qui simul aderant secum deo preces fundere hortantur : quatenus uiro eius et auditum reddere dignaretur et uisum. Confidens itaque Clæmens uenit post orationem cum muliere Theodora ad uirum eius : et inuenit apertis oculis eum nihil uidentem : et neque sermonem aut sonitum audientem : Quod cum hululatu uniuersi perstreperent : et hoc Sisinius non audiret : precatus est dominum dicens : Domine Iesu christe qui claues regni cælorum dedisti apostolo tuo Petro magistro meo : et dixisti ei : ut quæ aperuerit aperta sint : et quæ clauserit clausa sint : tu præcipe : ut aperiantur huius hominis et aures et oculi : quoniam tu dixisti : quæcumque petieritis credentes consequemini . Et tua hæc fidelis promissio permanet in sæcula sæculorum . At ubi respondentes dixerunt amen : aperti sunt oculi simul et aures eius . Et uidens Clæmentem stantem iuxta coniugem suam : amens effectus cœpit cogitare : quidnam esset : Et extimans sibi magicis illusum artibus : cœpit dicere seruis suis : ut tenerent Clæmentem episcopum . Dicebat autem : ut ingrederetur ad uxorem suam : magicis sibi artibus cæcitatem induxisse . Hi autem quibus iussum fuerat : ut Clæmentem ligarent : Hoc illis uidebatur : quod ipsum constringerent et traherent : Illi autem columnas iacentes ligabant et illas . nunc deintus foras . nunc deforis intro trahebant . Hoc etiam ipsi Sisinio uidebatur : quod sanctum Clæmentem uinctum traherent : cui sanctus Clæmens ait : Duricia cordis tui in saxis conuersa est . Et cum saxa deos extimas : saxa trahere meruisti . At ille quasi ipsum uinctum traheret : exultans dicebat : Ego faciam te omnium maleficiorum experimento interfici . Tunc beatus Clæmens dans orationem : et benedieens[†] uxorem ius[†] abscessit . Hoc in mandatis tradens ei : ne ab oratione omnino cessaret : donec uisitationem suam dominus uiro eius dignaretur ostendere . Oranti autem Theodoræ et flænti ecce subito ad uesperum apparuit uir canicie uenerandus dicens : Per te sanus erit Sisinius : ut impleatur : hoc quod dixit frater meus apostolus Paulus . Sanctificabitur uir infidelis per mulierem fidelem : Et hæc || cum dixisset : ab aspectu eius abscessit : Vnde non dubium extitit : ibi beatum Petrum apostolum apparuisse . Denique statim clamauit ad se Sisinius. Theodoram : et dixit ei : Obsecro te : ut ores dominum tuum : ne irascatur mihi : zelo enim tui ductus abii post te in ecclesiam : Et dum uolui uidere : quæ agebantur : et audire : quæ dicebantur : amisi auditum et uisum . Nunc ergo quia Clæmentis fecit præsentia ut auditum recuperarem et uisum : roga eum : ut ueniat ad me : et faciat me ueritatem agnoscere . Nam et mihi et pueris meis pro certo hoc dicebatur : quod Clæmentem ligarent cum clericis suis et traherent . Hii autem saxa et colnmnas[†] ligantes ipsas traxisse noscuntur . Tunc Theodora perrexit ad episcopum Clæmentem : et narrauit ei omnia : quæ uiderat : et quæ fuerant ei a suo uiro narrata . Veniens autem beatus Clæmens ad Sisi-

nium cum honore magno susceptus est : a quo audiens uniuersa quæ ad ædificationem eius pertingunt . docuit eum omnia : quæ ad fidem chatolicam† pertinere probantur : et credidit Sisinius : et corroboratus est : et cœpit genibus Clæmentis aduolui : ac dicere : Gratias ago uero deo omnipotenti : qui me idcirco cæcauit : ut uideam . ideo auditum abstulit : ut ueritatem hanc audiam : quam ignoranter irridebam . Et hoc putabam falsum esse : quod uerum est : et hoc putabam uerum esse : quod falsum est . Tenebras putabam lucem : et lucem tenebras extimabam . Sed purgatus est sensus meus a sordibus idolorum . Vere enim cognoui dæmones decipere homines : ut qui non credunt Christum dominum : ipsis dominentur saxa surda et muta : sicut et mihi hactenus dominata sunt . Hæc et his similia multa dicente Sisinio : gaudium magnum factum est : et dato nomine proximo pascha baptizatus est . Computati sunt autem hi : qui cum eo baptizati sunt de domo eius simul uiri cum mulieribus et infantibus promiscui sexus numero quadringentiuigintitres . Per hunc autem Sisinium multi nobiles : multi illustres et amici regis Neruæ : conuersi sunt ad Christum . Tunc comes sacrorum publius Tarquinius uidens in numeuabilem† mulaitudinem† Christo credere : inuidia christiani nominis ductus | uocauit ad se patronos regionum : et data eis pecunia monuit : ut seditionem nomini christiano excitarent . Illo igitur tempore amministrante Mamertino præfecturam sedis urbanæ : facta est seditio populi romani de nomine Clæmentis episcopi : et inter se inuicem confundebantur dicentes : Quod mali fecit : aut quid uobis boni non exercuit ? Quicumque ab eo eger uisitari potuit saluus effectus est : quicumque ad eum tristis aduenit gaudens abcessit . Nulli unquam nocuit : cum omnibus profuerit . Alii uero spiritu diabolico inflati dicebant : Magicis artibus ista faciens deorum nostrorum culturam euacuauit . Iouem dicit dominum non esse . Herculem consecratorem nostrum . dicit esse immundum spiritum . Venerem . deam sanctam : meretricem esse commemorat . Mineruam sanctam deam blasphemat . Dianam ac Mercurium : simul et Saturnum et Martem accusat numina etiam uniuersa blasphemat . Tunc Mamertinus urbis præfectus populi seditionem non ferens : iussit ad se adduci beatum Clæmentem episcopum urbis Romæ : quem cum secrete uidisset : cœpit ei dicere : Nobili te stirpe progenitum omnis romana multitudo testatur : sed errorem te passum in eo non fert : in quo nescioquem Christum colere te dicant : et contra omnia templa diuinitatem suscipere agunt . Vnde deponenda est a te supersticio superflua : et dii sunt a te colendi eximii ut euadas . Sanctus Clæmens episcopus dixit : Optarem prudentiam tui culminis ad rationem accedere : et mihi non de tumultu imperitorum : sed de ratione præscribere . Nam si canes multi nobis latrauerint et morsibus nos attrectauerint : et nunquam nobis hoc possunt auferre : quod non sumus homines rationabiles et illi sint irrationabiles canes : Seditio autem ab imperitis exorta : ostendit se nihil habere certum . nec uerum . Vnde silentii est flagitanda occasio : in qua pro salute sua homo rationabilis disputare secum incipiat atque tractare : ut uerum dn̄i† inueniat : cui fidem suam iuxta rationem committat : Hæc et multa talia dicente sancto Clæmente episcopo : furere contra eum cœpit urbis præfectus : qui hanc ipsam seditionem excitauerat : et missa relatione ad Neruam pariter et Fraianum† de Clæmente dixit : Clæmentem hunc a seeiciosa† uocife || ratione populi romani imperiti acusari : cum nihil iure possit eorum accusatio inuenire . Tunc imperator Traianus rescripsit debere Clæmentem episcopum aut sacrificiis consentire : aut trans ponticum mare in heremo quod adiacet ciuitati Cersonæ subire exilium : Quod cum fuisset allegatum : cœpit cum Clæmente episcopo agere Mamertinus urbis præfectus : ne uellet spontaneum subire exilium : sed ut securus uiuens diis libamina exhiberet . At uero beatus Clæmens episcopus nitebatur ipsius etiam iudicis animum ad fidem Christi perducere : cum id se ostenderet appetere potius quam timere . Tantam denique dominus gratiam beato Clæmenti episcopo attribuit : ut flaeret præfectus : et diceret : Deus tuus quem puro corde colis : ipse te iuuet in hac relegatione exilii . Et delegauit præfectus beato Clæmenti nauem omnibus necessariis honustam : et dimisit eum. Repleta est autem nauis tam de clero quam de populo . secutique sunt episcopum religiossi† multi uiri . Cum peruenissent autem ad locum exilii : inuenerunt ibi secandis saxis ad duomillia christianorum diuturna relegatione damnatos . Qui uidentes sanctum Clæmentem episcopum romanum : omnes una uoce in flætu et gemitu proruperunt : quos cum cognouisset sanctus Clæmens pro dei nomine relegatos ait : Non meis meritis ad uos

me misit dominus et ad hanc uestram coronam adduxit : ut particeps factus passionis uestræ etiam consolationis efficiar : Et cum multa eis consolationis et patientiæ uerba intimasset didicit ab eis : quod a sexto milliario aquam sibi suis humeris apportarent . Tunc sanctus Clæmens dixit : Oremus omnes ad dominum Iesum christum : ut confessoribus suis fontis in isto loco uenas aperiat : et qui percussit petram in deserto syna : et fluxernnt† aquæ in abundantia : ipse nobis laticem affluentem aperiat . Cumque oratione facta atque impleta hinc inde circumspiceret : uidit agnum stantem : qua pede dextro crecto† : quasi locum sancto clæmenti ostenderet : Tunc sanctus Clæmens intelligens dominum Iesum christum esse : quem solus ipse respiceret : et præter ipsum alius non uideret . perrexit ad locum : et dixit : In nomine patris et filii et spiritusancti : in isto | loco percutite : Sed cum omnes per girum rastris effoderent : et non ipsum locum ubi : agnus stabat contingerent : accepto breui sarculo sanctus Clæmens : Locum sub pede agni percutiens leui ictu : fontem affluentibus uenis ornatum aperuit : qui suo impetu euomens fluuium fecit . Tunc uniuersis gaudentibus beatus Clæmens responsorium dedit : fluminis impetus lætificat ciuitatem dei . Ad istam autem famam confluxit omnis prouincia : et uenientes . uniuersi ad doctrinam sancti Clæmentis conuertebantur ad dominum nostrum Iesum chrictum† Ita ut die una quingentæ animæ et etiam amplius baptizatæ sint in nomine patris et filii et spiritusancti : perfecti in fide Christi christiani abscedebant . Per totom† autem prouintiam intra annum unum a credentibus septuaginta et quinque ecclesiæ ædificate sunt : omniaque templa destructa sunt : et omnia idola confracta . Post annos autem tres paganis insistentibus tam inuidiosa relatio cucurrit ad imperatorem Traianum : ut dicerent : ubi per Clæmentem innumerabilem christianorum populum accreuisse : et missus est dux Aufidianus nomine qui multos christianorum populos diuersis pœnis occidit . Dum uideret Aufidianus omnes gaudentes ad passionem accedere : cessit multitudini : et solum Clæmentem episcopum cogebat ad sacrificandum . Et cum uideret illum sic fixum in domino : ut penitus mutari non posset : dixit ad suos : producatur : ligeturque ei ad collum anchora : et præcipitetur in medio mari : ut non possint isti populi christiani hunc pro deo colere : quod cum factum fuisset : omnis multitudo christianorum flæbat : et flæntibus illis dixerunt cornelius et Phœbus discipuli eius : Omnes oremus unanimiter : ut ostendat nobis dominus martyris sui excubias . Orantibus autem populis recessit mare in sinu suo per tria fere millia . Et ingressi per siccum populi inuenerunt in modum templi marmorei habitaculum a deo paratum : et ibi in arca saxea corpus sancti Clæmentis positum credentes sine dubio ministerio angelorum fuisse præparatum : Ita ut ancora cum qua missus est : iuxta eum esset posita . Reuelatum est autem discipulis eius : ut non inde tollerent corpus eius : quibus || etiam hoc intimatum est : quod omni anno die passionis eius recedit mare per septem dies : ut aduenientibus : siccum iter præbeat : Quod ad laudem nominis sui dominus facit fieri usque in hodiernum diem . Hoc autem facto : omnes gentes uicinæ crediderunt dominum Iesum christum : ubi nullus gentilis . nullus iudæus . nullus prorsus inuenitur hæreticus . Et fiunt ibi multa diuina beneficia orationibus eius . Nam et cæci illuminantur ibi omni anno die natalis eius . dæmones effugantur . et omnes saluantur infirmi : qui illic potuerint peruenire . Et est ibi pax dei : et laus domini cum gaudio : et benedicitur Christus filius dei uiui : qui cum patre regnat in unitate spiritussancti : in sæcula sæcnlorum† amen . Passus est autem uenerabilis dei sanctus Clæmens episcopus urbis Romæ sub Traiano imperatore et Aufidiano duce : in Cersona ciuitate Lyciæ sub die nono calendarum decembrium .

Miraculum eiusdem .

In uoluminibus refertur : quod secretum regis abscondere bonum est : dei enim mirabilia enarrare gloriosum est : Et sicut beatus Paulus apostolus ait : quos præsciuit : hos et prædestinauit conformes fieri imaginis filii sui . Et iterum : Quos uocauit : illos et magnificauit et cætera . Nam sicut in gestis eorum reperimus : Ita et laudes eorum consciribimus† . Illius namque moysi famuli dei meminisse uos credo : quem Pharao tunc in phiscella positum aquis mergi præcepit : et in papyrione dum filia Pharaonis lauaretur eum coillegit† : et nutriuit in filium . Placatusque in eum dominus fecit salutem in manu eius : Qui etiam populum israeliticum per siccum medio mari

rubro eduxit : Cui in monte syna legem dedit : et baptizauit in nube et in mari . Illorum namque superiorum umbræ : istorum imaginum similitudinem uendicant . sicut et diuina uox ait : Misit illos binos ad prædicandum : ut easdem exercerent operationes et uirtutes . Et idem egregius prædicator beatus Paulus apostolus et doctor gentium ait : O altitudo diuitiarum sapientiæ et scientiæ dei : quam inscrutabilia sunt udicia† eius : et inuestigabiles uiæ eius . Ve | re enim domine diuina pietas et clæmentia tua uerum piumque Clæmentem fecit : Sed ne tempus me tarditatis appræhendat loquendi : incipiam de mirabilibus beati Clæmentis enarrare . Credo enim uos non latere de eo fratres : quod Clæmens martyr ut in passione eius legitur . anchora collo eius appensa : in mare præcipitatus est . Nunc autem in die solemnitatis eius recedit mare per tria millia stadiorum : siccumque ingredientibus uestigium iter præbet terræ usque ad sepulchrum martyris : Ibique uota reddentes : et orationem facientes innumerabilis multitudo : Post dies octo regrediuntur ad littus . Factum est autem ut in una solemnitatum : quædam mulier cum filio suo paruulo locum accederet : et epulante caterua populi post actum solemnitatem : obdormiuit infans . Dum autem hæc agerentur . ecce factus est repente sonus innundantium aquarum : et cohoperientium mare : ex quo terrefacta mulier oblita est sobolis suæ : et cœpit uelociter cum reliqua multitudine populi ripam petere . Igitur insequentis maris accesu . postquam ad littus uenisset meminit se filium reliquisse . Tunc cum flætu magno deiecta terre : et puluere asperso capite miseram se clamans : dabat uoces ad cælum : Et ita agebat : ut littora clamoribus et eiulatu repleret : discurrebatque per circuitum riparum aquæ : si forte enecatam prolem eiectamque littori aliquis piscatus fuisset . Sed cum nihil inuenisset indicii : tandem aliquando consolata a propinquis : ad propria remeat . Totum autem annum in lamentationibus et eiulatu ducens : nihilominus non se continebat . Recurrente autem fratres mei dilectissimi solemnitatis die beati Clæmentis martyris : uenit iterum mulier ad spectandum maris secessum : si fortassis de infantulo aliqua possit inuenire indicia . Quid multa ? recedente mari : anticipat omnes ad ingrediendum : et ipsa præcedit ad tumulum : Cumque se prostratam ut solita erat in oratione misisset in pauimentum : et mugitum imi cordis daret : ita dicebat : Scio domine . scio : quia sine tuo nutu nulli hominum destinatur quod cupit : et nisi tua pro eo fuerit dextera dimicata . Tu domine qui filium unicum uiduæ lachrymis misertus et feretro portatum tu misericordia redo || nauit incolumem : et nunc domine respice ancillam tuam : ut beati Clæmentis martyris tui suffragiis adiuta : impertiar inseqeunti† : quod obnixe peto : et dum hæc et alia diceret : erecta in genua dum diuertit se in partem aliam : uultum aspicit filii in eo loco : ubi eum dormientem reliquærat : in ipso adhuc sopore teneri . Extimans autem eum esse defunctum accedit cadauer collectura exanime . Sed cum eum dormire cognouisset excitatum uelociter : spectantibus populis et admirantibus : incolumem leuauit filium suum in ulnis : et laudem pariter omnes dederunt deo : qui saluos facit sperantes in se . Mulier autem præ gaudio non tenens sui cordis ardorem : commotaque uiscera eius super eum sicut aquæ multæ cohoperiunt mare : ita lachrymis irrigabat : et osculabatur . Cœpit autem eum interrogare : ac dicere inter ipsa oscula : ubi per totius anni fuisset spatia . At ille nescire se ait : si annus integer præterisset : sed sic tantum dormisse suaui sopore quasi unius noctis spatio . Tunc iterum atque iterum omnes populi qui aderant : benedixerunt dominum nostrum Iesum christum : qni† tanta mirabilia ostendit seruis suis : per beatum Clæmentem martyrem : atque pontificem huius almæ ciuitatis Romæ : Cui est honor et gloria potestas et imperium in sæcula sæculorum .

Aliud miraculum .

Fratres mei carissimi uolo et aliud miraculum ipsius beati Clæmentis martyris atque pontificis enarrare : quod non dubium credo habere uestram strenuitatem . Fons erat irriguus ruri cuidam infra terminum urbis Leouicinæ† ciuitatis : quæ non longe abest a corpore beati Martini : cuius unda tam hortorum sata : quam agrorum culta : uel fouebat uel crescebat accessu : uel impetu fœcundabat . Deducebatur enim factis decursibus per longa necessaria : ubi uolebat : ut ubi natura non dabat incrementum : studium prouocabat . Et erat tam dulcis uena exuperanter fluens : ut

gaudere cerneres olus siue uirgultum ab eadem fuisse irrigatum . Opitulabatur etiam in eo gratia Christi maiestasque diuina : ut in quo fluentum fuisset emissum : uelociter germina acciperent | incrementum : Cumque eum incolæ loci quasi ludum agentes per singula quæque loca deducerent : antiquus hostis et fascinator inuidit : et sub terra deiecit : et uelut in stadiis duodecim : in medio paludum : ubi nullum prorsus possit opus efficere fluctibus sparsis tabescebat : ex quo omnium mentes timor obsedit . Nouum quoddam aduenire regionis illius incollæ præstolantur interitum simul et beneficium quod habere consueuerant iugi flætu deplorabant . Curriculo igitur unius atque alterius anni in hac ariditate permanentes : arescunt siti loci illius omnia quæ irrigare consueuerat . Tertio quoque anno : accidit : ut quidam iter agens beati Clæmentis martyris cuius supra meminimus relliquias deportabat : quas Arridio nomine ipsius urbis præsbytero uiro in omni sanctitate religioso detulit : ad quem die noctuque uicini eius attendebant : Confisi de eius orationibus : quod si peteret a domino : fontem possit suo restituere loco : Qui ait : Eamus dilectissimi fratres : et si uera sunt quæ portitor noster asseruit : Hæc esse Clæmentis martyris pignora : nunc apparebit : cum eius fuerit uirtus manifestata . Tunc cum silentio ad locum fontis accedit : et dictis psalmis in oratione prosternitur : positisque sanctis reliquiis in ipso fontis aditu petiit : ut qui quondam in deserto damnatis ad secanda marmora flumen irriguum patefecit : et in hunc locum aquas quas prius pia indulserat clæmentia : Clæmentis iterum intercessio reuocaret . Illico uena recurrit ad aditum : magnas euomens aquas : illumque quem prius tenuerat alueum decurrendo replens . Admirantibus populis immensæ domino gratiæ referuntur : qui et martyris sui uirtutem prodidit : et fidelis sui orationem implere dignatus est Christus deus noster cui est honor et gloria in sæcula sæculorum.

CALENDAS NOVEMBRES PASSIO SANCTI CAESARII MARTYRIS ET LEVITE .

Tempore quo Claudius matrem suam necauit gladio : furore arreptus talem auctoritatem per totum orbem diuulgauit : ut homines a cultura deorum non recede || rent . factum est autem tempore ipso quo sacra omnibus innotuerat : erat Firminus quidam pontifex ciuitatis campaniæ : cui est uocabulum Terraciniæ : Hic sacra faciebat per singulos annos in calendis Ianuariis quasi pro salute rei publicæ : et publice suadebat hominibus ignaris : quos ita perdebat deliciis et ornamentis : qui hoc persuadebat eis propter rem publicam ut nomen exercerent crudelitatis et audaciæ : Is itaque acceptis thesauris et ornamentis equorum et armis belli geratorum acceptis pretioso cultu se ornabat : et quasi laus hæc esset eorum qui in ciuitate Terracina manebant . Et ecce quidam iuuenis speciosus in eadem ciuitate erat nomine Lucianus : qui deliciis et lasciuiis nutriebatur a die calendarum ianuariarum ad interfectionem suam . Veniens autem Cæsarius diaconus ex Africa in eandem ciuitatem quæ uocatur Terracina : uidit iuuenem transeuntem speciosum nomine Lucianum : quem ubi uidisset : interrogauit ciues eiusdem ciuitatis quidnam esset hic ornatus ? Responderunt : ad interfectionem corporis sui est ornatus : Quibus beatus Cæsarius dixit : Per deum omnipotentem uos coniuro : ut dicatis mihi uel ex qua causa : uel quæ exercitatio ipsa : Et dixerunt ei ciues : Nutritur hic : quomodo illi placuerit : ante octo uel sex manses† : ex quo tempore post armatus et ornatus ascendit in monte : et arreptus equo pro salute rei publicæ et principum et ciuium salubritate : et ut nomen habeat gloriæ : ipse se præcipitat morti : Cuius corpus cum grandi honore colligitur : et ad templum producitur Apollinis : et incendio consummitur : et cineres eius in templo pro salute rei publicæ et ciuium reconduntur . Tunc Cæsarius audiens hoc scelus dixit : Oh infelices : qui traditis animas in perditionem diaboli innocentum : Qui nec hic nec in futuro uitam æternam inuenire poteritis : et erat in eadem ciuitate occultus usque ad diem calendarum ianuarium . Tunc factus est conuentus ciuium : et uenerunt ad templum Apollinis : et adduxerunt hominem Lucianum splendidissimum iuuenem : ut sacrificaret : et sacrificio obtulerunt porcam : quam immolauit Lucianus pro salute ciuitatis et ciuium . Veniens autem Cæsarius : cœpit cla | mare dicens : Viri sapientes quid facitis

scelus stultum ? Nunquid iustum ut pro uita morti tradatis homines ? O quam stultum : ut morti tradatis sanguinem innocentem ? Eadem hora post sacrificium ascendit iuuenis equum : et arreptus furia cœpit furiose arripere equum : Et cum ascendisset in montem præcipitauit se ipse : et mortuus est . Hoc cum uidisset Cæsarius diaconus cœpit clamare dicens : Ve rei publicæ et principum : qui cruciatibus amplectuntur : et effusione sanguinum saginantur : Vt quid perditis animas diabolicæ fraudis suasionibus ? Videns hoc Firminus pontifex dicentem beatum Cæsarium : iussit eum teneri cum summo studio : et recludi eum in custodia publica . Corpus autem Luciani collegit : et secundum consuetudinem duxit ad templum Apollinis : et incendio consumpsit : et sacrificiis ornauit templum . Post dies uero octo uenit Luxorius primus ciuitatis : cum Firmino pontifice et eduxerunt Sarium† de custodia publica : et adduxerunt in forum ciuitatis Terraciniæ : et postulauerunt consularem campaniæ : qui illis diebus erat consularis in Fundana ciuitate nomine Leontius : Qui cum uenisset ad Terracinam iam post triduum maceratum Cæsarium diaconum in foro tradiderunt Leontio . Eadem hora Leontius consularis interrogat Cæsarium his uerbis sub uoce præconia : Quid uocaris ? Respondit : Cæsarius peccator diaconus non meritus : Leontius . consularis dixit : Seruus es an ingenuus ? Cæsarius diaconus dixit : Seruus sum domini mei Iesu christi . Leontius consularis dixit : Audisti quid iusserunt principes et domini imperatores ? Cæsarius dixit : Nescimus . Leontius consularis dixit : Vt sacrificium offeras diis immortalibus . Cæsarius dixit . Vere sic dixerunt : tanquam infelices . Respondit Leontius consularis . Quare non probas interfectionem quæ omnes saluos facit ? Respondit Gæsarius† . O scelus . ut intereant homines et uiuificari non possint . Respondit Leontius dicens : Fac quod dico sacrifica diis : quia in te modo uidebis esse supplicia : ubi puniri desyderas ? Respondit Cæsarius diaconus : Non me commouent æternæ pœnæ : quæ uos torquere habent in perpetuum . Leontius dixit : Ea || mus ad templum sacratissimi Apollinis : et uinctum ante carpentum Leontii consularis duxerunt eum nudum : Et cum appropinquaret ad templum : Cæsarius diaconus manibus ligatis in medio militum dixit : Deus pater domini nostri Iesu christi qui es in æternum : tibi omnia cognita sunt noli me derelinquere : sed respice sperantes in te : et cum hoc dixisset : subito ruit templum : et occidit pontificem Firminum . Hoc audiens Luxorius primus ciuitatis cucurrit clamans et dicens : Consularis audis Cæsarium quam perfidum et hymnis magicis consonantem : Leontius consularis dixit : cognouimus : Et dixit ad Cæsarium diaconum : Hodie in te exardescet ira mea . Tunc Cæsarius diaconus dixit : Nec te nec principem tuum timeo : quia sicut dixisti ira tua exardescet : et cras euanescet : et cum fueritis mortui : ulterius non eritis . Tunc Luxorius clamabat consulari dicens : Audis Cæsarium iniuria principum sermocinantem ? adhuc eum non extinguis ? dixit autem consularis ad Luxorium : Qua debet puniri sententia ? Luxorius dixit : Primum quidem congregetur omnis ordo ciuitatis in eodem loco ad templum : ubi enim claruit magica : et dum reuocatus fuisset ad templum : erectum est corpus Firmini pontificis : et sic alloquitur ad populum Luxorius : Ecce cognoscite : quia perfidum hominem qui nec deos timet nec principem : qui etiam et homicidium fecit : et incantationibus suis templum antiquitatis destruxit : Eadem hora clamabat Cæsarius diaconus dicens : Audite fratres : si iustum est ut homo timeatur magis quam deus creator omnium rerum : et in mortem sanguinis hominis purificetur ciuitas uestra : uos iudicate : Vnde commoneo caritatem uestram : ut pœnitentiam agat unusquisque uestrum de sanguine quem effudistis innocentium : et credatis et timeatis dominum Iesum christum dei filium . Tunc clamauerunt omnes populi dicentes : Beatus homo iusta loquitur : Tunc Luxorius tulit eum de mediò populorum : et iterum recludit eum : et fuit in custodia annum unum et mensem unum . Exempto uero tempore iussit Luxorius eiici Cæsarium de custodia : et mittens ad Leontium consulem : consuluit eum : ut extingueretur : Eiectus uero | Cæsarius de custodia maceratus : et tectus de capillis suis quia nudus erat : et angelus domini die noctuque custodiebat eum . Tunc adduxerunt in medio foro : Qui cum ingressus fuisset forum : dixit Cæsarius diaconus ad milites : qui eum colligatum tenebant et cathenis uinctum : et dicentem : Modicum rogo laxate me : ut gratias referam domino meo Iesu christo : qui me dignatus est socium esse seruorum suorum : et subito cadens in terram adorauit dominum dicens : Domine deus pater domini nostri Iesu christi ostende nobis

misericordiam tuam . Eadem autem hora facta est lux sicut coruscatio : et protexit Cæsarium diaconum . Videns hoc Leontius consularis : cœpit uoce magna clamare : Vere dominus deus est : quem prædicat Cæsarius diaconus : et misit se ad pedes beati Cæsarii : Et expolians se chlamydem suam induit beatum Cæsarium : et rogare cœpit coram omni populo ut baptizaretur : Cui dixit beatus Cæsarius : Tu crede : et modo uidebis lumen splendidum : et accepta aqua baptizauit eum in nomine patris et filii et spiritussancti : In ipsa hora ueniens Iulianus præsbyter : dedit ei corpus et sanguinem domini nostri Iesu christi : et cum percepissent omnia sacramenta legis : orante beato Iuliano super Leontium : et completa oratione cum gloria : Leontius tradidit spiritum . Eadem die tenuit Luxorius Iulianum præsbyterum et Cæsarium diaconum et dedit sententiam in eos : ut ambo in saccum missi in mare præcipitarentur : Corpus autem Leontii collegerunt uxor et filii eius et sepelierunt iuxta ciuitatem in agrum suum tertio calendas nouembres . Alia autem nocte post triduum cum ducerentur ut præcipitio mergerentur in mare : beatus Cæsarius dixit ad Luxorium : Me quidem aqua quæ regenerauit quasi filium suum ex se renatum suscipiet : ut ipsa me modo martyrem faciat una cum patre meo Iuliano : qui me ante fecerat christianum . Te autem Luxori : Hodie te comedet coluber : ut cognoscat hæc omnis patria : quia uindicat dominus sanguinem seruorum suorum et uirginum : quas tu ignibus concremasti . Me quidem ad libitum tuum in aquam mergi iussisti . Interea missi in saccum beatus Iulianus præsbiter et Cæsarius diaconus || præcipitati sunt in mare . Eodem die quo mersi sunt in littore eos unda eiecit . ubi etiam iacebat Luxorius totus turgidus a serpente percussus : Ipse autem Luxorius ibat equo sedens ad uillam suam : ut pranderet : et quoniam festinabat ad prandium : præcessit cum equo solus . Igitur cum iuxta arborem præteriret : et faciente nequitia sua sic euenit ei : ut per caput eius inter collum et capitium tunicæ eius inter tunicam et uentrem eius : et latus eum serpens suis morsibus laniauerit : ita ut per uentrem perueniret usque ad cor eius . Iacens autem totus tumidus : tamen ante quam expiraret uidit oculis suis psallentes ambos : et cum honore dignissimo corpora sanctorum Iuliani præsbyteri et Cæsarii diaconi undam afferentem : quod ipse Luxorius ante quam expiraret clamabat . Quorum corpora sanctorum martyrum collegit quidam seruus dei : qui cum ipso habitauerat : et sepeliuit noctu iuxta urbem Terracinam calendis nouembribus . Post dies autem quinque inuentus est : et ipse seruus dei nomine Eusebius in eodem loco : ubi posuerat beatos martyres ieiunans et orans dominum et pasallens† . Hoc dum multi uiderent : occurrebant beato Eusebio de ciuitate Terraciniæ : quia locus prope ciuitatem erat : et multi conuertebantur et baptizabantur a Felice presbytero . Hoc audiens Leontius filius Leontii consularis : fremens de morte patris sui misit milites : et tenuit Felicem præsbyterum : et Eusebium monachum : et iussit in conspectu ciuium ut adducerentur in forum : Et sedens cum maioribus ciuium : sic loquitur ad eos : Dicite nobis : serui estis aut ingenui ? Respondit Felix præsbyter : Serui sumus domini nostri Iesu christi . Et dicit ad eos : Diuulgate nobis nomina uestra . et responderunt Felix et Eusebius : Leontius filius Leontii consularis dixit : Dicite quare contra salutem rei publicæ et principum prædicatis insaniam ? Respondit Felix præsbyter et dixit : Non insaniam prædicamus sed prædicamus sanam atque ueram doctrinam : ut timeatur deus : et cognoscatur : Quia si cognoscitis eum : potestis uitam æternam consequi . Leontius filius : Quid uobis uidetur ? Alii clamabant bonam esse doctrinam : alii dicebant non : sed seducit populum . Hoc autem eis al | tercantibus reclusit eos in custodiam : et discesserunt : Et misit ad eos noctu : et cœpit eos cogere : ut sacrificarent . Illi uero deridentes et contemnentes clamabant : Gloria in excelsis deo . Eadem nocte præcepit eos capitis subire sententiam : et corpora in fluuium iactari . Quorum corpora die iam præclaro : iactauit mare ad littus iuxta pineta . Et ecce quidam præsbyter nomine Quartus capuensis dum transiret ad agrum suum : inuenit corpora sanctorum sine capite : collegit et posuit in uehiculo et duxit in domum suam : cœpitque curiose quærere capita eorum . Alia autem die et ipsa capita uenit illæsa : quæ collegit : et iunxit corporibus sanctis : et sepelliuit iuxta corpus sancti Cæsarii diaconi et martyris nonis nouembribus : Vbi orationis eorum beneficia præstantur usque in præsentem diem ad laudem et gloriam domini nostri Iesu christi : qui uiuit et regnat in sæcula sæculorum amen .

PASSIO SANCTI CENSVRINI ET SOCIORVM MARTYRVM .

Temporibus Claudii præsidente uicario Vlpio romulo magna persecutio orta est in christianos . Erat quidam uir præpositus magisterie potestatis et in occulto christianus timens deum et credens in uirtute domini Iesu christi quottidie in absconditis suis orationibus et ieiuniis epulabatur et eleimosynis . Hic ante Claudii aspectum non recedens sed si quos uidisset e christianis ad necem trahi uel ad custodiam publicam occulte confortabat : et quantum ei largiebatur uictum in carceribus ministrabat et uinculis et custodiis . Hoc audito Claudius rex iratus iussit eum teneri et ante conspectum suum adduci : cui ita dixit : Tu es uir ille Censurinus deorum cultor æterne maiestatis semper . affabilis mansuetudo nostra nullum seruientem sibi despexit sed in culturam deorum semper nos rem publicam gubernantes propagamus . Tunc Censurinus respondens dixit : Ego testimonium dico de domino Iesu christo : quia ipse uerus est deus : qui || crucifixus est et sepultus : et resurrexit ipsis uidentibus : qui eum crucifixerunt : quia prædixerat quod post mortem uiueret . et uidentibus illis ascendit in cælum . Hic nostris temporibus dignatus est uenire a patre in uterum uirginis : Qui quidem sic dignatus est descendere ad terras : ut cælum non desereret . Tunc iratus Claudius dixit : Insanis Censurinæ : et iussit eum propter militiæ consortium hostiæ in custodia mancipari . Ille autem in custodia : et in uinculis obligatus deo laudes die noctuque canebat . In ea ciuitate erat quædam uirgo ex genere regiæ potestatis nomine Aura : quæ multas iam persecutiones experta ex inscriptionibus fuerat damnata cum uiris religiosis et sacris uirginibus in prædiolo suo uacabat . hæc quottidie ad sanctum Censurinum die noctuque ueniens omnia uictualia ministrabat : cuius et uincula manu sua aqua abluens oculos et faciem suam lauabat . Erant enim et in eodem loco sanctus Maximus præsbyter et Archelaus diaconus : qui quottidie sacrificia deo cum hymnis et laudibus offerebant . Præterea beatus Maximus præsbyter tanta mirabilia in nomine domini Iesu christi exercebat : ut dum quis introisset Ad beatum Censurinum : statim uincula de manibus et pedibus ei soluebantur . Tunc aperiens os suum beatus Maximus cœpit dicere ad custodes : fratres derelinquite dæmones et idola uana : et cognoscite dominum Iesum christum perpetuum regem : qui fuit ante sæcula et est : et uenturus est iudicare uiuos et mortuos et sæculum per ignem . Nam cælum et terra transeunt : dominus uero meus Iesus christus nunc et semper et in æternum erit . Custodes dixerunt ad Maximum præsbyterum : et quid faciemus : ut cognoscamus hunc : quem tu prædicas . Maximus præsbyter dixit : Baptizetur unusquisque uestrum : et credite Christum deum : et idola uana derelinquite : et pœnitentiam agite : quia nescientes blasphemastis nomen eius sanctum : et multos sanctos ipsius interemistis . Tunc Felix . Maximus . Taurinus . Herculanus . Neuirius . Historacinus . Menna . Commodius . Hermis . Maurus . Eusebius . Rusticus . Monaxius . Amandinus . Olympius . Eipros : et Thedorus . Tribuni decem et | septem miserunt se ad pedes beati Maximi : ut baptizarentur : Qui mox secundum consuetudinem et baptizati sunt : et acceperunt gratiam Christi . Tunc sanctus Quiriacus episcopus chrismate Christi eos perunguens signauit illos uerbis fidei . Sotor autem erat in eodem loco : cuius filius eadem hora mortuus fuerat . Transeunte autem beato Quiriaco et Maximo et beata Aura . Lamentabatur Sotor in morte filii sui . Tunc beatus Maximus præsbyter dixit ad Sotorem : Tu crede in deum Iesum christum coram omnibus nobis : et tu uiues et filium tuum recipies . Ille autem cum lachrymis dixit : In quo credam : quem a iuuentute mea blasphemaui ? Respondit beatus Maximus : Pœnitentiam age : quia deus pœnitentium est non reddens secundum peccata nostra : sed faciet secundum suam magnam misericordiam . Sotor autem dixit : Ego credo in deum Iesum christum . Tunc beatus Maximus baptizauit eum in nomine patris et filii et spiritus sancti : et dum accepisset signum Christi gaudens et exultans deduxit beatum Quiriacum et Maximum præsbyterum ad filium suum . Tunc beatus Quiriacus episcopus dixit : Domine Iesu christe qui dignatus es formam serui suscipere : ut nos de seruitute diaboli liberares : qui Lazarum iam fœtentem suscitare dignatus es : et filium unicum uiduæ redonasti : ostende super

hunc famulum tuum tuam misericordiam : ut cognoscat te deum uiuum et uerum creatorem nostrum in regeneratione sua : quia tu regnas in sæcula sæculorum : et cum omnes respondissent amen : reuixit : qui erat mortuus : et cœpit loqui dicens : Ego uidi deum Iesum christum reducentem me de tenebris ad lucem . Tunc cathetizauit eum : et cum baptizatus esset et accepisset signum crucis : suscepit eum beata Aura : Erat enim annorum decem : qui resuscitatus est nomine Faustinus . Eodem tempore nunciatum est Claudio : quia mortuus suscitatus fuisset per orationem sanctorum : et dixit Claudius : hoc non est præter artem magicam . Et uocauit ad se uicarium urbis nomine Vlpium romulum : cui hæc præcepit dicens : Sacrilegam Auram quæ obscurauit genus regiæ potestatis suæ : et cum magicis artibus desyderans semper habitare pœ || nis constringe : Ita ut si sacrificauerint et crediderint diis deabusque : uiuat et inscriptio mea firmata aboleatur : aut qui inuenti fuerint cum ea societate participes simul pœnis crucientur : Veniens autem Vlpius romulus in ciuitatem Hostiam iussit omnes sanctos custodia mancipari . Diluculo autem surgens iussit sibi beatam Auram repræsentari : cui sic dixit : O insania magicæ artis quæ in te floret : quid egisti ut perderes regiam maiestatem : et natales claros obscurares ? Beata Aura respondit : Ego obscuraui dæmones : et deserui idola uana et manufacta : et cognoui nnum† deum uiuum et uerum et deum Iesum christum filium eius : qui uenturus est iudicare uiuos et mortuos : et patrem tuum diabolum una cum Claudio uos in tenebris habet damnare . Vicarius Romnlus† dixit : Inducta ab insania magicæ artis desere uanitates istas et consule generositati tuæ . Beata Aura insufflauit in faciem uicarii dicens : Miser si scires deum creatorem cæli et terræ : non proferres ex ore tuo blasphemias . Iratus autem Romulus uicarius iussit eam in eculeo suspendi : et cum attraheretur neruis : facie alacris et speciosa cœpit dicere : Gratias ago tibi domine Iesu christe : qui me de inferis ad sublimia cælestia dignatus es subleuare . et dixit Romulus : Vbi es ? quem prædicas Christus tuus liberet te ? beata Aura respondit : Ego digna non sum : sed ille qui dignatus est me de caligine mundi eripere : potens est te et Claudium destruere : et dum hoc dixisset confractus est eculeus : et depositam exinde iussit eam fustibus cædi sub uoce præconia dicens : Sacrilega Aura noli blasphemare deos et regum gubernatores . Illa autem dicebat : Benedictus es domine Iesu christe quem ego iam uideo . Tunc Romulus ad ministros dixit : Date flamas ad latera eius : et cum applicatæ fuissent flamæ : gaudens uoce clara et facie speciosa dixit ad Romulum : O infelix pudor tibi non est conspicere membra genitricis tuæ in conspectu tuo ignibus assari . Romulus dixit : Tua infelicitas hoc meretur : qui deseruisti deos immortales et regiam potestatem : et desyderasti magicis artibus coinquinari . Tunc semiustam iussit retrudi in custodiam : et iussit | adduci Maximum præsbyterum et Archelaum diaconum : quibus et dixit : per uos et per doctrinam uestram blasphemantur nomina deornm† : et circumducitis homines : ut non credant secundum morem antiquitatis . Respondit Maximus præsbyter et dixit : Non nos seducimus homines : sed quantum gratia dei donat per ipsum dominum nostrum Iesum christum liberamus de errore sæculi : et mancipamus nomini sancto eius . Tunc Romulus dixit : Isti quidem digni sunt morte : et iussit sanctum Quiriacum episcopum et sanctum Maximum præsbyterum et Archelaum diaconum et omnes milites ad arcum ante theatrum capite cædi : Quorum corpora iussit iactari in mare . Quos beatus Eusebius collegit : et ad littus maris et in campo abscondit et sepelliuit iuxta urbem in cripta uia hostiense . Taurinum Herculanum ē† portu romano abscondit . beatum Theodorum Tribunum posuit in mansoleo† suo : et omnes allios collegit : et posuit eos iuxta corpora sanctorum Quiriaci episcopi et Maximi præsbyteri . post dies quinque iussit sibi Romulus beatam Auram repræsentari : quæ cum affuisset aspectibus Romuli gaudens dixit ad eum : Miser quid perdidisti dies tuos ? cognosce creatorem tuum Christum filium dei : et noli adorare lapides uel æs aut aurum uel argentum : sed adora dominum Iesum christum crucifixum : qui resurrexit tertia die et ascendit in cælos : inde uenturus est iudicare uiuos et mortuos et sæculum per ignem : Cui respondit Romulus : modo uidebis christum tuum : quem credis : si non sacrificaueris diis : beata Aura dixit : Bene dixisti miser : et aliquando protulisti ueritatem ex ore tuo dicens mihi : si non sacrificauero dæmoniis uidebo christum . Iratus itaque Romulus : quia in dictis suis fuerat uictus : iussit ut lapide maxillæ eius cæderentur diutissime . clamabat autem beata Aura dicens : Gloria tibi domine Iesu christe : quia merui inter seruos tuos cognominari .

Romulus dixit : Iam consule generositati tuæ : et adora deos et sacrifica : et accipe uirum secundum natales tuos : cui fiducialiter beata Aura uoce clara dixit : ego uirum habeo dominum cæli et terræ Iesum christum : quem tu miser negasti te scire : Sed cognoscis dæmones || qui cor tuum insania et rabie impleuerunt . Iratus Romulus eadem hora iussit ante conspectum suum plumbatis eam deficere . Qui cum diu cæderetur magis confortabatur : et dedit in eam sententiam : lapidem magnum ligari iussit ad collum eius : et præcipitari in mare . Cnius† corpus sanctum peruenit ad littus . Beatus uero Nomius collegit corpus eius et sepelliuit in prædio ipsius ubi habitauerat foras muros portæ hostiæ nono calendas septembres . Tunc Romulus tenuit Sabinianum quendam agricolam loci illius : et cœpit ab eo quærere facultates beatæ Auræ dicens : Sacrilega Aura quæ magis elegit per magicas artes mori quam uita nobiscum frui : tuæ amicitiæ semper fuit communis . Thesaurum eius uel ornamenta ante conspectum nostrum declarare festina : et sacrifica diis : et uiue et humiliare secundum iussa principum . Sabinianus dixit : Ego uero semper humilitatem doctus sum a sancta Aura . quæ me docuit confiteri deum meum Iesum christum : qui natus est de spiritusancto ex maria uirgine . Nam aurum aut argentum uel margaritas non me habere scias : nisi dominum Iesum christum . Romulus dixit : succurre tibi : et occultos thesauros principum redde : et sacrifica diis : et recede ab insania falsa . Sabinianus dixit : Ego quidem mereor cædi pro peccatis meis : sed gratias ago domino meo Iesu christo : et credo me idoneum esse ad cognoscendam eius misericordiam : etiam qui mihi dignatus est suam gratiam in baptismo donare . Nam hoc scias aurum temporale me non habere : nec dæmoniis tuis ceruices meas non flectere . fac quod uis . Iratus Romulus iussit ut cum plumbatis ceruices eius tunderentur sub uoce præconia : Deos et deas principum blasphemare noli . Eodem die audiens hoc beatus Hippolytus senex optulit se in conspectum Romuli : Cui ita uoce clara dixit : O miser si scires : non cauciatibus† dares ceruices sanctorum : sed te ipsum humiliares : et crederes deo et domino Iesu christo et seruis eius et non lapidibus uanis aut metallis . Iratus Romulus præcepit : ut pedibus et manibus ligatis in foueam uiuus mergeretur . Beatus uero Hippolytus dum mersus fuisset in foueam ante muros portus romani : uox audi | ta est per spatium horæ unius : quasi infantium clamantium deo gratias . Romulus dixit : hoc insania magicæ artis esse cognosco . Tunc cum furore clamans cœpit dicere : Hic Sabinianus qui captus est cupiditatæ magicæ artis et libidine thesaurorum in momento eum confringam : aut euellam a terra : si non se humiliauerit diis : et sacrificauerit eis : quibus dictis iussit eum fustibus cædi sub uoce præconia : Redde thesauros principum : et humilia te diis a quibus gubernatur res publica . Ille autem dicebat : Gratias ago tibi domine Iesu christe : qui dignatus es me cum seruis tuis sociare . Cum uero diu cæderetur : firma et alacris facies eius esse uidebatur . Iratus Romulus iussit eum in eculeo leuari : Et cum attraheretur neruis sub uoce præconia : nihil aliud agebat nisi gratias domino Iesu christo . Romulus dixit : Insanit : et securus est de magicis consiliis : Et iussit ut flamis ureretur : et cum applicuissent flamas ad eius lattera : cœpit Romulus clamans dicere : Iam consule tibi : et redde thesauros . Beatus autem Sabinianus gratias agebat deo dicens : Domine accipe spiritum meum : et hoc cum dixisset : emisit spiritum : Cuius corpus iussit in puteum iactari : Eodem tempore euniens† quidam Concordius præsbyter noctu leuauit corpus de puteo : et sociauit beatæ Auræ sub die quinto calendas ianuarias . Regnante domino nostro Iesu christo : cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum amen .

PASSIO SANCTI CYPRIANI MARTYRIS .

Tusco et Basso consulibus Carthagine in secratio† Paternus proconsul Cypriano episcopo dixit : Sacratissimi imperatores Valerianus et Gallienus litteras ad me dare dignati sunt : quibus præceperunt eos : qui non romanam religionem colunt : debere romanas cerimonias recognoscere . Exquiro te de nomine tuo : quid mihi respondeas . Cyprianus episcopus dixit christianus sum et episcopus : et nullos alios deos colo nisi unum et uerum deum : qui fecit cælum et terram mare et omnia : quæ in || eis sunt . Huic deo christiani deseruimus . Hunc precamur diebus ac noctibus pro nobis

et pro omnibus et pro incolumitate ipsorum imperatorum . Paternus proconsul dixit : Et in hac uoluntate perseueras ? Cyprianus episcopus dixit : Bona uoluntas quæ idem nouit : mutari non potest . Paternus proconsul dixit : Poteris ergo secundum præceptum Valeriani et Gallieni exul proficisci ? Cyprianus episcopus dixit : Proficiscar . Paternus dixit : Non solum de episcopis sed de præsbyteris mihi scribere dignati sunt . Volo ergo scire ex te : qui sunt præsbyteri : qui in hac ciuitate constituti sunt . Cyprianus dixit : legibus uestris bene atque utilius censuistis delatorem nullum esse debere . Itaque a me deferri non possunt : in ciuitatibus suis inueniuntur . Paternus proconsul dixit : Ego hodie loco exquiro . a me inuenientur . et adiecit : Præceperunt etiam ne in aliquibus locis conciliabula faciant : aut cymiteria ingrediantur . Si quis itaque tam salubre præceptum non obseruauerit : capite plectetur . Cyprianus dixit : fac : quod tibi præceptum est : Cumque Cyprianus martyr a deo electus de ciuitate Curbitana in qua exilio ex præcepto Aspasii Paterni proconsulis datus fuerat regrederetur : in hortis suis maneret : ibi quottidie sperabat ueniri ad se : sicut illi ostensum fuerat : Et cum illic demoraretur derepente idibus septembribus Tusco et Basso consulibus uenerunt ad eum principes duo : Donus ex offitio Galerii Maximi proconsulis : qui casto Paterno sucesserat : alter uero equestrator . custodes eiusdem officii Maximi proconsulis : et ambo eum in curriculo leuauerunt : et in sexto tulerunt eum : Vbi Galerius Maximus proconsul bonæ uoluntatis recuperandæ gratia secesserat . Et ita Cyprianus a principe et stratore eiusdem officii Galerii Maximi proconsulis ductus secessit ad hospitium eius : et cum illic esset in uico qui dicitur Saturni inter uenaria et salutaria mansit illic uniuersus populus fratrum . Et cum hoc Cyprianus episcopus comperisset : castigare puellas præcepit : quoniam in uico omnes ante ianuam hospitii principis manserunt : Et altera die offerri sibi præcepit octauo decimo calendas octobres . Ma | ne multa turba conueniebat ad sextum secundum præceptum Gallerii Maximi proconsulis : ex quo Gallerius Maximus proconsul Cyprianum offerri sibi præcepit in atrio sanciolo sedenti : atque ibidem oblatus est ei . Gallerius Maximus proconsul Cypriano episcopo dixit : Tu es tacius Cyprianus . Cyprianus dixit : Ego sum . Gallerius Maximus proconsul dixit : Tu papam te sacrilega mente hominibus præbuisti ? Cyprianus episcopus dixit : Ego . Galerius Maximus proconsul dixit : Iusserunt te sacratissimi Imperatores cerimoniari . Cyprianus episcopus dixit : Non facio . Gallerius dixit : Consule tibi . Cyprianus dixit : Fac : quod tibi præceptum est . Nam in re tam iniusta nulla est consolatio . Gallerius collocatus cum consiliario uix sententiam dixit : Diu sacrilega mente uixisti : et nefariæ tibi conspirationis homines aggregasti : et inimicum te diis romanis et sacris legibus constituisti : nec te pii et sacratissimi principes ad sectam cerimoniarum suarum reuocare potuerunt : Itaque cum sis nequissimi criminis auctor et signifer reprehensus : eris ipse documentum his : quos scelere tuo tecum aggregasti . Sanguine tuo sancietur disciplina . Decretum hæc tabella recitabit : Taxium Cyprianum gladio animaduerti placuit . Cyprianus episcopus dixit data sententia : deo gratias . Post eius sententiam : populus fratrum dicebat : Et nos cum eodem decolemur : Et ita Cyprianus episcopus et martyr in sextum post prætorium in agro perductus est : et ibi se lacerno birro expoliauit : ubi ut genua poneret in terram se prostrauit : et ita se dalmatica expoliauit : diaconibusque tradidit et linea stetit : cœpitque spiculatorem sustinere : Et cum uenisset spiculator iussit suis ut eidem spiculatori aureos uigintiquinque darent . Linteamina et manualia ante eum a fratribus mittebantur . Ita Cyprianus manu sua oculos texit : qui cum licinias manuales ligare sibi non posset . Iulianus præsbyter et Iulianus diaconus ligauerunt ei et sic passus est episcopus Cyprianus : eiusque corpus propter gentilium curiositatem in proximum positum est ad cereos et sculaces . Inde per noctem sublatum est in areas Macrobii candidi procuratoris : quæ sunt in uia map || paliensi iuxta piscianas illic in mappalii positus est in pace . Post paucos dies . Galerius maximus proconsul decessit . hæc autem in laudem domini et dei nostri Iesu christi : cui est honor et gloria et potestas cum patre una cum spiritusancto in sæcula sæculorum Amen .

PASSIO SANCTORVM CRISPINI ET CRISPINIANI MARTYRVM .

Sanctus Crispinus et Crispinianus : qui cum beato Quintino et cæteris de Roma in Gallias uenerant : suessionensi ciuitate peregrinationis hospitium elegerunt : ubi sequentes doctoris gentium magisterium : ut necessaria uitæ labore mauuum† sibi prouiderent : artem sutoriam : quæ quiete exerceri potest : didicerunt : et cum omnibus pene artificibus operarentur elegantius : a nullo mercedem operis coacte exigebant : unde etiam pro hoc gentiles eorum amore deuicti non tam necessitate artificii quam amore uerbi dei ad eos frequenter ueniebant : et relicto errore deum uerum credebant . Denique hi sancti uiri a Rictionaro exquisiti calciamenta pauperum sarcientes reperti sunt : quos post multas interrogationes extensos ad trocleam iussit fustibus cædi . Deinde sudes ungulis eorum immitti : et corrigias singullas de dorso tolli : Quibus inter accerrimos dolores orantibus sudes de ungulis eorum exilierunt : et ministros percutientes quosdam interfecerunt : quosdam uulneratos cruciauerunt . Deinde iussit Rictionarus molas ad singulorum colla suspendi : et hyemis tempore in fluuio Axona uelut sub glatiæ demergi . Sed eos nec aqua mergere : nec petra præmere : nec frigus stringere potuit : quinimmo quasi æstiuis lauacris delectati proiecto molari onere ad alteram fluminis ripam deuenerunt : postea iussi sunt in plumbo liquæfacto demergi . Omnibus in plumbo orantibus exiliens gutta plumbi feruentis in oculum Rictionari graui illum dolore crucians excæcauit : picem deinde et oleum et adipem simul bullire iussit : et sanctos martyres ibi præcipitari . Sed mox eos orantes | angellus ab igne illæsos eduxit . Tunc uidens Rictionarus se aduersus martyres Christi nihil illatis præualuisse suppliciis : sese concite furens in ignem præcipitauit : sicque morte pessima consumptus est iusto dei iudicio agente : ut qui multos martyres igne interemerat : ipse ad ignem æternum descenderet igne temporali consumptus .

PASSIO SANCTORVM CVCVFATI ET FELICIS MARTIRVM .

Sanctus Cucufatus ex Scillitana ciuitate nobilissimis ac ditissimis natalibus oriundus : cum sancto Felice ipsius ciuitatis æque illustrissimo Cæsaream maritimam litterarum liberalium studio migrauit : Quo cum uacantes scholis peruulgata fama comperissent persecutionem christianorum in orientis partibus eferbuisse : mox cum mercium preciosarum uarietate non pauco etiam nauium numero se contulerunt occidentali plagæ sub negociatorum specie ac nomine : sicque Barcinonam appulerunt . Reperieruntque etiam in occiduis partibus impietatem principum usquam grassari : unde tempus imminere intelligentes : ut quod in lachrymis breui tempore sæminarent : in gaudio perpetuo meterent : Cœperunt operibus pietatis et eleimosynis quibus sedulo fuerunt assuefacti largius insistere : necnon uerbum salutis priuatis et per domos ad se confluentibus prædicare : donec uniuersa quæ attulerant officiis misericordie potuissent impendere : et sic demum publice Christum confitentes et prædicantes : se ipsos ut exitus rei demonstrauit superimpendere : Quocirca unanimi conditione beatns† Felix ad gerundensem ciuitatem transmeauit : ubi diuinis muniis se exercens gloriosum martyrium consumauit . Sanctus autem Cucufatus in Barcinona urbe populosa remanens una cum constantissima et apertissima fide et prædicatione etiam miraculis resplendere cœpit : et in omni gratia curationum excreuit : dæmones solo uerbo expellebat : et uirtutem domini confitentes etiam a credentium finibus perturbabat . Hoc audiens proconsul Gallerius || directis militibus eum sibi offerri iussit : cui tribunali suo assistenti dixit : cuius nominis insanissime rebellis patrocinium excolis : qui principum iussa contempnis : et deorum maximorum cultum refugis ? Ad quem sanctus constanter quibus me inquit insipientissime cultum imperas exhibere : Qui non dei arbitrio sed arte fraudis diabolicæ et stultissimorum tibique

similium stoliditate adinuenti sunt . Hac responsione Gallerius nimio furore succensus : et seipsum ab ira non capiens tortoribus eum tradidit dicens : Tandiu torquete eum : quandiu extorqueatis ab eo spiritum : cumque duodecim milites eum uicissim prolyxius et exquisita crudelitate grauissime torquerent adeo : ut eius intestina durissima flagellorum torsione disrupto corpore paterent clamauit : dicens : Domine Iesu christe ostende uirtutem tuam super incredulis : ut uidentes aut credant : et conuertantur : aut pereant et destruantur . Impiissimum autem Gallerium qui sic rapide insaniuit in seruum tuum si non est prædestinatus ad uitam : gladio tuo citius interime . Hac eius oratione completa : uidentes milites qui eum torquebant intestina eius in terram perfusa cæcati sunt . Gallerins† quoque cum omnibus idolis suis est repente consumptus . Sanctus uero martyr uisceribus in aluum receptis : citius est diuina operatione sanatus : quo gratias agente omnes quoque populi laudauerunt deum dicentse† : Tu es uerus deus : quem sanctus Cucufatus colit . Vt autem hæc ad præsidis Maximiani noticiam perlata sunt : Iussu eius uiri crudeles cathenarum eum pondere fatigatum ad ipsum consilium perduxerunt : qui interrogatus ab eo : quem deum coleret : Respondit quare sub dubietate de deo interrogas : quasi aut plures dii sint : aut ipse qui deus est : diuisus sit ? Ego enim deum alium nescio præter deum uerum : qui fecit cælum et terram : quem corde credo : et omni studio prædico . At ille : si uerus est deus tuus : quem tu dicis : nunc eripiat te de manibus meis et de præparatis tibi tormentis . Ad hæc sanctus : Teque nephandissime et patrem tuum diabolum cum omnibus exquisitis tormentis quæ mihi irrogaueris irrideo : et per uirtutem dei despicio . Vere enim sum | mæ dementiæ es et extremæ miseriæ qui dereliquisti deum : et adoras thecas dæmoniorum . Tunc præses insaniens in craticulla iussit eum assari : et combustum sinapi et aceto perfundi . Miles autem Christi psallebat dicens : Exaudi domine iusticiam meam et cætera . Cumque explicuisset psalmum penitus sanatus est . Ministri uero pœnarum ab eodem igne consumpti sunt . Post hoc autem iussit præses ignem copiosum extra ciuitatem fieri : et sanctum in eo concremari : qui illic proiectus orauit et ignis ita extinctus est : ut nec tempore incendii remaneret . et ipse penitus illæsus apparuit . Tunc præses iussit eum ferro uinctum in custodiam reduci : clausoque hostio carceris tantus splendor ibidem refulsit : ut eodem lumine uiso : custodes in dominum Iesum christum crediderint . Mane autem præsidi martyr præsentatur eiusque iussu cardis ferreis et taureis cæditur : et dum cæderetur suspiciens in cælum cum grandi flætu orauit et gratias egit : et uox de cælo insonuit : Quodcumque petieris dabitur tibi secundum fidem tuam : Qua audita orauit sanctus : ut dominus ei uirtutem omnia superandi daret : et ut tyramnus Maximianus si dei iudicio conuerti non posset : celerius cum omnibus idolis suis interiret . Maximianus denique aras ornari iusserat : ut idolis sacrificia cum sacerdotibus offerret : ut ascenso curru : illoque tendens in medio fori nutu dei in terram cecidit : et miserabiliter crepans interiit . Idola quoque quibus ad immolandum ire uolebat : corruentia in puluerem sunt redacta . Tunc omnis populus adorans clamare cœpit et dicere : Magnus est deus christianorum et potentissimus liberator eorum . Ruffinus autem qui in ciuitate præesse uidebatur ait sancto martyri : Vt quid O nequissime tantam multitudinem deos maximos blasphemare facis : et nescio cuius nomen : qui dicitur Christus confiteri ? Qui cum rationem reddidisset : iussu Ruffini caput eius amputatum est : Cuius corpus christiani rapuerunt : et conditum aromatibus honorifice sepelierunt octauo calendas augustas . ||

PASSIO SANCTORVM CHRYSOGNI† ANASTASIAE . AGAPES . CHRYSONIAE . IRENES ET THEODOTAE .

Omnia quæ a sanctis gesta sunt : uel quæ geruntur : si quis uoluerit studiose perquirere : et sibi et plurimis ædificationis exhibet fructum : et quasi arbor fructifera non sine causa probatur terram occupare : dum uiuit . et suis ipsa pomis ornatur : et omnis qui ex ea fructum perceperit saginatur . Scribimus ut in gestis inuenimus : quid egerunt : quid locuti sunt : quid passi sunt sancti . Ostenditis uos esse catholicos : qui Christi uictorias libenter legitis : libenterque auditis . Interrogo uos : qui ista inter

apocriphas litteras conglobanda censetis : per quos constant canones scripturarum omnium diuinarum : Nunquid non per eos : qui pro ipso canone occidi magis quam uinci optauere ? Quid enim tenuerunt martyres ? fidem rectam : quæ sacris uoluminibus certo librorum numero continetur . Agunt illis gratias apices sacratissimi : qui per eorum perseuerantiam perseuerant : ideo uolunt eorum gesta conscribi : ut in conspectu dei et hominum semper sancti laudentur : qui in conspectu incredulorum pro eorum defensione tormenta in mama† protulerunt . Nihil præter scripturas canonicas recipientes . Ista studiose conscribimus ostendentes dogma catholicum per catholicos martyres custoditum . Exemplum posteris damus . ædificationem credentibus tradimus : artem belli christi militibus demonstramus . Constat eos nolle pugnare : si necesse sit : qui nolunt legere pugnatores . Imperent silentium infideles . spectent pugiles diabolicos : qui athletas domini spectare contempnunt . Nos diuinas uirtutes loquimur . scribimus . prædicamus . Prohibeant æmuli . imperent silentium timidi : uerberent contemnentes . legentes increpent : libenter hæc audientes accusent . gloriosos fatiunt† milites uulnera pro imperatoris laude suscepta : pro cuius amore etiam animas ponere libenter optamus : Triumphum christi ac uictoriosos labores exercitus de occultis foras proferimus . Scimus enim | pugnas : quas illi uisibiliter passi sunt : inuisibiliter nobis excitari quottidie : et negligenter pugnantes acrius uulnerari . Ergo ut arma pertractes : attende bellantes . Da mentem studiis : ut hostis incipiat te timere . Pretextati illustris uiri filiam Anastasiam legimus a Chrysogono uiro christianissimo eruditam : ad cuius noticiam hac occasione peruenit . Cum nobilis ita plurimum posset : ut uix parem inter maternas habere potuisset : induebat se uilissimo habitu : et sola unius puellæ consortio circuibat carceres : Erant enim in uinculis et in carceribus milites Christi : quos ista aliter uisitare non poterat : nisi plebeio cultu pauperem se mentiretur esse terrenam : ut cælestes diuitias occuparet . Ibat ergo per custodias publicas : et custodes carcerum prout poutisset† pecuniis redimebat . Ingressa uero licet omnibus tribulantibus ministraret : sanctis tamen qui pro dei nomine erant in uinculis : sollicita satis erat lauare pedes : unguere capita : pectere crines : quos longa carcerum claustra nutrierant . Interea dum hæc ageret : atque a mariti consortio simulata infirmitate cessaret : peruenit ad noticiam zelantis uiri : hanc plebeio cultu circuire carceres : et dei confessores cum omni sua sollicitudine uisitare . Tunc indignatus uir eius publius : tales domui suæ custodes instituit : ut Anastasiam non permitterent nec cuiuscumque fenestrellulæ aditum expectare . Erat tunc in uinculis iussu Dioclitiani quidam uir dei nomine Chrysogonus : qui per biennium in uicarii officio degens multa perpessus sanctæ Anastasiæ alimonia fouebatur . Hic erat apud Ruffinum quendam uicarium : quem dominus Iesus christus cum omni domo sua per Chrysogonum lucratus est . Igitur cum nullus esset : qui posset dirigi ad Anastasiam : anus quædam inuenta est christiana : quæ in initio sanctæ Anastasiæ commanens : curas ut est solitum aniculis infantum ac mulierum necessitates agere uidebatur . Hac occasione domum sanctæ Anastasiæ ingressa cœpit esse media inter ipsam et omnes domini confessores : inter quos tam in nobilitate terrena quam in diuina sapientia mirificus et præclarior omnibus Chrysogonus probabatur . Is namque a me || morata anicula percepit sanctæ Anastasiæ epistolam : Cuius iste est textus : Sancto confessori Chrysti Chrysogono Anastasia : Licet pater mihi cultor fuerit idolorum : mater tamen Fausta christianissima semper uixisse probatur et casta . Hæc etiam inter ipsa cunnabula me fieri christianam curauit . Post cuius excessum sacrilegi iugum mariti suscepi : cuius deo miserante thorum mentita infirmitate declinans die noctuque domini nostri Iesu christi amplector uestigia . Cum ipse patrimonium meum ex quo illustratur cum indignis ac turpibus idolatriis exhauriat : me quoque ueluti magam atque sacrilegam custodiæ tam grauissimæ mancipauit : ut uitam me corporalem amittere suspicer . Nihil enim superest : nisi ut amisso spiritu : morti succumbam . In qua morte licet glorier de confessione domini mei Iesu christi : tamen in eo mea mens ualde conteritur : quia opes meæ quas ego omnes consecrasse deo uoueram : alienis a deo et turpibus inseruiunt idcirco precor te homo dei : ut instanter dominum preceris ut aut ad fidem suam uenturum si præuidet publium sinat uiuere : aut si præuidet eum in hac incredulitatis peruersitate mansurum : iubeat eum locum dare suis cultoribus . Melius est enim ei exhalare spiritum : quam dei filium denegare : et eum confitentibus impedire . Etenim omnipotens testis est Christus : quoniam si liberata

fuero : sanctorum uestigiis adhærebo : et curas omnium soicite† exercere curabo : ut cœperam . Vale uir dei : et memento mei . Cum hanc epistolam legisset Chrysogonus oratione facta cum multis confessoribus ita rescripsit . Chrysogonus Anastasiæ . fluctuanti tibi mater procellas et turbines mundi cito super undas deambulans Christus adueniet : et diaboli aduersum te flantem spiritum uissionis† suæ sermone compescet . Patienter ergo expecta : et quasi in medio mari posita : crede ad te Christum esse uenturum : et ad temetipsam conuersa exclama cum propheta dicens : Quare tristis es anima mea : et quare conturbas me ? Spera in deo : quoniam confitebor illi salutare uultus mei et deus meus . Geminum diuini muneris probatur indicium : cum tibi et terrena reddentur : et donabuntur cælestia . Dominus enim be | neficium suum ad hoc extremitatibus protrahit : ut non sit nobis uile : quod præstat . Vide ne turberis in hoc : quod pie uiuenti tibi inferantur aduersa . Non enim deciperis : sed probaris . Non est tuta defensio : quam putas per hominem posse constare scriptura dicente : maledictus homo : qui spem suam ponit in homine : et benedictus homo : qui spem suam ponit in deum . Caue fortiter uigilanter strenue uniuersa peccata : et a deo solo quære solatium : Cuius iussa conseruas . Cito enim ad te placitum tempus conuertet : et quasi post noctis tenebras floridum diei lumen accipies : atque post glaciale frigus hyemis transeuntis aurea tibi tempora et serena succedent : ut omnibus qui pro christi amore affliguntur . præbeas temporalem læticiam : per quam sine dubio consequeris æternam . Vale in domino : et ora pro me . Hanc epistolam legens Anastasia fortiores fidei uires accepit : et tantum de patientiæ cœpit uirtute gloriari : quantum prius de oppræssione infidelissimi uiri se causabatur affligi . Interea dum ista aguntur : publius in senatu sedens legationem suscepit inuitus ad præsidis prouinciam profecturus . Tunc reuersus tristis sanctæ Anastasiæ triplicauit custodiam : et posuit : qui ei et lucem ipsam negaret et uictum . Agebat enim : ut Anastasia moreretur : et ille omnium facultatum eius dominus permaneret . Veritus autem ne eo absente Anastasia eadem faceret : quæ solebat : custodes acerrimos constituit ei præter unum ex parasitis : quem meminimus nomine Comasium : et ita profectus est . Ita igitur cœpit agi cum Anastasia : ut aqua ipsa uix ei per omnia traderetur . Tunc igitur existimans se in ipsa tribulatione deficere : scripsit ad sanctum Chrysogonum in his uerbis epistolam . Confessori Christi Chrysogono Anastasia . Finis uenit corporis . memento mei : ut egredientem animam meam ipse suscipiat : pro cuius amore ista sustineo : quæ ex ore huius uetulæ recognoueris . Ad hæc sanctus Chrysogonus talia remisit scripta : Chrysogonus Anastasiæ . Semper est : ut lucem tenebræ antecedant . Sic etiam post infirmitatem salus reuertitur : et uita post mortem promittitur . Vno fine concluduntur : et aduersa huius mundi et prospera : ne uel tristibus desperatio || uel lætis elatio dominetur : unum mare est in quo nauiculæ corporis nostri uelificant : et sub uno gubernatore animæ nostræ nautici funguntur officio . Quorumdam igitur naues fortissimis carinarum nexibus solidate tenebrosi equoris concitatos fluctus illæsæ præter-eunt . quorumdam uero fragilis iunctura lignorum etiam in tranquillo uicinum morti conficiunt cursum . Prope est enim : ut pereant : qui non cogitant : qualiter ad salutis portum pertingant . Tu autem O Christi irrepræhensibilis famula : crucis Christi tropheum tota mente constringe : et te ipsam ad opus domini præpara : in quo tuis desyderiis dum parueris : cum martyrii palma ad Christum attinges . Tunc accipiens hanc epistolam Anastasia confidens quidem erat in Christo : sed custodum uiolentiis subiacens gemiscebat . Interea transactis tribus mensibus corpus Publii reuocatum est naui : et omnes qui eam custodiebant per diuersa fugerunt . Egressa igitur sancta Anastasia libera pergit ad Chrysogonum : et omnia quæ acciderant cum gaudio lacrimabili referebat : ac si oculorum suorum curam gerens : ita famulorum domini necessitatibus procurabat . Tunc Dioclitianus Aquilegiæ partibus positus : cum interficeret christianos : relatio cucurrit de christianis omnibus præfecturæ urbanæ . Tunc rescripsit rex debere omnes interfici : ad se uero solum Chrysogonum destinari . Hunc prosecuta est sancta Anastasia : et cum esset ut diximus nobilis et delicatissimi corporis fœmina : ita uiriliter agebat : ut Aquilegiam faceret sanctis obsequia maiora : quam fecerat Romæ . Interea Chrysogonum nominatissimum sceleratissimus Dioclitianus sibimet repræsentari iubet : cui cum diceret accipe Præfecturæ dignitatem : sume etiam consulatum dignitatem generis tui : deos adorans : et sacrificans eis condecora . Chrysogonus respondit : unum deum mente adoro : corde colo : sinceris

actibus ueneror . Istorum autem deorum dearumque simulacra quia dæmonum thecas noui esse in quibus dæmones manent execror : atque accepta potestate comminuo . Potestates uero a te promissas : ac si esset lutum quod pedibus calcatur abiicio . Tunc iussit eum Dioclitianus duci ad locum : qui dicitur ad aquas | gradatas : et ibidem decollari : corpus uero eius ad littus iactatum est iuxta possessionem quæ dicitur ad saltus : in qua tres sorores christianissimæ morabantur Agape Chrysonia et Irene : cum sancto Zoilo sene præsbytero : qui præsbyter collegit corpus sancti Chrysogoni : et in locelo digno recondidit : et cum omni diligentia in domo sua sub interraneo cubiculo posuit : Cui per reuelationem indicatum est : ubi mare iactasset caput eius . Pergens ad agrum terræ ita ipsum inuenit : quasi eadem hora fuisset abscissum : et afferens corpori eius compaginauit : et ipse sanctus Zoilus hoc ordine tricesima die susceptione eius perrexit ad deum : qui et apparuisse sibi sanctum Chrysogonum in uisione memorauit dicens : Sceleratissimus Dioclitianus Agapen Chrysoniam et Irenen faciet intra dies nouem compræhendi : quas quousque peruenire faciet dominus ad coronam : faciet eas habere solatium famulæ suæ Anastasiæ . Tu autem quia deo placuisti : lætus ueni : et requiesce cum sanctis . Igitur cum hæc narraret sanctus Zoilus : ecce nunquam ingressa fuerat : ait : ubi sorores meæ : quas mihi dominus meus Chrysogonus commendauit : Et uidentes se in Christo lætatæ sunt : atque locum ubi positus erat martyr Chrysogonus ei ostendentes : rogauerunt eam secum aliquantulum demorari . Ista uero unam apud eas exigens noctem : rursus ac urbem aquilegensium peruenit : satis solicita de his : qui in uinculis habebantur . Qua eunte sanctus Zoilus transiuit ad dominum . Decollatus est autem sanctus Chrysogonus sub die nono calendarum decembrium : est conditus et in loco a sancto Zolio† præsbytero quinto calendarum earumdem .

Imperante quoque Dioclitiano sanctarum Chrysoniæ : Irenes : atque agapes Dioclitianus rumore comperto iussit eas suis obtutibus præsentari : quas cum uidisset rex ait : Quæ uobis fatuitas imperat sequi superstitionem uanam et superfluam : atque in contemptum ueræ religionis diuinas execrari uirtutes . Igitur quia comperi uos generosas et nobili ortas stirpe : dabo uobis maritos de palatio meo : per quos possitis esse illustres : si negaueritis deum uestrum esse Christum : et diis libamina de || deritis . Tunc Agape respondit : Sacratissime imperator cura tibi gentium incumbit cura rei publicæ . cura exercitus : et ad iniuriam dei uiui loqueris : cuius tibi auxilium est necessarium . Dioclitianus dixit : Insanit ista : alteram applicate : et adducta Chrysonia dixit : Soror mea non insanit : sed iniusta monita iusto iudicio repræhendit : Et hanc amoueri præcipiens : iussit adduci tertiam minorem nomine Irenen : Cui et dixit : Quia uanitate plenæ sunt sorores tuæ maiores : tu saltem quæ minor esse cognosceris : diis ceruicem inflecte : ut etiam tuas sorores possis tuo liberare exemplo : Irene respondit : flectant hi ceruicem idolis : quibus iratus est deus . Peior enim indignitas non est : quam hunc ut adoret aliquis : qui ab artifice placitus est antequam fieret . Nisi prius placuerit coram artifice qui eum stantem : aut sedentem : aut ridentem : aut flæntem : aut saltantem : aut iacentem fecerit . Dans pretium limantibus dolantibus . conflantibus . Et posteaquam feceris ex metallo imaginem : quam ante pinxisti : illi ceruicem inclinas : et deum tuum seruum tuum credis : quem ipse ante quam fieret ex metallo despexisti : et malefactum recusasti : et composite elimatum sisti iussisti . Dioclitianus dixit : Ista uerba tormentis tollenda sunt : si monitis pacificis obtemperare forsitan respuitis . Chrysonia dixit : Noli dicere forsitan : nos enim pro certo nouimus : quod tuis nunquam simus iussionibus consensum præbituræ . Tunc iussit eas Dioclitianus carceris tradi custodiæ : quas beata Anastasia nec diebus nec noctibus deserebat . Ccoueniebant† enim omnes christiani ad Anastasiam uiri et fœminæ indigentes : quia nimiam penuriam christiani illo tempore sustinebant . Nulli enim christiano licebat uel possidere uel aliquam artem exercere : aut aliqua negotia agere . Anastasia uero hoc quottidie rogabat dominum : ut non prius exiret de corpore : nisi omne pretium quod de patrimonio suo uendito acceperat expendisset . Proficiscente igitur Dioclitiano ad Macedoniam omnes christiani qui in uinculis erant simul a custodibus ducti sunt : Inter quos erant simul Agape : Chrysonia et Irene . Igitur cum suggestum fuisset Imperatori de his : qui habebantur | in claustris : iussit præsidem Dulcitium diuersis tormentorum generibus agere uniuersos : qui sacrificare noluissent . Eos autem qui consensissent : diuitiis et honoribus sublimari constituit .

uerum quia longum est multorum dei martyrum gesta conscribere . trium sororum Dulcitio præsidi memoramus præsentatos affectus : quas uidens Dulcitius captu occulorum astrictus : turpissimo agebatur spiritu : et fecit eas tali officiali tradi custodiendas : qui illis promitteret libertatem : si consensum suum eius captiuæ animæ præbuissent . Igitur cum neque promissionibus bonis neque terroribus malis animum commutarent : ipse indignissimus præses ausus est nocturno silentio pergere : et in cellulam ingredi : ubi illæ orantes noctem Christo peruigilem exhibebant : In quo autem loco illæ erant clausæ : omnia utensilia coquinæ posita habebantur . Igitur cum fuisset ingressus : et uellet ire ubi eum uox psalmorum sonis triplicibus impellebat : mens eius in alienationem conuersa ollas cœpit amplecti : et sartagines osculari : in quibus diu ludificatus niger totus effectus est : talis cœpit in uestibus et in facie esse : qualis a diabolo possidebatur in mente . Egressus tandem ad suos : qui cum luminaribus expectabant : uiso eo fugerunt omnes uidentes eum totum nigrefactum : et nullam partem in uestimentis quæ non esset inquinata . Stantibus enim dei ancillis et psallentibus : nullum per eum penitus potuit diabolus impedimentum afferre . Videns itaque præses se ab officio suo esse contemptum atque derelictum : nesciens quid de eo actum fuisset : non reuersus domum suam cœpit concito cursu ire ad palatium dicens : Prosternam me inuictissimis imperatoribus : et dicam me ab officio meo ita lubrio† habitum atque cum clamoribus et irrisione derelictum : Cumque primo mane apertum esset palatium : et ecce ille totus nigrefactus cum ante regiam paruisset : atque intus intrare uellet : alii uirgis : alii pugnis : alii exuflantes in faciem eius eum impingebant : et alii ridentes : alii irascentes et eum expellentes uix potuerunt eum domum suam serui eius perducere : dicentes ei : Recipe te : clauserat enim diabolus oculos eius : et non poterat se ipsum attendere : uidebatur enim illi || quod totus mundus incendens niueis esset uestimentis indutus . Omnes autem sui siue uxor siue ancillæ excapillatæ in occursum eius uenerunt . Dicebatur enim a dæmone collisum : et mente sua non esse . Ille autem tandiu mente sua non fuerat : quandiu inter ollas et sartagines fuisset amplexus . Cæterum eo tempore quo ab officio relinquebatur : a cunctis spernebatur : a suis etiam lugebatur : mens in eo sana erat sed soli oculi eius tenebantur a sathana : cum dei martyres obsceno mentis conamine respexisset . Interea reuocatur a diabolo ad furorem : putans sibi maleficiis ancillarum Christi ista euenisse : iubet sibi publice tribunalia parari : Cumque fuissent adductæ orantes atque psallentes iussit eas expoliari : ut nuda corpora earum respiceret : Cumque missa fuisset manus : ut expoliarentur : ita fixe erant res earum ad carnem : ut putarentur ipsa uestimenta esse coria corporum earum . In hac autem intentione attonite intentus præses Dulcitius obdormiuit stertens : ut etiam a pulsantibus excitari non posset : qui sublatus est inde in sella dormiens : post expergefactus in domum suam introductus est : Audiens autem Imperator uniuersa quæ acciderant : dedit comitem Sisinnium : qui eas audiret : Cui cum fuissent præsentatæ : uocauit ad se unam : et dixit ei : Quod tibi nomen est ? Quæ respondit : Irene dicor . Sisinnius dixit : Consenti regali iussioni . Irene respondit : Non consentio . Sum enim christiana : et dei omnipotentis ancilla . Tunc Sisinnius iussit eam in carcerem redigi : et adductis Chrysonia cum Agape dixit eis : Irena quantum apparet minor uobis est : et uestro illa exemplo et doctrina decepta diuina iussa contemnit . Ideo autem illam distuli : ut uestro exitu territa possit absolui : idcirco offerte diis libamina : sicut et nos qui deuotissimis regibus paremus . Agape respondit : Insuperabilis est fides nostra . Dicit Sisinnius : Tu quid dicis Chrysonia ? Illa respondit : Fides nostra immutabilis perseucrat†. Sisinnius dixit : Nunquid sunt apud uos aliqui libri christianorum ? Responderunt : Sunt libri sed in mentibus nostris absconditi : unde nunquam poterunt aufferri ab hostibus Christi . Sisinnius dixit : Quis uobis dedit consilium ad istam calamitatem deuenire ? Famulæ dei responderunt : Calamitas | quidem temporalis est : sed ex ipsa calamitate gloria nascitur sempiterna . Sisinnius dixit : Impletæ præceptum regis : et sacrificate . Agape et Chrysonia responderunt : Nos deo sacrificium quottidie nostræ laudis offerimus : diabolo autem nunquam sacrificamus . Noli ergo persuadere tibi : quod possis nos a domini nostri Iesu Christi cultura diuellere . Stultus enim sensus est : qui non consyderat nos a fide Christi demere non posse : Vnde quod tibi præceptum est imple : ut sicut nos regis nostri præcepta seruamus : ita tu imperatoris tui præcepta conseruans : possis eius gratiam inuenire . Tunc Sisin-

nius dedit sententiam dicens : Agapem et Chrysoniam quæ terrore iudiciario iussa principum implere noluerunt : uiuas incendi . His auditis : Chrysonia et Agape repletæ sunt gaudio dicentes clara uoce : Gratias tibi domine agimus : qui nobis ad confessionem nominis tui perseuerantiam dare dignatus es : in manus tuas domine suscipe animas nostras : Et cum hæc dixissent : milites eas miserunt in ignem : In quo igne dum penitus nec uestimenta earum arderent : orabant dominum uociferantes et dicentes : Domine Iesu : ne ab ista hora patiaris nos uel loqui cum his : qui negauerunt uerum deum : Et his dictis : prostrauerunt se in orationem intactæ ab igne : et ad dominum perrexerunt . ut autem ostenderet dominus incredulis : quia ignis eas non infecerit exurendas : sed ipse orationibus sibi exitum impetrauerunt : immaculatis corporibus intactis crinibus : integrisque uestibus : digesto igne repertæ sunt : quæ corpora missis occulte ab Anastasia hominibus furtim abrepta : ad eius sunt hospitalia perducta . Quæ illa aromatibus et dignis martyribus sepulturis agens in sacrophago† nouo cum omni gaudio sepeliuit : orans deum : ut earum particeps effici mereretur . Altera namque die tertiam sibi Sisinnius iussit adduci : et dixit : Irene sacrifica diis : ne simili incendio pereas . At illa respondit : Ego non sacrifico . sed festino particeps effici sororum mearum : ne in conspectu dei astantibus sororibus meis ego aliena inueniar . Sisinnius dixit : Persuade tibi : ne in maiores cruciatus incurras : quam ille incurrerunt : quas tu dicis tuas sorores fuisse . Irene respondit : ad hoc festino non ne || gabo ueritatem pertingere ad uitam per mortem et per ignem ad refrigerium peruenire . Sisinnius dixit : Putas te sic pati : sicut sorores tuæ passe sunt ? Ego te iubeo nudam tradi meretricibus : ut ibidem ad turpes usus posita moriaris . Irene respondit : Caro mea et feris et ignibus et plagis et omnibus pœnis quidquid passa fuerit : sic patitur fornicatorem sicut canem . sicut ursum . sicut serpentem . Et melius est mihi : ut tradatur caro mea quibus cogitaueris pœnis et iniuriis : quam anima mea polluatur in idolis . Inquinamenta enim quibus anima non consentit : non suscipit reatus . Nunquid sancti dei qui ante hac in confessione nominis dei perseuerantes de sanguine sacrificii uestri inuiti acceperunt in ore sanguinem : nunquid inde polluti sunt ? Sisinnius dixit : Ergo non sunt coinquinati : qui de sacrificiorum sanguine gustauerunt ? Irene dixit : Non solum non sunt inquinati sed etiam coronati sunt . uoluptas enim habet pœnam : et necessitas parit coronam . Vos enim resupinari iussistis : et mixtum aquæ sanguinem sacrifitiorum inuitos sorbere aperto ore eorum sicut cornu equis intulistis . Illi autem illum sanguinem si consentiendo glutissent : animam suam perdiderant : At uero non consentiendo illum sed uim patiendo gustantes : non sollum polluti non sunt : uerum etiam et mundati sunt . Ita et ego quæ carnem meam Christo tradidi siue sordibus siue plagis siue ignibus eam tradas : ego non consentiam : et omnia quæ passa fuero pro confessione mei domini non uerebor . Potens est tamen deus : qui non te permittat facere : quod cogitaueris . Tunc Sisinnius uocauit ad se milites : et tradidit eam illis dicens : Ite : et ponite eam in loco turpi : ubi meretur : ut ubi ludibrio sit omnibus populis . Tunc Irene cum duceretur : apparuerunt duo milites ante eam : qui eam ducebant dicentes : Misit nos post uos Sisinnius comes : ut ubi nos ostenderimus : ibi eam ponatis : Et cœperunt eos sequi milites : quousque ascenderunt in cacumine montis : et sederunt : Et dixerunt illis milites : Ite nunciate : quia sicut iussisti in cacumine montis ibi eam fecimus stare . Tunc Sisinnius uidens se delusum : et hoc factum quod ipse non iusserat : asceu | dens† equum ipse perrexit : currens ad montem : in quo orabat dei famula Irene . Attendens uidebat eam : et girans girabat a mane usque ad uesperum : et non pertingebat eam . Tunc uidens se derisum ingemuit . extendens autem arcum unus ex his qui cum eo uenerant sagittauit eam : et illa emisit uocem dicens : consulito tibi miserabilis : quia sicut uirum fortem in bello adgrederis : quem sicut mulierem uolueras subiugare . Ecce munda uado ad dominum meum Iesum christum : qui me modo meis sororibus reddidit : quæ sine me esse non patiebantur : Et his dictis emisit spiritum : Vnde corpus eius sublatum est ab hominibus Anastasiæ : et cum sororibus eius positum est . Passe sunt autem Agape et Chrysonia quarto nonas apriles et in ipsis nonis Irene apud Salonicam : Maximiano ter consule regnante Iesu christo in sæcula Amen .

PASSIO SANCTE CHRISTINE VIRGINIS ET MARTYRIS .

Beatissima martyr Christina passa est in Vulsinis ciuitate anno undecimo . Erat autem mater eius de genere Aniciorum pater autem eius nomine Vrbanus : qui fecit turrim excelsam : in qua fecit deos aureos et argenteos et eis ibi sacrificabat . Sancta autem Christina filia eius accipiebat sacrificium : et ponebat contra orientem per fenestram : et offerebat Christo : Et sedens in fenestra sæpius glorificabat dominum suspirans : quia cor eius erat confidens in domino : et non offerebat sacrificium idolis . Videntes hæc ancillæ eius dixerunt ad eam : dies sunt plures quod dii nostri sacrificium a domina nostra non acceperunt : ne forte irati sint contra nos : et iram de cælo transmittant : et expellant nos . Sancta Christina dixit : Quid talia dixistis ? Vos quæ inquinatæ estis seruientes idolis sine anima : quæ non possunt aliquid boni scire sed malum facere : Ego autem offero sacrificium meum Iesu Christo : qui fecit cælum et terram mare et omnia quæ in eis sunt : qui potest mortificare . Ancillæ adorantes ad eam dixerunt : Domina nostra figuram regalem habes || et licet tibi imperare . quis ausus est hunc deum alienum adoras : quem nos scimus a Pilato suspensum : Et si audierit pater tuus hoc ipsum : nos perdere habet . Adhuc ipsis dicentibus superuenit pater eius Vrbanus : et introiuit : et uidit filiam suam cum gratia : et adorauit deos suos : et sacrificium eius optulit . Christina uero sedebat ad fenestram attendens in cælum : et cogitabat uirtutem dei . Ancille autem abierunt ad patrem eius dicentes ei : Filia tua nec diis sacrificat nec tus offert . uocauit autem eam pater eius et dixit ei : filia mea Christina quid tibi placuit : quæ subreptio intrauit in te : ut deum adores : qui a Iudæis suspensus est : et non potuit semetipsum adiuuare ? Non scis : quia propter te multum flæuimus ad deos nostros : ut te nobis donarent . Sancta Christina dixit : Noli me uocare filiam tuam sed filiam dei . Pater autem eius sperans : quod propter deos suos diceret : gratia repletus rediuit in domum suam . Christina autem ingressa in domum adorauit dominum per horas duas : et inuocauit patrem et filium et spiritum sanctum : et confortata a spiritu sancto : confregit idola aurea et argentea : et dedit ea pauperibus . Pater autem eius Vrbanus ingressus est : ut adoraret deos suos : Et cum sciret quia confracta sunt : et pauperibus datum est : iussit eam alapis cædi in faciem eius . Sancta autem Christina dum alapis cæderetur dicebat : Inique et sine deo et ecce quomodo et idola tua et quid in me operaris ? Pater autem eius iratus præcepit ligari sanctam Christinam : et cædi in calcaneis : et sic iterum expoliatam flagelari iussit : Et postquam mutauit decem uiros : qui eam cædebant : illa aspiciens in cælum orauit dicens : Domine Iesu Christe præsens esto : et conforta ancillam tuam : quoniam in te spero . Iussit autem pater eius mitti cathenas in manus et in pedes eius : et duci eam ad carcerem . Post dies multos iussit adduci eam : Et dum ueniret omnes mulieres uidentes eam ligatam trahi dicebant : deus christianorum adiuua eam quia ad te confugit : Et dum ingressa fuisset pater eius dixit ad eam : Christina ingredere : et sacrifica diis : ut propitii tibi sint : sin autem scias : quod non tibi miserebor ut pater tuus . Christina dixit : magnam mihi gratiam præstitisti : qui iam me filiam tuam non uo | cas : quia non dignus es pater meus uocari idolis iunctus . Ira autem repletus Vrbanus iussit dispoliari Christinam : et fustibus cædi . Et postquam mutauit duodecim uiros : defecerunt cædentes eam . Dixit autem Christina : Vrbane inueterate dierum malorum ministri tui in defectione sunt constituti una cum idolis tuis sine anima . Iube ergo alios uiros fortiores uenire : ut per multas plagas cognoscas uirtutem dei mei . Hæc audiens pater eius : iussit eam suspendi : et torqueri : et cum torqueretur sancta Christina tulit carnes suas : et iactauit in faciem patris sui : et dicebat : Desyderasti manducare carnes innocentes ante conspectum† oculorum tuorum . in præsentia habes . manduca confussionem carnibus tuis . Pater autem eius dixit ad eam : Christina ingredere tantummodo et sacrifica diis . Sin autem nunquam filiam meam uocabo offerens tibi pœnas magnas . At illa dixit : Impie et sine deo et amator dæmoniorum : ego possideo dominum meum misericordem uincentem tua contra me ingema† . Pater autem eius non sustinens iniuriam et fiduciam eius : iussit adferri rotam : ut superponeret ibi innocen-

tem : et ignem sub rotam et oleum superfundi igni ut celerrius consummaret eam . Ligata autem sancta Christina in rota : dum uolueretur ipsa rota confringebat tenera puellæ membra . Attendens autem in cælum sancta Christina dixit : Benedictus es domine Iesu christe pater meus qui es in cælo non me derelinquas in hoc agone : sed expande manum tuam : et tange istum ignem : et extingue eum : qui paratur contra me : ne congaudeat tyramnus super me : Et hoc dicens exiuit ignis et combusit multos idolis seruientes . Et erat sancta Christina quiescens supra rotam quasi supra lectum bene stratum . Erant autem angelli dei quiescentes cum ea . Vrbanus autem iussit eam deponi de rota : et dixit ei : Dic mihi Christina quis te docuit maleficia ista ? Confitere mihi : sin autem non effugies manus meas . Sancta Christina dixit : Iam tibi dixi pater meus est Christus : qui docet me ueritatem obseruare : et a uia errantium ad æternam reducit gratiam : quæ in angustiis sum pœnarum propter nomen eius . Ipse est : qui me docet omnem ueritatem et de omnibus pœnis diabolicis liberabit . Hæc || audiens pater eius Vrbanus uictus et in tenebris constitutus iussit eam duci in carcerem : et cum ingressa fuisset : sepius meditabatur uerbum dei ueneruntque ad eam tres angeli afferentes ei prandium salutis : et posuerunt manus suas : et curauerunt corpus eius : et repleta spiritu sancto dixit : Domine Iesu christe cælestis rex occultorum cognitor : cognoui domine : quia me non dereliquisti . Scio enim : quia misericors es et memoratus es mei : et transmisisti mihi prandium de sanctis sedibus tuis per sanctos angelos tuos . Circa mediam autem noctem misit pater eius Vrbanus milites præcipiens eis : ut in collo eius lapidem alligarent : et iactarent eam in mare . Hæc autem facientes miserunt eam in nauicula et uenientes in medio pelago iactauerunt eam in mare . Statim susceperunt eam angeli dei : et duxerunt ad littus maris . Et suscepta orauit ad dominum dicens : Domine Iesu christe qui non derelinques quærentes te : et nunc demonstra mirabilia tua in me peccatrice : et iube renasci per baptismum sinceritatis : ut munder ab omni inquinamento et inmunditia carnis et spiritu sathane . Et ueniens nubes de cælo splendida baptizauit eam : et facta est uox de cælo dicens : Ego sum tecum Iesus christus : quem confessa es et confiteris : inuocasti : et inuoca : et non te derelinquam usque dum compleas cursum tuum . Mane facto mittens Vrbanus pater eius iussit eam compræhendi : et dixit ei : Christina quomodo maleficiis tuis superasti aquas maris ? Sancta Christina dixit : Insensate et duro corde quomodo sensisti : quia accepi signum Christi : et renata sum ex uero patre meo Iesu christo : qui destruet te et omnes cogitationes tuas . Vrbanus autem non sufferens iniurias eius : iussit eam includi in carcerem : ut alia die decollaretur . Eadem nocte castigatus pater eius ab angelis reddit spiritum : Videns autem beata Christina : quia mortuus est pater eius dixit : Gratias ago tibi domine Iesu christe : qui liberasti me a diabolica insania . Post dies autem paucos ueniens successor patri eius nomine Dius et ipse nimis persecutor christianorum . Monstrauit autem officium gesta sanctæ Christinæ : et cum legerentur ea Dius di | xit : Tantis tormentis non inclinauit eam : ut immolaret diis ? Et iussit eam sibi præsentari . At illa cum introducta fuisset : et uidit uultum eius ualde speciosum uocans eam ad se dixit : Puella nobilis multa tormenta passa es sicut cognoui in gestis. Qui error te seducit : ut derelinquas misericordes deos : et colas hominem expulsum de ciuitate in ciuitatem : et in fine crucifixum : qui semetipsum adiuuare non potuit ? Sed accede : et adora misericordes deos : qui dominantur omni orbi terrarum . Sed si non adoraueris omnes deos maiora et grauiora tormenta tibi præparabo : et non te liberabit deus tuus : quem colis . Sancta Christina dixit : per maligna uerba tua non poteris me seducere neque tu neque Imperatores tui : ut derelinquam cælestem meum dominum et patrem meum Iesum christum : qui eruet me ab omnibus tormentis manuum uestrarum iniquarum . Iratus uero Dius comes iussit eam expoliari : et torqueri . Sancta Christina dixit : Impudens et tyramne non confunderis : quia delusa tormenta mihi obtulisti : magna mihi tormenta pronuncias si habes uirtutem maiorem : mihi pœnam exhibe : Credo enim in saluatorem meum Christum : quoniam et te habet confundere sicut et similem tibi Vrbanum . Dius dixit ad eam : Sustineo te : ut infantem : et suffero iniurias tuas miserebor prauitatis tuæ : ut conuertaris ad deos et miserebuntur tui . Sancta Christina dixit : Quod nomen tuum ? Iudex dixit : Nomen meum si scire uis Dius uocor . Sancta Christina dixit : Iuste uocatus es Dius idolis surdis seruiens et sine anima : et cæcum nomen tuum et nomen qui uocatus es . Dius

autem iratus iussit afferri clibanum et succendi ualde : et mitti picem et ceram et oleum : et mitti eam in clibanum . Milites autem fecerunt sicut præceptum eis fuerat : et miserunt eam in clibanum . Hilaris autem stans sancta Christina in clibano : respiciens in cælum dixit hymnum tibi dico : et glorifico nomen tuum domine Iesu christe : qui dignatus es me renasci per lauacrum regenerationis . Vidi enim angelum tuum . fecisti me uincere ignem istum : ut per mirabilia tua glorificetur nomen tuum . Comes autem uidens eam in medio flammæ glorificantem deum obstupuit : et dixit ad eam : Christina uides quomodo te custodiunt dii nostri || ut ignis te non tangat . Accede ergo : et precare deos : ut eruant te ab omnibus : quibus peccasti in eis . Sancta Christina dixit : Impie et diabolicorum laqueorum particeps non timeo pœnas tuas . Credo in Christo meo : quia celerius introduceris in tenebras exteriores : ubi est socius tuus Vrbanus . Comes uero repletus ira iussit caput radi : et postea iussit eam per plateas pompari . Sancta autem Christina dicebat : Gratias ago tibi Christe cælestis meus rex æternus pater : qui dignatus es me in die isto cognosci ab omnibus . Vere enim thesaurus facta sum angelis et hominibus et omni mundo ut omnes cognoscant : qui ancilla tua sum . Pompata autem ducta est in carcerem . Mane autem facto iussit eam ingredi in templum Appollinis : et dixit ei : Accede : et sacrifica magno deo : ut in camino propicius sit tibi . Sancta Christina dixit : Quid erras duro corde particeps simulacrorum . non timeo pœnas tuas : temporales enim sunt . Comes dixit : Sustineo omnes iniurias tuas quasi filiæ : sed nolo : ut exerceas sicut paruula ad alienum deum . sed accede : et offer sacrificium magno deo Appollini . Sancta autem Christina expandens manus suas orauit ad dominum dicens : Domine Iesu christe cælestis pater meus qui per uerbum tuum fecisti omnia : qui descendisti propter multum amorem hominum : et illuminasti me per lauacrum iusticiæ : et nunc exaudi me ancillam tuam : et produc idolum de templo isto : quia multas animas merget in perditionem : et dixit iterum sancta Christina . Tibi dico idolum sine anima in nomine domini nostri Iesu christi exi de templo isto : et statim idolum ambulauit : et exiuit foras . Comes uiso hoc timuit mirans et dicens ad sanctam Christinam : Vides : quoniam magnus est deus Appollo : et propiciator est et obedit tibi . Sed si speras et cupis : exaudiet : et miserebitur tibi : et propicius sit : et propter te iam ambulauit : et exiuit foras : ut uideret : quæ ab ipso creata sunt : Sancta Christina dixit : Tyramne seruorum deorum et impie conscientiæ tuæ conscius . Hec magnalia christi mei sunt : nam tu diabolicas intrinsecus habes : Et dixit iterum uis cognoscere magnalia dei mei ? Domine Iesu christe iube iodolum † istud | confringi et fieri sicut puluis : et factum est ita : et multi paganorum crediderunt deo dicentes : Deus paruulæ huius per quem super nos tuam uirtutem emittis : et lumen diuinitatis tuæ donas : quoniam in tenebris ignorantiæ errantes idolis seruiebamus adiuua eam . Et crediderunt in illa die tria millia homines . Comes autem præ timore propter Appollinem quoniam cadens perierat dixit : Quod si audierit imperator male eum disperdere habet : Et factum est cor eius lapideum cadens in terram statim mortuus est . Videns hoc consiliarius eius iussit sanctam Christinam custodiri in carcere . Post paucos enim dies uenit Iudex successor eius : et ipse uelox circa corpus culturæ dæmoniorum sæuiens in seruos dei nomine Iulianus . Introeunte eo in prætorium ostenderunt ei gesta sanctæ Christinæ : Et iussit introduci eam : et dixit ad eam : Christina multa sunt quæ fecisti per magicas tuas : sed me non superabis . Accede ergo : et sacrifica æternis diis Quod si nolueris consentire mihi in omnibus quæ a me aguntur : adducam tibi diuersas et ampliores pœnas : et non te eruet deus tuus de manibus meis . Cogitans accede et sacrifica . Sancta enim Christina fiduciam habens in Christo dixit : Non secundum uerba tua ancilla christi facit : nec pertimesco promissiones tuarum pœnarum . Scito mœtu et time : uidebis uirtutem dei mei . Iulianus audiens hæc iussit succendi caminum : et fecerunt sic . Erat autem beata Christina in medio camino cum angelis glorificans deum . Exiit uox magna de camino : et qui hæc audierunt nunciauerunt Iuliano dicentes ei : Precamur te magno timore magnas uoces audiuimus exire de camino . Audiens hæc Iulianus iussit aperiri caminum : et exeunti sancta Christina ueluti de lauacro sudans et hilari uultu Iulianus dixit : Confitere mihi omnia maleficia tua : quoniam per magicas tuas omnem mundum subiugasti . Sed si non mihi confiteris : nec immolaueris diis : peioribus et maioribus te supliciis tradam . Sancta Christina dixit : Non timeo minas tuas . Ego autem deum qui est ipsum habeo adiu-

torem : qui destruet omnes cogitationes tuas . Iulianus uidens constantiam eius iussit adduci Marsum et dimitti ei in medio duas aspides et duas || uiperas et duos dracones : et dixit ei Iulianus : Omnem naturam magicis tuis artibus subiugasti : nec non et serpentes poteris maleficare . Accede : et sacrifica : ne male moriaris . Sancta Christina dixit : Credo in Christo meo : quia in omnibus me liberabit . ipse adiuuabit me in omnibus pœnis tuis : et nunc ab his feris ipse est qui liberat me . Post hæc audiens Iulianus iussit dimitti serpentes : et occurrentes cucurrerunt ad pedes eius : et lingebant uestigia eius . Sancta Christina lachrimans ad deum dixit : Gratias tibi ago domine Iesu christe lumen ueritatis refugium tribulantium : quoniam dignatus es me ab his serpentibus cognosci : et ab ipsis laborem certaminis mei detergi . Iulianus uero furore repletus contra Marsum dixit ei : Exeant serpentes : ut eam interficiant . Marsus uero carminibus serpentes irritabat contra sanctam Christinam . Serpentes uero euntes ad Marsum interfecerunt eum . Erant serpentes beate Christine subiugati : et nullus poterat sanctæ Christinæ appropinquare ut tolleret ab ea feras . Quæ orans dixit : Vobis dico serpentibus terræ : ite in loca uestra nemini nocentes . Et statim abierunt singuli serpentes in locum suum . Sancta uero Christina accedens ad mortuum Marsum orauit et dixit : Domine Iesu christe qui uenisti saluare omnem mundum : et resuscitasti Lazarum quarto die : et nunc exaudi me dominator domine non ut merita ancillæ tuæ : sed ut uirtus sancta tua : et manus fortitudinis tuæ : et resuscita hominem hunc : ut glorificetur nomen tuum ab omnibus hominibus : Et signauit eum : et adpræhensa manu eius dixit ad eum : In nomine domini nostri Iesu christi resurge a mortuis : et statim surrexit et procidens ad sanctam Christinam dixit : Benedictus dominus Iesus christus : qui me resuscitauit a mortuis orationibus sanctæ Christinæ . Credidit Marsus in domino . Iulianus uidens hæc dixit ad eam : Subiugatam fecisti omnem terram maleficiis tuis . Suficit iam tibi : conuertere in quibus multum te sustinuerunt dii . Sancta Christina dixit : O duro corde et omni ueritate aliene : quomodo non cognoscis : quia dominus meus Iesus christus pugnauit pro me . Ille | ira commotus iussit incidi mamillas eius : quibus abcisis pro sanguine lac fluebat . Sancta Christina dixit : Gratias tibi ago rex æterne Christe : qui dignatus es me diuersa tormenta in conspectu trium tyramnorum iudicum confiteri per laudabile nomen tuum : et dedisti mihi gratiam et tolerantiam ut per multas tribulationes accipiam iusticiæ coronam . Hæc dicente ea iussit Iulianus mitti eam in carcerem : Et erat in carcere meditans eloquia domini . Altera autem die iussit Iulianus eam adduci : et dixit ei : Cogitasti sacrificare diis ? Sin uero auferam abs te animam tuam . Sancta Christina dixit : consydera tuam animam : quia non erit tibi requies : nec hic nec in futuro . Iulianus non sustinens prædicationes sanctæ Christine iussit linguam eius abscidi : Et postquam abscisa est lingua eius respiciens in cælum dixit magna uoce : Deus meus qui me seperasti ab utero matris meæ conditor omnium bonorum respice super ancillam tuam Christinam : et iube compleri in hoc die agonem meum : quoniam propinquauit dies requiei meæ : Et accepta parte lingue suæ iactauit in faciem Iuliani : et percussit oculum eius : et statim excæcauit eum . Facta est autem uox de cælo ad eam dicens Christina quia bene cursum consumasti : et multum sustinuisti : aperta sunt tibi regna cælorum . accipe ergo iusticiæ coronam : requiesce cum sanctis in sancto lumine . Iulianus uero excæcato oculo insurgebat in sanctam Christinam : et iussit eam gladio percuti : et accesserunt duo spiculatores : ex quibus unus cor eius percussit gladio : alius autem latus eius : et sic compleuit sancta Christina martyrium . Venit autem quidam ex eius genere : et ipse credens in Christo per sanctam Christinam : et accepit corpus : fecitque martyrium dignum passionis eius : et posuit sanctum corpus eius cum omni diligentia . Passa est autem beatissima Christina octauo calendas augustas sub Imperatore Adriano . Regnante domino nostro Iesu christo : cui est honor et gloria in sæcula sæculorum amen . ||

PASSIO SANCTI CHRISTOPHORI MARTYRIS .

Regnante Dano imperatore in ciuitate Samon in prouincia Syrie uenit quidam homo de insula ex genere Abnoch : cui ostensum est a domino ut baptizaretur . baptismo : quod dominus donauit in sæculum : et dictum est ei a domino per angelum : quoniam multæ generationes credent per te in deum : et uocabuntur filii dei . Ipse autem conuersus ex toto corde orans deum . et pergens ad ecclesiam christianorum : gratiam baptismi consecutus est in nomine sanctæ trinitatis : et Christophorus nominatus est . Et iterum facta est uox de cælo dicens : dei Serue bone et fidelis Christophore meruisti baptizari in nomine sanctæ trinitatis . Et ingressus in terram Syriæ Laudabat deum dicens : Gratias tibi ago deus meus : qui conuertisti errantes in uiam ueritatis : et mutas linguas ferarum : et das eis loquelas hominum . Post hæc abiit ad præfatam ciuitatem : et fudit preces ad dominum dicens : Domine qui plasmasti Adam : et dedisti ei agnoscere uiam ueritatis : da seruo tuo : ut doceat populum istum qui errat . Exiens autem quædam mulier de ciuitate : ut sacrificaret idolis : uidit sanctum uirum Christophorum orantem : pauensque facies eius mutata est . Videbat enim corpus hominis : caput uero cananeum : et currens in ciuitatem exclamauit dicens illis hominibus : Venite et uidete hominem : qualem nunquam uidistis foris de ecclesia christianorum stantem . Et exiuit de ciuitate innumerabilis populus : et congregati sunt : ut uiderent ipsum sanctum . Videns autem sanctus Christophorus tantam multitudinem populi : orauit ad dominum dicens : Domine deus omnipotens : da eis ut credant in nomine tuo per me . Et tenens uirgam in manu sua fixit eam in terram : et orauit ad dominum dicens : Domine deus qui in Chana Galileæ aquam in uinum mutasti : fac nunc ut uirga ista floreat : et faciat ramos bonos : et folia pulcherrima : ut credat populus iste quia tu es deus : et præter te non est alius . Populus autem expectabat eum : ut uideret factum secundum orationem ipsius . Eadem ho | ra exauditus est beatus Christophorus . uirga floruit : et ramos misit : et folia protulit . Videntes autem populi qui aderant crediderunt in deum ad octo milia : et baptizati sunt per manum ipsius . Audiens autem hoc factum Danus imperator : misit ducentos milites : ut eum ad se ducerent . Euntes autem milites inuenerunt illum orantem : et ipsi cum eo orare cœperunt . ut autem surrexit ab oratione : locuti sunt milites ad eum dicentes : Imperator te uult uidere . At ille dixit : Si uolo uenire uenio : sin autem uinctum me non estis ducturi : tamen uenio uobiscum . Cumque ingressus fuisset sanctus Christophorus ante conspectum Dani imperatoris nimio terrore perterritus est propter magnitudinem eius : protinus in faciem suam corruit : et eleuatus sedit in cathedra sua interogans eum et dicens : Quis es tu ? uel unde uenisti ? et quod est nomen tuum ? At ille respondens dixit : Nomen meum de natiuitate Reprobus uocabar : Nam postquam accepi sanctum baptismum Christophorus uocor . Tunc Imperator dixit : caput cananeum sacrifica diis meis . Respondens autem sanctus Christoprus† dixit Imperatori : Vere bene uocatus es Danus : quoniam tu es pars mortis patris tui diaboli . Dii autem tui quibus me sacrificare dicis uani sunt . Oculos habent et non uident . aures habent et non audiunt . sed neque sentiunt : Et quomodo possunt adiuuare eos : qui in eis credunt : quando sibi omnino non sentiunt : quia aurei et argentei et lignei snnt†? Dii autem qui non fecerunt cælum neque terram pereant et tu cum eis Dane . Stulte quomodo adoras eum uel eos : qui sunt opera manum† hominum ? si me audieris : et adoraueris deum uiuum : qui fecit cælum et terram : potest te adiuuare : et dimittere peccata tua . Tunc Imperator furore repletus dixit : quomodo potero maleficium istum uineere†? Et iussit eum recludi in carcerem . Venerunt quadraginta milites : et iactauerunt arma sua ante conspectum Dani imperatoris dicentes : Nos omnes deum Christophori adoramus . Respondens Imperator dixit : Et uos malefici effecti estis ab illo malefico : et secuti estis errorem illius ? Venite adorate deos meos : et dabo uobis || aurum et argentum multum : At illi una uoce respondentes dixerunt : Aurum et argentum tuum tecum sit in perditionem . Nos autem semel in nomine sanctæ trinitatis baptizati sumus : et in ipsam trinitatem credimus non mediocriter† sed perfecte . Iratus autem imperator iussit eos decollari .

Ipsi autem propter nomen Christi martyrium pertulerunt . Tunc iussit Imperator adduci duas puellas pulchras ualde : Niceam uidelicet et Aquilinam et dixit ad illas : Si poteritis maleficiis uestris illum reuocare ad culturam deorum meorum : dabo uobis aurum et argentum multum : et iussit eas cum sancto Christophoro recludi in carcerem . Ingressæ uero carcerem inuenerunt sanctum Christophorum orantem : et eum intuentes uiderunt faciem eius sicut flammam ignis : et præ timore ceciderunt in faciem suam super terram quasi mortuæ iacentes ab hora tertia usque ad horam sextam . Sanctus uero Christophorus suam complens orationem dicebat ad eas : Leuatæ uos filiæ meæ : nolite timere stare ante conspectum dei : qui uos permisit uenire ad me . Et interrogauit eas dicens : Quod est artificium uestrum ? uel cui militatis ? At illæ dixerunt : Ora pro nobis uir dei : ut dimittat nobis deus peccata nostra . Artificium autem nostrum tale est : meretrices fuimus : et quidquid de operibus nostris acquirebamus nudos uestiebamus . esurientes pascebamus . captiuos redimebamus . Et ait ad eas sanctus Christophorus : negate Iouem et Apollinem : et communicate mecum in oratione . Credo enim : quia deus meus si hoc feceritis dimittet uobis peccata uestra . Illæ uero respondentes dixerunt : Credimus in deum : quia et nos tecum martyrium perferemus . Alia uero die iussit eas Imperator sibi afferri : interrogauitque eas dicens : Sicut præcepi uobis : fecistis Christophorum sacrificare diis meis : et negare deum suum ? Respondentes Nicea et Aquilina dixerunt : Vtinam audires nos : et adorares deum Christophori : et negares deos tuos . Nos autem deinceps scias Imperator : quoniam deum Christophori credimus : et adoramus atque ex toto corde seruimus . Imperator dixit : Nunquid uos maleficiatæ estis ab illo capite cananeo : ut negaretis deos meos magnos atque potentes ? | Cogitate de uestra pulchritudine : et sacrificate diis meis . Quod si nolueritis diuersis pœnis et tormentis uos faciam interire a facie terre . Tunc Nicea et Aquilina dixerunt : Si uolueris : ut sacrificemus : iube mundari plateas ciuitatis . et exeat qui clamet : et dicat : Omnes uenite in templum : quia Nicea et Aquilina hodie sacrificant diis . Tunc iussit Imperator omnem populum conuenire : et plateam mundari : et ait ad eas : Nicea et Aquilina sacrificate diis meis . Illæ uero perrexerunt ad carcerem : ubi erat uir dei Christophorus : et clamabant uoce magna dicentes : Ora pro nobis uir dei : ut liberet nos dominus de idolis istis : Et in templum ingressæ dixerunt : Dii paganorum et idola audite nos : et non erat uox in eis . Iterum dicebant : forsitan dormiunt : et non audiunt : aut aliqua opera faciunt : et uox non est in illis . Hoc autem per tres horas clamauerunt . Tunc Nicea et Aquilina soluerunt zonas suas : posueruntque eas in collo Iouis : et trahentes prostrauerunt eum in terram : et conculcauerunt eum pedibus suis quasi puluerem . Similiter et Apollini dixerunt : Si dii estis : Leuate : et adiuuate uos . Audiens hoc Imprator† quia Nicea et Aquilina deos suos contriuerunt : ait ad eas : Ego uos rogaui ut sacrificaretis diis meis : et non ut comminueretis eos . At illæ una uoce dixerunt : Stulte Imperator tales sunt dii tui : ut a mulieribus illudantur ? Nam petram de fabrica deposuimus : et deo uiuo et uero qui in cælis est sacrificamus . Imperator dixit : propter quod uos Christophorus maleficus decepit : et in suis maleficiis creditis : diuersis uos interfici iubeo pœnis : ut ipse uidens exemplum uestrum sacrificet diis meis . Tunc iussit Imperator cathenas ferreas mitti in manus et pedes Aquilinæ : et ita suspendi nec non ingens saxum in pedes eius ligari : ut diuiderentur membra eius quæ eleuans oculos suos uidit sanctum Christophorum orantem : Cui et dixit : Athleta christi ora pro me : ut faciat me dominus particicpem† gloriæ suæ : quia pro nomine eius hæc patior . Ipsa autem cum penderet : uox de cælo facta est ad eam dicens : Accipe coronam tuam : et uade in gloriam domini tui : et || statim emisit spiritum . Quæ uidens Nicea orabat dicens : Domine deus Christophori noli me separare a sorore mea : sed dignare me cum ea coronare . Tunc iussit eam Imperator suo stare conspectui : et dixit ei : Adhuc in ipso maleficio permansisti ? Audi me : et sacrifica diis : ut non maiora tormenta patiaris quam soror tua . Nicea respondit : Tormenta tua mihi refrigerium sunt : et mors tua mihi uita est . Et iussit imperator manus et pedes eius ligari : et paulatim dentes eius euelli : ut præ dolore nec uox esset in ea . Ipsa autem clamabat dicens : Ego tormenta tua non timeo : quia habeo adiutorem dominum Iesum christum : qui me eripere potest de manibus tuis . Audiens hæc Imperator iussit afferri ligna multa et accendi ignem copiosum : et eam in medio flammæ ignis mitti : ut nec ossa ejus appareant . Ingressa autem in medium flammæ

orabat ad dominum dicens : Domine deus omnipotens qui misisti angelos tuos ad tres pueros et liberasti eos de camino ignis : mitte mihi angelum tuum : qui liberet me de hac flamma : ut erubeseat† hic stultus cum .† ira sua . In ipsa hora solutæ sunt manus et pedes eius : et flamma facta est . quasi nebula . Videns autem hoc Imperator quia nihil proficiebat : iussit eam decollari : et sic Nicea compleuit coronam martyrii cum sorore sua in testimonio bono . De populo autem multi mirabantur fidem earum : quoniam uicerunt ipsum maledictum tyramnum : et credentes in deum sancti Christophori clamabant dicentes : Magnus est deus christianorum . Iratus autem Imperator dixit : Si non perdidero maleficum istum : omnem populum trahet ad se per maleficia sua : et multi credent in eum . Et iussit sibi exhiberi sanctum Christophorum : et dixit ei Imperator : Caput cananeum usque quo patior hæc a te ? Sacrifica diis meis . Sanctus Christophorus dixit : Ego non sacrifico dæmoniis . sed uolo te conuerti : ut dimittas deos tuos : et in deum meum credas : qui habet potestatem mortificare . Respondit Imperator : et dixit : Adhuc permanes in ista insipientia ? Sanctus Christophorus dixit : Ego non sum insipiens et stultus : sed sum seruus domini mei Iesu christi . Tu uero es insipiens et stultus : qui non confiteris dominum Iesum christum | sed confiteris Sathanam patrem tuum . Et iratus Imperator iussit uinculis ferreis pedes eius et manus ligari : atque uirgis cædi : et in capite eius cassidem ardentem mitti : Cumque hoc factum esset : quidam heres uiri imperatori dixerunt : Beatus eras Dane : si natus non fuisses : qui talia tormenta ponis in istum sanctum . Tunc iratus imperator iussit eos decollari . Sanctus autem Christophorus dixit : Tormenta tua posse superare fidem meam credis ? Suauissima enim mihi sunt : et dulciora super mel . Audiens hæc Imperator præcepit ministris fieri scamnum ferreum iuxta magnitudinem sancti Christophori : quod cum uenissent artifices acceperunt de statura eius mensuram cubitos duodecim : feceruntque scamnum secundum iussionem imperatoris : posueruntque in platea in medio ciuitatis . Tunc Imperator iussit adduci sanctum Christophorum : et eum super scamnum ligari : et ligna multa super ipsum mitti : atque quadraginta dolia olei desuper fundi ignemque accendi : ut nec ossa eius remanerent . at ubi ipse sanctus esset in medio ignis : ait ad Imperatorem : Iam tibi dixi stulte Imperator : quia non timeo pœnas tuas . Nam ista omnia quæ mihi infers : in tua erubescentia et confusione ac diis tuis retorquebuntur . Scamnum autem ferreum illico factum est : sicut cera a facie ignis . Quod intuens : Imperator uidit sanctum dei orantem in medio ignis : et faciem eius sicut rosam nouam : cecidit que in faciem suam super terram iacens ab hora prima usque ad horam nonam quasi mortuus . Postquam autem erectus est : ait ad sanctum dei : Fera mala et turpis : nonne sufficit tibi animarum numerus quas tu errare fecisti : ut non sacrificent diis magnis Ioui et Apollini : et traxisti omnem populum ad te ? Respondens autem sanctus dixit : Adhuc multæ animæ credent deo per me : et tu ipse . Audiens hæc insanus Imperator : blasphemauit : et dixit ei : Et me uis lucrari per tuas magicas artes ? Et iratus ualde dixit : Sic faciant mihi dii mei et sic mihi reddant : si non crastina die perdidero animam tuam : et irridebunt tibi infantes in media ciuitate . alia uero die iussit Imperator sanctum Christophorum sibi exhiberi et dixit ad eum : facis quod iubeo an non ? Respondens sanctus Christophorus dixit : Nunquam uoluntatem tuam implebo : neque sacrifi || co diis tuis : quoniam uani sunt . Ego autem fidem dei habeo et baptismum quod accepi . Tunc iussit Imperator exhiberi trabem magnam secundum magnitudinem eius : et poni eam ante hostium palatii : omnesque milites conuenire . At ubi congregati sunt : præcepit sanctum dei ligari ad ipsam trabem : et ut singuli milites ternas sagittas in eum mitterent : celeriter possent eum interficere dicens : Ne amplius populus meus credat in eum : et uideamus : si potest deus eius liberare eum de manibus meis : Et cœperunt in eum milites sagittas mittere ab hora prima usque ad horam duodecimam : Putabat enim Imperator quoniam omnes sagitte corpus eius configerent : Quæ diuina uirtute suspendebantur ad dexteram eius et sinistram : et una ex illis non tetigit corpus eius . Et post solis occasum iussit eum Imperator ligatum dimitti : et custodiri dicens : ut non ueniant christiani : et tollant eum . Multi autem populi christianorum expectabant eum : ut acciperent corpus eius . Alia uero die ait Imperator : Eamus et uideamus magum illum : Cumque ad eum uenissent ait Imperator : Vbi est deus tuus ? Veniet et liberet te de manibus meis . Eadem hora a latere sancti Christophori exiit una ex sagittis : et percussit

Danum imperatorem in oculo dextro : et excæcatus est : Cui sanctus Christophorus ait : Tibi dico stulte et insipiens et duro corde : si audieris me : et credideris in dominum Iesum christum : uidebis mirabilia dei mei . Ego autem die crastina octaua hora diei accipiam coronam meam : sicut mihi ostensum est a domino meo : et uenient populi : tollentque meum corpus : et sepelient illud in loco orationis . Tu autem uade ad illum locum ubi sanguis meus effusus est in terra : et tolle modicum de ipsa terra cum sanguine meo : et pones super oculum tuum in nomine domini nostri Iesu christi : et saluus eris . Et appropinquauit hora ut coronaretur ipse sanctus . Qui aperiens os suum in oratione dixit : Domine deus meus : qui eiecisti me de errore in uirtutem : et ostendisti mihi magnalia tua cælestia . Peto ut in loco ubi depositum fuerit corpus meum : non ibi ingrediatur fames . non captiuitas . non mortalitas . et si fuerint maleficia | in ea ciuitate aut in his locis aut tribulantes uenerint ad me : et orauerint : in nomine tuo salui fiant : Et uenit uox de cælo dicens : Christophore ubi fuerit corpus tuum : et ubicumque uel quicumque tui memoratus quis fuerit in sua oratione : saluus erit . Et nunc comple in nomine domini passionem . Sunt autem qui crediderunt : in dominum nostrum Iesum christum per eum numero ad quadraginta octo milia : Alia uero die Danus imperator incidit in tedium et dixit ad suos : Eamus ad locum ubi posuerunt corpus sancti Christophori : et faciamus sicut dixit mihi : et cum uenissent ad locum : dixit Imperator : Sancte Christophore ostende uirtutem Christi tui : ut et ego credam in eum . Et collegit terram cum sanguine eius : et super oculum suum posuit et dixit : In nomine domini nostri dei Christophori credo . Ea autem hora saluus factus est Imperator . Tunc clamauit uoce magna : et dixit : Gloria tibi deus christianorum : qui facis uoluntatem et misericordiam timentibus te . Ego autem istam ponam legem in populo meo et in omni gente mea : quicumque blasphemauerit deum christianorum : gladio interficiatur . Passus est sanctus Christophorus septimo idus Ianuarias pro nomine domini nostri Iesu christi : Cui est honor laus et potestas uirtus et gloria per immortalia sæcula sæculorum amen .

VITA SANCTI COLVMBANI ABBATIS .

Rutilantem atque eximio fulgore micantem sanctorum præsulum atque monachorum patrum solertia doctorum hominum condidit : ut posteris optima redolerent priscorum exempla . Egit hoc a sæculis rerum sator æternus : ut famulorum tuorum famam commendaret perennem : utque præterita gesta in exemplum bonæ uitæ futuris . Et de præcedentium meritis : uel imitando exempla : uel memoriæ commendando : Ventura soboles gloriaretur : Quorum beatus Athanasius Antonii uitam . et Hieronymus Pauli et Hylarionis uel cæterorum : quos cultus bonæ uitæ laudabiles reddebat . Postumianus et Seuerus et Galus Martini egregiæ memoriam dimise || re sæculis : plurimique aliorum quorum aut fama aut bonorum exempla operum uel uirtutum monimenta commendarunt : Vt sunt columnæ ecclesiarum Hilarius . Ambrosius . Augustinus : qui inter tot sæculi turbines et fluctuantem mundo statum ecclesiæ sustentarunt : ut iniquo flatu aduersante : ac hæreticorum procella quatiente : ueram fidem aduersitas macularet : quorum nos exempla secuti : qui tamen nec meritorum supplemento : nec facundiæ flore suffulti : nec elucubrante scientiæ fonte : patris nostri Columbani aggredimur texere gesta . Erit tamen nostrorum arbiter dictorum uirtutum largitor immensus : qui et gratiæ suæ munera : et uitæ perennis largitus est coronam . Natus ergo hic fuit inter primordia fidei e gente illa : ut fides quam infæcundam ex parte gentilitas habebat : suo ac sodalium suorum munimine cultu huberi fœcundaretur . Sed priusquam lucem uitæ præsentis carperet : quid ante eius ortum actum sit : silendum nequaquam puto . Genitrix enim cum iam grauida esset : subito per intempestam noctem sopore pressa uidit e sinu suo rutilantem sobolem et nimio fulgore micantem ecclesiæ et mundo magnum lumen præbere . Hæc postquam sopor membra laxauit : et cæcas mundo surgens aurora pepulit tenebras : intra semetipsam cogitare cœpit : et tantæ uisionis gaudio uim examinare . uicinorumque supplementum petit : quos doctrina sollertes reddebat : quærens ut tantæ uisionis uim sapientum corda scrutarentur . Tandem peritorum responsa recepit : se egregiæ indolis utero

tenere uirum : qui et suæ salutis utilia : et proximorum prouideret utilitati oportuna : quæ mater postquam fœtum edidit : tanta custodia eum seruauit : ut uix eum uel cognitis parentum reliquorum moribus crederet : quo ad usque adoloscentis† uita ad boni cultus operis Christo duce : sine quo nihil boni : asurgeret . Nec immerito solem fulgentem suo e sinu mater conspexit : qui in matris uniuersorum ecclesiæ membra instar solis fulgore micat domino dicente : Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno patris eorum . Sic Delbora precantis uoce ad deum spiritu sancto monente olim loquebatur dicens : Qui autem diligit te : sicut sol in ortu suo splendet | et rutilat . Aæthereus et enim axis syderum distinctione flauescens de frequentia celebris lucis speciosior est : sicut diei lux solis aucta splendore mundo amœna refulget : ita corpus sanctæ ecclesiæ cum conditoris ditata opibus sanctorum aucta numero et scientia et religione nitescit : ut ex frequentia doctorum pullulent lucra subsequentium . Et ut sol uel luna astraque omnia noctem diemque suo nitore nobilitant : ita sanctorum merita sacerdotum ecclesiæ monimenta roborant . Peractis itaque infantiæ annis liberalium litterarum doctrinis et grammaticorum studiis ingenio capaciore laborem cœpit : quem per omne tempus pueritiæ uel adolescentiæ exercens usque ad uirilem ætatem huberi intentione defixit . Sed eum cum formæ elegantia præsertim corporis candore et pubertas nobilis omnibus gratum redderet : cœpit tandem contra eum antiquus hostis lætifera laxare : ut quem tanto ingenio crescere cerneret : suis habenis : si ualuisset : irrætiret . Aggressus lasciuarum puellarum in eum suscitare amorem : præcipue quas forma corporis perfunctorio decore : et horrendo desyderio in miserorum animos solet inmergere : sed cum se egregius miles tantis pilis undique urgeri conspiceret : et micantem gladium callidi hostis se contra exigi conspexisset : non ignarus fragilitatis humanæ cito ad procliuia labendo dimergi ut Liuius ait : Nil esse tam sanctum religione : tamque custodia clausum : quo penetrare libido non queat : euangelicum clipeum læua tenens ensemque ancipitem ferens dextra contra immanes cuneos hostium pugnaturus paratur : ne frustrato labore quo potissimo ingenio desudauerat : in grammaticæ rethoricæ geometricæ uel diuinarum scripturarum serie in sæculi illecebris occuparetur : daturque adhuc alter stimulus : Cum hæc penes se uolueret : uenit ad cuiusdam religiosæ ac deo dicate fœminæ cellulam : quam cum prius humili uoce salutasset : postea castigare iuuenili ut poterat hortatu aggressus est : Quæ uidens gliscentem animi uigorem : ego ait utcumque potui ad bellum progressa exiui . En quindecim tempora uoluuntur : quo et domo carui : et hunc peregrinationis locum expetii : et nunquam deinceps Christo præsule manu || stinam tenens retro respexi : Et nisi fragilis sexus obstitisset : mari transacto potioris peregrinationis locum petissem : Tu uero adolescentiæ flammis æstuans solum incolis ad fragiles uoces uelis nolis fragilitate attrahere : et uisitare te fœmineum sexum libere credes . Non reminisceris : suasu Euæ Adam lapsum ? Sampson a Dalila seductum : Dauid a pristina iusticia pulchritudine Bersabeæ corruptum : sapientissimum Salomonem mulierum amore deceptum ? Perge inquit O iuuenis : perge euadere ruinam : per quam multos comperis corruisse . Declina uiam : quæ ducit ad ualuas . Huius ergo dictis stimulatus adolescens et ultra quam adolescentem terreri crederes : grates taliter increpanti refert . sodalibus uale dicens iter arripuit : Materque eius dolore stimulata precatur : ut se non relinquat . At ille : Non inquit audisti : qui amat patrem aut matrem plus quam me : non est me dignus . Obstanti matri et limiti hostii inhærenti : postulat ut sese ire sinat . Illa eiulans et pauimento prostrata denegat se permissuram . Ille limitem matremque transiliens poscit matrem : se lætam habeat : Illam nunquam deinceps in hac uita uisurum : sed quocumque salutis uia iter pandat se progressurum . Relicto ergo natali solo quem lageuorum† terræ incolæ nuncupant : ad uirum uenerabilem nomine Similem perrexit : qui eo tempore singulari religione et scripturarum sacrarum scientiæ floræ inter suos pollebat : Quem cum uir sanctus ingenii sagacis esse uideret . omnium diuinarum scripturarum studiis imbuit : ita tamen ut fieri assolet cum ludendo magistri discipulos sciscitari conantur : ut de suo ingenio cognoscant uel fragrante hubertate sensus uel negligentiæ somno torpente : cœpit ab eo et ex difficilium quæstionum materia sensus scrutari . At ille quanquam tam sagaci e pectore ne inobediens magistro appareret : non cænodoxiæ actus uitio : sed magistro parendo uice uersa obiecta sibi elucubrabat . Memor illius psalmigraphi præconii : Aperi os tuum : et ego adimplebo illud . Tantum in pectore diuinarum scripturarum thesauri

conditi tenebantur : ut intra adolescentiæ ætatem detentus : psalmorum librum elimato sermone exponeret : multaque alia | quæ uel ad cautum† digna uel ad docendum utilia condidit dicta . Dedit deinde operam : ut monachorum necteretur societaci† : ac monasterium cuius uocabulum est Benchor petiit : in quo præsul hubertate fluebat beatus Comogelus egregius inter suos monachorum pater . Quique et religionis studio et regularis discipline cultu præcipuus habebatur . Ibi solis orationibus et ieiuniis uacare cœpit : et iugum Christi quod ferentibus leue est super se ferre : semetipsumque sibi abnegando : ac crucem suam tollendo Chrstum† sequi : ut qui aliorum doctor futurus erat : ipse quod doctrina didicerat : in suo corpore mortificationem ferendo huberius exemplo monstraret : quod aliis implendum fore docuisset . Peractis quoque annorum multorum in monasterio curriculis cœpit peregrinationem desyderare : memor illius domini ad Abraam : Exi de terra tua et de cognatione tua : et uade in terram : quam monstrauero tibi . Confessus itaque uenerabili patri Comogello cordis ardorem et ignitum igne domini desyderium : de quo igne dominus in euangelio loquitur : ignem ueni mittere in terram : et quid uolo nisi ut ardeat : ardentem patri patefaciebat affectum . Sed non ita in patris reperiebat responso : ut sua petitio anhelabat . Erat enim uenerabili Comogello arduum pati tanti dispendium . Tandem tamen aspirare cœpit : et cordi anteponere : ut non plus suæ necessitati studeret : quam aliorum utilitati opportuna parare . Nec sine omnipotentis arbitrio fiebat : qui tironem suum ad bella futura erudierat : ut de eius uictoria gloriosos referret triumphos : lautaque supellectile : de cæsorum hostium reportaret phalangæ . Vocatumque eum tristem licet sibi tamen aliis utilem sententiam depromit : se et pacis uinculum et solaminis supplementum comitesque itineris quo religio claros commendabat largiturum . Collecto sane fratrum cœtu omnium orationum suffragium postulat : ut uenturo itineri solamen largitor pietatis tribuat . Tricesimum ergo ætatis annum agens arrepto itinere cum duodecim comitibus Christo duce ad littus maris accedunt : Ibi omnipotentis dei misericordiam præstolantur : ut si suæ uoluntati inhæreat : et concepti consilii effectus perficiatur . Agnoscuntque || secum clementis iudicis uoluntatem adesse nauemque ingressi dubias per freta ingrediuntur uias . mitique salo prosperantibus zephyrorum flabris : ad britamnicos perueniunt sinus . Paulisper ibidem morantes uires resumunt : ancipitique animo anxia cordis consilia trutinantur . Placet tandem arua gallica planta terere : et mores hominum feruenti astu sciscitari : ut si salus ibi serenda sit : aliquantisper commorari : si obduratas caligine arrogantiæ mentes reperiant : ad uicinas nationes pertransire .

Beatus ergo Columbanus cum uidisset ut superius diximus deuictum a Theoderico Theodebertum relicta Gallia atque Germania Italiam ingreditur : Vbi ab Agimulfo longobardorum rege honorifice receptus est : Qui largita optione ut intra Italiam quocumque loco uoluisset habitaret : ubi dei consultu actum est : dum ille penes urbem Mediolanum moraretur : et hæreticorum fraudes idem arrhyanæ perfidiæ scripturarum causterio discerpere ac desecare uellet : Contra quos bellum florenti scientia dedit : uir quidam nomine Iocundus at regem ueniret : regi indicans se in solitudine in rupibus appenninis basilicam beati Petri apostolorum principis scire : in qua uirtutes expertus sit fieri . loca hubertate fœcunda . aquis irrigua piscibus copiosa : Quem locum traditio ueterum Bobium nuncupabant ob riuum in eo loco hoc nomine fluentem : amnemque alium perfluentem nomine Triuiam : super quem olim Annybal hyemans : hominum equorum elefantorum ferocissime damna sensit : quo cum uenisset : omni cum intentione basilicam inibi semirutam reperiens Prisco decore instaurauit : In cuius fabrica mira domini uirtus panditur . Nam cum per prærupta saxorum et scopulos trabes ex abietibus locis maccessibilibus† cæderentur : uel alibi cæsæ inibi casu elapsæ aspero : aditum plaustrorum denegarent : mirum in modum trabem quam uix triginta uel quadraginta plano terræ solo positam uehere non ualerent : ibi cum duobus uel tribus prout ardui casus meatus patebat : uir dei accedens suis ac suorum humeris immane pondus imponebat : Et quo asperitate itineris libero gressu uix graderentur : onerati mox trabium pondere festini gradie | bantur : ut uersa uice qui onera ferrent ac si ab aliis ueherentur firmis uestigiis uelut ocio uagante ouantes irent . Videns itaque uir dei tanti auxilii supplementum suos hortatur : ut arreptum opus læti perficiant : animoque roborati : ea consistere in heremo studeant in hoc uoluntas dei esse affirmat . Tecta itaque templi et culmina et muro-

rum restaurat ruinas : cætæraque quæ ad monasterrii[†] necessitatem pertinent construere parat . Interea memoratus Clotharius uiri dei propheticæ effectum in se fuisse impletum cernens : uenerabilem Eustasium qui eius in loco luxoniense[†] monasterium regebat : ad se uenire imperat : quem pio sermone rogat : ut sibi cum supplemento publico legatione fungi curet : sociosque quos uellet nobilium uirorum haberet : qui sui uadimonii arbitri essent post beatum Columbanum pergerent : quocumque reperissent in loco eleganti suasu ad se uenire hortarentur . perrexit itaque uenerabilis discipulus magistri uestigia prosecutus : qui cum ad eum uenisset Clotarii uerba depromit . Viso ergo Eustasio beatus Columbanus gauisus recepti muneris aditum gloriatur . Retentumque penes se aliquantisper : hortatur ut sui laboris præmio uires resumat . reminiscereturque cohortem fratrum disciplinæ normam erudire : multorumque collegio Christi plebem adunare : suisque institutis educare . Dimissum post hæc ad Clotharium remeare iubet : talibusque responsis regis mulceri imperat aures : seque retro remeare nullatenus ratum ducere tantummodo poscere : ut sodales suos qui Luxolium incolebant regali amminiculo ac præsidio foueret : Litteras casta oratione plenas dirigit gratissimum munus uelut pignus federis uiri dei ouans recepit : nec eius petitioni obliuionis noxam præponit : omnique prædio supradictum et mumeribus[†] ornat . annuis censibus ditat . terminos undique : prout uoluntas uenerabilis Eustasii erat auget : omnique ornatu ad auxilium ibi habitantium ob uiri dei amorem impendit . Porro beatus Columbanus expleto anni circulo in iam ante dicto cœnobio bobiensi uita beata functus anima membris soluta cælo reddidit spiritum nono calendas decembres : Cuius strenuita || tatem[†] si quis nosse uelit : in eius dictis reperiet . Reliquiæ eius eo habentur in loco conditæ : ubi et uirtutum decore pollent præsule Christo : Cui est honor et gloria per omnia sæculorum sæcula . amen .

PASSIO SANCTAE COLVMBAE MARTYRIS .

Aurelianus imperator de partibus orientis adueniens : cum esset gentilis et idola coleret ingressus est octauo calendas ianuarias ciuitatem Senonis : cœpitque perquirere : si qui ibidem essent[†] christiani . Et audiuit beatam Columbam uirginem Christum colere : iussitque eam sibi præsentari : et dixit ad eam : Quænam diceris ? ipsa uero respondit : Columba uocor : Aurelianus dixit : Quem deum colis ? Respondit : Nullum alium nisi solum dominum Iesum christum : qui omnem hominem ad imaginem suam formauit : et dedit nobis suum spiritum sanctum : et confirmauit nos in ecclesiam suam : ut in religione actus nostri perseuerent . Aurelianus imperator dixit : Columba cognouisti decreta : quæ persuadeant ueritatem ut omnes homines christiani relicta superflua constitutione cognoscant me uerum principem : et deos meos adorent ? Beata Columba respondit qui sunt manufacti pereant et ipsi : et qui eos adorant . mihi enim Christus deus meus perpetuam uitam dare dignatus est . Aurelianus dixit : per deum meum solem et per omnes deos meos consenti mihi : et sacrifica diis meis : et eris coniunx filio meo Aureliano cæsari : et bene tibi erit in domo mea propter pulchritudinem tuam . Beata Columba respondit : Quando pater tuus diabolus temptabat dominum : dicebat ei : si procidens adoraueris me : hæc omnia tibi dabo . Dominus ei respondit : non temptabis dominum deum tuum : sed illi soli seruies . Similiter et ego tibi dico tyramne Aureliane : non temptabis ancillam dei patris omnipotentis . Aurelianus imperator dixit : sacrifica diis : ne turpiter illusam incendam te : Beata Columba respondit : potens est deus mihi dare in omnibus quæ attuleris tolerantiam : quia ego in conspectu | omnium ipsum confiteor : ut ille me in conspectu angelorum confiteatur . Tunc Aurelianus imperator commotus furore iussit eam duci in amphitheatrum et uesperi recludi in carcere . Et iussit perquiri iuuenem qui esset uulgaris : inueneruntque iuuenem turpissimum nomine Baruga : et dixit ei Aurelianus : Vade homo iuuenis in amphitheatrum . ibi inclusa est uirgo Columba delude eam . Audiens hæc ille gauisus est gaudio magno : quod data esset illi potestas in uirginem Colnmbam[†] . Aspiciens ad iuuenem beata Columba dixit : Quid cum tanta ferocitate ad me uenis homo ? numquid possum tibi resistere aut repellere a me ? Sed patientiam habeto : et sic audi uerbum de ore meo :

et noli mihi uim facere : ne irascatur tibi dominus deus meus et moriaris : Conpunctus autem iuuenis non tetigit eam : Et ecce ursa fugiens de cauea in amphitheatrum ingressa est cellulam : in qua beata Columba inclusa tenebatur : Et insiluit in collum iuuenis et deposuit eum . ursa autem intendebat in faciem beatæ Columbæ : quid iuberet de eo : Tunc beata Columba dixit ad ursam : Adiuro te per nomen domini nostri Iesu christi : ut non lædas eum : sed permitte me loqui cum illo : Tunc illa adiurata dimisit eum : et apposuit se ad ipsum hostium : nec ille dimissus est : ut fugam peteret : nec alius posset intrare . Tunc beata Columba dixit ad iuuenem : Ecce fera audito Christi nomine dat honorem deo . Et tu homo infelix quanto scelere missus es : Aut promitte te christianum fieri : aut si nolueris : deuorabit te fera . Tunc ille iuuenis clamauit dicens : qui Christum non fuerit confessus : hinc non discedat : Cumque hoc dixisset : ursa tulit se de ipso hostio : et egressus ille iuuenis clamabat per totam ciuitatem dicens : sciatis populi Romani non esse alium deum nisi quem Columba colit . Audiens autem hæc Aurelianus imperator commotus furore : iussit ligna exhiberi et ut ursa et beata Columba simul arderent : Cumque ligna apponerentur : ursa cœpit fremere et rugitum dare : Tunc beata Columba dixit ad ursam : Noli timere : ne paueas : quia hodie neque incendio cremaberis : neque capieris : sed morte tua morieris : Tunc ursa ascendit tectum domus et eripuit se . Et egressa est per medias turhas† populorum ciuitatis : et ad sil || uas perrexit . Et ecce nubes ab africo ueniens extinxit ignem . Tunc Aurelianus imperator iussit sibi exhiberi beatam Columbam : et dixit ad eam : Columba quæ est ars tua uel maleficia : ut feræ syluarum tecum coniungantur? Beata Columba respondit : Nulla maleficia noui : Christum dei filium adoro : qui mihi misereri dignatur : Aurelianus imperator dixit : Iam tibi testatus fueram : quod Christum non nominares . Beata Columba respondit : Lupe rapax rapidi sunt sermones tui tecum : me autem non mutabis a meo proposito . Tunc Aurelianus commotus furore : iussit eam extra ciuitatem primo milliario duci : et gladio amputari caput eius : Quare beata Columba ad Aurelianum dixit : Sine deo et malorum consors aspice uultum meum diligenter : cum uenero te accusare ante sponsum meum et dominum meum Iesum christum : ut scias tantam meam gloriam et tuam pœnam perpetuam . Tunc milites duxerunt eam : quo iussum fuerat . Et sancta Columba cœpit rogare eos : ut laxarent eam orare : et orationem suam compleret : At illi nolebant : quamobrem illa tollens anabolarium suum nouum : Deditque militibus : sic permiserunt eam orare : Et ecce uox de cælo facta est magna dicens : Veni Columba famula dei . aperti sunt cæli . gaudet paradisus deuictis per te omnibus colluctationibus : stat dei filius qui tibi coronam ponat : et suscipient te angeli dei : ut perducant te in ciuitatem magnam in cælestem Hierusalem : Tunc unus ex militibus extracto gladio et in oratione prostratæ amputauit caput : Acta sunt hæc in ciuitate Senonis pridie calendas ianuarias in nomine Iesu christi : cui est honor et gloria cum æterno patre et sancto spiritu amen .

DE SANCTO CLODOALDO PRAESBYTERO .

Clodoaldus patrimonium quod ei de iure hæreditario obuenerat a patre ditissimo laudabili liberalitate indigentibus curabat distribuere . Corpusculum quod regio cultu in bysso et purpura enutritum fuerat : uilis indumenti aspe | ritate domabat : et qui dudum dormire nisi in pluma præ nimia teneritudine nesciebat : super nuda humo tectus cilitio dulcem somnum capiebat . Tandem deliberauit apud se plausus hominum sibi fauentium et opus præclarum tantummondo† diuino amore patratum uanis et humanis laudibus extollentium deuitare et declinare : et regionem longe positam quæ Prouincia nuncupatur adire : ut ibi quasi ignotus cœpto proposito posset deo seruire . Sed quia non potest lucerna latere : positus in eadem regione magno enituit uirtutum fulgore . Denique precibus fugabat dæmones de obsessis corporibus . aperiebat ora mutorum . reddebat cæcis uisum . surdis auditum . claudis gressum . et cunctis ex fide poscentibus dei clæmentiam impetrabat opem sanitatis . Sed nec illud duco tegi silentio : quod claruit eius dono : cum in parte præfatæ regionis construeret domum orationis : pauper quidam uenit : et eleimosynam ab eo dari sibi poposcit :

uir autem dei cum in præsenti non haberet : quod indigenti daret : cucullam qua induebatur dedit : Qua pauper accepta recessit et in domum cuiusdam fidelis hospitandi gratia uenit : Qui cum se post cibum et potum sopori dedisset magna iam transacta parte noctis . Pater familias de nocte surrexit : ac domum suam claro lumine splendere uidit : Qui illico suæ coniugi excitate a somno narrare curauit . Illa uero rem inusitatam intuens dixit : Aliquid muneris diuini peregrinus hic qui a nobis susceptus est secum detulit : Qui mane ab eis requisitus retulit eis : qualiter cucullam loco muneris a sancto uiro acceperat . Quod factum in illo loco in laude omnipotentis dei uulgi ore circumquaque est diffamatum : et celebri sermone uulgatum . Talibus donis a deo honoratus Parrhysios reuertitur : et turba populorum gaudentium excipitur . Ab Eusebio episcopo ciuitatis præsbyter ordinatur . Condidit autem monasterium in loco nomine Nouigento : quod eius nomine pollet et merito : Migrauitque ad dominum septimo idus septembres . Et ad gaudia sempiterna pertransiit : Regnante domino nostro Iesu christo : cui est honor et gloria in sæculorum sæcula amen . ||

PASSIO SANCTI CONCORDII .

Sub Antonino quoque passus est sanctus Concordius . Hic Romæ nobili familia ortus fuit patre Concordiano : qui eum in scripturis sacris erudiuit : a sancto Pio papa subdiaconum ordinari fecit . Hi itaque silicet pater et filius ieiuniis et orationibus atque eleimosynis iugiter uacabant : et a domino petebant : ut rabiem Imperatoris euadere possent . Porro filius a patre accepta licentia ad sanctum Enthicem† qui tunc morabatur in prædiolo suo uia salaria perrexit : a quo cum magno gaudio et gratiarum actione susceptus cum eo simul habitauit . Illic ergo cum ieiuniis et orationibus insisterent : multi uariis uexati languoribus ad eos ueniebant . Illi uero orantes in nomine domini nostri Iesu christi sanabant eos . Tunc audiens eorum famam Torquatus comes Tuscie qui tunc habitabat in spoletana ciuitate : mittens accersiuit sanctum Concordium : et ait ad eum : Quis uocaris ? Ille respondit : christianus sum . Dixit ei comes : de nomine tuo requiro non de christo tuo . Sacrifica diis immortalibus : et esto noster amicus . Ego quoque domino meo imperatori suggeram : ut faciat te sacerdotem deorum . At ille : Tu inquit magis domino Iesu christo sacrifica : ut possis euadere tormenta . Nam si non feceris : tu et dii tui in æternum ardebitis . Tunc comes iussit eum mactari fustibus : et in custodia publica claudi . Nocte autem uenit ad eum beatus Euthices cum beato Antimo episcopo : qui erat amicus comitis : et rogauerunt comitem : ut eum sibi iuberet concedere paucis diebus . Qui concessit eum beato Antimo : multis itaque diebus habitauit cum eo : quem etiam consecrauit præsbyterum tempore opportuno : Et cœperunt ambo orationibus uacare . Postea misit comes : et tulit eum : dixitque ei : Quid tractasti circa salutem tuam : qui respondit : Salus mea Christus est : cui quottidie offero sacrificium laudis . Tu uero et dii tui in inferno ardebitis . Tunc iussit eum in eculeo suspendi . Ille uero alacri uultu glorificabat deum . Dixit ei comes : Sacrifica Ioui magno : Cui ille non sacrificabo inquit lapidi surdo et | muto : quia Iesum christum dominum habeo : Cui seruit anima mea . Iratus comes iussit eum in ima carceris includi : et in collo ac manibus eius ferrum mitti : nullumque ad eum ingredi : ut fame deficeret . At illo gratias agente deo : Angelus domini media nocte apparuit dicens ei : Noli timere : quia ego tecum sum : sed uiriliter age . Post tres dies misit ad eum comes duos satellites suos : ut aut sacrificaret : aut capitalem sententiam subiret . quibus auditis beatus Concordius deo gratias agens : ipsumque glorificans expuit in faciem Iouis . Tunc unus ex eis euaginans gladium caput eius amputauit : et in confessione domini spiritum emisit . Duo uero clerici et quidam religiosi uiri uenientes tulerunt corpus eius : et posuerunt non longe a ciuitate spoletana : ubi aquæ multæ emanant : In quo loco precibus beati Concordii martyris : præstante eo pro cuius nomine passus est : cæci illuminantur . infirmi sanantur . dæmones expelluntur . Huius natalis dies celebratur calendis ianuarii .

PASSIO SANCTI CORNELII PAPAE .

Temporibus Decii cæsaris maxima persecutio orta est christianis : et præcepit Decius : ut clerici ubicumque inuenti fuissent sine audientia punirentur . eodem autem tempore detinuit Decius beatissimum papam Cornelium cum uniuerso clero eius tam præsbyteris quam diaconibus : quem præcepit Centuncelis exilio deportari : qui dum esset in exilio multi christianorum ueniebant ad eum : et consolabantur eum . Alii autem de carcere ad eum consolationis scripta mittebant . Eodem uero tempore beatus Cyprianus episcopus scripsit beato Cornelio : cum esset in custodia de Celerino lectore : qui ob Christi confessionem uerbera fuisset perpessus . Tunc Decius cæsar audito quia multi ei scriberent : etiam beatum Cyprianum iussit mitti Centuncelas : et adduci beatissimum Cornelium papam urbis Romæ : quem et præcepit noctu sibi in tellure præsentari ante templum palladis : et eum ita aggreditur dicens : Sic definisti ut || nec deos paueas : nec præcepta maiorum consyderes : nec nostris minis terrearis : ut contra rem publicam litteras accipias : et dirrigas ? Beatissimus Cornelius urbis Romæ episcopus dixit : Ego de corona domini litteras accepi : non contra rem publicam : sed magis ad animas redimendas . Tunc Decius iracundia plenus iussit ut os eius cum plumbatis cæderetur : et præcepit : ut duceretur ad templum Martis ut ei sacrificaret : Quod si non consenserit : illic capite puniatur . factum est autem cum duceretur : unus ex militibus nomine Cerealis : Cæpit rogare beatissimum papam Cornelium : ut introiret id† domum eius : quia uxor eius quinque annis in lectulo paralytica iacebat : Qui cum peruenissent ad arcum stellæ : ubi manebat : rogabant eum omnes commilitones eius : et ingressus est in domum Cerealis cum duobus præsbyteris et clerico uno . Dedit autem hanc orationem beatissimus papa Cornelius dicens : Domine deus creator omnium uisibilium et inuisibilium : qui dignatus es ad nos peccatores uenire : ut nos saluos faceres : tu errige hanc allisam famulam tuam et dona ei misericordiam tuam : sicut cæco nato donasti lumen ad agnoscendam gloriam tuam : tenensque manum Salustiæ erexit eam dicens : In nomine Christi nazareni surge : et sta super pedes tuos : sed non mea auctoritate dico : sed domini mei Iesu christi : qui fecit cælum et terram mare et omnia quæ in eis sunt : et uiuit in sæcula sæculorum : Et responderunt omnes qui aderant amen . Et protinus erexit se Salustia : clamans et dicens : Vere Christus est dei filius : Et dicebat ad beatum Cornelium papam . Baptiza me per Christum te coniuro : Et quæ erat Clynica : impleuit uas aqua : et attulit ei . Accipiens autem aquam beatissimus Cornelius benedixit : Eadem autem hora miserunt se omnes milites ante pedes eius clamantes et dicentes : Pater sanctæ redime animas nostras ut simul percipiamus sacri baptismatis emundationem . Respondens autem beatissimus Cornelius dixit eis : Si creditis corde uestro : delebuntur omnia delicta uestra . Responderunt omnes milites pariter una uoce et dixerunt ei : omnes nos desyderio desyderamus tecum mori feliciter quam uiuere infeliciter : quia modo quærimus quod uerum est deum uiuum et sanctum . | Nam ignorantes adorauimus idola uana surda et muta . Tu uero purifica animas nostras Et præcepit ut omnes flecterent genua sua : et cum lachrymis orarent : Et sic baptizauit omnes in nomine patris et filii et spiritus sancti : et obtulit pro eis sacrificium laudis . Et participauerunt omnes corpore et sanguine domini nostri Iesu christi . Hoc audiuit Decius cæsar eo quod uiginti et unus milites baptizati fuissent in domo Cereallis : qui statim mittens tenuit omnes una cum beatissimo papa Cornelio et iussit ut ducerentur ad templum Martis : et ei sacrificarent : quod si non conscenserint† : cum eo simul pariter capite puniantur : qui cum ducerentur : omnes pariter uoce clara dicebant : Gloria tibi domine deus in excelsis . Venientes autem foras muros portæ Appiæ ante templum Martis expuebant dicentes : Pereant dii dæmoniorum simul cum Decio . Eodem autem die decollati sunt una cum beatissimo papa Cornelio uiri promiscui sexus numero uiginti et unus : sed et Cereallis cum uxore sua Salustia . Eadem uero nocte : uenerunt clerici et beata Lucina cum familia sua et rapuerunt corpora sanctorum martyrum : quæ sepeliuerunt in agro suo in cripta iuxta cimiterium Calisti : Vbi etiam orationes eorum florent ad laudem et gloriam domini nostri Iesu christi : qui cum deo patre et spiritu sancto uiuit et regnat in sæcula sæculorum amen .

PASSIO SANCTORVM COSMAE ET DAMIANI .

Tempore Dioclitiani et Maximiani imperatorum sedente Clinio pro tribunali in ciuitate Aegæa quidam ex eius officio dixerunt ei : Sunt hic quidam christiani industrii artis medicæ : qui circueuntes ciuitates et uicos uarios infirmos et spiritibus immundis uexatos sanant in nomine eius : qui dicitur iChristus.† : et multa signa facientes non permittunt homines templorum sacrificiis deos adorare . Præses audiens hæc iussit : ut irent ex officio : qui compræhenderent eos : Cumque adducti fuissent : astantibus dicit eis Præses : circuitis ciuitates et uicos : et suadetis ho || minibus : ut non sacrificent diis ? dicite igitur unde estis : aut cuius fortunæ : aut qui dicimini . Sanctus Cosmas respondit : Si hoc discere uis præses : dicimus tibi cum fiducia : Ciues sumus Arabes : fortunam non habemus : nec enim est apud christianos fortuna : nec nominatur . Nomina nostra hæc sunt . Ego Cosmas dicor . frater meus Damianus . sunt autem et alii tres : si uis et illorum nomina dicimus tibi . Præses dixit : et illorum nomina dicite . Beatus Cosmas ait : Antimus . Leontius . Euprepius . præses ad officium dixit : Adducantur ante tribunal . Abeuntes autem milites compræhenderunt eos : et adduxerunt ad præsidem . Intuitus autem præses eos dixit : Audite præcepta mea . eligite : quod expedit uobis et nolite inobedientes esse : Et si meis uerbis acquieueritis : grandes honores ac magnificos ab Imperatoribus accipietis . Nam si non acquiescetis mihi diuersis modis pœnarum affligam uos : et cum multa exercuero in uos : negabitis Christum uestrum . Sancti martyres quasi ex uno ore dixerunt : Fac quod uis : Christum enim habentes adiutorem non formidamus de tuis pœnis . Nos idolis non sacrificamus : sine oculis enim sunt et sine sensu . Hæc audiens Præses : iussit eos extendi : et neruis cædi . Sancti martyres in ipsis pœnis dicebant : domine refugium factus es nobis a generatione et progenie . priusquam montes fierent : et formaretur terra et orbis a sæculo et in sæculum tu es . ne auertas nos in humilitate . Ipse enim dixisti : conuertimini filii hominum . conuertere domine : et deprecare super seruos tuos . Hæc autem orantes permanserunt intacti in pœnis . Dixerunt autem ad præsidem : Maiora horum adhuc infer tormenta : ut agnoscas fortitudinem in nos uirtutis dei esse : Quæ enim nobis intulisti tormenta : non nos contigerunt : sicut uides corpore sani astamus tibi . Præses dixit : Ego quidem sperabam uos credere : propterea non grauiora tormenta intuli uobis . Video enim uos in impietate uestra permanere : et non uelle sacrificare diis : ideo iubebo uos alligatos cathenis mitti in mare . Sancti martyres dixerunt : Fac quod uis præses . cognosecre† habes et in hoc uirtutem dei nostri . Tunc | alligauerunt omnes milites cathenis : et ducebant : ut mitterent eos in mare . Martyres uero euntes cum gaudio psallebant dicentes : In uia testimoniorum tuorum domine delectati sumus sicut in omnibus diuitiis . Et si ambulauerimus in medio umbre mortis : non timebimus mala : quoniam nobiscum es domine : uirga tua et baculus tuus : ipsa nos consolata sunt . Parasti in conspectu nostro mensam aduersus eos : qui tribulant nos . Impinguasti in oleo caput nostrum : et poculum tuum in ebrians quam præclarum est : Et misericordia tua subsequatur nos omnibus diebus uitæ nostræ . Deduxisti nos deus in portum uoluntatis tuæ . Et hæc dicentes sancti martyres peruenerunt ad locum : Et milites tollentes eos iactauerunt in mare . Confestim autem angelus domini stetit secus illos : et dirupit uincula eorum . et eiecit eos intactos . Questionarii autem cum festinatione euntes quæ contigerant nunciauerunt præsidi . Præses autem iussit eos statim adduci in conspectu suo : et dixit eis : maleficia uestra omnes uicerunt : Docete et me etiam artem uestram . Sanctus Cosmas dixit : Absit . Malefici nos non sumus sed christiani : et in nomine dei nostri uirtutem deorum uestrorum deiicimus : Et tu si factus fueris christianus : uidebis per ipsum ista omnia : et cognosces cohoperantem uirtutem Christi . Præses dixit : In nomine dei mei Adriani sequor uos : ubi eritis . Ista autem eo dicente . statim insiluerunt in eum duo spiritus mali : et erant flagellantes eum in maxillis eius per horam unam . Tunc Præses exclamauit dicens : precor uos serui dei : ut oretis pro me : ut liberer de ista pœna . Sanctis orantibus pro eo statim fugerunt dæmones : Præses autem surgens de tormentis dixit : Cognouistis quomodo dii

recalcitrauerunt aduersum me : quoniam uolui derelinquere eos : et quali castigatione tradiderunt me . Sancti autem respondentes dixerunt ei : Quomodo non cognoscis insensate : quia a deo facta est tibi misericordia : sed credis cæca et surda sanasse te idola : et deos eos nominas . Cognosce : qui præstitit tibi sanitatem dominum Iesum christum : noli confidere in illis diis : quos colis . Præses hæc audiens : et non sufferens eorum constantiam : dixit eis : Per deos quia nunquam uobis aquiescam† : sed diuersis modis cruciabo et cor || pora uestra bestiis tradam : ut discatis imperatorum obedire præceptis . Et hæc dicens iussit eos duci in carcerem : usque dum cogitaret : quid de eis faceret . Ducentibus autem eos militibus : sancti psallebant dicentes : Cantemus tibi domine canticum nouum quia mirabilia fecisti . Saluasti enim nos ex afflgentibus† nos : et eos qui nos oderunt confudisti . Memor es misericordiæ tuæ Iacob : et ueritatis tuæ domui israel . Viderunt omnes fines terræ salutare dei nostri . Et hæc orantes finierunt noctem in hymnis et orationibus . Alia autem die sedens pro tribunali Lysius iussit in conspectu suo eos astare : Cumque adducerentur dicebant : Da nobis auxilium de tribulatione domine : et uana salus hominis . In deo faciemus uirtutem : et ipse ad nihilum deducet tribulantes nos . Illi autem steterunt ante præsidem : et dixit ad eos præses : Acquiescitis sacrificare : aut permanetis in stulticia uestra ? Martyres respondentes dixerunt : christiani sumus : et deum nostrum non negamus : fac nunc quod :† uis nos enim idolis non sacrificamus . Præses autem intuitus ammirabilem sermonem eorum iussit ligna sicca afferri : et accendi ignem copiosum : et in eundem eos mitti . Ministri autem : quod eis præceptum fuerat : fecerunt cum festinatione : et miserunt eos in ignem . Steterunt autem beati martyres in medio ignis psallentes et dicentes : Ad te leuamus oculos nostros domine : qui habitas in cælis . Ecce sicut oculi seruorum in manibus dominorum suorum : et sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ : ita oculi nostri ad dominum deum nostrum : donec misereatur nostri . Miserere nobis domine . miserere nobis : quia multum repleti sumus contemptione . Mitte nobis domine adiutorium : et libera nos ab insurgentibus in nos : ne quando dicant qui te non nouerunt : ubi est deus eorum . Ita autem eis orantibus statim terremotus factus est magnus : et flamma exiliens conbussit multitudinem gentilium astantium . Martyres autem intacti exierunt ab igne : ita ut nec capillus eorum tactus esset ab igne : et sic steterunt in conspectu omnium . Præses autem stupefactus de mirabilibus quæ uiderat : stetit per horam unam : et conuocans eos dixit : Per deos quia uæhementer cogito propter uos : quomodo talem flammam artes uestræ magicæ deuicerunt . Sancti autem martyres | dixerunt : usque quo inique non cognoscis dei in nos fieri misericordiam ? Iubes enim nos lapidibus sine sensu sacrificare . istud sane cognosce : quia non recedimus a deo nostro : nec sacrificamus dæmoniis immundis . Iratus autem præses iussit eos leuari in eculeo : et cædi incessanter . Angelus autem domini stans auferebat ab eis dolorem . Quæstionariis autem deficientibus usque ad mortem iussit deponi eos de eculeo : et uenire ante tribunal . Venerunt autem : et steterunt ante eum hilari uultu : et gratia dei pleni . Præses dixit ad eos : Per deos quia non uincent me maleficia uestra : sed affligam uos diuersis modis pœnarum . Nouissime autem corpora uestra auibus tradam . Martyres respondentes dixerunt : habentes in cælo æternum regem dominum nostrum Iesum christum non pertimescimus tuas pœnas : fac quod uis . Hæc enim frequenter audisti a nobis . Tunc iratus Lysius præses iussit sanctos Cosmam et Damianum crucifigi et a multitudine lapidari . beatos uero Antimum . Leontium . et Euprepium flagellatos in carcerem duci . quæstionarii uero crucifixerunt sanctos Cosmam et Damianum . Mittebat autem populus super eos lapides : et ipsi lapides super eos redibant . Videns itaque præses ministros plagatos : amplius furore accensus : iussit quattuor milites uenire : et sagitare uiros illos . Sanctos uero Antimum . Leontium et Euprepium iussit de carcere eiectos iuxta crucem astare . Emissis autem sagittis non eos contigerunt . Nam sagittæ super mittentes reuertebantur . Intuitus autem hæc præses : et uidens se uictum in omnem uirtutem suam : Cœpit male torqueri : et iussit capita eorum gladio amputari . Statimque suscipientes eos . spiculatores perduxerunt ad locum : ubi futura erat consumatio eorum : Euntes autem martyres tamquam ex uno ore laudantes deum dicebant : Bonum est confiteri domino : et psallere nomini tuo altissime . Ad annunciandum mane misericordiam tuam et ueritatem tuam par† noctem : quia magnificasti in nos misericordiam tuam . Vir insi-

piens non cognoscet : et stultus non inteliget ea . Cum exurentur peccatores sicut fœnum : et dispergentur omnes : qui operantur iniquitatem : Populum tuum humiliauerunt : hereditatem tuam uexauerunt : Vt intereat sæculum || sæculi tu autem altissimus in æternum domine : Et hæc dicentes beati martyres extenderunt manus suas ad cælum : et orantes intra se dixerunt amen : Accedentes autem spiculatores absciderunt gladiis capita eorum : et sic in tranquilitate et pace tradiderunt deo animas suas recipientes a saluatore coronam uictoriæ . Passi sunt autem gloriosi martyres Cosmas et Damianus . Antimus . Leontius . Eupræpius . in ciuitate Aegæa quinto calendas octubres . Regnante domino nostro Iesu christo : cui et honor et gloria cum patre et spiritu sancto in sæcula sæculorum amen .

SANCTAE CRVCIS INVENTIO .

Anno ducentessimotricesimotertio post resurrectionem domini nostri Iesu christi : Regnante uenerabili dei cultore magno uiro Constantino : sexto anno regni eius : gens multa barbarorum congregata est super Danubium fluuium ad debellandum contra Romanos . Nunciatum est hoc imperatori Constantino . Congregans et ipse multitudinem exercituum profectus est obuiam ipsis et ut uidit Constantinus : quod transierant Danubium : et multitudo innumerabilis esset : contristatus ualde timuit usque ad mortem . Ea uero nocte uenit ad eum uir splendidissimus : et suscitauit eum dicens : Constantine noli timere : sed respice sursum in cælum : et uide : et intuens in cælum uidit signum Crucis Christi : et lumen clarum constitutum : et super se litteris aureis scriptum titulum . In hoc signo uinces . Viso autem signo hoc rex Constantinus fecit similitudinem Crucis : quam uiderat in cælo : et fecit antecedere signum : Et impetu facto cum exercitu super barbaros : proxima luce processit eos concidere . Timentes autem barbari : dederunt fugam per ripas Danubii : Mortuaque est ex eis non minima multitudo : Et dedit deus in die illa uictoriam magnam regi Constantino per uirtutem sanctæ Crucis . Reuersus est autem Constantinus in suam ciuitatem : et conuocauit omnes sacerdotes idolorum : et quærebat cuius dei esset hoc signum Crucis : et non potuerunt ei dice | re . Responderunt autem quidam ex eis : et dixerunt : Hoc signum cælestis dei est . Audientes autem pauci christiani : qui illic erant eodem tempore : Venerunt ad regem et euangelizauerunt ei omne mysterium trinitatis et aduentum filii dei : quemadmodum natus est : et crucifixus : et tertia die resurrexit a mortuis . Mittens autem rex Constantinus ad Eusebium episcopum urbis Romæ : fecit eum ad se uenire : Et catetizauit eum in nomine domini nostri Iesu christi . Et confortatus in fide Christi iussit ubique ædificari ecclesias Christi : templa autem idolorum destrui præcepit : Rex uero Constantinus perfectus in fide et spiritu sancto exercebatur euangeliis Christi omni fide christianorum proficiens et omni mysterio trinitatis : Cumque didicisset a sanctis ubi crucifixus est dominus : misit matrem suam Helenam : ut requireretur sanctum lignum Crucis Christi : et in eodem loco ædificaret ecclesiam . Gratia autem spiritns† sancti requieuit in beata Helena matre Constantini imperatoris : et exercebatur in omnibus dominicis scripturis : et nimiam in domino nostro Iesu christo possedit dilectiouem† . postmodum autem et sanctæ Crucis lignum exquisiuit : Et cum has scripturas legisset intente : et cognouisset de aduentu humanitatis saluatoris domini nostri et Crucis eius assumptione et a mortuis resurrectione : non est passa donec salutare Christi lignum inueniret : ubi dominicum corpus est crucifixum : Inuenit autem illud : hoc modo : uigesima octaua die secundi mensis introiuit in sanctam Hierusalem ciuitatem cum exercitu magno : Et congregauit ex impiissima turba Iudæorum non solum : qui in eadem erant ciuitate : sed ex eis qui in circuitu erant castellis possesionibus uel ciuitatibus Iudæos congregari præcepit . Erat autem Hierusalem illo tempore deserta : ita ut uix inuenirentur ad tria milia Iudeorum : quos conuocans beatissima Helena : dixit ad eos : cognoui de sanctis prophetis : quia fuistis dilecti deo : sed quia omnes repulistis sapientiam : et eum qui uolebat uos de maledicto redimere maledixistis : Et qui sputo oculos uestros illuminauit : immundis sputis iniuriati fuistis : Et eum qui mortuos uestros suscitauit : morti tradidistis : et sic simul lucem tenebras et mendacium existimastis :

Per || uenit in nobis† maledictum : quod in lege uestra scriptum est . Nunc autem eligite ex uobis uiros : qui legem uestram diligenter nouerint : et respondeant mihi de quibus interrogauero : qui recedentes cum timore multo : et inter se quæstiones facientes inuenerunt : qui dicebant se legem bene nosse uiros numero mille : quibus adductis ad beatam Helenam : dixit ad eos : Non intelexistis sermones prophetarum quemadmodum de aduentu Christi prophetauerunt ? Ergo hoc hodie uos interrogo : quod prior Moyses dixit : quia puer uobis nasceretur : et mater eius uirum non cognosceret : Et iterum laudationum conscriptor Dauid dicit : Prouidebam dominum in conspectu meo semper quoniam a dextris est mihi : ne commouear . Et Isaias de uobis dixit : filios genui : et exaltaui : ipsi autem spreuerunt me . cognouit bos possessorem suum et asinus præsepe domini sui . israel autem me non cognouit : et populus meus non intellexit : et omnis scriptura de ipso locuta est . Ergo qui sciebatis legem : errastis . Nunc autem eligite ex uobis : qui diligenter nouerint scientiam legis : et ad interrogationem meam dent mihi responsum . Militibus uero iussit : ut eos cum summa diligentia custodirent . Consilio autem facto inter se elegerunt optimos uiros legis doctores numero quingentos : Et uenientes ad reginam : steterunt in conspectu eius . Ad quos regina dixit : Qui sunt isti ? At illi dixerunt : Isti sunt : qui legem optime nouerunt : Et cœpit iterum ad eos beata Helena regina dicere : Vere uos stulti estis : qui dicitis Iesum non esse filium dei : qui legistis legem et prophetas : et non intellexistis . At illi dixerunt : nos quidem legimus et intelligimus : pro qua autem causa talia dicis domina nescimus . Manifesta nobis : ut cognoscentes respondeamus ad ea : quæ a te dicuntur . Ipsa autem dixit eis : Euntes adhuc eligite ex uobis meliores : qui cum irent : Dicebant inter se : Pro qua causa facit nobis hunc laborem regina ? Vnus autem ex eis nomine Iudas dixit : Ego scio : quia quæstionem uult facere ligni : in quo Iesum suspenderunt patres nostri . Videte ergo : nemo ei confiteatur . Nam uere destruentur paternæ traditiones : et lex nostra ad nihilum redigetur . Zacheus autem auus meus pronunciauit patri meo : et .† pater me | us iterum cum moreretur annunciauit mihi dicens : Vide fili : cum quæstio facta fuerit ligni : in quo messiam dampnauerunt : qui ante nos fuerunt : manifesta illud ante quam cruciatus fueris . Iam enim hebreorum genus amplius non regnabit : sed regnum eorum erit : qui crucifixum adorant . Ipse enim regnabit in sæcula sæculorum . Ipse est enim Christus filius dei uiui . Ego autem dixi : Pater si ergo sciebant patres nostri : quia ipse est Christus : quare manus iniecerunt in eum ? Ille uero dixit mihi : Audi fili : dum cognoscerem eius inenarrabile nomen : nunquam consiliatus sum : neque conueni cum eis : sed magis contradicebam illis : sed quia redarguebat seniores et pontifices : ideo condemnauerunt eum crucifigi : putantes mortificare immortale nomen eius : quem deponentes de ligno sepelierunt . Ipse autem post tertium diem resurrexit : et manifestauit se discipulis suis talem : qualis ante fuerat . Vude† et frater tuus Stephanus credidit : et cœpit docere in nomine eius . Et consilio facto pharisei et Saducei condemnauerunt eum : et collecta mnltitudine† lapidauerunt eum . Sed beatus ille cum animam exoneret expanssis manibus in cælum orabat dicens : Domine ne statuas illis hoc peccatum . Audi ergo me fili : doceo te de spiritu et ueritate eius : Quia et Saulus is qui ante templum sedebat et exercebat artem scenographiæ : erat persequens eos : qui in Christum credebant : qui et concitauit populum aduersus fratrem nostrum Stephanum qui scribitur in actibus apostolorum : quem dominus fecit unum de sanctis discipulis suis . Propter quod ego et patres mei credidimus in eum : quia uere filius dei est . Et nunc fili audi me : et noli blasphemare eum : neque eos qui in eum credunt . Hæc mihi contestatus est pater meus Symon . Et ecce nunc omnia audistis quid uobis uidetur : si interrogauerit de ligno Crucis ? Cæteri dixerunt : Nos talia nunquam audiuimus : qualia hodie a te dicuntur . Si ergo inquisitio fuerit de hoc ligno : uide ne tu ostendas . manifestum enim quia hoc dicis : et locum nosti . dum hæc inuicem loquuntur : uenerunt ad eos milites dicentes : Venite . uocat uos regina : qui cum ueissent† interrogabantur : et nihil iterum uoluerunt dicere . Tunc beata Helena iussit || eos mitti in ignem . At illi timentes tradiderunt Iudam dicentes : Ecce uir iustus et prophetæ filius : qui legem optime nouit domina : et quæcumque desyderat cor tuum ostendet tibi diligenter . Ad omnium uocem simul testimonium perhibentium dimisit eos : et tenuit Iudam solum : quem conueniens dixit : uita et mors proposita est tibi . unde nunc elige tibi : quid uis : uitam an mortem . Ad

hæc Iudas dixit : Et quis in solicitudine constitutus positis panibus lapides manducet ? Beata Helena dixit : Si ergo in terra uis uiuere : dic mihi ubi absconditum est præciosum lignum Crucis . Iudas dixit : Quemadmodum habetur in gestis : iam anni sunt plus quam ducenti . nos cum simus iuniores : quomodo possumus hæc nosse ? Beata Helena dixit : Quomodo attestantur generationes : cum factum est Troade bellum : et omnes commemorantur qui sibi sunt mortui : et monumenta eorum et loca scriptura tradidit ? Iudas dixit : Necessario domina quia hæc conscriptaisunt† : nos autem non habemus hæc scripta . Beata Helena dixit : certe paulo ante confessus es : quæ sunt gesta . Iudas dixit : in dubio locutus sum . beata Helena dixit : habeo uocem euangeliorum : quo loco crucifixus est . tantummodo tu ostende mihi : qui dicitur Caluarie locus : et ego faciam mundari ipsum locum : forsitan inueniam desyderium meum . Iudas dixit : Sed neque locum noui : quia nec tunc eram . Beata Helena dixit : per crucifixum quia fame te interficiam : si non dixeris ueritatem . Et cum hæc dixisset : iussit eum mitti in lacum siccum usque in septem dies sine cibo manentem : Et post septem dies exclamauit Iudas de lacu dicens : Obsecro uos educite me hinc : et ostendam uobis Crucem Christi : Cumque ascendisset Iudas de lacu : perrexit ad locum usque : et nesciens certum locum : ubi iaceret sancta Crux : eleuanit† uocem suam ad dominum : et dixit : Deus deus meus qui fecisti cælum et terram : qui palmo cælum : et pugno terram mensurasti : qui sedes super cherubin : et ipsa sunt uolatilia in aera currentia in luce : immensa : ubi natura humana transire non potest : quia tu es qui fecisti ea ad ministerium tuum sex animalia senas alas habentia : quattuor quidem ex ipsis quæ uolant ministrantes : et incessabili uoce dicentes : sanctus . sanctus . sanctus . | Duo autem ex ipsis posuisti in paradiso custodire lignum uitæ : quæ uocantur seraphyn . Tu autem dominaris omnium : quia tua factura sumus qui incredibiles angelos profundo tartaro tradidisti : et ibi sunt sub profundum abyssi a draconis fætore cruciandi : et tuo præcepto contradicere non possunt . Et nunc domine si tua uoluntas est regnare filium Mariæ qui missus est a te : nisi enim ex te fuisset : tantas uirtutes non fecisset : Nisi uere tuus puer fuisset : a mortuis eum non suscitasses . Et nunc domine fac nobis hoc : ut sicut exaudisti famulum tuum Moysen : et ostendisti illi ossa Ioseph : ita et nunc si uoluntas tua est : ostende nobis occultum thesaurum fac ab eodem loco fumum aromatum odoris suauitatis ascendere : ut et ego crucifixum credam : quia ipse est rex Israel et nunc et in sæcula sæculorum amen . Cumque orasset Iudas : statim motus est locus : et multitudo fumi aromatum et odor suauitatis ascendit de loco ipso : ita ut ammiratus Iudas plauderet ambabus manibus : et diceret : In ueritate Christus tuus saluator mundi . gratias tibi ago domine : quia cum sim indignus : non me fraudasti tua gratia . precor te domine Iesu christe immemor esto mei peccati : et annumera me cum fratre meo Stephano : qui scribitur in actibus apostolorum tuorum . Et cum hæc dixisset : accepit fossorium et cinxit se : et uiriliter cœpit fodere . Cumque foderet passus uiginti : inuenerunt tres Cruces absconditas : quas erigens tulit ad ciuitatem et interrogauit eum beata Helena quæ esset Crux Christi dicens : Scimus enim quia cæteræ due latronum sunt : et ponens eas in ciuitate expectabant gloriam Christi . Et ecce circa horam nonam iuuenis mortuus ferebatur in grabato . Iudas autem repletus gaudio dixit : Nunc cognosces domina dilectissimum lignum et uirtutem eius : et tenens Iudas grabatum : fecit hominem mortuum deponi : et posuit super eum duas latronum cruces : et non surrexit . posuit etiam crucem domini super eum : et statim surrexit : qui mortuus fuerat . Videntes autem omnes qui aderant : glorificabant dominum . Inuidens autem diabolus : cum furore uociferabat in aera dicens . Quis iterum hic est : qui non permittit me suscipere animas meorum ? O Nazarene omnes traxisti ad te . ecce et lignum tuum manifestasti aduersum me . O Iuda quid hoc || fecisti ? Non ne prius per Iudam traditionem feci : et populum concitaui impie agere ? et nunc ecce per Iudam eiicior . Inueniam et ego quid faciam aduersum te . Suscitabo et alium regem : qui crucifixum derelinquet : et meis obsequetur consiliis : et mittet te in iniquis tormentis : et tunc cruciatus crucifixum negabis . Iudas autem feruens spiritu sancto dixit : Qui mortuos suscitauit Christus : ipse te damnet in abyssum ignis æterni . Et hæc audiens beata Helena ammirabatur fidem Iude : Et cum magno gaudio collocans Crucem sanctam auro et lapidibus præciosis : fecit loculum argenteum : ubi et in ipso collocauit Crucem Christi : ecclesiamque construxit in ipso Caluariæ loco . Iudas autem accipiens

incorruptionis baptismum in Christo Iesu : præcedentibus signis ostensus est fidelis et commendauit eum Helena episcopo : qui illo tempore erat : et baptizauerat eum in Christo . Cum autem moraretur beata Helena hierosolymis : factum est : ut sanctus episcopus dormitionem in Christo susciperet . Beata Helena accersiuit Eusebium episcopum urbis Romæ : et ordinauit Iudam episcopum Hierosolymis ecclesiæ Christi . Mutauit autem nomen eius et uocatus est Quiriacus . Beata uero Helena repleta .† dei fide et intelligens scripturas ueteris ac noui testamenti : repleta spiritu sancto iterum cœpit studiosius requirere : qui in cruce fuerant claui confixi : cum quibus impii Iudæi saluatorem confixerunt : et uocans Iudam qui cognominatus est Quiriacus : dixit ei : Ex eo quod circa lignum Crucis erat : repletum est desyderium meum : accede adhuc : et in hoc precare dominum . Sanctus uero Quiriacus episcopus ueniens ad Caluariæ locum cum multis fratribus qui in domino Iesu christo crediderant per inueutionem† sanctæ Crucis : et in mortuo factum signum eleuans in cælum oculos : et manu pectus percutiens : exclamauit ex toto corde ad dominum confitens priorem ignorantiam : et beatificans omnes : qui crediderant in Christo : et qui crediturі sunt : Diu autem eo orante ut manifestaretur ei signum : quemadmodum in cruce ita et in fixoriis : in fine tandem orationis cum diceretur amen : factum est tale signum : quod omnes qui aderamus uidimus . Magna enim corruscatio de cælo refulsit : et | statim apparuerunt claui illi : qui in domino confixi fuerant tanquam aurum : ita ut omnes sine dubio credentes dicerent : Nunc cognouimus in quo credimus : Quos accipiens cum magno timore sanctus Quiriacus obtulit ad sanctam Helenam : quæ figens genua inclinauit caput et adorauit eos . repleta autem sapientia et scientia multa ualde cogitabat quid de eis faceret . Quæ cum per semetipsam non posset exquirere uiam ueritatis : spiritus sancti gratia immisit in sensum eius tale quid facere ad commemorationem generationum : quæ uenturæ erant : quod prophetæ prophetauerunt ante multas generationes . Conuocans autem uirum fidelem et disciplinatum : cui testimonium perhibebant multi dixit ei : Regis mandata custodi : et regale sacramentum exerce . Accipe hos clauos et fac eos fabricari in fræno equi regis . Erant autem hæc arma in expugnabilia contra omnes aduersarios . uictoria uero regum pax belli ut id quod dictum est per prophetam impleatur : et erit in die illa quod est in fræno equi regis sanctum domino uocabitur . Beata autem Helena dona multa dereliquit : et sancto Quiriaco in ministerium donauit : In pace commendans omnibus qui Christum dilligunt : uiris ac mulieribus celebrare commemorationem diei : in qua inuenta est sancta Crux quinto nonas maias . Quicumque uero memoriam faciunt sanctæ Crucis : accipient partem cum dei genitrice Maria : Amen .

SANCTAE CRVCIS EXALTATIO .

Postquam Constantino Augusto contra Maxentium tyramnum properanti ad bellum et ipso feciliter optinente triumphum ab Helena eius matre sancta Crux fuisset inuenta : atque per sanitatem ægroti et suscitatione mortui fuisset euidenti indicio uirtutis declarata : regina uoti compos effecta salutare lignum seccari per medium fecit : ut dimidiam Crucem Constantinopolim deferret ad filium : et aliam Hierosolymis thecis argenteis conditam reseruaret : sapienti usa consilio : silicet ut ubi fuerat membris dominicis aptata supplicio : ibidem glorificata ueneraretur a populo . multorum || itaque temporum labente curriculo : cum exigente mole peccatorum flagellari permitteret dominus populum christianum per sæuiciam paganorum : Chosroe quidam profanus et impius regnum adeptus est persarum : Qui in tantam prorumpere est ausus proteruiam : ut ab incolis uicinarum gentium quas impetu uastans barbarico suo nefando subiugaret dominio : coli se iuberet in deum : et uocari se regem regum et dominum dominantium : Nec ei hoc solum sufficiebat ad suæ damnationis interitum : uerum etiam Syriam et Palestinam cum sibi subiugasset et Aegiptum : regna quoque quæ extra et infra limitaneum glomerabantur per circulum : suo crudelissimo subiecisset dominatui : Hierosolymam aduenit : ecclesias Christi subuertit : totamque finitimam regionem uastauit : incendit : atque prædatus est . Ad sepulchrum ergo domini cum uoluisset accedere : territus rediit : sed tamen ligni salutaris partem

quam religiosa regina ibi in testimonium uirtutis reliquerat asportauit . Fecerat namque sibi turrem argenteam in qua lucentibus gemmis thronum sibi extruxerat aureum : ubi solis quadrigam et lunæ stellarum imaginem collocauerat : atque per ocultas fistulas et meatus adduxerat aquam : ut quasi deus pluuiam desuper uideretur infundere : Et dum subterraneo specu equis in circuitu contrahentibus circumacta turris fabrica moueri uidebatur : quasi quodammodo rugitum tonitrui iuxta possibilitatem artificis imitabatur . In hoc itaque loco sedem sibi parauerat : atque iuxta se quasi collegam dei Crucem dominicam posuerat : filioque suo regno tradito : ipse in fano huiuscemodi residebat . Illo itaque tempore Heraclius arcem tenebat imperii uir armis strenuus : lingua eruditus : corpore decorusi† : et quamuis sæculari actui deditus : totus tamen erat fide catholicus et erga dei cultores supplex beniuolus ac deuotus . Pergens igitur filius Chosroe contra Heraclium iuxta Danubium magnum fluuium consedit cum exercitu : Tandem inspirante diuina clæmentia saluatoris : utrisque principibus placuit : ut ipsi singuli in medio ponte fluminis dimicaturi confligerent : et cui sors uictoriam contulisset : ipse sine damno utriusque exercitus Imperium usurparet . Decretum etiam cum iuramento processit : ut si | aliquis ex eorum populo principi suo uenire in auxilium præsumpsisset : cruribus excisis et brachiis in flumine mergeretur . Cumque utrique populo hæc pactio placuisset : inuicem : ut dictum est : duo dimicantes diu multumque in pontis medio sunt congressi . Tandem pulsatus dominus lachrymis christianorum per uirtutem sanctæ Crucis : cui se die eodem memoratus princeps attentius commendauerat : fideli suo Heraclio : Christus concessit de hoste triumphum : Tantaque mentis mutatio Chosroe inuasit exercitum : ut non solum prædictam pactionem nequaquam uellent transcendere : sed etiam uoluntarii cum omni sua familia et prole Heraclio se subderent tam potestate quam fide : Quos ille benigniter suscipiens : in hoc eis præstitit clæmentiam : ut omnes ad baptismum conuolarent : Quod ita facturos se omnes pariter spoponderunt . Ipse autem christianissimus princeps cum suo tantum exercitu regna quæ Chrosroe tenuerat circumquaque perlustrans : ad sedem ipsius uenit : et cum paucis ad eum ascendit : sedentemque in throno aureo repperit : Nullus namque de exercitu fuerat : qui exitum belli nunciasset aliquatenus : quem pro suæ crudelitate superbiæ omnes odio habebant . Nec immerito quippe qui manifeste deo erat contrarius : quomodo a creatura dei poterat esse amatus : Cumque salutationis uerba tremefactus proferret Heraclio : ille respondit : Si uis salutem habere pro eo : quod lignum sanctæ Crucis quamuis indignus iuxta modulum tuum tractasti : fac quod dico : Si domino Iesu christo credere uolueris et seruum te illius promiseris esse : cuius ego sum famulus : et in ueritate confessus fueris : regnum tibi persarum tantum cum patrimonio et uitam acceptis a te paucis obsidibus dabo : Sin autem aliud egeris : meo mox gladio interibis : Cumque ille nequaquam acquiesceret : Heraclius gladio caput illius amputauit . Speliri† eum tamen iussit : quia rex fuerat . Filium autem eius baptizari mandauit : ipseque annorum descriptiones etiam regni persarum sub eius nomine fecit : Totumque argentum turris illius in prædam sui exercitus deputauit : Aurum uero uel gemmas in uasis et utensilibus ad restaurationem ecclesiarum quas tyramnus destruxerat reseruauit . Suscipiens || igitur gloriosissimum lignum Crucis quod impius asportauerat Hierosolimam detulit . gaudentes itaque omnes populi : cum ramis palmarum cereis et lampadibus uel diuerso gloriæ apparatu : cumque hymnis et canticis ei obuiam exierunt : et cum magna iubilatione exultantes : alii præcedebant : alii susequebantur† . Cumque Imperator de monte Oliueti descendens per eam portam : qua dominus intrauerat : quando ad passionem uenerat : ipse regiis ornamentis et imperialibus decoratus in equo sedens uoluisset intrare : repente lapides portæ descendentes clauserunt se : et factus est unus paries . Cumque mirarentur attoniti nimio mærore constricti : respicientes in altum uiderunt signum crucis in cælum flammeo fulgore resplendere . Angelus enim domini tenens illud in manibus stetit super portam : et ait : Quando rex cælorum dominusque totius mundi passionis sacramenta per hunc aditum completurus introiuit : non purpuratum nec diademate renitentem se exhibuit : aut equi potentis uehiculum requisiuit : sed humilis aselli tergo insidens cultoribus suis humilitatis exempla reliquit . His dictis : angelus in cælum rediit . Tunc Imperator gaudens in domino de uisu angelico depositis imperii insignibus discalciatus : protinus lanea tantum zona præcintus† crucem domiui† in

manum suscipiens : profusus faciem lachrymis ad cælum oculos erigens incedebat : quoadusque ad portam gradiens properaret . Mox illo humiliter propinquante duricia lapidum cæleste persensit imperium : Staitmque† porta se subrigens liberum intrantibus patefecit ingressum : Odorque suauissimus qui uoluntate dei prosequente diuinitus aura de persarum prouincia per longa terrarum spacia Hierosolimis fuerat lapsus : momento eodem quo de fano Chosroe sancta Crux fuerat Heraclio deferente egressa rediit : omniumque pectora ille odor summa alacritate infudit . Vincebat enim omnium aromatum suauitatem therebinti et turis naturam uel balsami atque myrræ . Confestim igitur populariis gaudii fauor in altum sublatus dei laudabat potentiam : Sicque gloriosus Augustus erumpens in laudibus ait : O Crux ammirabile signum in quo dominus noster dei filius suspensus pro nostroum† pondere criminum | mortis damnauit supplicium : et sanguis eius adorandus thronis et angelis : et niueis candoribus radianti turba uirtutum . effusus est in pretium nostræ salutis . O crux splendidior cunctis astris : mundo celebris hominibus multum amabilis sanctior uniuersis : quæ sola fuisti digna portare talentum mundi : Dulce lignum dulces claui dulcis mucro . dulcis hasta . dulcia ferens pondera . Salua præsentem cateruam in tuis laudibus hodie congregatam : tuo uexillio signatam . Hæc cum dixisset : pretiosissimam partem ligni quam secum detulerat loco suo restituit . Tunc renouante deo antiqua miracula die eodem mortuis† unus recepit propriam uitam : Paralytici quattuor adepti sunt sanitatem amissam . leprosi decem cutem receperunt mundam : Quindecim quoque cæci restituti . Plurimi a dæmonibus erepti multique sunt a uariis infirmitatibus liberati : Tunc Imperator oratione peracta offerens multa dona : ecclesias dei reparari fecit ex regiis sumptibus reddens priuilegia auctoritate prolata : restituens captiuorum propria dans opportuna præsidia . Constantinopolim rediit frætus uirtute diuina : Perseuerante in sanctæ Crucis signaculo miraculorum plurimo incremento : Donante domino nostro Iesu christo : Cui est honor et gloria cum patre et spiritu sancto omnipotente deo : per omnia sæcula sæculorum Amen.

PASSIO DECEM MILLIVM MILITVM CRVCIFIXORVM .

Sub Adriano et Antonino passi sunt una die ad nouem millia martyrum : quorum gesta uidetur Anastasius apostolice sedis bibliothecarius de græco transtulisse in latinum eloquium . Igitur præfati Imperatores audito quod Gadareni et Euphratenses rebellare cœpissent : irati contra hostes castrametati sunt habentes in exercitu suo nouem et septem millia militum robustorum idest sedecim millia . Simulacra quoque Iouis et Appollinis : quibus adipisci se posse uictoriam confidebant : sed cum cernerent hostium multitudinem permaximam : erant enim centena millia : timore perculsi cum septem millibus militum || tantum fugam arripiunt . Tunc Primicerius nomine Achacius et Heliades dux conuersi ad nouem milia dixerunt : Venite et sacrificemus diis nostris : ut per eos de hostibus nostris triumphemus : quibus hœdum unum sacrificantibus abundantiori formidine consternati sunt : ita ut impetum fugæ arriperent . Tunc angelus domini in specie adolescentis ante facies eorum accurrit : et dixit eis : Cur sacrificantes diis uos pauor inuasit : et fugere conpulit ? Credite Iesum christum dei filium immortalem regem : et ipse pugnabit pro uobis . Cum hæc et alia dixisset : inito consilio ut rationem adolescentis probarent : omnes exclamauerunt dicentes : In te domine Iesu credimus : et ea quæ nobis iste iuuenis reserauit : in tuo nomine nos facturos esse promittimus . Tunc hostes impetum facientes angelo suis auxilium ferente cuncti deciderunt : multique in lacu proximo perierunt : alii uero præciptio† interierunt . Angelus autem domini deduxit sanctos in uerticem montis Ararath : qui distat ab Alexandria quasi stadiis quingentis gloriantes in potentia dei . Sedente angelo in medio eorum aperti sunt cæli et descenderuut† inter ipsos septem angeli docentes eos atque dicentes : Beati estis : qui credidistis deo uiuenti . Post tertium diem quæremini : et in conspectu regum deducemini . ne timeatis eos : quia deus uobiscum est . His dictis ab oculis eorum ablati sunt . At illi timore correpti : peccata uoce sua confitebantur . Post tres dies missi quidam ab imperatoribus ad perquirendum eos peruenerunt ad montem : in quo erant . Et audientes eos glorificare deum :

agnouerunt quod christiani essent . Quod cum imperatoribus renunciassent : illi nimio dolore consternati super capita sua cinerem imposuerunt . Et quinque diebus lugentes a cibo et potu abstinuerunt . Post scripserunt epistolam quinque regibus silicet Sapori . Maximo . Adriano . Tiberiano . et alii Maximo ut ad se uenirent : et quid super huiusmodi hominibus agendum esset secum pertractarent . Tunc illi congregantes exercitum magnum : ueniunt : et primo quidem idolis uictimas immolauerunt . post hoc reficientes corpora nouos Christi milites perquirere satagebant . Missi itaque quidam montis uerticem conscenderunt : in quo | sancti deum colebant exorantes : Quos ubi illos uenientes ad se conspexerunt : Achacius dixit cæteris ut surgerent : et contra diaboli exercitum orationi operam darent . Illis itaque ceruices inclinantibus : et poplite flexo deum orantibus eique laudes et gratias referentibus : uox e cælo elapsa est dicens : Audiui quæ petistis : Ne paueatis eos : qui occidunt corpus : Ego enim dominus uobisum† sum confortans uos . Hæc audientes gauisi .† sunt in domino : Ad quos accedentes milites regum dixeeunt† : Miserunt nos reges et Imperatores ad uos : ut ueniatis ad eos . Tunc omnes de monte descendentes in conspectu regum steterunt spem integram habentes in Christo domino . Videntes autem eos reges lachrymati sunt . Adrianus uero causam uel modum quo derelinquentes deos in crucifixum credidissent interrogauit . Et beatus Achacius ex ordine rem enarrauit . Tunc Adrianus furibundus ait : Quia uos omnes Christo creditis : proculdubio pœnas illius sustinebitis . At illis minas eius contemnentibus iussit eos lapidibus obrui : qui cum lapidarentur : lapides in facies lapidantium uertebantur . Post hæc Imperator iussit eos flagellari : qui cum cæderentur : dixit quidam eorum nomine Draconarius germanus Achacii et Heliadis : Orate pro nobis uiri sancti : quia grauia sunt tormenta : quæ patimur . Cui dixit Achacius : Perseuerate fratres in hac confessione : quia qui perseuerauerit : hic saluus erit . Cumque orassent : factus est terremotus : et mox arefactæ sunt manus flagellantium . Erat autem ibidem in exercitu regis Maximi magister quidam militum Theodorus habens sub se mille milites qui huius miraculi stupore perculsus exclamauit : Domine deus cæli et terræ qui opem misericordiæ tuæ nouem millibus contulisti : dignare nos connumerare peccatores cum sanctis martyribus tuis . hæc dicens et uocem in signum subtolens cum suis mille ad sanctos dei se transtulit : sicque deus omnipotens palmitum decem millium numero compleuit uineam suam . Maximus itaque dixit : O imperatores quantam pro uobis patior iniuriam . Cui Adrianus ait : Patienter ferre te oportet O rex : Qui enim exercitum meum abstulit : et tuum ademit . Maximus autem conuersus ad sanctos ait : Au || dite me decem mille uiri . hortor uos : ut sacrificetis : et iram meam effugiatis : ne male pereatis . Cui dixit Achacius furor pulicinus non prævalet aduersus ceruicem taurinam . Deum habentes uiuum nil tui curamus . Tunc Maximus furens iussit multitudinem clauorum trigenorum acutissimorum fieri : et spargi per stadia uiginti : ut exercitus dei super eos nudis plantis incederet . At angeli a deo missi ante eos incedebant coaceruantes clauos in tumulum unum : ne pedibus eorum infigerentur . Maximo uero iubente ut instar Christi paterentur : ministri acutissimis calamis eorum latera aperuerunt : et in capitibus singulorum coronas spineas posuerunt . Tandem data sententia in monte Ararath crucifixi sunt . Tunc sanctus Heliades primicerio Achacio dixit : ut exponeret crucifixis de fide aliquid : Qui cum fidem sanctæ trinitatis et uerbi incarnati exposuisset : hora septima diei terra mota est : et petræ scissæ sunt : et sancti pro his qui memoriam passionis eorum cum ieiunio et silentio celebrarent orationem fuderunt : Et respondentibus omnibus amen : uox de cælo facta est dicens : orationem eorum esse exauditam . Igitur circa horam nonam animæ sanctorum ad cæli palatia translatæ sunt : et aperti sunt cæli

Lumen et emicuit tunc supra corpora sancta .
Mox et enim dominus præmisso lumine cæli .
Affuit in terris stipatus rite choreis .
Sanctorum medio perstans in uertice montis .
Lætantur sancti tanto solamine septi .
Rursus mons fremuit concussus funditus omnis .
Fixa stipitibus mox soluuntur corpora duris .
Angelicis manibus fiunt telluræ sepulchra .
Et cuncti propriis conduntur monte locellis .

VITA SANCTI CAVRANNI MARTYRIS .

Sanctus Caurannus romano territorio oriundus cum beato Dionisyo† diutissime fuerat eruditus : qui a beato Clemente Parrhisios est directus . Quique cum in littore maris graderetur : nauem onustam reperiens in eam ascendit . et ecce ab orientali plaga dira grando prodiit . Nauis autem undarum procellis iactabatur : ita ut omnes qui aderant periculum mortis adesse clamabant . Statimque uir dei | oculos in cælum intendens signum Crucis contra uentorum rabiem exhibet : magnaque tranquillitas subito facta est : ita ut ethinci† qui aderant accipientes ab eo fidei signaculum crederent in Christum . Cum autem peruenisset ad quandam insulam ubi templum Veneris habebatur : et spurcissimo ritu cum multitudine populi annua festiuitas celebratur : Ecce sacerdotis filia grauiter a dæmonio arrepta : eiulare cœpit et clamare per compita Caurannum Christi famulum aduenisse eiusque occursui se debere præparare : Et cum ante uirum dei uenisset : dæmoniaca multitudo per os eius clamabat : Cur serue dei antiquis sedibus auellere nos uenisti ? Huius quippe terræ populus fidem Christi non habet . Videnque uir dei puellam grauiter uexari : sub trinitatis nomine eam liberauit expulso dæmonio . Quod uidentes cuncti qui prestigiis dæmoniace insultationis detenti aderant : festinanter ad dei famulum confluebant Christi signaculum postulantes . præterea per diuersas maris insulas quicumque a dæmonio uexabantur amentius clamabant famulum dei aduenisse : eumque festinanter adiri debere . Et quicumque accedebant reparata sospitate fugatis spiritibus ad propria redibant . Cumque pro his signis ab omni populo honoraretur : timens ne uentus :† humani fauoris subriperet : quod in cælo humilitas collocabat prospero .† cursu Masssiliam† : petiit . ubi parum commoratus multos ab idolorum cultura reuocauit et in fide Christi solidauit . Post uero ad Carnotum urbem illustrandam accessit : ubi a paucis christianis qui ibi erant suscepit : multos quoque ab idolatria conuertit . cum autem iter carperet sex ab urbe miliario occurunt ei filii Belial armati : putantes eum plurimam ferre pecuniam . statimque omnibus suis fugientibus inimicis persequentibus Ipse solus remansit intrepidus : malensque mori quam fratres suos perire . Altius clamare cœpit : Nolite homines nolite perdere innocentes . pecunia quam quæritis en habetur mecum . Tunc ad eum illi reuersi rogabant ut proderet : quibus ipse tantum unum solidum quem sibi pro uiatico reseruauerat ostendit . Reliqua enim omnia pauperibus errogauerat . Tunc illi putantes se ab eo illusos : euaginato gladio ceruice ultro subdita caput eius amputauerunt : Sicque migrauit ad dominum : cui est honor et gloria in sæcula sæculorum amen . ||

PASSIO SANCTI CYRIACI MARTYRIS .

Cyriacus a Marcelo papa diaconus ordinatus compræhensus et ad Maximianum deductus est : iussusque cum sociis suis : ut terram foderet : et ad locum qui ibi construebatur suis eam humeris deportaret : ubi erat sanctus Saturninus senex : quem Cyriacus et Sisinius ad terram deportandam iuuabant . Tandem in .† carcerem reclusum præfectus iussit Cyriacum præsentari : cum uero eum Apronianus educeret : subito uox cum luce de cælo ueniens dixit : Venite benedicti patris mei et cætera . Et tunc Apronianus credidit et baptizari se fecit : et ad præfectum ueniens confitebattur† Christum uenisse : Cui præfectus : Nunquid christianus factus es ? Qui respondit : uæ mihi quia perdidi dies meos . Quare iussit eum decolari . Saturninus autem et Sisinius cum sacrificare nollent diuersis suppliciis affecti tandem decollati sunt . Filia autem Dioclitiani nomine Artemia cum a demonio uexaretur clamabat in ea dæmon dicens : non exeam nisi Cyriacus diaconus ueniat : Vnde ad eam adductus Cyriacus cum dæmoni imperaret : respondit : Si uis : ut exeam : da mihi uas aliquod : in quod intrem : respondit Cyriacus : Ecce corpus meum si potes ingredere : Cui dæmon : In uas tuum intrare non possum : quia undique est signatum et clausum : sed si eii-

cis me : scito quia in Babyloniam faciam te uenire : et cum coactus exisset : Artemia clamauit dicens : quod deum quem prædicat Cyriacus uideret . Cum ergo illam Cyriacus baptizasset : et ex gratia Dioclitiani Serenæ uxoris eius in domo quam ei dederant securus uiueret : uenit nuncius a rege persarum ad Dioclitianum rogans ut ad se Cyriacus mitteretur : quia filia sua a dæmone uexabatur . ad preces igitur Dioclitiani Cyriacus cum Largo et Smaragdo naui impositis necessariis in Babyloniam iuit lætus . Cum ad puellam peruenisset : dæmon per os eius clamauit dicens : fatigatus es Cyriace . Respondit non sum fatigatus sed ubique dei auxilio gubernatus . ait dæmon : Tamen | ad quod uolui te perduxi . Tunc Cyriacus dixit dæmoni imperat tibi dominus Iesus christus : ut exeas : et statim exiens dæmon dixit : O nomen terribile quod me coarctat exire : et sic sanatam puellam cum patre et matre et multis aliis baptizauit . Cum autem multa sibi munera offerrentur recipere noluit : sed quadragintaquinque diebus in pane et aqua ibidem ieiunans : tandem Romam adiit . Post duos autem menses Dioclitianus defunctus est : Cuius successor ob Artemiam iratus Cyriacum compræhendit : et nudum cathenisque ligatum ante currum trahi iussit . Deinde iussit Carpasio uicario : ut ipsum cum sociis sacrificare compelleret : aut diuersis suppliciis occideret . Et cum picem super caput eius liquasset : et eculeo suspendisset : fecit Cyriacum cum omnibus suis sociis decollari circa annos domini trecentos . Carpasius autem cum domum sancti Cyriaci impetrasset et ad derisionem christianorum in loco ubi Cyriacus baptizabat se balnearet : et epulas cum decem et nouem sociis celebraret subito omnes mortui sunt : Et extunc clauso balneo gentiles christianos timere et uenerari cœperunt .

PASSIO CVIVSDAM CELSI ROMANI ET ALIORVM CONSORTVM MARTYRVM .

Temporibus Dioclitiani et Maximiani in ciuitate Antiochiæ : quæ est metrepolis Mesopotanie† Siriæ Vi persecutionis inualescente præfata ciuitas Marciani præsidis iussu coacta est ut unusquisque in domo sua imaginem Cesaris errigeret . Audiens præses Iuliani fidem et quia multos haberet socios : qui se magis pararent ad mortem quam idolis immolarent : iratus misit assessorem suum ad eum : qui perrexit ad locum ubi Iulianus deo uacabat : ubi etiam multitudo christianorum et ministrorum ecclesiæ confugerant rabiem persecutionis declinantes : omnes tamen ad mortem parati . Audiens Iulianus illum esse præ foribus ait ad sanctam congregationem : Nunc fratres oremus : quia persecutores appropinquant : Tunc assessor || iudicis sic prorupīt† : puto te non latere Iuliane sacratissimorum principum decreta : ut una sit apud homines cultura . Cui ille respondit : Audiant principum iussa qui eis militant . Nos autem qui regem in cælis habemus : terrenum principem non audimus . Quod cum assessor præsidi renunciasset : iratus ille : iussit Iulianum solum audientie suæ reseruari : multitudinem uero sanctorum in eodem loco ubi degebant consumi . Quod et factum est . In quo loco talis gratia a deo collata est : ut omnes prætereuntes quos certa psallendi tempora inuenirent : ita psallentium multitudinem audirent : ut quacumque infirmitate possessi sani abscederent . Tunc iussit Martianus Iulianum sibi præsentari et ei dixit : Tu es Iulianus præceptorum principum rebellis : deorum contumax : qui innocentium multitudines magicis artibus tibi aggregas : et omnium mentes immutas : qui respondit : deos quos colitis dæmonia esse manifestum est : qui perdere sibi credentes possunt : et liberare non possunt . Hoc audiens præses tortoribus suis clamauit : hunc ad uerbera extendite : fustibusque nodosis et rigidis omnia membra eius dissipate : quod cum fieret unus de cædentibus militibus Cæsaris : dum percuteret : oculum amisit : Quod uidens etiam Martianus cum metu ait : Tantum ars tua magica ualuit : ut tu nihil sentias : oculos aliorum euellas? Cui ille : morbidus et cæus† erras . Conuoca omnes deorum tuorum probatissimos sacerdotes : et inuocent numina sua snper† oculum euulsum : et restituant cultori suo uisum . Quod si non potuerint : ego nomen domini Iesu christi inuocabo : et oculum euulsum restituens illuminabo . Hac ratione confusus præses omnes pontifices adesse iussit : et

ait : ite et immortales deos sacrificiis optimis honorate : et homini necessario oculum formantes : rebelli Iuliano uirtutem suam ostendant : et ipsum culturæ suæ inclinent. Ingrediuntur ergo lapides ad lapides iussa implentes : qui cum dæmonia in templis appellarent . hoc acceperunt responsum : Discedite a nobis igni perpetuo mancipatis . Nam tantum ualent preces Iuliani ad dominum : quod a die qua ad patibulum apprehensus est : pœna nostra cen | tuplicata est : et cum in tenebris clausi teneamur : quomodo uisum reddamus : quem non habemus : Hoc responsum accipientes egrediuntur falsa dicentes : Beatus uero Iulianus quem nihil latebat : oratione facta dixit ad præsidem : Martiane festina . uocant te dii tui licet non uoluntarii sed inuiti : qui cum ingrederetur ianuam templi : uidit omnia simulacra ex omni metallo sculpta : quæ amplius quam quinquaginta erant comminuta et in puluerem redacta : et cæcatus a diabolo clamare cœpit : Oh maleficia quæ sic prævalent : ut et deorum uirtutes superent : et pretiosa numina in puluerem redigant . Sed hic deorum patientia laudanda est : qui ad hoc iniurias sibi irrogatas sustinent : ut rebelles patiendo sibi subiiciant . Nunc O Iuliane qui patientissimos deos te superasse gloriaris promissum imple : et in nomine Christi quem colis extinctum oculum restitue . Sed ne hoc magicis artibus exerceas : lotio te iubeo perfundi ; per quod omnia maleficia cognoscuntur fugari : Cumque eum perfunderent putens lotium : † Christus conuertit in odorem nectareum : ut non lotio sed balsamo putarent perfusum : Tunc sanctus super euulsum oculum crucem faciens : et nomen domini inuocans . statim eum restituit : et ille qui oculum recepit clamauit . Verus deus Christus . ipse solus colendus est et adorandus : Quem talia prosequentem præses ut audiuit : statim gladio puniri iussit† . Christus sibi martyrem consecrauit : Iulianum autem diuersis pœnis afflictum et uinculis ferreis per omne corpus oneratum : iussit præses sub uoce præconia circuire ciuitatem dicens : hæc merentur deorum rebelles et principum contemptores . Et cum uenirent ad locum : ubi Celsus filius Præsidis unicus studebat : ait puer ad condiscipulos suos : Rem inauditam uideo illum scilicet christianum quem ducunt : et multitudinem albatorum cum illo loquentem : et super caput eius coronam ex gemmis et auro : cuius fulgor obcæcat huius aeris lucem : et alios tres uiros albescentibus comis alarumque uolatu in similitudinem aquilarum super eum excubias celebrantes . Et hoc mihi uidetur : quia dignum est tali deo seruiri : qui suos sic tuetur : et tali circundat decore . Hoc audientes condiscipuli et magister eius turbati || sunt : et blande corripientes eum ab intentione conati sunt reuocare . At ille doctorum uolumina proiecit et uestes quas indutus erat abiecit dicens : Nudum me mater fudit huic sæculo : quod mundi est mundo relinquo . Hoc dicens per plateas ciuitatis cursum arripuit : donec ubi sanctus Iulianus torquebatur ueniens pedibus eius prostratus ait : Te secunde natiuitatis quam mihi Christus ostendit patrem agnosco . Martianum uero genitorem meum ueritatis inimicum abnego et despicio : tibique adherens similia opto pati pro Christo . hoc uidentes pœnarum ministri præ stupore tacebant : de tota ciuitate ad spectaculum omnes concurebant : et præsidis filium sic martyri adhærentem : et uulnera eius osculantem obstupescebant . Hoc audientes eius parentes tabuerunt : filiumque suum a Iuliano segregatum sibi restitui præceperunt . At dei misericordia martyris precibus affuit : ut si quis eum uellet a sui complexu seperare : statim manus eorum et brachia contraherentur . Tunc iussit præses eos simul ad se perduci : quo facto ait Iuliano : Spei meæ fructum magicis artibus auferre contendis : et tenerum pectus illicitis carminibus genitorum affectum negare compellis . Hoc eo dicente aduenit et mater cum innumerabili familia : crine soluto et nudatis huberibus clamans : Quod uidens Præses scissis uestibus et lacerata facie ad Iulianum clamabat : Iuliane crudelis aspice dolorem patris et matris et planctum tantæ familiæ et a magicis artibus innocentem solue : ut et ego pro te imperatoribus suggeram : ut culpa uacante abscedas : Cui ille respondit : Suffragiis tuis opus non habeo : nec ab imperatoribus tuis dimitti desydero : Sed hoc dominum rogo : ut una cum agno isto de luporum uisceribus nato suscipiar in sanctorum numero . Ecce adest : qui ex te natus est : modo mecum credendo renatus est : Ipse tibi et matri responsum suum det . Ad hoc puer respondit : de spinis odorem suauissimum : nec frutex quæ rosas genuit amittit aculeos spinarum suarum : ut ergo consuestis pungite : et me odorem suauitatis credentibus propinare permittite : uobis obediant : qui perire parati sunt me imitentur : qui de tenebris ad lucem transire contendunt . Ego pro | Christo uos parentes nego : et per temporalem mortem

uitam æternam acquiro : non possum in uos pius esse : et in me crudelis : Quid moraris quasi incredulus et crudelis paternis manibus non quasi uerus Abraham appræhende gladium : et uictimam offer filium . Vani sunt uultus uestri falsæ lachrymæ : ab hac confessione pietatis nullus me ualebit disiungere . Martianus ergo iussit eos in carceris ima retrudi : ubi de damnatorum membris diuturna tabe consumptis horribile uermium ebulliebat examen . Sed illos ingredientes gratia dei præcedens : locum horribilem reddidit delectabilem : tenebras conuertit in lucem : et ebulliens pœna euanuit . Hoc uidentes milites circiter uiginti : qui eos custodie mancipandos adduxerant : conuersi ad inuicem dixerunt : Turpe est reuerti ad illud : quod fuimus : et negligere salutem : quam inuenimus . Tunc ad pedes uoluuntur sancti Iuliani confitentes et laudantes nomen Christi . Sanctus uero Iulianus gratias agens orabat dominum : ut procuraret : qualiter illi quos Christo acquisierat susciperent baptismum . Erant autem septem filii relicti prioris ciuitatis : qui ex genere Garini imperatoris defuncti descenderant : quos Imperatores licet christianos amore patris eorum retinentes permiserant sine aliqua persecutione christianæ religioni deseruire . Et secum habebant præsbyterum : qui eis sancta mysteria celebrabat . Hi ergo iussu diuino cum præsbytero carcerem petierunt : quatenus baptismi gratiam pueri et milites susciperent . Statim obediunt et angelo domini præeunte ad carcerem ueniunt : qui mox ut tetigit ianuas carceris omnia claustra patefacta sunt : et orantes simul cum beato Iuliano domino persoluerunt uota . Hoc audiens Martianus contremuit : et eductis eis de custodia dixit : Quid uobis contigit O infantuli : ut optetis mori sine aliqua persecutione : quibus concessum est arbitrio uestro uiuere : et deum uestrum colere . Ad hoc factum senior respondit : Massa auri naturæ suæ claritatem obtinet : sed nisi per manus artificis etiam igne et malleo et limis in partes dissipetnr† : dignum capite regis Dyadema non perficitur : ita et nos quidem christiani || sumus : sed nisi Iuliani uestigia secuti fuerimus dyadema regis æterni esse non possumus . Tunc eos præses in custodiam reduci iussit : et imperatoribus suggestionem fecit dicens : piissimi principes legibus uestris subuenite et numinibus :† quæ remanserunt iuuamina præbete : et Iulianum magum uestris obtutibus præsentate : qui magicis artibus simulacra deorum per quos mundus floret filium meum a me seperauit : militum mentes immutauit : septem germanos beneficiis uestris ingratos fecit . Tunc Imperator concessit : ut si Iulianus cum sociis suis in hac confessione permaneret : conuocata omni prouincia singulas cupas iuberet præparari : atque intus picem et bitumen sulphurque mitti : ac singulos in illis reclusos igne superposito concremari . Quod si aduersus hoc artis magicæ carmen præualeret : posset qnali† pœna uellet eos affligere . Tunc præses iubet sibi sedem in foro parari : et sanctos sibi præsentari : Cumque sanctum Iulianum alloqueretur : corpus exanimæ per plateam sepeliendum ferebatur . Tunc præses iubens illud deponi ait Iuliano : Magister uester Christus antequam crucifigeretur dicitur : quod mortuos suscitauit : hic patebit quod uerus deus sit : si uos istum suscitaueritis : Cui ille respondit : Quid prodest cæco : quando sol oritur ? Licet autem infidelitas uestra non mereatur : tamen quia tempus est : ut uirtus domini manifestetur ne nos impotentes putes : fidele promissum domini habeo : quia quidquid eum petiero : non me fraudabit . Tunc sanctus fusa oratione coram omnibus ait ad corpus : Tibi dico terra arida in nomine ipsius qui lazarum quatriduanum suscitauit surge . Tunc surgens qui mortuus erat clamabat : O acceptabilis oratio quo ducebar : et unde reductus sum . Martianus irridendo ait : unde redisti ? At ille : ducebar a quibus nescio æthiopibus : quorum statura erat ut gigantum : aspectus horrendus : oculi ut fornaces ignis : dentes ut leonum : brachia sicut trabes : ungues ut aquilarum : qui lætantes ducebant me in infernum : et cum iam ad os putei abyssi essem : beato Iuliano fundente orationem : omnis infernus contremuit : et audita est uox dei dicentis : propter dilectum | meum Iulianum anima ad corpus redncatur† . Tunc aduenientes duo albati et aufferentes me de dominatione impiorum : huic loco reddiderunt : ut per eum qui suscitauit me : post mortem illum agnoscam : quem uiuus negabam . Hoe† eo dicente turbatus præses : iussit eum cum sanctis in custodia recludi : et pœnam quam imperatores iusserant parari . Tunc pro tribunali sedit : omnisque sexus et ætas ad spctaculum† cucurrit : ordinantur triginta et una cupæ mediante pice bitumine sulphure : aggregatur copia lignorum . iubentur sancti de custodia produci : sanctum Iulianum et Celsum puerum

eadem uincula tenebant : cæteri uinculis et cathenis onerati trahebantur : hymnum deo omnes canebant : Bonum mihi quia humiliasti me : ut discam iustificationes tuas : spectantium mentes ad flætum conuersas pietas inclinabat . Tunc Celsus ait ad patrem suum : per ipsam uanitatem quam colis : te obtestor : ut intrepido corde petitioni meæ tribuas effectum : qui respondit quidquid uolueris exposce : puer dixit : cum me post ignem uideris illæsum : permitte me cum matre triduo habere consilium . Quod si feceris nec me nec ipsam amittes . Mater hoc audiens urgebat hoc fieri . Tunc præses ait : Si ex igne illæsus exieris : quod fieri non credo : faciam quod desyderas . Tunc non ferens uidere incendium filii relicto assessore : scissis uestibus hululans cum uxore domum reuertitur : exurgit luctus immanis : plangentibus cunctis iubet assessor singulos sanctos in singulas cupas deponi : et ignem supponi : et eructans flamma obelisco excelsior cubitis plus quam triginta leuabatur . de medio uero ignis multitudo psallentium quasi sonus aquarum multarum resonabat . consumpto igne apparuerunt sicut aurum rutilans deo canentes hymnum : Transiuimus per ignem et aquam : et eduxisti nos in refrigerium : et iterum ignis uim suæ uirtutis oblitus est . Audiens Præses properauit ad spectaculum : et ait ad Iulianum : Obsecro te per deum tuum : ut dicas mihi unde tantam uim maleficiorum tuorum didicisti : qui respondit : Si quis in omnibus actibus sæculi alienum se facit : ut solam uocem domini audiat dicentis : Si quis uult uenire post me : abneget semetipsum : nihil || amori Christi præponat : nihil aliud nisi quod ipse promittit desyderet : non patrem non matrem non filios nec cætera quæ sunt animæ impedimenta consyderet . talis non solum hoc tempore degens hanc merebitur gratiam : sed æternam cum deo collocat amiciciam . Præses ait : et quis est tam insipiens : qui huius uitæ læticiam fugiat ? Iulianus respondit : hoc deus paratus est omnibus dare : sed pauci digni sunt accipere . Porro Celsus ait : hoc triduo matre mihi concessa nulli liceat interesse . Tunc sancti martyres recluduntur in custodia ciuili una cum matre pueri . Ingressique cum orationem funderent : statim commotus est locus . splendor emicuit . odor consuetus affuit : et uox psallentium insonuit . Hoc uidens et audiens mulier clamauit : Nunquam in uita mea tam suauem odorem comperi . Nam ita refecta sum : ut omnium dolorum meorum oblita sim : nec aliud cordi meo manere cognosco . nisi ipsum esse uerum deum : pro quo filius meus in agone contendit . Cui puer dixerat : Vere nunc te matrem confiteor : nec tu amittes filium nec ego matrem : si mecum ad illud contendas donum : pro quo sancti tanta sustinent . At illa cuius pectus diuina illustrauerat gratia respondit : Scias fili mi : me nihil eius amori præponere : quem tu diligis : pro qua re quidquid saluti meæ necessarium cognoscis exerce . Ipsum enim relicta omni uanitate uerum deum esse credo : quem per tuam prædicationem creatorem omnium esse cognosco . cupiens hac uita temporali careere† : ut ad illam æternam merear uobiscum attingere : Hoc ea dicente locus contremuit : et audita est uox in aere dicens : Credidi propter quod locutus sum . Tunc sanctus præsbyter Antonius baptizauit eam : Cui Celsus filius in baptismi gratia pater factus est : Cumque omnes de salute eius lætarentur : audita est uox dicens : uiriliter agite : et confortetur cor uestrum in domino . Tunc sanctus Iulianus ait : Hæc uox pronunciat nobis futuras passiones et genera tormentorum : quæ contra nos cogitauit inimicus . Igitur fidei nostræ cursum domino commendemus . Audiens Martianus uxorem suam chrsti† amore esse firmatam iratus iussit eam appræhendi : et domi retineri : ad quam cum appropinquarent | ministri cæci facti sunt . Alia die sedens pro tribunali iussit uiginti milites decollari : septem germanos igni tradi . Iulianum uero cum præsbytero Antonio matrem et filium et illum quem infernus reddiderat iudicio suo reseruari . Alia die conuocans sacerdotes templi dixit eis : Ite et ornate templum Iouis : quod semel in anno aperiri solet : ubi numina sunt ueneranda ex electro puro facta . Et libationes et tura præparate : Quod cum factum esset : ad templum iussit sanctos adduci : et ait : Ecce nunc tempus aduenit : in quo salutem consequamini : Hoc enim pro salute uestra elegi : ut in hoc templo terribili tura numinibus offeratis . Quod si istos contemnitis : hucusque uobis perperci† : diuersa in uobis tormenta exercebo : Iulianus ait : Quia tempus est : ut salutem consequamur : fac omnes deorum tuorum cultores aut sacerdotes intus adesse : ut cognoscant : quale sacrificium offeramus . Præses non intelligens : quo ordine ista prosequeretur : gaudens iussit omnium uincula auferri dicens : Turpe est uinculus† teneri : quibus dii cœperunt esse propicii . Ait autem : Ecce omnia parata

sunt : implete quæ spospondistis† : Cui Iulianus ait : Quid præcipis præses : ut omnibus diis offeramus sacrificium ? Qui respondit : Omnes quos conspicis immortales sunt uirtute pares et in gloria æquales . Tunc fixis genibus Antonius et Iulianus cum sociis suis ait : Deus æterne qui non in manufactis delectaris : sed in corde mundo requiescis : qui per prophetam dixisti : Omnes dii gentium dæmonia : aspice nunc in subuersione templi huius : et has dæmonum thecas cultorumque eorum frange audaciam : ut te solum cognoscant : et in te glorientur : qui credunt nomini sancto tuo . Et cum omnes christiani dixissent : amen : omnia sculptilia illa ad nihilum redacta sunt : et templum subuersum est . Sacerdotes uero circiter . M . cum templo dimersi sunt . et alia etiam magna pars paganorum interiit . Ignis quoque usque hodie in loco illo eructat . Tunc præses ait : O uirtus magica O carmen inauditum sic prævalens ut etiam terre sinum aperiat et tanta bona ab oculis pie fruentium auferat . Iam non miserebor nec eos iubeam feriri gladio de pœna eorum me || satiabo . Iussit ergo sanctos in carceris ima recludi : ubi cum nocte in dei laudibus essent : affuit multitudo sanctorum cum sacerdotibus : qui iam palma martyrii triumphauerant omnesque stolis albis induti erant : inter quos uiginti milites et septem Germani ueniunt glorificati : et beata Basilissa cum choro uirginum : in qua multitudine sola uox alleluia declarabatur . Tunc sancta Basilissa sanctum Iulianum his uerbis alloquitur : Regna cælorum patefacta sunt uenite . Altera die Martianus cogitans noua et inaudita tormentorum genera : iussitque sanctorum digitos manuum et pedum oleo madentibus lignis colligari : et ignem supponi . Sed lignis consumptis carnem eorum immaculatam uidens : iussit sancto Iuliano et Celso cutem capitis auferri . Antonio uero uel Anastasio quia mortuus suscitatus fuerat clamantibus : Gloria tibi Christe : iussit oculos uncis ferreis effodi . Martianillam uero matrem pueri quam scierat pœnas tolerare non posse cum eculeo iuberet applicari : Si quis ex ministris ad eam attingebat cæcus :† fiebat . Sanctos quoque suos dominus ita curauit : et illuminauit : ut omnibus apparerent quasi nihil perpessi fuissent . Tunc exclamauit præses : Heu heu uincimur . Quid aliud faciam ? unum superest . Tunc in amphiteatro tribunal ascendens iubet eos sibi exhiberi et omnium ferarum multitudinem dimitti : quæ dimissæ singulæ ueniebant : et dedes† sanctorum lingebant . Quod uidens præses conuocansque magistratus ciuitatis iussit omnes custodias perscrutari : et personas morte dignas in amphiteatrum mitti : et sanctos dei intermixtos cum personis sacrilegis decollari : Quod cum factum fuisset : statim terræmotus factus est magnus ut tertia pars ciuitatis funditus subuerteretur : fulgura et tonitrua et grando intolerabilis maximam partem populi increduli consumpsere : et omnia loca idolorum corruerunt . Ipse enim præses semiuiuus euasit : nec multo post uermibus ebulliens expirauit . Nocte autem uenerunt christiani populi et sacerdotes : qui præ multitudine cadauerum reliquias non cognoscentes : positisque genibus completaque oratione apparuerunt eis in specie uirginum animæ sanctorum : et unaquæque super thecam suam corpoream residens : et sic sanctorrum† reliquiæ collectæ sunt . Passi sunt | autem octauo idus ianuarias .

PASSIO SANCTORVM CASII ET FLORENTII MARTYRVM CVM SOCIIS EORVM : ET GEREONIS CVM SOCIIS EIVS .

Temporibus Dioclitiani post occisam thebeorum legionem apud Veronam urbem Reni fluminis inuenti sunt considentes sancti Cassius et Florentius cum septem aliis eiusdem constantiæ : aliique plures eiusdem agminis : sed non eiusdem intentionis . Ibi ergo præfati nouem decolati sunt : qui se christianos esse confessi fuerant . Inde persecutores ad campos Collonie uenerunt : quo iam sanctus Gereon cum sociis suis . CCC XVIII . se contulerat : qui omnes ibidem pro Christo perempti sunt : et in puteum magnum proiecti . Locus autem in quo decolati sunt . adhuc ab incolis uocatur ad martyres . Sanctus autem Victor cum cohorte sua iam tunc ad opidum francorum : quod Troiani† uel Xantum uocant peruenerat . Ibique locis nitentibus castra posuerat : ubi et superuenientibus præfatis carnificibus pro Christo occisus est cum CCC XXX .

martyribus : Quorum corpora in locis palustribus submersa sunt . Eodem tempore de Mauritania quæ est affricæ et de finitimis regionibus : propter frequentes gallorum tumultus ab Imperatore milites . CCC . LX . accersiti fuerant Qui cum in galliam nauigio uenissent omnes cum beato Gereone ac sociis eius pro Christo trucidati sunt . In huius autem Gereonis et sociorum eius honorem postmodum Helena Constantini mater ecclesiam pulcherrimam super eorum corpora miro metallorum fulgore et artificii uarietate decoratam construi fecit : totaque dicitur extructa fuisse sine lignis uel alia materia quæ facile diuturnitati cedit aut negligentiæ . Post hoc autem Gergissilus Agrippine colonie episcopus nimio capitis dolore uexatus ad memoriam præfatorum martyrum accessit : et ingrediens ecclesiam inchoauit uersiculum qui in laudem sanctorum cantari solet : Exultabunt sancti in gloria . tunc protinus ex adito sanctorum responsum est : lætabuntur in cubilibus suis . Inoleuit autem consuetudo ut sancti Gereonis et sociorum et sancti Victoris cum sociis sanctorumque Cassii et Florentii et consortum tribus in locis martyrio coronatorum festum sub eodem die celebret agrippinensis ecclesia sexto uidelicet idus octobres : cum tamen sit dubium an sub eodem die martyrii coronam sint adepti .

FINIS ||

DE DATIO EPISCOPO MEDIOLANENSI .

Cum Datius mediolanensis urbis episcopus causa fidei exactus ad constantinopolitanam urbem pergeret : corynthum deuenit : qui dum largam domum ad hospitandum quereret : quæ comitatum illius totum ferre potuisset . et uix inueniret : aspexit eminus domum congruentis magnitudinis : eamque sibi præparari iussit : Cumque eiusdem loci incolæ dicerent : in ea hunc manere non posse : quia multis iam annis hanc diabolus inhabitaret : atque ideo uacua remansisset : uir uenerabilis Datius dixit : Immo ideo hospitari in domo eadem debemus : si hanc malignus spiritus inuasit : et ab ea hominum inhabitationem reppulit : In ea sibi igitur parari præcepit : securus quod illa antiqui hostis certamina toleraturus intrauit . Itaque intempesto noctis silentio cum uir dei quiesceret : antiquus hostis inmensis uocibus magnisque clamoribus cœpit imitari rugitus leonum . ballatus pecorum . rugitus asinorum . sibilos serpentium . porcorum stridores et soricum . Cum repente Datius tot bestiarum uocibus excitatus surrexit uæhementer iratus et contra antiquum hostem magnis cœpit uocibus clamare dicens : Bene tibi contigit miser : tu ille qui dixisti : ponam sedem meam ad aquilonem : et ero similis altissimo ? ecce superbia tua porcis et soricibus similis factus es : et qui immitari deum indigne noluisti† : ecce ut dignus es bestias immitaris : ad quam eius uocem : ut ita dicam deiectionem suam malignus spiritus erubuit : An non erubuit : qui eandem domum ad exibenda monstra quæ consueuerat ulterius non intrauit? Sicque postmodum fidelium habitaculum facta est : quia dum eam unus ueraciter fidelis ingressus est : ab ea protinus mendax spiritus atque infidelis abscessit .

DEDICATIO BASILICAE SANCTI MICHAELIS ARCHANGELI . |

Memoriam beati Archangeli Michaelis toto terrarum orbe uenerandam ipsius opere condita et consecrationis nomine demonstrat ecclesia : quæ non metallorum fulgore sed priuilegio est commendata signorum : uili facta scemate sed cælesti est prædita uirtute : utpote quam fragilitatis humanæ memor archangelus de cælo ueniens ad promerendam ibi mortalibus supernorum societatem propria sibi manu condere dignatus est . In uertice siquidem montis excelsi posita de corpore eiusdem saxeo speluncæ instar præcauata ostenditur . Est autem locus in Apuliæ finibus : ubi inter sinum hadriaticum et montem Garganum ciuitas Sipontus sita est : qui a mœnibus

ciuitatis ad duodecim millia passuum erectus in cacumine suppremo beati arcangeli† quam præfatus sum suggestat ecclesiam . hanc mortalibus hoc modo cognitam libellus : in eadem ecclesia positus indicat . Erat in eadem ciuitate uir prædiues quidam nomine Garganus qui ex aduentu suo . monti uocabulum indidit . Huius dum pecora quorum infinita multitudo pollebat passim per deuexi montis latera pascerent : Contigit taurum armenti gregis consortia spernentem singularem incedere consueuisse : ad extremum redeuntibus pecoribus domum non esse regressum : quem dominus collecta seruorum multitudine per deuia queque requirens inuenit tandem in uertice montis foribus cuiusdam asistere speluncæ . Itaque promotus cur soliuagus incederet : statim corripit ira motus arcum : et appetit illum sagita tossicata que uenti flamine retorta : eum a quo iacta est mox uersa percussit : Turbati ciues et stupefacti qualiter huiusmodi res fuerat effecta : non enim accedere propius audebant : consulunt episcopum : quid facto opus sit : qui indicto ieiunio triduano a domino monuit esse quærendum . Quo peracto sanctus Archangelus episcopo per uisionem loquitur dicens : Iam bene fecisti quod hominibus latebat : a deo quærendum esse mysterium . causam uidelicet hominis suo telo percussi . Sciatis autem hoc mea uoluntate gestum . ego sum Michael archangelus : qui in conspectu do || mini assisto : locumque hunc in terris colere totumque seruare instituens . hoc uolui probare iudicio omnium a me quæ ibi . geruntur : ipsiusque loci esse inspectorem atque custodem . His reuelationibus compertis consuetudinem fecerunt ciues hic dominum precibus sanctumque deposcere Michaelem . Duas quidem ibi ianuas cernentes : quarum australis quæ et maior erat aliquibus gradibus in occasum uergentibus adiri poterat : sed nec intra criptam intrare ausi præ foribus quottidie orationi uacabant . Inter hæc Neapolitane urbis ciues paganis adhuc ritibus oberrantes Sipontinos et beneuentanos centum quinquaginta millibus a Siponto distantes bello lacescere temptabant : qui antistitis sui monitis edocti triduo petunt inducias ut sic etiam interim triduano ieiunio liceret quasi fidele patrocinium sancti Michaelis implorare : quo tempore pagani ludentes falsorum inuitant auxilia deorum . Ecce autem nocte ipsa quæ belli præcederet diem : adest in uisione sanctus Michael : qui antistitis preces dixit exauditas . uictoriam spondet affuturam : et quarta diei hora bello primo : nec hostibus occurrendum : læti ergo mane et de angelica certi uictoria dominico redacti spiritu obuiant christiani paganis . At in primo belli apparatu Garganus immenso tremore concutitur . Fulgura crebra uolant : et caligo tenebrosa totum montis cacumen obduxit . Impleta est prophetia : quæ dominum laudans ait : qui facit angelos suos spiritus et ministros suos flammam ignis . Fugiunt pagani partim ferro hostium . partim igniferis impulsi sagittis : et Neapolim usque sequentibus : atque extrema quæque cedentibus aduersariis : mœnia tandem suæ urbis moribundi subintrant : qui euaserunt periculum . comperto quod angelus dei in adiutorium uenit christianis : Nam sexcentos ferme suorum fulmine uidebant interemptos . regi regum Christo continuo colla submittentes . armis induuntur fidei : Cumque domum reuersi uictores uota domino gratiarum ad templum referunt archangeli : Vident mane iuxta ianuam septentrionalem . quam prædixi instar posterulæ pusilæ quasi hominis uestigia marmorei artius impræssa : agnoscuntque beatum Michaelem hoc præ | sentiæ suæ signum uoluisse monstrari . ubi postea culmen appositum et altare impositum : ipsaque ecclesia ob insigne uestigiorum Appodonia est nocata† . Multa dubitatio inter sipontinos orta est : quid de loco agerent et si intrare uel si dedicare illic ecclesiam debeant : Vnde collatione facta ad meridiem loci illius beati Petri apostolorum principis nomine condunt ecclesiam : et dedicant : In qua etiam beatæ semper uirginis Mariæ Sanctique Baptistæ Iohannis altaria statuunt . Tandem antistitis salubri reperto consilio romanum episcopum quid de his sit agendum per nuncios sciscitantur : qui tunc forte in monte Soracti quinquagesimo fere milliario a romana urbe distante : quem sancti Syluestri cognomine incolæ uocant : eo quod et ipse ibi quondam exulauerit : et pro fidei persecutione delituerit : talia mandata remittit . Si hominis est illam dedicare basilicam hoc maxime die qua uictoria data est fieri opportet . Sin autem alias sancto prouisori loci placuerit : eodem præcipue die illius in hoc uoluntas est quærenda . Hoc ergo tempore imminente agamus ambo triduanum cum ciuibus nostris ieiunium : sanctam trinitatem rogantes : ut munera quæ per summum suæ sedis ministerium dominus conferre dignatus est : ad certum usque finem perducat . Factum est† autem

ut iusserat antistes . Nocte uero ipsa constituti ieiunii suprema Angelus domini Michael episcopo Sipontino per uisionem apparens non inquit uobis opus est hanc quam ego edificaui dedicare basilicam . Ipse enim qui condidi etiam dedicaui . Vos tantum intrate : et me assistente patrono precibus locum frequentate : et quidem ibi cras missas celebrate . populus iuxta morem communicet . meum autem erit ostendere : quomodo per memetipsum sacrauerim illam . Aduenium mane cum oblationibus et magna instantia precum intrant ecclesiam australem : Et ecce longa porticus in aquilone porrecta : atque ad illam attingens posterulam : extra quam uestigia marmoris diximus impræssa . Sed priusquam huc peruenias : apparet ad orientem basilica : qua per gradus ascenditur . Hæc cum ipsa porticu sua licet fere homines capere uidebatur altare uenerandum rubroque contectum pali || olo prope medium parietis meridiani ostendens . Erat autem ipsa domus angulosa : nec more operis humani parietibus erectis : sed instar speluncæ præruptis et sepius eminentioribus aspera scopulis . Culmen quoque diuersæ altitudinis : quod hic uertice tangi alibi uix manu possit attingi . Credo docente angelo domini non ornatam lapidum : sed cordis quærere et dilligere puritatem . Vertex uero montis extrinsecus partim cornea sylua tegitur : partim rurenti planitie dilatatur . Missarum itaque celebratione completa : magno attoniti gaudio quique redierunt in sua . episcopus autem delegato ministrorum cantorum sacerdotumque officio et mansione constructa : omne ibidem quottidie psalmorum missarumque cursum congruo : præcepit ordine celabrari† . Nullus autem huc nocturno ausus est tempore ingredi : sed aurora transacta matutinos ibi decantant . Ex ipso autem saxo quo sacra contunditur ædes : ad aquilouem† altaris dulcis et nimium lucida guttatim aqua dilabitur : quam incolæ stillam uocant . Ad hoc et uitreum uas eiusdem receptui præparatum argentea pendet cathena suspensum . Morisque est populo communicato singulos ad hoc uasculum ascendere per gradus : donumque cælestis degustare liquoris : nam et gustu suauis est et salubris tactu . Denique nonnulli post longas febrium flammas hac austa stilla celebri confestim refrigerio potiuntur salutis . Innumeris quoque et aliis modis ibi et crebri saluantur ægroti : et multa quæ angelica tantum lucent potestate geri miracula comprobantur . maxime tamen eius diei natalis : cum et de prouinciis circumpositis plus solita confluere turba recurrat : et angelicæ uirtutis maior quodammodo credatur esse frequentia : ut quod spiritualiter dixit apostolus et corporaliter agi uideatur : quia angeli sunt administratorii spiritus in ministerium missi propter eos : qui hæreditatem salutis capiunt in Christo Iesu : qui cum patre et spiritu sancto uiuit et regnat in sæcula sæculorum Amen .

PASSIO SANCTI DEMETRII THESSALONICENSIS .

Cum imperator Maximianus in tessalonicensium degeret ciuitate : piæ religionis auditores persecutionem patiebantur et interficiebantur ab eo : inter quos erat beatus Demetrius manifestum se faciens sine timore : quia a iuuentute eius bona egerat opera et alios docuerat . docebat enim : quo pacto diuina sapientia descenderat ad terram de cælo : ut hominem qui mortuus fuerat peccato uiuificaret sanguine proprio : cum hæc et alia multa prædicaret : quidam ministri Imperatoris : qui ad capiendos christianos fuerant deputati : tenentes sanctum Demetrium imperatori Maximiano obtulerunt : Contigerat enim eum ire ad stadium ciuitatis propter eos : qui ad singulare certamen fuerant congressuri . Illic enim parabatur per quasdam tabulas circulus circumseptus : Vnde suscepturus erat eos : qui ex aduerso inuicem theatrice se impugnarent : quia delectatio erat ei aspicere humani sanguinis effusionem : cumque facta fuisset congressio : Lycus quidam gladiator qui ob immensitatem uirium et frequentiam triumphorum Imperatori carus habebatur : mortalem suscepit ictum : et extremam fecit ei confusionem : cum autem tristis ad palatium reuersus esset : et ei quidam de Demetrio suggessisset : statim Imperator in ipso loco in quo fuerat retentus : iussit eum lanceis perforari . beatus Demetrius bone confessionis martyrium consumauit : corpusque eius religiosi noctu sumentes : ne læsionem aut iniuriam sustineret abscondere curauerunt . cum autem iam fuisset meritum martyris diuulga-

tum : multa enim uirtutum et sanitatum insignia facta sunt his : qui fide eum inuocabant : Leuncius quidam deo amabilis domum quæ continebat sanctissimi martyris corpus prædiis amplioribus dilatauit : et erexit ibi oratorium in honore sancti martyris Demetrii.

Mariani autem cuiusdem† præfecti thessalonicensis : cum esset deo et hominibus acceptus : diabolus bonis inuidens operibus : eum ut temptaret expetiit . Primum igitur de septem uitiis temptauit sed || dei gratia suffultum repperit insuperabilem . Post modum uero mundi diuitias ei auferens ad ultimum etiam graui eum percussit infirmitate : usum solius linguæ qua assidue deum laudabat ei relinquens : Cumque diabolus in specie hominis cuidam seruo eius membranam ostenderet dicens : Si dominus tuus super se hanc tulerit sanabitur : et introgressus seruus hæc eadem domino suo replicauit dicens : quod in ea sicut audierat nomina deorum et angelorum continerentur : Respondit Marianus : deus absque cuius nutu nihil fit potest me sanum reddere sine cartha . habeat quod suum est . de me fiat uoluntas dei . Qui confestim somno correptus audiuit beatum Demetrium iubentem ut in ecclesiam suam deferretur . ibi enim sanaretur : Quo cum delatus esset : iterum obdormienti dixit in uisu beatus martyr : Christus te sanat : qui erigit elisos . Euigilans ergo cœpit narrare uisionem : et cum ad id deuentum fuisset ubi martyr dixerat : Iesus Christus te ipsum sanat : qui quidem erigit elisos : sanus surrexit gratias agens deo . Huius martyris solemnitas qui multis præter hæc claruit miraculis celebratur octauo idus octobres : cuius uitam Anastasius e græco in latinum transtulit : et imperatori Carolo transmisit .

PASSIO SANCTI DESYDERII EPISCOPI .

Magna sanctorum præmia quæ a domino largiuntur : fidellis populus ingentibus extollat præconiis . Vere et enim sunt a nobis summa deuotione colendi : quorum inconcussa fides ad uitæ terminum illibata permansit : Ita ut dei potentia tropheum de persecutore ferentes : uictriciaque gloriosi certaminis reportantes auspicia agni sui meruerint triumphum : ut est namque beatus Desyderius athleta mirabilis : cuiē† ueneranda passio non impar fuit martyrum præcedentium . Hic fuit sacerdos dei altissimi . Hic corporis castimoniam inter mundi seruauit illecebras : Quem impudentissima fœmina instar sancti Ioseph propulsabat stimulis . |

Quarum insaniam utrique cohercentes incendentia lubricæ carnis spreuerunt contagia . Nam licet inter tot confessorum miracula uictoriasque martyrum pene totus mondus exultat . Nunc nouum martyrem beatum Desyderium ultimis sæculis hoc est nostris temporibus nos habere gaudemus : eo usque ut quemadmodum illi tyrannicam paganorum rabiem pertulerunt . Ita uir sanctus sub cristianitatis obtentu insecutus coronam martyrii est adeptus quatenus cristianis temporibus martyrium pertulisset . Reginamque uæsanam uelut sanctus baptista spreuit Iohannes : nam ut ille libidinosum tropheum prophetali prædicatione prohibuit : Parem iste uir inclytus Apostolico ordini coequandus fœda et incesta inhibebat coniugia similiter sanctus idem : ut Helias Iezabelis impiæ fœmine labore persequitur : Igitur quantum ad nos ueridica relatione perlatum est : in cunctis sanctus antistes tam corporis specie quam præclaris moribus et sapientia fuit ornatus eloquio potens christianæ plebi uerbo prædicationis insistebat speciali ingenio frætus sanctam uiennensem regebat ecclesiam . Sed ut præmisimus pulcherrimam eius formam impudens regina non ferens uenereos eum ad actus pulsabat : Quæ dum ab ipso primo sermone propulsa est : quod se nullatenus eius nefariis parere uellet conatibus . hinc prima odia . hinc infirme mentis adiiciuntur incendia . Sanctus uero Desyderius qui se hostiam deo placabilem festinabat offerre regias minas pro nihilo computauit . sed nunc iam utcumque eius martyrium prout didicimus prosequamur . posteaquam execrabilis fœmina : his furiis excitata multis eum criminibus aggressa est : ut diceret eum omnium auctorem esse libidinum . Christus uero dominus non passus suum famulum infamari : quem uitæ mundicia commendabat : ostendit uirtutis ipsius merita : per quæ præparauit multis uindictam . Mox ad insulam deportatur : exilium Christi gratia comitante ac si paradisum esset ingressus . Cumque uir beatus .

ibidem bis binis annis a perfidis esset retrusus : tantam ei dominus gratiam concessit : ut cereolus ille quem idem uir beatus ingrediens suis manibus die dominico accenderat : dei gratia nunquam extinctus est : quod cunctis || est patefactum miracnlum† : nec oleum minuit usque ad præfinitum tempus : nec assidue lucere desiit . cum ipse pontifex cursum ageret : ipsum cereolum in plenitudinem uertebatur ut indesinenter arderet : et quantum acceperat cunctis aduenientibus reddere non tardaret sancti liquoris cumulo inundatus . Tunc uidens flagitiosissima Brumilda quod sanctum dei fides et gratia dei commendaret : machinatur qualiter posset eum suis astutiis supplantare : de insulæ reuocatur ergastulo quare . deinde ordinem sacerdotii urbemque receptam sicut decet pontificem decenter ingressus est : qnique† dum ueneraretur a cunctis : inuidiæ fomes crescebat . et maiore face insana fœmina exardescens rediuiuis anfractibus uenenatoque ore serpebat : cœpit nouum uirus maledicæ linguæ effundere : persuasit enim uiro : ut rogaret famulum dei ad aulam regiam properare : suisque præsentari aspectibus : quod cum fieret : iussa imperantis miles Christi impleuit . Interrogatus a principe : si melius esset sortiri coniugia quam carnis miseriæ uacare : sanctus uir Desyderius respondit : dominus noster Iesus Christus suo nos euangelio docet : ac per apostolica dogmata informauit : Bonum est uxorem accipere : et natos legitimos procreare : quo audito inspexit suis operibus sanctum uirum esse contrarium : et qualiter eum perderet cogitabat . O quam nefanda et dolenda conditio intra fores ecclesiæ : ab Epiphanio zasifrit et Bittone commitibus sacer antistes ab impiis custodia mancipatur . Sed uir gloriosus confidens in domino intrepidus pergit accipere : quod ei angelus euangelizauit : Leudonensis in finibus flumine cui uocabulum est Calarona : astantibus multis ex ipsa plebe et immensis flætibus inclamantibus talia nulla ratione patranda negotia : ut sanctus dei iniuste puniretur innoxius . Tunc sanctus dei publice genu flexo in terra orabat : Completa oratione caput obtulit . ictum ferientis excepit . Impius unus et infelix proiecto lapide caput collisit pastoris . Deinde perditus ille apprehænso† acuto stipite confregit sacrum uerticem : et sic sancta illa anima migrauit ad dominum . O admiranda et nimis dolenda | causa quod uir sanctus et omni bonitate præclarus a Brumilda regina nequiter est damnatus : Quidam homo pauperculus . romana origine cretus iam multorum locorum finitima penetrauerat causa eius sanctitatis concitus . Erat enim totus membrorum compagine dissolutus : atque neruorum distensionem persenserat : Qui cum ut fertur capulum quo ferebatur deuota mente petisset : et ubi sanctus Desyderius meruit martyrio coronari fideliter supplicauit : statim sanus restitutus est intercedente oratione sancti uiri et martyris gloriosi . Persemaco uico ipsius sanctum corpus ab iniquis tenebatur causantibus prsænti† tempore claruit . Denique quidam nomine Claudius uenit qui commanens in finibus lendonensium habebat filiam nomine Sinclisiam : quæ cum a natiuitate uerme adhærente medulitus difficultas ei eundi appareret et claudicaret : assidue eam suus genitor postulat : ut ad limina sacri martyris Desiderii cum humilitate deberet accedere . Quæ cum cohopertorium illud attingere meruit : ac oleo sancto liniri contingit : et gressum recepit et deinceps nec ipsum uestigium claudicationis remansit . Et si quis memorati dei uiri nomen inter diuersos sanctos nominauerat in Christo sanus efficitur . Ei de stipite illo unde meruit martyr agonem suum consumare : auxilio diuinitatis ubicumque fuerit in aqua acceptum in nomine domini Iesu Christi in præsenti sanitatem recipiet . His ita se habentibus : iusto principe iudicante Chorario rege francorum cui tortuose esset artis malorum sarcina consueta zibbosus pensa camelli exitio debito infelix fœmina cauda ligari iussa est equorum : et quod multis intulerat coniuncto exercitu et a finibus uno crimine sustineret . At ubi princeps spiritu sancto ammonitus uoluit denegare suo martyrio exigente merito habuit trinitatem inseparabilem per misterium diuinitatis propitiam . Agnouerat domino esse placitum : postulat autem templum sanctum : quod est culmen martyris adquisitum . cæditur locus cultui reformandus . Sed quale illud uenerabile corpus transacto tertio anno : quarto iam adueniente a cunctis fuisset inuentum : teste populo a generatione in generationem non est incogni || tum in gratia domini nostri Iesu Christi : ita cruor receens† effluxit : uelut eadem die sacra uertex pugione fuisset excisa : uirtutum miracula radiauerunt . ægri longo depressi langore sensere iuuamen . Nam ubi leuatum est feretro ad aulam : ubi reliquiæ Petri apostoli positæ sunt extra muros ciuitatis uiennensis translatum est . quibus peractis cæcus cunctis mirantibus infans est

adductus : qui dum altare propius accessisset : intercedente discipulo : obtinente magistro et uisum recepit : et continuo uidens ulterius ducem itineris non quesiuit . Nam et ego peccator cunctis audientibus fideliter hanc scripturam elicui : per quam addiscant cristicolæ omnium creatori gratias immensas referre : quia ut ait apostolus : Omne datum optimum et omne donum de sursum est descendens a patre luminum . Ideo fides integerrima semper regnet in nobis . dominum iugiter collaudemus : cuius gratia idem beatus Desyderius ista promeruit : cuius iugis clæmentia permanet : cui est laus honor et gloria in sæcula sæculorum amen . Passus est sanctus Desyderius episcopus et martyr tempore Theodorici regis francorum et Brumeldæ crudelissimæ reginæ decimo calendarum Iuliarum .

PASSIO SANCTORVM DIONYSII RVSTICI ET ELEVTERII MARTYRVM .

Post beatam ac salutiferam domini nostri Iesu Cristi passionem et adorandam eius ab inferis resurrectionem seu in cælos gloriosam ascensionem : qua se manifestauit diuinitate nunquam defuisse : quo rediit : in uniuersis gentibus apostolorum prædicatio profutura successit : ita ut et fide crescente multi mererentur fieri christi nominis confessores : quos catholica postmodum gaudet ecclesia promeruisse martyres et fidei bellatores : quæ lætabatur in apostolis tantos se habere duces atque rectores : qui siquidem cum imminere suas cernerent passiones : quæ domino Iesu christo docente didicerant : repleti spiritus sancti gratia docuerunt : ut ad sanctæ confessionis gloriam et premium transmigrarent : unde gratias tibi agimus domine Iesu christe : qui infestantis inimici | iacula probationem fidelium tuorum præstitisti esse non uulnera . Sed inter cætera charismatum munera talem tuis testibus præbuisti pro labore mercedem : ut nullum tuorum fuisse gaudeat hostia imbellem : quinimmo perpetuum illis es largitus triumphum : ut ecclesiæ tuæ semper sint in exemplum : De quorum sane collegio beatus Paulus apostolus fuit : quem cælo presidens humanitas et benignitas saluatoris nostri dei compellans : Saulum strauit : ac Paulum statuit : eorumque meritis ac numero sociauit : Replens euangelio Christi non solum ab hierusolymis usque ad Illiricum : uerum et usque ad terminos terræ : quando a deo constitutus magister omnium gentium peragrans superiores et uicinas ciuitates tempore quo princeps Claudius agebat in sceptris : deuenit Athenas : quæ si quidem una urbium magnarum metropolis in confinio Thraciæ posita Lacedemoniæ terminos prospiciens : media inter Achaiam iacet et Macedoniam : qua nihil habuit græcia clarius situ terrarum eminentibus et frequentibus collibus montuosa : antiqua scriptorum facundia paterna uiscera : et materna hubera appellata . Ionici maris faucibus Bitalisi in ore introclusa ægæum pelagus a læua contingit . urbs inclyta et antiqua sola præter externum incrementum gloriosa : cuius ciuibus non dedit initium collecta natiuitas : sed quæ illis sedes eadem est et origo terrarum fertilitate opulenta . fandi et eloquentiæ nutrix . philosophorum et sapientum genitrix . artium liberalium doctrina : et diuitiarum omnium copia præ urbibus cunctis emicuit . Hæc sita est in Attica helladis prouintia : qua Cecrops et Menander reges generosi emicuerunt . ubi Appollo et Hippocrates ac Aristoteles cæterique inuentores et propagatores totius peritiæ sunt exorti : quæ in toto orbe sui præsentia et temporibus adhuc nostris memoria fulgent : In hac summo opere urbe temporibus Cecropis et Menandri regumque succedentium cultus symulacrorum et statuarum adoratio ydolorumque supersticiosa religio primo est reperta : et sanctionibus propalata . hæc quoque in prouectu sui est Mineruæ sacrata : et ipsi eius de nomine nomen aptatum . hæc prima cunctarum || urbium leges condidit et aliis iura uel tradidit uel mutauit . Quinque sane regionibus disterminata signatur : Prima regio est : quæ ægeum mare respicit : in qua situs mons extat supereminens urbi : ubi Saturni et Priapi aureæ statuæ uariarum illusionum celebrantur dementiis . hæc enim regio Chronospagus uocatur . Secunda regio Athenæ est : quæ respicit Thraciam : ubi Therebintus miræ magnitudinis erat : sub qua Syluani et Phauni agrestes homines symulacra statutis diebus pastoribus uenerabantur : quæ regio Panospagus appellatur : et nomine Syluani et

Phauni . Græci enim Syluanum Pan Phaunos Fircanos Panitas uocitant . Tertia regio Possedenospagus appellatur quæ intendit portum Neptuni . Possedon namque græce Neptunus dicitur : cuius symulacrum et Dianæ effigiem Aegæi ibidem colebant . et quo recursus totius populi luna renascente in multis functionibns† confluebat . Quarta Regio in eadem urbe est ubi ydolum Martis et symulacrum Herculis incollæ tritonii montis in medio urbis positi steterant ad colendum multis immolantibus et delusionibus Martem et Herculem : quos illi deos maximos et fortissimos adorabant : ubi etiam exercebantur iudicia : et docebantur fora ingeniique omnis solertia : Qui locus Ariopagus appellatur a Marte . Mars enim [Aras] græce uocatur . Quinta regio ciuitatis eiusdem uersa est ad portam sanctam Hermispagus ex nomine Mercurii : qui hermes græce dicitur appellata : in qua staticulum ipsius Mercurii ueneratione sui mente cœperat urbem . hæc ciuiuitas† munitissimis mœniis mare florido mellitus : ut sic dictum sit : riuulis et fluminibus satis pinguissimis : nemoribus consitis et aromatibus odoratis : uinetis nectareis : et hubertatis copia effluentibus oliuetis : abundantissimis uiretis : florentibus pascuis : peccoribus sufficientissimis : auri argenti cæterorumque metallorum omnium copiis . nauium quoque ac uectigalium commeatibus et uoluptatum cunctarum affluentiis ultra urbes alias exornata . quondam nobilissime floruit . sed quæ suo priori sæculo cunctis mundi felicitatibus supererat . modo gentium frequenti et condenso impetu | oppressa et intercepta dirimitur : ubi in aduentu Pauli quidam uir nobilis erat : qui Siministes id est consecretalis Apollo chronospagita in eadem urbis regione cæteris præcellebat : nominabatur : cuiusdam Apollinis nobilissimi atheniensium principis prosapia deriuatus : cuius pater Nicholaus uir magni ingenii litterarum studio pollens ciuilis et argolicæ artis magister fuit : huius igitur filius Apollo dum inter philosophorum scolas clarus haberetur : et autenticas bybliothecas reuolueret : deditusque esset philosophiæ : et uanis superstitionibus ritu paganorum audiuit Paulum apostolum noua et inaudita dogmata prædicantem . et cum ei resistere non ualeret : inuenit illam ueram esse doctrinam : quam Paulus apud Athenas docuit . Relinquens ergo dæmoniacas ludificationes et gentilicas adinuentiones prouolutus apostoli pedibns† precatus est eum : ut illi ueram doctrinam et uiam salutis ostenderet : seque Christi et non Saturni professus est fore discipulum . His ita gestis cum uocis nouitate Athenienses permoti quadam die Paulum ad Ariopagum duxissent ubi examinata eius doctrina acciperetur : adorsus est Dionysium qui ob plenitudinem diuæ supernorum numinum scientiæ Theosophus idest deum sapiens dictus et a regione urbis qua sedulo commorabatur et innatus principabatur ariopagita gemino quasi uocabulo uocabatur . altissimo sanguine primi et magni Dionysii non illius Semele uel Deucalionis : Sed eius qui uitis inuentor apud Athenas insignis est habitus : longissima et clara progenie propagatus . hic quoque annos ætatis quinque et uiginti agens : et cunctis pene artibus copiose imbutus crementi studio excitus una cum Apollophanio conphilosopho suo astrologiæ disciplinæ uoto Egiptiliopolim transmigrauit : ubi simul cum eo degens quando deus homo dominus noster Iesus Christus pro mundi salute per inuidiam iudeorum cruci pependit affixus : et sol sui domini morte pauescens lucis suæ radios in tetreænoctis† mutauit honorem : atque orbis climata tenebrarum obtexit caligine : earumdem tenebrarum signo antea inuiso et inaudito attonitus ut omnium litterarum disciplinis edoctus dixit : || hæc nox quam nostris oculis nouam descendisse miramur : totius mundi ueram lucem aduenturam signauit : atque dominum humano generi effulsurum serena dignatione dictauit : unde expletus pro quibus perrexerat feliciter rediit : arcique totius urbis Athenæ præerat et curiæ Ariopagi præsidens omnium negociorum ciuilium publice et priuatim : ut nobilior nobilissimus moderamina disponebat : atque inter primos primus sophistica et syllogistica uniuersalium doctrinarum et strophas infulatus toga phylosofica ciuibus . ac undique ad id studium confluentibus profundebat . Hunc siquidem uatem qui olim paganis adhuc uisceribus tantum mysterium : quod uentum erat : quasi uenturum ualuit reserare : utpote loci primatem cum Ariopagum adiisset : erectis ad uerbum omnibus auribus interrogare specialiter cœpit Paulus : quid coleret et quibus numinibus in tam spatioso et uenerabili loco inseruiret : Cui respondit Dionysius : quos coluerunt patres nostri : quorum uirtute et solertia mater terra continetur : hos colimus et adoramus . Aras quas uides Martis et Herculis et Mercurii et Priapi nomine et honore sacratæ sunt . Dum uero Paulus singula altaria et symulacra falsorum deorum perlustrasset inter cæteras aras

reperit unum altare : cui erat titulus superscriptus deo ignoto : Et conuersus ad eum Paulus interrogauit dicens : Quis est ille deus ignotus . Ad quem Dionysius adhuc inquit non est ipse deus demonstratus inter deos : sed est incognitus nobis : et sæculo uenturo futurus ipse est enim deus qui regnaturus est in cælo et in terra : et regnum ipsius non accipiet finem . Subiumgens† itaque Paulus ait : Quid uobis uidetur : homo erit an spiritus deorum ? Respondens Dionysius dixit : Verus deus et uerus homo et ipse renouaturus est mundum . Sed adhuc incognitus est hominibus : quoniam apud deum in cælo conuersatio eius est : Et ait Paulus : Illum deum ego prædico uobis : quem incognitum appellatis . Natus enim ex Maria uirgine . passus sub pontio Pilato pro salute mundi . mortuus resurexit : cælosque ascendens sedet ad dexteram dei patris : uerus deus et uerus homo : per quem facta sunt omnia : et uenturus | est in fine sæculi iudex omnium quæ geruntur . qui notus est in Iudæa deus : et magnum in israel sanctum nomen eius : Quapropter quem incognitum usque nunc habuistis : modo cognoscite : quia ipse est deus solus : et præter eum non est alter : qui nos de morte sanguinis sui pretio reduxit ad uitam : qui cælum et terram homines scilicet et angelos in unitate regni sui coniunxit : qui mortificat iustos et uiuificat impios : qui claudit : et nemo aperit : aperit et nemo claudit . hæc et alia plurima Paulo prædicante et templa singula prolustrante commendando Christum Iesum dei filium et deum uerum esse : quæ amica curiositate Athenienses propter ipsam nouitatem officiosissime acceptabant . Dionysius ueram doctrinam et dogma salutis audiens et nihil esse idola : quibus seruiebat . qui magis dæmonia deos esse cognoscens : sanctum uero spiritum et uerba uitalia in Pauli doctrina euidentissime sentiens : diuino lumine corde tactus eidem Paulo cessit : et ab eo petiit : quatenus pro illo ipsius dei quem prædicabat misericordiam precaretur : ut illius cultor uerus et suus mereretur esse discipulus . Postera autem die cum Paulus ageret iter : cæcus quidam cœpit eum obsecrationis uocibus compellare : sanctus autem apostolus crucis signum clausis a natiuitate eius oculis imposuit dicens : Iesus dominus et magister noster qui oculis lutum imposuit cæci nati : et ei lumen restituit : ipse te potentia sua illuminet . Quem mox uidentem his est uerbis affatus : uade inquiens ad Dionysium et dic ei : quia Paulus seruus Iesu crhisti† ad te me misit : ut memor sponsionis tuæ ad eum uenire non differas : quo baptismum salutis accipiens ab omnibus possis absolui nexibus delictorum . Is autem qui lumen recepit : obedienter uerba iubentis impleuit : et ad Dionysium properans ei Pauli uerba per ordinem nunciauit . Dionysius uero electionis gratia iam præuentus : ut cæcum respexit non autem habitis luminibus contuentem ait ad eum : es ne tu ille : quem natum cæcum cuncti cognouerunt affines? cui ille respondit : ego nempe sum : cui cæco nato hactenus sol non luxit . Sed ipse Paulus : cuius tibi defero mandata salubria Iesu Christi magistri sui inuocata uirtute sanitatis mihi lumen in || dulsit : qui protinus surgens cum omni domo et Damara uxore sua quam ut summeret more terrenæ nobilitatis propter amorem suscipiendæ caræ soboles eum sui coegere parentes : ad mandata properat sancti Pauli : credensque fideliter et abnegatis erroribus paganorum sacri est baptismatis unda respersus : ac demum se tradidit eius magisterio plenius imbuendum . Inque sanctæ trinitatis fide . et incarnationis passionisque ac resurrectionis Iesu Christi domini nostri mysteriorum seu cunctis archanis ecclesiasticæ sanctitatis affatim ut comes eius inseparabilis quocumque gressum moueret a beato Paulo per triennium institutus . Thesalonicam magistrum obsequendo reuertens ab eodem beato Paulo Atheniensium apostolo est ordinatus antistes . ac deinde ipso iubente Christi euangelium prædicauit : eandemque ciuitatem et maximam partem patriæ ad fidem ueritatis conuertit : Scripsit per īde† tempus ad Thymotheum ephesiorum episcopum suum autem condiscipulum diuino usus stilo : fulgoranti sermone se eiusdem panis uerbo quo uiuunt angeli repletum ostendens : et librum de cælesti principatu id est de ordinibus angelorum insigni eloquentia et reuerenda profundissimaque intelligentia : sicut re uera is qui in cælo os suum posuerat cum cælestibus loquebatur : ubi corde et conuersatione degebat . hæc per sequentia capitula sufficientissime disserens . quia omnis diuinus splendor secundum benignitatem uarie in prouidentibus procedens manet simplex : et non hoc tantum sed coadunat illa : quæ splendorem accipiunt : quia decenter diuina et cælestia per similitudinum symbola monstrantur . quid est hierarchia id est sacer principatus et quis erga hierarchiam profectus . qnid† significat angelorum cognominatio . cur omnes

cælestes substantiæ in commune angeli dicuntur ? quis est primus cælestium substantiarum ornatus . quis medius et quis ultimus : De seraphin et cherubin et thronis et de prima eorum hierarchia id est sacro principatu . De dominationibus . et uirtutibus . et potestatibus . et de media eorum hierarchia . De principatibus atque archagelis† ac ttiam† angelis et ultima eorum hierarchia . Repetitio et con | gregatio boni angelici ordinis . Cur omnes cælestes potestates communiter uirtutes cælestes uocantur . cur qui apud homines sunt ierarchi idest sacri principes : uidelicet sacerdotes angeli uocantur . cur a seraphin dicitur mundari propheta Isayas . quid significat traditus angelorum numerus : quæ sunt formales angelicarum uirtutum imagines et ordines . Quid quod igneum est : et quid est : quod humana specie angeli apparent ? qui sunt illi oculli† . quæ ille nares . quæ sunt ille aures . quæ illa ora . qui sunt illi tactus . quæ sunt illæ palpebræ . quæ sunt illa supercilia . quis auditus . qui sunt illi dentes . qui sunt humeri . quæ sunt brachia illa et manus . quid illud cor . quæ sunt illa pectora et dorsa . Qui sunt illi pedes . quæ sunt illæ alæ . quæ est illa nuditas . quis est ille uestitus . quæ est splendidissima uestis . quis est ille sacerdos . quæ sunt zone . quæ sunt illæ uirgæ . quæ sunt illæ lanceæ . quæ sunt illæ secures . quis est ille geometricalis funis . qui sunt illi uenti . quæ ille nubes . quod illud æs . quod est illud electrum . qui sunt illi colores differentium lapidum . quis uisus leoninus . quis uisus aquilinus . quis uisus uitulinus . qui sunt illi equi . quæ sunt differentiæ equorum colorum . quæ sunt illa fulmina . qui sunt currus . que sunt rotæ . quid est gaudium . quod dictum est angelorum . Ad eumdem Thymotheum etiam alterum scripsit librum de ecclesiastico sacro principatu distincte per capitula quæ infra sequuntur : elegantissime mysticum sacramentum prius ponens : et sic singulas singulis capitulis mysticorum sacramentorum theorias subiungens . In quibus ostendit cuncta quæ in ecclesiasticis et sacratissimis mysteriorum consecrationibus fiunt : angelicum ministerium secundum conuenientiam uniuscuiusque ordinis una cum ministris sancti altaris : et præcipue ierarcha idest sacerdote : qui unus de angelis secundum fas efficitur cælitus operari : et quod maxime in ministerio sancti sacrificii dominicæ passionis : sanctissimi principatus militiæ cælestis cum consortibus suis in proprio ordine et laudis officio semper assistunt et in consecratione sacratissimi chrismatis : quæ uniformis est : symbolis sanctissimæ eucharistiæ : ordinem seraphin benignum || Iesum qui in omnibus sanctissimum sanctificat se ipsum pro nobis et omni nos sanctificatione replet in ipso perfectos atque ex deo natos circunstare : Et multilaudam illam hymnologiam : quam propheta seraphin se audisse cantare describit : eundem dominum nostrum Iesum Christum intelligibiliter laudare : obsequentibus etiam cæteris angelorum choris et sensualiter alleluia canentibus liquido manifestat : cuius libri prima sunt ista capitula quæ sunt ecclesiastici principatus traditio : et quæ sunt eius speculatio . De his quæ in baptismatis illuminatione perficiuntur . de his quæ in collatione sanctæ eucharistiæ perficiuntur . De his quæ in chrismate perficiuntur : et in ipso consecrantur . de sacerdotibus . De perfectis ordinibus . id est monachorum : et sæculo renunciantium etiam post baptismum . De his quæ in dormientibus perficiuntur . Tertium quoque ipse conscripsit thomum : de diuinis nominibus : quem et appellat de symbolica theologia . examusin et hortodose ut sufficit in eo disputans . primo capitulo : quæ est uerbi speculatio . et quæ est de diuinis nominibus traditio . de coadunata et discreta theologia . et quæ est diuina coadunatio et diuina discretio . quæ est orationis uirtus . et de beato hierotheo . et reuerentia et conscriptione theologica . In quo ostendit se apud sanctam ciuitatem : penes sepulchrum Iesu uitæ principis : a Iacobo fratre domini et Petro apostolorum principe : necnon a theologo Iohanne : una cum præfecto hierotheo et sancto Thymotheo aliiisque† quamplurimis sanctis fratribus : audisse disputationem et fidei sacramentum : quomodo ab omnibus tenebatur theologis . de diuinitate et humanitate domini saluatoris . Sed ex consequentibus suppresso nomine beatum Paulum his interfuisse demonstrat . de benigno de luce . de bono . et cupiditate : et extesi . et de zelo . et quia malum nec est : nec de existente : neque in existentibus est . In quo capitulo beati Egnatii cupiditatem etiam in bono accipi debere asserens . cum uenerationis laude commemorat scribentis in quodam loco sic : Mea cupiditas inquit crucifixa est dominum Iesum uolens intelligi . sed et capitula suprascripti hierothei contra | phylosophos non pauca interserit : In quibus ita per strophatos syllogismos disputans de malo constringit eos in neutram

partem deflectere . neque potest tergum regredi . sed et nec alio se ipsos posse dirigere : nisi quo ipse eos cogit impingere . de paradygmis in quo sensum climis phylosophi acute redarguit : De uita et in hoc amentiam repellit magi Simonis et contentiosos eius sermones a diuino choro repellit . de sapientia . de mente . de uerbo . de ueritate . de fide . de uirtute . de iustitia . de salute . de redemptione et inæqualitate . ubi Eliman magum ancipiti gladio percutit dicentem : Si omnipotens est deus : quomodo dicitur : quid non posse ? et Paulum quendam calumniantem syllogistico spiculo terrebrat . et cor cerebrumque eius idest intelectum et sensum perfodit : atque comminuit . De magno et minore et de ipso et altero de simili et dissimili . De statu et motu et de æqualitate . De omnipotente de antiquo dierum de sæculo et et† de tempore de pace : et quod uult ipsum : quod ipsum dicitur et quæ .† est ipsa uita et quæ est ipsa uirtus et quæ dicuntur de sancto sanctorum rege regum domino dominorum . de perfecto et uno . Epitoma quin etiam eidem Thymotheo composuit capitulatim de mystica theologia per cataphasin idest affirmationem et per apophasin id est negationem : atque per hypotheticos idest condictionales syllogismos omnia sensibilia et intelligibilia et quæ in terra sunt et quæ in cælo sensu transcendens . at prout mortali possibile est atque licitum usque ad ipsius diuinitatis sacrarium penetrans . quapropter a græcorum sapientibus extunc hodieque Dionysius præter igion uram quod latinus sermo explicat ala cæli uocatur . quia illic spirituali intelligentia et reuerende reuelationis gratia euolans non solum illa multimoda et magnifica mysteria ac ministeria sanctorum spirituum uerum et sempiternæ deitatis saporem palato degustans cordis didicit : unde hæc humanæ noticiæ litteras eructauit : In cuius libri capitulo primo dicit intimatum sibi a beato Bartholamæo apostolo qualiter theologiam sanctumque debuerit euangelium intellegere : quod et argute cœpit et breuibus . Sed profundissimis uerbis eiusdem appostoli scriptis suis || ea inserendo definiuit . In secundo autem capitulo tradidit quomodo oporteat coadunari et hymnos reponere omnium causæ et super omnia . In tertio uero : quæ snnt† cataphaticæ affirmatiuæ theologiæ et quæ sunt aphaticæ id est negatiuæ . In quarto quia nihil est sensibilium quod omnis sensibilis secundum superuenientiam causa . In quinto quia nihil est intelligibilium quod omnis intelligibilis secundum superuenientiam causa . Sed et Gaio scripsit epistolam per sententias differentem quomodo quadam ignorantia cognoscatur dominus : et quomodo uisus sit ab eis : qui eum uidisse leguntur : et quod benignifico et dignifico munere aliquo modo intelligatur : et quod non solum diuinitatis sed et humanitatis Christi misterium et dictu arcanum maneat et intellectu ignotum . Et quomodo deus qui est super omnia hominibus est substantialiter constitutus : et quod secundum homines de hominum substantia substantialiter est substantiatus : sicut ostendit uirgo superexcellenter pariens et aqua instabilis materialem terrestrem grauitatem substinens . Et quod non diuise secundum deum tantum diuina egit benignus Iesus . neque humana tantum secundum hominem : sed uir dodeus† factus nouam quandam dei uirilem operationem nobis nobilitauit . Orotheo quoque ministro direxit litteras innotescens : quod diuina caligo sit lux inaccessibilis : in qua habitare deus dicitur : et in qua sit omnis qui eum scire et uidere in hoc corpore dignus fuerit . Sosipatrem autem sacerdotem breui diplomate monuit : ne bona sua non manifestata iudicet esse neglecta : et ut careat contentione uerborum . Polycarpo etiam mirnedium episcopo beati uidelicet Iohannis apostoli discipulo epistolam quasi apologeticam misit innuens : quod pertinaces contradictores sæpius correpti aliquantulum sint declinandi . Simul et grecos accusans : per sapientiam a deo acceptam non sancte diuinis in diuina utentes diuinum eiicere temptent cultum . et per multam uanam gloriam poetarum seruitutem inducere studeant creaturæ potius quam creatori : unde et Apollophanii sophistæ cultores scilicet solis faciens mentionem et sancto Polycarpo de eo | suadens acti in sole sub Ezechia miraculi recordatur : cui fidem accomodare . idem Apollophanius detractauit Atque ut ei non possit mouenti resistere : beatum Polycarpum instant : et remorari cum Apollophanio petiit : de signo tenebrarum in saluatoris crucifixione facto earundemque tenebrarum accesionem et recessionem ab oriente in orientem extitisse mirabilem sicut in Eliopoli ciuitate pariter constituti uiderunt . Addens et uerba quæ ei tunc sepe factus Apollophanius dixerat : uti plenius in epistola ad ipsum directa infra docebitur : quam ob pleniorem gestarum rerum cognitionem sic subnectere iudicauimus habentem se in hæc uerba :

Apollophanio concreto et conphylosopho Dionysius . nunc nunc ad te meus sermo dirigitur . præcordialis amor multos tibi sollicitudinum mearum angores de te replicans : Teque miti mente superne cordis note tibi friuolitatis diutina pertinacia arguens : et de phanatico illusionum phantasmate insultans : supernalem modificationem benignitatis dei magnificentissime et diligentissime adorando : tibi bene resipiscenti pars animæ meæ coniubilat : tuis te despectionibus compellabo : ut illa tibi iterata commendem : quorum pridem contempseras notionem frequentissime quidem et dillgenter† sacris uerbis dilucidaui tibi Moyse prodente a domino hominem e limo factum : et trangressiones† eius cataclysmo piatas : deinde quoque eum in amicicia sumptum : multaque in ægypto et egressionis suæ itinere pro eo et in eo deum fecisse magnalia atque theologos multimodos effecisse : quorum prænoscentia dominus humanatus fieri ex uirgine est dignatus : unde mihi responsalia multociens remisisti non solum te hæc esse uera funditus ignorare : uerum et quis idem Moyses fuerit pernescire : Euangeliumque Iesu Christi dei totius maiestatis : quod meum uocabis renuere . Paulum uero hominem mundi circuitorem : et sæminiuerbium de materialibus ad immaterialia non uelle suscipere : Immo me refellendo : quoniam paternæ religionis iura degener omittens in sacrilega et nefaria me transfuderim : hortabaris aut ab eis quibus innitebar discedere : aut his delectis paterer mea mi || hi sufficere . et non numina diuina seu leges patrias deprauarem . ut autem lux superna paternæ gloriæ splendorem in tuæ mentis tenebras radiare suo proposito destinauit : penetrabilibus cordis mei infudit : ut tibi memoriale piissimum recordarer : qualiter in hæliopoli pene cœne mihi et ego tecum quinqne† et uigingi† annorum fere tempus euoluens pariter morabamur . cum feria quadam sexta ferme hora etiam quasi luna se ei iniiciente sol est terribiliter obscuratus : quia non deus sed creatura dei lucis suæ occubitu lucere nequiuit . Questusque sum apud te : quid hinc tibi prudentissime uideretur : ex quo prudentia tua respondit : quod adeo tenaciter cordi mentis meæ inhæsit : ut nulla oblitteratione abradi nulla mortis imagine ualeat aboleri . Obfusa namque solis orbe uniformiter tenebrarum caligine tabescente ut purgatum rediit : Diametrum regulam Philippi archidei assumpsimus : cumque reperimus : quod et erat notissimum eotenus fatigatione celyptica† solem ipsum pati molestias non debere : et lunam ab oriente solarem fulgorem uelis æthyopicis obducentem solere in occidua ora captare perfugia : tunc autem lucigenos thesauros caligines quas genuerant usque in aliquos terminos ut putauimus proferentes recondere occidentes præsertim cum luna deesset et nec conuentus temporis propinquaret : aio ad te pueritiæ uastæ sacrarium adhuc nescius tantæ rei mysterium . quid inquam speculum doctrinæ Apollophanii his secretis ascribis : atque mihi tu inquiens homine diuo et non humani sensus sermone : Ista o bone Dionysi diuinarum retributiones sunt rerum . Denique notato feriæ die : et anunciationem . quam Paulus noster auribus suspensis innotuit signis acclamantibus concordari expertus dedi ueritati manus : et falsitatis sum nexibus absolutus : quam ineffabiliter effero . tibique infero : quæ est et uia et uita et uerum lumen est : quod illuminat omnem hominem uenientem in mundum . cui tu tandem ut uere prudens cessisti . Csseisti† nempe uitæ . cum abdicasti mortem : cuique bene facies inhærendo : cum hinc nobis arctius uinctus eris . Id enim est illud cuius me fulgore obtenebrans eras solitus hinc in | de facis multicoloribus et multiplicibus etiam inter penetralia infulginare : et acuminatis spiculis tenebrare : quoniam : ut fatebare illius noticia sapida noxia ut inhiabas mentali palato se resultabat . et dedignans in uentre tuæ noticiæ sedem summere renuebat Sic sit modo cognoscentia et prouida corda gerens suspice : ne pro his qui non sunt quod est uerum remutes Et pertinacior ad falsa temptantibus esto quam ad uerum suggerentibus nostris uotis extiteras : ita nam in Iesu esse et uita mea lætus iam moriar : cum ipse in eo uiues . Demophilum nihilominus de proprio actu horribiliter increpans : quoniam eum qui a fide apostatauerat prohibuit recipi : ualde utilem scripsit epistolam exemplis ac scripturarum testimoniis in modum serti de agro pleno sanctæ scripturæ . cui benedixit dominus colecti redolentem : In qua ubicumque uocabulo domini saluatoris : uti illum causa poposcerit : benignum illum appellat : quam etiam si quis intente perlegerit : non mediocriter cuius benignitatis et misericordiæ sit Iesus dominus quantum possibile homini est cognoscere intuebitur . Et quia cum fiducia post lapsum si contigerit ad benignum recurrere quisque debeat peruidebit . Ministrorum etiam ecclesiasticorum ordinem et

excellentiam atque auctoritatem sacerdotum in ea plenissime satis ostendit : cui hanc quoque non dicam fabulam . sed rem spiritualem spiritualiter gestam subiungit : quam hic ob utilitatem ista legentium in quorum manus fortasse plenitudo ipsarum non perueniet litterarum narrare censuimus . Ait enim post multa et inter alia : non habemus inquit pontificem : qui non possit compati infirmitatibus nostris : sed ipse innocens et misericors non erumpet : neque clamabit . Mitis enim est : et propiciatio pro peccatis nostris : Quapropter non recipiemus o Demophile tuos zelantes impetus etiam si decies millies resumas phineeg et Heliam : cum audierimus illa : quæ placebant et displicebant benigno Iesu a discipulis eius : qui fuerunt in carnis commemoratione participes mansueti et benigni ipsius spiritus : Docere enim non cruciare oportet ignorantes : sicut et cæcos non cruciamus : sed manu ducimus : Benignus namque errantem inquirit . et refugientem uocat : || atque uix inuentum in humeris tollit : qui et refugientibus cupide iungitur : et non dedignatur dedignari a se reiicientibus : et sine causa prouocantes se tolerat : et ipse excusat Immo promittit mederi eos : et appropinquantibus sibi procurrit : et obuiat : et totus totos complectens deosculatur : et non accusat aut improperat eis priora eorum : sed diligit præsentia : et diem festum agit : et conuocat amicos benignos uidelicet angelos : ut sit omnium habitantium delectatio . quicumque igitur inique agere . aut benefacere incipiunt illos sibi spiritus benignitate aut malicia sociant : quorum uoluntatem facere inchoant : et hi quidem benignorum angelorum discipuli ac comites ad semper existens sæculum beatissimas suas delegant terminationes : ubi semper cum deo erunt : quod est bonorum omnium maximum . Isti autem et hinc decident a diuina simul et perpetua pace : et post mortem cum domesticis suis erunt dæmonibus . nunc ergo oportet nos multa festinatione cum deo benigno per multam benignitatem et misericordiam fieri : et semper manere cum eo : et segregari a malis iniustificationibus nos : atque post pauca : Et si uis ait diuinam uisionem sancti cuiusdam uiri referam tibi : quam non deridebis : uera enim dicam : cum essem aliquando secus Cretam : hospitio me suscepit sanctus Carpus uir et si aliquis alius per multam mentis mundiciam ad domini uisiones diuinissimus : qui non inchoabat sanctas mysteriorum consecrationes : nisi prius ei ostenderetur de supernis propicia uisio oranti ante oblationem sanctissimi sacrificii : conferentibus namque nobis quædam ad inuicem : retulit mihi idem se nimis contristatum a quodam infidelium . causa autem erat ipsius tristiciæ : quoniam idem infidelis dum celebrarentur dies festi eorum aberrare fecit quendam fidelem a benigno Iesu domino nostro : quem consolans suasi ei oportunam esse : ut pro illis diuinam clæmentiam peteret : et a deo saluatore opitulationem accipiens infidelem quidem conuerteret : apostatam autem malignantem uinceret : et hortando eos conuerti . donec est hodie non deficeret : sicque illos in diuinam scientiam duceret . Sed his† hoc patienter non | sufferens . et nescio quomodo multa quadam infestatione et amaritudine tabescens dormitum perrexit ex hoc male habens : uespera enim erat : circa mediam autem noctem : sollicitus namque erat isto in tempore euigilare : ad diuinos hymnos surrexit e somnis perturbatione nimia anxius : stetitque ad orationem non bene ducte : contristabatur enim et grauabatur ulrra† modum dicens non esse iustum : ut uiuerent uiri qui erant sine deo : et peruertebant uias domini rectas : et hæc dicens postulauit dominum : ut igne cælesti ambo simul immisericorditer amitterent uitam : quod cum dixisset : statim raptus est in spiritu : et uisum sibi fuisse dixit : uidisse se reptene† domum in qua stabat concusam : et a culmine per medium in duas pertes† diuisam : et ita se sub cliuo remansisse quendam etiam rogum multo igne flamantem usque ad ipsum descendentem . Cælum autem ipsum totum accensum : atque in parte australi Iesum benignum in throno sedentem : et astantem ei in hominum speciebus inextimalem† angelorum numerum . hæc uidens desuper et ammirans Carpus cum se inclinasset deorsum uidit terram horribili hyatu apertam et tenebrosum baratrum hyscens : et eosdem uiros de quibus temptabatur ante se in margine lubrico tenebrosissimi baratri stare trementes . et miseros nimis nundum tamen deiectos ab instabilitate lubricationis : in qua uacillantes collabebantur : deorsum uero baratri uidit serpentes horribiles repere : et circa pedes eorum se subiicere : atque interdum illos trahere inuoluentes se eis simul : et cruciantes eos . aliquando etiam dentibus trahebant : et uellebant idem serpentes eosdem uiros : qui cælesti igne consumebantur : et conabantur illos trahere in baratrum : unde ipsi exierant : uidit quoque et esse uiros

quosdam in medio serpentum cum tumultu personantes et percutientes atque impellentes in baratrum eos : qui cruciabantur . uidebatur itidem ei quosdam alios uiros accesisse† ad illos : qui uolebant ut ipsi miseri in breui cruciarentur et satisfacerent : Sed hi qui percutiebant et impellebant eos nolebant . Cumque his quæ deorsum conspexerat Carpus intenderet et superna quæ prius uiderat negligeret : et tædere cœpisset atque || lassari : quia iam rei non caderent in profunditatem uoraginis : insuper immisericorditer maledixisset illis . respexit sursum : et uix se uidere posse cælum denuo dixit . Sed Iesum benignum intuitus est miserantem super peccatores qui torquebantur : et exurgentem illum de cælesti throno ac descendentem : usque ad illos : et manum begninam† illis in tormentis positis porrexisse : Moxque angelorum multitudines qui cum eo descenderant coacceperunt eos de utraque parte : in qua stabant dum torquerentur : quando eis manum porrexit benignus Iesus : et continuerunt illos et conuersus ad Carpum Iesus dixit ei : Carpe manum in istos constitutam et non per misericordiam retractam percute aduersum me . Nam paratus sum pro hominibus resaluandis iterum pati : et complaceo super his : quam super aliis hominibus : qui non peccauerunt : uerumtamen uide : et sic bene habetur tibi in baratro cum serpentibus mansionem commutare : sicut mecum et cum benignis ac humanis angelis esse . Ista sunt que ego audiens credo esse uera . hæc ad Demophilum dicta sunt . Tito uero interroganti per epistolam quæ est domus sapientiæ : et quis est crater : et quæ sunt escæ eius : et qui potest luculentissime et discretissime . satis respondere : Et quamuis breui sermone tamen lepore sensusque honorabilitate egregia Ad Iohannem apostolum et euangelistam in Pathmo insula relegatum consolatoria et prophetalis extat ipsius epistola : qua prædixit ei : sicut ex deo didicerat : quod adhuc de eodem exilio rediturus : et in Asia euangelium foret prædicaturus : quam etiam hic gestorum narrationi inserere dignum duximus ita exordientem . Iohanni apostolo theologo et euangelistæ determinato et credito pathmo insulæ Dionysius appellans sacram animam dilectissime : est mihi hoc ad te apud apostolos præcipuum . Aue uere dilectissime a dilecto ac desyderabili atque carissimo ualdeque amantissimo . quid mirum si Christus uerum dixit : et iniqui eius discipulos de ciuitatibus persequentur : Digna si quidem eis agunt : cum a sanctis scelerati se segregant . uerum abigentes et secernentes eos ex uisibilibus inuisibilium prætendunt imaginem . Neque enim in sæculis uenturus erit culpandus | deus de iustis segregationibus : cum impii seipsos fecerint ab illis secretos : et pios iam cum deo inde uideamus effectos : quoniam ueritatis cum sint amatores a libidine quidem recedunt rerum materialium : ac in omnibus malorum omnium liberi cupiditate diuinam bonorum omnium pacem diligunt : et sanctificationem : et de præsenti inchoant uitam futuram angelicæ decenterque in medio hominum conuersantes cum omni animi affectione et diuina nominatione atque benignitate seu cæteris bonis . qua propter non nos hoc contra hæc quasi suspicantes non pati : Sed et corporis passiones tantummodo iudicare : non autem eas te credo sentire . De his uero qui inique agunt in nos : et determinant : nos non recte euangelii solem conueniens inuoco . His omissis qui seipsos agunt in bonum conuertere nobis uos opto adiungere : et luminis participes esse . Nos autem nulla aduersitas priuabit a Iohanne splendidissimo radio . Nunc quidem interpellans memoriam et renouationem tuæ ueræ theologiæ paulo post et si audacter dico uos ipsos mihi coadunari . Idoneus autem omnino sum prenunciare tibi ex deo discens et dicens : quia et pathmo carcere dimitteris : et in Asiaticam terram reuerteris . Ibique agens benigni dei imitationes his qui post te futuri sunt eas trades . Multa preterea tam uoluminibus quam differentibus et diuersis epistolis : ut fluuius eloquii mystici . Dionysius edidit : et uelut oraculum sanctispiritus præcipuo opere : et uero ac philosophico magisterio præsagiuit ad subuertendum errores et destruendos nodos syllogismorum gentilium atque ad euacuandum cultum idolorum : seu ad commendandam patriæ cælestis beatitudinem et æternæ uitæ immortalitatem : quorum magnifica excellentia exiguitatem nostri sensus uidetur excedere . Plura enim scripsit : quæ non est dubium noticiam nostram latere . Paulo autem Romæ post primam suam deffensionem transactis annis pluribus in occiduis partibus : ut sibi ipse predixerat : Christum testificante : pretiosissimus Dionysius qui a patria ionicii Christiano autem agnomine propter maximam eius sanctitatem uocabatur Macharius : quod interpretatur || beatus : ne post discessum magistri lupi rapaces et gregi non parcentes dominicas oues inuaderent :

quod institutor suus plantauit abundanti sollicitudine rigare contendit . Vnde uicinas et longe positas pertransiens ciuitates : prædicando et ad fidem populos conuertendo fidelesque in uerbo confirmando atque oppressos uariis langoribus sanando usque Troada secessit euangelii gratia atque in eisdem partibus aliquanto tempore uixit . Sed post aliquot annos cum in prælio lacedemoniorum positus Petrum et Paulum apostolorum capita Romæ tentos . et Petrum ergastulo Paulum secundo uinculis prouulgata fama comperisset affici : Athenas rediens . subrogato sibi episcopo plebem tradidit . et per contiguas parochias uerbi spargens sæmina . quatenus Romam peruenire cum quibusdam officialibus : quos sibi comites sumpserat nauiter ministrauit : Sicque achiue alumnus fortunæ et doctus architectus ecclesiæ se romanæ amplitudini contulit : et Græciam cui doctrina ac miraculorum eius memoria manet nequaquam deseruit . Magno enim apostolorum amore et martyrii desyderio festinantiæ itineris Romam accelerans insistebat : ut simul cum eis si ita uellet Christus occumberet . Sed uota eius præuenit dispositio diuina et uiri diabolici dementissima satis uæsania . Nam cum impiissimus Nero terra marique imperii sui fræna laxasset : et nimiæ uoluptatis successu inter cæteras nequitiarum suarum cumulos etiam furor crudelitatis eius dira rabie in Christi famulos ebulisset : quartodecimo imperii sui anno antequam beatus Dionysius Romam adiret : sanctos dei apostolos alterum per crucis tropheum alterum autem gladio animaduersum fclici† cruore perfusos et martyrii gloria dignos transmisit ad superos : seque uiuendi faciens finem obitu nefando : ut fuerat : et uita nefanda in breui destinauit ad inferos . Preciosus denique Dionysius arcis romanæ mœniis sui auspice Christo præsentiam intulit : quoniam fidei necessitas et ad suscipiendum uerbum dei euidens in gentibus quas pertransierat hostii apertio morosius eum detinuit : et beatum Clæmentem pontificem sanctæ et summæ apostolicæ sedis iam apicem gubernantem inuenit . | A quo idem gloriosus domini Atheniensium archiepiscopus Dionysius : mox ut se potuerunt inuicem salutare : digno est cum honore susceptus : et pro sanctitatis ac eruditionis suæ reuerentia seu anterioris fraternitatis coniunctione loco maximæ uenerationis est habitus . Cum quo etiam pro mutua collocutione apostolicarum sanctionum et dulcedine spiritualis dilectionis aliquandiu familiarissime conuersatus immodici amoris uterque uinculis sese constrinxerunt . Sed cum dominus omnipotens ueri solis domini Iesu Christi radio splendidissimus et orientali idest sanctissimo Dionysio occidentales tenebras uellet sua gratia illustrare : et murum ualidissimum infidelitatis : qui totius Galiæ et Germaniæ terminos pene irremediabiliter occupauerat : prouideret ariete tali destruere : tantoque peritissime elloquentiæ spiculo gentilitatem perfodere : quæ antea munitissima deffensione erat solita gratulari : atque omnem hanc Galliam ipsius Dionysii apostolatu disponeret subleuare : quam Mercurio dæmoniaca seruitute constabat miserabiliter ancillari : beati Clæmentis cor tetigit : et ut istiusmodi uerbis pretiosum Dionysium alloqueretur accendit : uides inquit sanctus Clæmens mi frater carissime Macari Dionysi : quanta est messis dominicæ sationis : et quam pauci sunt operarii : quia ergo de omnibus catholicæ doctrinis pietatis es sufficienter edoctus : et omni christiana uirtute ac religione admodum roboratus : perge in nomine domini partes aggrediens occidentis : et ut bonus miles Christi præliare prælia domini tui : et sicut dominus Iesus Christus magistro meo tradidit Petro : et ego sanctæ hæreditatis iura suscepi : cum alligandi soluendique auctoritate tibi semper presto sit diuina potestas : nostrisque orationibus comitantibus et sanctorum apostolorum intercessionibus roboratus in tui apostolatus sortem apostolica nostra auctoritate omnem suscipiens Galliam : opus fac euangelistæ . ministerium tuum imple : ut Christi noticia per te ubique diffusa a domino in die retributionis merearis audire : Euge serue bone et fidelis : quia super pauca fuisti fidelis : supra multa te constituam . intra in gaudium || domini tui : Et ne uerearis multitudinem et atrocitatem gentis barbaricæ certo sciens : quia qui plus laborat : plus mercedis accipiet : Socios quoque ei et comministros uerbi plures et probatos uiros adhibuit : illique dixit : Sicut fuit dominus Iesus cum dominis et patribus ac magistris nostris apostolis suis Petro et Paulo : ita sit tecum in omnibus quocumque te uerteris . Esto robustus : tu enim maximam et innumerabilem populi multitudinem introduces in ueram repromissionis terram filiorum Israel : et dans pacem omnibus ita hanc uere fraternitatis societatem soluit abire : Qui simul properantes : et circum circa dominum prædicantes appulerunt portum arelatensium

ciuitatis : Et exinde quibusdam ad partes necessarias prout ei uisum fuerat destinatis : idem Macharius Dionysius qui sedis apostolicæ priuilegium tradente sibi beato Clæmente Petri apostoli successore uerbi diuini sæmina gallicis gentibus eroganda susceperat : beatissimi principis apostolorum et magistri sui Pauli informatus exemplo : qui romanæ crudelitati se propter Iesu Christi nomen immerserant : quo apud Gallias amplius gentilitatis feruere cognouit errogare : eo magis illuc intrepidus et calore fidei armatus accessit : ad Luteciam parrhysiorum domino ducente peruenit . Doctrina igitur præclarus : miraculis coruscans et uirtutum signis : quæ Atheniensium ipse magister Paulo docente didicerat : Gallis ministrabat : Non ueritus incredulæ gentis expetere feritatem : quia uirtntem† suam præteritarum pœnarum recordatio roborabat . Tormentis expertus multis morte tandem assecnturum† se uitam tota nihilominus intentione desyderans : ut qui iam erat Christi nominis inter multa tormentorum flagella perfectus confessor : fieri mortis multatione mereretur et martyr . Tunc memorata parrhysiorum ciuitas ubi erat sedes regia : et conuentus Gallorum ac Germanorum nobilitate pollebat : quia erat salubris aere iucunda flumine : fæcunda terris : arboribus nemorosa : et uineis huberrima : Constipata populis referta commertiis : ac uariis commeatibus una† fluminis circumfluente : quæ siquidem inter multimoda commoditatum genera etiam | alueo suo magnam piscium copiam ciuibus ministrabat. Hunc ergo locum dei famulus elegit expetendum : ad quem cum primo fide armatus et confessionis roboratus constantia accessisset intrepidus : atque ibidem deductiore tempore immoratus maximam Christi gratiam in lucrandis populis fuisset adeptus : quendam Liisbium uirum honoratissimum ciuitatis parrhysiatæ : qui eius prædicatione in dominum Iesum Christum crediderat : et illi fideliter adhærebat allocutus est dicens : uir illustrissime : quia iam operante gratia domini nostri Iesu Christi plurima populi multitudo in credulitate et confessione sui sancti nominis benedictione baptismatis consecratur : et quottidie fidelium numerus augetur : uisum est mihi agrum secretarii pretio a tua fraternitate suscipere : et domum baptismatis ibi construere : ac consecrare : quo ad laudes diuinas sacramentorum ministris celebrantibns† populus deo dignus possit confluere : et charismata diuina percipere : cui Liisbius gratias inqut† cum† pater beatissime offeram per sanctitatem tuam domino Iesu . Christo : Non ait beatus Dionysius ita huiusmodi negotium est agendum quia deus et dominus noster Iesus Christus pro salute nostra operante spiritusansto† ex beata Maria semper uirgine cum ipse fecerit mundum in locato est diuersorio natus : quapropter non uidetur æquum : ut gratias accepto agro præparem domum in qua et filii adoptionis per nostrum ministerium renascuntur . Sed et de eius pretio captiuorum est sepultura comparata : præterea rationabile iudicatur : ut pretiosissimum locum . ubi illi qui in commercio sanguinis illius morte intercedente de captiuitate diaboli . et mortis perpetuæ baptizati fuerint redimantur . commutationem uero pretii tu Christi pauperibus largieris : qui te illi deuotissime obtulisti . his ita expletis ecclesiam illic : dei omnipotentis semper in omnibus et ubique se comitante auxilio : iuxta facultatem suarum uirium : utque nouus adhuc aduena poterat in honorem domini nostri Iesu Christi : quæ nec dum locis illis et populis nota erat : construxit : ac officia deuote domino seruientium clericorum ex more constituit : probatasque personas honore san || cti ordinis ampliauit : Incessanter restituens cultui creatoris : quos a deuio cultu reuocauerat creaturæ . Ciuctus† ergo fide et deuotione populi : quem in constructione et reuerenti basilicæ frequentatione cernebat admodum roboratum deum et dominum nostrum Iesum Christum : quem pectore purissimo nouerat : et corde ardentissimo diligebat insinuare gentibus non cessabat : Cunctisque misericordiam eins† in hoc tempore et iudicium futurum proponens paulatim sociabat deo : quos diabolo subuehebat : atque totis exhortationis nixibus et signorum prodigiis satagebat : quatenus quos arripiebat mundo : dignos faceret cœlo . Tantas enim per illum dominus dignabatur exercere uirtutes ut rebellium corda gentilium non minus miraculis quam prædicationibus obtineret : et cum sæpissime ab idolorum pontificibus contra eum sedicio excitaretur in populos : ita ut plebes innumeræ etiam et de uicinis regionibus cum armis ac bellico apparatu propter fideles : qui iam per illum in Christum crediderant : ad perdendum eum gregatim : ubi ipsum esse audiebant concurrerent : mox ut illum uidere poterant : tanta et ita ineffabiliter in eo lux cælestis gratiæ radiabatur : ut aut omni ferocitate una cum armis deposita se illi prosternerent : aut qui compuncti spiritus

sancti dono ad credendum non erant : pauore nimio soluerentur : et territi a presentia eius aufugerent : miroque modo inermi uiro non ualebat plebs armata resistere : sed subdebat se illi potius certatim Gallicanus : atque germanica ceruicositas : iugumque Christi suaue imponi sibi acta cordis contritione poscebat . Ab ipsis quoque destruebantur† idola : quorum sumptu fuerant et studio fabricata : et inuento salutis portu idolorum gaudebant naufragio . Lugebat quoque portio uicta diaboli cum de ea uictrix ecclesiæ legio triumphabat . Tunc hostis antiquus uidens sibi perire quod domino constabat : assidua populorum conuersione proficere totam artificii sui machinam ad impugnanda quæ fuerant constructa conuertit : unde suæ partis instigauit auctores deorum suorum flæntes exitia : quos ad impietatem persecutionis in eos armauerat : | qui uuum† et uerum deum et dominum Iesum Christum cum patre et spiritu sancto colendum prædicauerant et timendum : pariterque in eos : qui hanc salutis fidem deuoto corde conceperant : Cumque quod male cupierant peeficere† propter fidelium multitudinem non ualerent : hac calliditate artis suæ nos instruxit : quo efficerentur compotes uoti sui : ut Domitiano qui post Neronem perditionis filium secundam persecutionem in christianos exercuit : uirtutum et prædicationis præconium sancti uiri quod se iam longe lateque diffuderat intimarent : quatenus ocyus deorum suorum uenerationi consuleret : quæ iam etiam ab ipsa hominum memoria per Dionysium ut asserebant quendam prestigiatorem et magnum inuictissimum eiusque sequaces abolebatur : quæ audiens immanissimæ crudelitatis bellua Domitianus in tantam rabiem indignationis exarsit : ut ubicumque per se uel per suos satellites christianum quempiam repperisset : aut cogeret diis sacrificare incertis : aut diuersis pœnis addictum gladio traderet puniendum . Sed et per totum sibi subditum orbem in cunctis ciuitatibus : oppidis : municipiis quoque et uicis publicum pependit edictum : ut amministrationis infulis seruientes : omues† Christi nominis amatores exponere diuersitati supplicii maturarent : ne superesse posset : qui ualeret adquirere quod peribat . persecutionis ergo publicata sententia iniquorum gaudens turba in omnem mundi partem bacchando progreditur : et contra dominicum populum pugnatura conspirat : non cunctanter illos ipsos appetere gladio : quos dominus iam suos monstrauerat esse signaculo . qua de re nulla iam pro Christo certantibus præsentis uitæ indulgebatur tranquillitas : nulla sanctorum martyrum† erat excusata libertas : sed cuncta pro dolore aut iniquis iussionibus eius obediebant : aut quod statutum a crudelissimo Cæsare fuerat perferebant . Dirigitur proinde præfectus Fescenninus scisimus tradita sibi electa apparitione : cum ingenti strepitu ad partes occidentalium regionum : ut sanctum senem nominatissimumque doctrina uirum et uirtutum insignibus præcipuum Macharium Dionysium ubicumque reperire potuisset perquirens aut de || creto principis idolis tura incendere compelleret : aut tormentis laceratum demersisset . Inter cætere etiam secundum leges romanas ut pote eum qui præstantissima nobilitate terrena floruerat : et contra senatus ac reipublicæ promulgationes contraque imperium egerat : nudum publice uirgis cæsum securi percuteret : Itaque cum prædictus Fescenninus scisimus suique commanipulares præceptum principis suscepissent : pro Macharii Dionysii inquisitione Galliarum penetrant fines : quibus adhuc procul positis sancti uiri celebre nomen enituit : unde amplius efferati cursu uelociore tumentibus animis uultibus trucidissimis urbem Parrhysius adierunt : ubi beatum Dionysium contra incredulos dimicantem : et prædicatione continua populi multitudinem ad finem inueniunt exhortantem : quo cum etiam beatum uirum Rusticum archipræsbyterum et Eleutherium archidiaconum : quos ipse famulus domini in suis ordinibus consecrauerat prædicationis et diuini obsequii comministros persecutorum dirus furor inuenit . Hi sancti uiri a beatissimi Dionysii nunquam substinuerunt abesse præsentia : quos diuina dignatio æterni regni iam præsciebat esse consortes : quosque inuicem ignitæ tempestatis insectatio per martyrii certamina nulla sua caliditate aut seueritate separare præualuit . Denique aduentus præfecti Fescennini scisimii cum romanorum militum apparitione in urbe Parrhysiorum per omnem regionem subito personatur : et a primoribus ciuitatum Galliarum ei occurritur : imperialis eos iussio urgens super captura sancti pontificis Macharii Dionysii cum omni imperio diuulgatur : Et quia dominus Iesus Christus diu laboranti seni sanctissimo sudores certaminum suorum decreuerat proprii sanguinis fonte abluere : quo posset liberius carnis sarcina liberatus . et super niuem dealbatus præsentiæ

illius astare : et qui semetipsum holocaustum offerebat : odoriferum sacrificium laudis iugiter immolare : ab innumerabili pene caterua dæmoniacorum uirorum curritur et sanctus domini capitur . colafizatur conspuitur . Deridetur . Illuditur . loris durissimis crudelissime ligatur . trahitur : et una cum sancto Rustico archypræsbytero . et | Eleutherio archidiacono suo præfecti præsentiæ sistitur : quem cum nimia seueritate præfectus alloquitur dicens : Tu ne es ille infandissimus senex : qui diceris Dionysius ionicus : et agnominaris Macharius : qui et deorum nostrorum culturam euacuas et inuictissimi principis statuta contemnis? cui beatus Dionysius ait : Senex quidem sum corpore : sed feruore deuotionis et fidei atque salutari confessione domini et saluatoris mei Iesu Christi maneo semper nouus : et nouos illi genitos per mysterium prædicationis meæ infantes : quos illi fons sacri baptismatis parturit : rationabili lacte pascere sine dolo non cesso . Sed et illius principis scita qui uere est inuictissimus innocenti opere et mundo corde conseruo : Cui præfectus : Dic ergo cuius numinis te profiteris esse cultorem : et cuius conditionis te asseris . Tunc hi tres beatissimi uiri Dionysius Rusticus et Eleutherius ita dono sancti spiritus instigati . et zelo fidei inflamati sono unius uocis eisdemque uerbis : cum non nisi unus interrogaretur : reddidere responsum : ac si unius hominis ore sermo procederet : In hoc inquiunt manifestum nos esse scito uerissimos christianos : cum corde credimus : ore confitemur : et opere colimus patrem et filium et spiritum sanctum unum deum et dominum : ita ut in trinitate perfecta et plenitutudo† sit diuinitatis : et unitas potestatis . Dominum autem nostrum Iesum Christum unam ex eadem trinitate sancta personam : deum ante tempora sæcularia : hominem uerum propter salutem hominum ex beata Maria semper uirgine in fine temporum factum . Passum . mortuum et sepultum . et ab inferis resuscitatum sedere super omnem principatum et potestatem cælestem ad dexteram paternæ maiestatis in excelsis . uenturum ad iudicandum uiuos et mortuos : et sæculum per ignem in melius immutaturum fideliter prædicamus . Tunc præfectus dixit : Non uisum est mihi de his quicquam uobiscum agere præsertim cum te decrepite pessimæ senectutis nimia eloquentia et profundissimorum uerborum tergiuersatione atque ultra naturam hominum in populi seductione una cum magicis prestygiis orbe pene romano || callere innotuerit . Ex his enim Romæ satis audiuimus . Tantum edicito : si magni principis Domitiani iussis obedire et immortalium deorum iura uenerari disponitis . Sin autem non uerbororum† sed uerberum conflictatione uobiscum uiriliter decertabo : Cumque hæc agerentur : et secum præfectus scilicet et sancti domini quærerentur : quedam inclyte familiæ matrona nobilis multo comitatu stipata nomine Larcia superuenit . compellens prefectum a Dionysio ionico agnomine Machario uirum suum Liisbium magicis artibus mentecaptum et eius transgressionibus sociatum : qui statim quæsitus repertus est : et adductus : atque in Christi nominis confessione præfecto dictante sententiam transmissus est uitæ perpetuæ . Sancti uero domini tortoribus traditi ad loca pœnalia ducti sunt : et in conspectu sanctorum Rustici et Eleutheriuit† tormentorum ipsius terrore ab intentione sua resipiscerent pretiosus campiductor eorum . et fortissimus athleta domini Dionysius expoliatur : et toto corpore nudus : a ternis militum ternionibus uicissim flagellatur : nec uincitur : qui inter crepitus uerberum dei gloriam collaudare : et commilitones suos :ut ad hoc se inuictos præparent commonere : omnesque fideles ut in dominica fide hinc corroborentur non desinit prædicare dicens : laudem domini loquetur os meum : et benedicat omnis caro nomen sanctum eius : quoniam stygmata passionis Christi perferre dignus habitus sum pro eius confessione in corpore meo ; quod est gloria nostra O uiri fideles et dilectissimi fratres ideoque uidete : ne deficiatis in tribulationibus meis : sed magis armate corda uestra : et ad similia propter amorem domini nostri Iesu Christi : offerte promptissime corpora uestra . Flagellantur etiam Rusticus et Eleutherius acerrime : et immenso cathenarum pondere simul honerantur sancti domini : et in ergastulum tenebrosissimi carceris retruduntur : Indeque ad prefecti auditionem reducti in catastis extensi : et flagellati domino gratias referebant . Tunc beatissimus et acceptabilis Christo hostia Dionysius in oculis suorum super lectum ferreum suppositis flammis nudus extensus est : et cantabat | dicens : Ignitum eloquium tuum domine uæhementer : et seruus tuus dillexit illud . Proterea† domine Iesu Christe omnipotentis dei patris uirtus et sapientia qui dixisti : cum transieris per ignem : Flamme non nocebunt tibi : et dedisti mihi periculosiorem ignem in cupiditatibus uincere : fac et ad nominis

tui gloriam hanc adustionem superare : Et sic cum adusto toto corpore fuisset leuatus : ad bestias ferocissimas in rabiem multo ieiunio excitatas proiectus surrigitur : quas cum impetu ualidissimo conspexisset accurrere : contra eas faciens signum crucis : et suspiciens in cælum ait : Tu domine qui semper idem es : adesto nunc mihi eandem potentiam exercendo : quam in lacu seruo tuo Danieli misericorditer contulisti . Peruenientes autem ad eum bestiæ . mansuetissime procidebant ei . Præparantur quoque ingentia clibani incendia : et in ea uir domini sanctus Dionysius uexillo sanctæ crucis armatus proiicitur : et hic inquiens mihi non deeris domine Iesu Christe : ut illæsus hac etiam perpetui tormenti imaginaria concrematione egrediar : roreque tui sancti spiritus hos fidei meæ rogos qui rhompheam ignitam in custodiam paradisi cruoris tui latice fidelibus tuis ad uitam præbens transitum extinxisti . Inter hæc sancti domini Rusticus et Eleutherius flæntes : et ad pœnas similes uoto promptissimo properantes uincti deferruntur : non dimittuntur : Cumque extincto ad orationem eius fornacis incendio beatus domini Dionysius fuisset splendidior auro eductus patibulo cruciarii stipitis tormentalium instrumentorum confixione appenditur : unde semper Iesum Christum uerum dominum esse cunctis spectantibus prædicans diutius tortus nec mortuus deponitur : et in carcere Glaucini tres simul electi domini cum fidelium multitudine recluduntur . Ducebantur sane a delicto obligatis iusti in uinculis condepnandi† a damnatis : et innocentes a nocentibus exponuntur : Vbi post multas et pernecessarias populi : qui eum sequendo carcerem irruperant exhortationes et ad absentes dirrecta institutionum præcepta dominica cum missarum sollempnia : ut confirmarentur participatione corporis et sanguinis domini no || stri Iesu Christi fideles uelut iam in cælis positus celebraret : hora qua frangebatur panis sanctus : quo ipse et populus communicare debebat : resplenduit huiusmodi lux de cælo super eum : et in omnes . qui ibi aderant : qualem nemo eorum antea uiderat : In qua ueuiens† apparuit dominus Iesus Christus etiam cunctis uidentibus : quibus est datum uidere : cum multitudine angelorum : et accipiens panem sanctum dedit illi dicens : Accipe hoc care meus : quod mox complebo tibi una cum patre meo : quoniam mecum est maxima merces tua : et his qui audierint te salus in regno meo . Nunc facies fortiter : et memoria tua erit in laude . Dilectio autem et benignitas quam habes semper pro quibuscumque petierit impetrabit . huius uero terribilis et ammirandi spectaculi mysterio quanquam adhuc pagana curiositate tamen miraculorum sollicita prædicta Larcia intererat . His quoque explicitis adsunt carnifices : qui Christi famulos de squalore carceris educentes præfecti obtutibus iterum iterumque præsentarunt : quibus præfectus ait : Si prudenti consilio tandem ad uitam tenditis : immolate diis : et uiuite : Si uero mori diligitis : mortuorum quos seduxistis cadauera infeliciter inhumata : et tormentorum adhuc signa seruantia euntes cernite : et si non resipiscitis : infelicitatem eorum infelicitate excedite : infeliciter ut desyderatis obite . Ad hanc uocem Christi martyres Dionysius Rusticus et Eleutherius in agonia pari confessione fidei et uirtutis constantia roboreque post nimia tormenta gloriosum complere martyrium elegerunt : et iudicis abstracti conspectibus ac funeribus ostensis sanctorum diuina iusta et occulta laudauere iudicia : qui sic eos in præsenti regno tam magnifice tamque gloriose exaltari ante omne tempus decreuit . Deinde terrore subiuncto multisque iniuriis et non antea perlatis suppliciis macerati Christi se famulos magna confessionis uoce pronunciant . lacerabaturque præcipue sanctus dei sacerdos humana rabie : cui seruiuit et bestia : qui præcurrebat ad tormenta : ne tarde iret ad gloriam . prouocabat in se pœnam : ut maior esset uictoria . Confligebant inter se illinc carnifices hinc palma | ta uox martyris . Ambiebat supplicia : ut tormento crescente cresceret et corona : quapropter iterum uelut ab initio uirgis in conspectu omnium sancti martyres nudi cæsi et suis uestibus reinduti e regione idoli Mercurii ad locum constitutum educti ad decollandum sunt genua flectere iussi . Tunc beatus antistes domini Dionysius manus expandens : et oculos ad cælum erigens ait : Domine deus meus qui creasti me : et gratia tua in uitam hanc induxisti me : qui æterna sapientia tua docuisti me : et consilia secretorum tuorum non abscondisti a me : sed semper in misericordia et miserationibus tuis multis consolatus es me : et fuisti mecum in omnibus ad quæcumque perrexi : tibi gratias ago pro cunctis : quæ fecisti : et ostendisti mihi : atque dignatus es operari pro me : maxime quia nunc humilitatem meam uisitasti per te : et uocasti senectutem meam tuo desyderio fatigatam ad te : sciens quia iam ex multo

tempore largius concupiui uidere te . Nunc iam domine per coronam martyrii cum fratribus meis seruis tuis suscipe me : tuosque tuæ custodiæ commendo : quos ministerio nostro et tibi tuo sanguine acquisisti . Cunctos etiam qui te per nos in nomine tuo petierint : ut pollicitus es clæmenter exaudi : quoniam tuum est regnum et potestas cum patre et spiritusancto ante omnia et in omnia sæcula sæculorum . Cumque beatue[t] Rusticus et Eleutherius cunctique fideles et multi paganorum qui eum lamentantes prosequebantur : respondissent amen : positis genibus et protensis ceruicibus uno eodemque momento hebetati secundum principis præceptum securibus decollati sunt : atque in hac fidei constantia permanentes terræ corpora beatas cælo animas intulerunt : Talique ad dominum meruerunt confessione migrare : ut amputatis capitibus adhuc putaretur lingua palpitans Iesum Christum dominum confiteri : Quoniam unde mentibus inerat amor : licet præcisis capitibus hoc ore iam supererant et sermonibus æstuabat ardor . Vere beata nimium et deo nostro grata societas : inter quos nec primus alter potuit esse nec secundus . nec tertius . Sed trinitatem confitentes trino meruerunt decorari martyrio . Quatenus || fide pares gloria coronaret æqualis : Tantaque multitudo fidelium : qui per eum crediderant : eadem die cum illo et in circuitu ciuitatis pro Christi nomine cæsa : et diuersissimis ac antea inauditis suppliciis est affecta : ita ut Pharrhysius uideretur impletum : quod de Iherusalem prophetico uaticinio fuerat peroratum : Posuerunt mortalia seruorum tuorum in circuitu eius . et non erat : qui sepeliret : Namque ad declaranda martyris . et Galliarum primi sacerdotis merita gloriosa : ut ubi salutifer primo cœperat fructus oriri : eo amplius gloriæ ipsius pateret triumphus maximus . Cunctos assistentes horror inuasit : ac lux ineffabilis cunctis resplenduit : et beatissimi Dionysii cadauer se erexit : sancta manu caput a corpore dolabro lictoris trunchatum angelico ductu gressum regente et luce cælesti circumfulgente pendulis cœpit brachiis uectigare : Et facta est comes multitudo cælestis exercitus exanimi eius corpori caput proprium ab ipso monte ubi fuerat decolatus per duo fere millia deportanti usque ad locum in quo nunc dispositione sua et electione requiescit humatum sine cessatione hymnis dulcisonis dominum laudans : Sed et cælis potentia diuinorum spirituum innumerabilia agmina sunt audita canore inextimabilis suauitas modulantia : gloria tibi domine : adiuncto frequentius aleluia . Nam prout discerni potuit tantus auditus uelut alternatim chori angelici hæc et alia quorum intellectus non potuit percipi concinebant : quod uidentes et audientes innumeri populi multi etiam persecutorum in dominum crediderunt . Non credentes autem nimio terrore perculsi quique in suas partes fugerunt . Competens profecto erat diuinæ dignitatis mirificatum sanctum suum in cælis taliter demonstrare : ut terris qui ad ferocissimos populos inclytus nuncius et ipsius confessor pretiosus succensus igne diuini amoris constanter sustinuit supplicia passionis : et per immanitatem tormentorum peruenit ad societatem angelorum : Nempe prius nouum et inauditum miraculum exanime corpus iuuentutis currere more et hominem iam mortuum recto gressu incedere . Sed quanquam sit mirum : non est tamen difficile pretioso capi | te sanctissimi uiri corpus angelico ministerio in modum iuuentutis ambulare : cum idem dominus sua omnipotentia efflato spiritu cadauer eius propter fidei suæ commendationem : quam idem fidelis suus seruus prædicauerat : facile ut iret potuit regere : qui id ipsum corpus de puluere terræ compingens spiritu quo uegetaretur dignatus est inspirare : eundemque redactum in cinerem dignabitur reparare : et qua uixerit anima uiuidum perhenniter reddere : quod stupendum miraculum cum superius fata Larcia conspexisset prosiluit in fidelium turbas et uociferata est : se esse christianam : quæ mox capta est : et in Christi domini nostri confessione sanguinis sui fonte ab immundicia idolorum occubuit baptizata in remissionem peccatorum : cuius filius Liisbius : quem ex præscripto Liisbio uiro suo susceperat : Romam ductus Domitiano eiusque palatio per tres Cæsares militauit : et sub sancto Masso episcopo : qui tertius a beato Dionysio Pharrhysiorum rexit ecclesiam reuersus : omnibusque quæ sunt mundi relictis baptizatus et religiosorum Christique pauperum numero est sociatus . Cæterum metuentes persecutores et gentilium phalanges ne conuersi populi fidelissima probataque deuotio sanctorum corpora Rustici et Eleutherii : quæ in monte ubi ipsi cum beato Dionysio fuerant martyrium passi profutura sibi ad patrocinium colligerent et tumularent : inito consilio eligunt tetris Segone profundisque gurgitibus martyrum corpora perdenda committere : quæ imposita nauibus ad prouisum gurgitem

ministros iubent demergenda perferre . sed dominus omnipotens præscius futurorum : qui mutat tempus : et quod prædestinauit : non mutat consilium : qni† malum Olophernis conceptum prudentia beniuolentis fœmine immutauit : iniquorum consilia suæ dispositionis arti industria qua uoluit seruire coegit . Nam nobilis quædam materfamilias Catula nomine quæ licet paganorum adhuc erroribus necessitate potius quam uoluntate teneretur addicta conuerti tamen ad fidem Christi per exempla martyrum atque ad baptismi gratiam peruenire desyderabat : et mente demonstrabat : et opere dei misericordia || inspirata mactæ uirtutis consilium appetiuit : atque ad conuiuium uenire postulat sanctorum corporum perditores : Et dum eis copiam oblatæ humanitatis expendit a memoria eorum quæ susceperant agenda discussit : fidelibusque suis . et familiaris uoti consciis secreta ordinatione committit : ut subtracta furto pretiosa corpora beatorum diligens elaboret occultare prouisio : Qui dominæ uoluntate et iussione comperta festinanter quod eis præceptum fuerat exequuntur : furtumque laudabile quod nemini damnum intulit : et omnibus pie credentibus lucrum maximum contulit sexto a memorata urbe lapide in sulcis auctunnalibus : quos tunc sæminibus iaciendis præscripta matrona in abundantia parabat arantium speciem agricolarum prætendentes uelut quidam ruralis operis laborantes abscondunt . locum etiam certa nota assignare procurant : Ex quo eadem dei futura plenius fœmina ac sibi collegæ christiani inter nocturna secreta silentia præscripta martyrum corpora tollentes beati Dionysii corpori coniunxerunt : et ueneratione qua inter persecutorum rabiem poterant deuotissime frequentabant . Facta deinceps satione nec suum seges negauit obsequium : quæ tali est fæcundata pinguedine : atque sic se in eam beneficium hubertatis effudit : ut centuplicatos fructus deuotissima cultrix acquireret : et patriam mereretur salutem . Prædicta itaque mater familias : cum primum uidit persecutionis tepuisse feruorem : locum tantorum martyrum ossa seruantem qua oportuit honorificentia una cum sanctis domini sacerdotibus et fidelium turbis reuerentissime satis aggreditur et incomparabilem thesaurum quem diu sibi et posteris profuturum seruauit : omnibus patenter eadem sacratissima die innotuit . qua beatus Dionysius cum sociis suis triumphans agonem expleuit et coronam uictoriæ de manu domini accipere meruit : atque testis domini Iesu pretiosus sydereum senatum possedit : ipsumque locum eminentis Mausolei ædificatione signauit : sanctorum quoque corporibus digna ueneratione sepultis eorum uestimenta tunica uidelicet cylicium et caligæ Dionysii pretiosi et capsula sancti Rustici archipræsbyteri atque Dal | matici beati Eleutherii archidiaconi : exceptis portionibus quæ pro relliquiis electorum domini a fidelium deuotione suscepta sunt : usque hodie debiti cultus reuerentia conseruantur : quorum meritis et precibus eadem uenerabilis fœmina in nomine sanctæ trinitatis ex aqua et spiritu sancto renata cuncta quæ habere potuit domino Iesu Christo salutari nostro atque ipsis martyribus tradidit : et sacras excubias apud eorum corpora quandiu superuixerat celebrans in bona confessione ac conuersione ad Christi et sanctorum martyrum gloriam ipsis intercedentibus migrare promeruit . Porro multiplici fidelium numerositate christiani beati Dionysii patrociniis deuotissimi basilicam super preciosorum martyrum corpora magno sumptu cultuque eximio construxerunt : ubi quottidie operante domino nostro Iesu Christo per merita eorum uirtutum probantur monstrari frequentia : quorum miraculorum insignia non solum sermo non prævalet enarrare : uerum nec ipsis queunt humanis mentibus comprehendi : Vnde nec dignitas honoris et magnificentiæ eorum hominis cognitu potest attingi : Experiuntur tamen infirmi ac quibuscumque anxietatibus afflicti in eodem loco et ubique domini clæmentiam eorumdem martyrum merita inuocantes quantum dei famulos conueniat honorari : quorum interuentu recipit cæcitas uisum debilitas gressum et obstrictæ aurium ianuæ recipere merentur auditum . Sed nec illud silendum est : quod immundorum spirituum infestatione uexati : dum ad memoratorum Christi testium tumulos examinandi uirtutute† diuina ducuntur : sanctorum ipsorum coguntur imperio quo quisque sit martyrum positus loco designatis nominibus indicare : quorum memoranda et gloriosissima passio in regione urbis Parrhysiorum incollæ : qui antea mons Mercurii : quoniam idolum ipsius principaliter colebatur a Gallis : nunc uero mons martyrum uocatur sanctorum domini gratia : qui ibidem triumphale martyrium perpessi sunt : celebrata est septimo Iduum octubris Anno ab incarnatione domini nostri Iesu Christi nonagesimo sexto a passione autem sexagessimo

quarto ætatis uero beatissimi Dionysii circiter nonagesimo : imperii quoque || Domitiani crudelissimi Cæsaris anno sextodecimo ingruente : quem ultio diuina percussit ut et Neronem : cuius hic portio post necesse apostolorum sine ulla est procrastinatione secuta : qua percussus uitam cum tyramnico principatu miserabiliter : ut par erat : amisit Regnante domino nostro Iesu Christo : cuius est honor et gloria uirtus et imperium cum patre in unitate spiritus sancti ab æterno et nunc et per omnia sæcula sæculorum .

VITA SANCTI DIONYSII EPISCOPI .

Taanta† prærogatiua gratiæ pater sanctissime sæpe cordis rura guttis rorantibus rigas : ut instar telluris redundantia sensus omnium sublimi pullulent florum prouentu : quippe pastorali fultus excellentia et ut decuit corde manens semper deuotus miræ nobilitatis pandere præcipua sanctorum merita cogis : et quia agricola probatum terræ gremium et cultris attritum sæmine complet : ut ex hoc ad orreum fructum centuplicatum reducat : haud aliter tuus quam maluerat fauor de sancti uiri conuersatione iusseras carpere indaginem : quamobrem in ea timidus de humilitate tuis præsumptor de precibus : ad tam arduum callem auide uerti pedem : sanctam inuocans trinitatem : ut ille adsit ueritatis spirator : quatenus et ego cœptum opusculum plenius meo prosequar stilo : et sacri uestri cordis auribus digne gesta edisseram . Cæterum abiectis uerborum ambagibus narrandi sumamus exordium : Igitur cum sancta et uniuersalis Christi sponsa mater ecclesia diuersis margaritarum ornata monilibus nitide in toto orbe terrarum pieque fulgeret : et christianæ fidei religiosa propago succresceret : cruentus ille temptator pallido ab ore mortifera semper uomens uenena zelo sui liuoris inflammatus obducta tenebrosa caligine intra ecclesiæ sacrum gremium nixus est impugnare christicolas . Iam enim roseo cruore madefactus mundus uirtutum omnium gratia pullulabat : adeo ut omnium nationum augustissimus Imperator orthodoxæ fidei cultor existeret : qua | tranquillitate arrhyana prorupit seditio . Horresco referens quantum exercuerit huiusmodi facinus : quod inter cætera hæc profano blasphemarent ore : fuisse tempus quo filius cum patre non fuerit : et tempus ei ascriberent qui auctor est temporum . Huius rei causa apud Niceam urbem synodus congregatur uenerabilum† cohorte antistitum : Inter quos Athanasius tunc Alexandrinæ ecclesiæ diaconus affuit : qui contra mortifera Arrhyanæ sectæ uenena antidotum salutari poculi fidelibus propinauit : quia flante spiritusancto tensa iam uela impolluto calle opacas ac profundissimas oppositiones ipsorum lucidissimis potuimus uere fidei assertionibus contraire : At quia totus pœne mundus de nomine emicat regis : in quo sua manet stabilitate fundatus : et reiectis tenebris meridianum lumen resplendet : necessarium duximus cœpta prosequi . Damnati interea arrhyani nihil contra sanam fidem palam ausi tractare ecclesiæ se gremio miscuerunt seruantes dirum sub pectore uulnus : Itaque per Vilentem† et Vrsatium qui erant malitiæ cruore infesti ad regis amicitias peruenerunt : proinde fictis criminibus absentem Athanasium iam tunc episcopum damnare aggressi sunt . compulso demum Constantino augusto in Galliæ partibus Athanasius relegatur auxilio : cui cum relatio missa esset ab episcopis : qui tunc in Egypto morabantur iniuste Athanasium ipsum ab ecclesia iecisse : Mox apud Sardicam urbem synodus congregatur : Et absoluta damnationis sententia : suæ redditur Athanasius sedi : Interea clauso Constantino nouissimo diei : Constantius imperii regimen suscepit . Nacta ergo Arrhyani istiusimodi† occasione conspirant sardicensis concilii decreta subuertere : Astutoque consilio miscent innoxium criminosis : et Photino atque Marcello nectunt Athanasium sanctum : suadentes Imperatori quatenus non putaret de Athanasio perperam iudicasse : qui de Marcello et Photino uera sensissent : sed occultato erroris dogmate catholicis suggerebant nil prius satisfaciendum : quam ut Athanasium ab ecclesia summouerent : Eo tempore apud Nursim contra || Magnentium armis certatum est . Constantius belli timore perculsus : intra quorumdam martyrum basilicam cum ualente moratus est . Idem tantum ualens præsulares infulas eo in loco gerebat : Qui callide per suos disposuerat quatenus in alterutrum armis certantibus ipse prius belli sciret euentum . Late

enim armato milite campo repleto acies hinc inde mucrone stabat corusco : et pugnantibus inter se romanis militibus cæsa uictoria est allocutus : Age nunc semper uictor age nostri decus et orbis : quatenus et nostra celebretur uictoria : dum tua gnauiter de hostibus constat esse expleta : Cui imperator : quid hoc inquit est ? At ille : Sydereus mihi ex improuiso affuit nuncius pandens tuos permansisse uictores . his delusus uerbis : libertas cæsa est arrhyanis . Nam et ipse solitus erat Imperator asserere : non sua uirtute exercitus sed ualentis meritis aduersarios superasse . data iterum de Athanasio sententia est : Cumque aliquanti non præberent assensum edictum est ab Imperatore : ut qui non in eius damnatione se subscriberent : exilio pellerentur . Nempe quibus fondamen spiritualis gratiæ inerat maluerunt suos deserere ciues suamque patriam : quam inauditum damnarent uirum : sacræ religioni omnimodo aptum . Sed quid tamdiu per singulos diuagamur ? At si non de sancto uiro cuius de miraculis uestris animis quasdam epulas præparare studuimus currit oratio . Interea non passus est inimicus nauim tranquilli maris spatia transnatare : sed concussis fluentis uentorum flaminibus hinc inde cincta aggeribus et compage dissoluta stridere : neque meridianum lumen quod omni sæculo specialiter prænitebat absque umbra nubium usque ad mundi peruenire fiuem†. Postquam uero eolicis partibus suæ malitiæ sæmina seuerunt frumento lolium miscentes Mediolanum peruenerunt . Ibique ab Imperatore posito synodus congregari iubetur . Eodem namque tempore sanctissimus uir sæpe memorandus episcopus Dionysius apud Mediolanensem ciuitatem urbem pontificatus agebat officium : Erat tamen immunis a uitiis : conspicius† caritate : humilitate facilis : patientia atque benignitate mirabilis : flæbat cum flæntibus | gaudebat cum gaudentibus . Aderat operantibus . opem ferebat miseris . alebat egentes . operiehat† nudos . Tanta inerat ei humanitas : ut nil in aliorum cognosceret actibus : quod sibi non reputaret . sicut gentium scripsit magister Paulus egregius dicens : quis infirmatur : et ego non infirmior† ? quis scandalizatur et ego non uror ? ita enim beati uiri nomen enituit . ut qui sanctus ab omnibus habebatur : uere ut apostolus haberetur . Aduenientes quippe ex intra ecclesiam resederunt . Inter quos tres denique religiosi aderant uiri qui quasi domus lapideo fundamine structa : quæ non mouetur ab undis non turbatur a uentis : ita inconcussi arrhyanæ perfidiæ sectam nitebantur destruere . Et quid mirum si in his tribus trinitatis gratia signabatur : cum per hos fidelibus sacræ fidei quottidiana doctrina fructus largiretur . Erat enim uir omni sæculo digna celebrandus memoria Dionysius Mediolanensis antistes : Eusebius uercelensis necnon et Lucifer acaralis Sardinie episcopus . His intra ecclesiam positis cum cæteris qui aderant episcopis turba catholicorum undique confluxerat inter quos cum Valente et Vrsatio pariter aderant arrhyani . Tanta enim erat fidelibus firmitas : tanta mentis stabilitas : ut non solum uiri constantes : quasi in eis uirilis sexus non femineus esset . Egressus est itaque ad eos uir dei Dionysius silentium petens : ut de fide inter eos aliquid tractaretur . Tunc enim magna constantia catholici uiri hortari cœperunt : non prius fieri uerbum : quam arrhyani de ecclesia pellerentur : quibus eiectis ita exorsus est . Non uos filii carissimi cruenta concutiat arrhyanornm† uesania : non lingua quæ diuinis meditatur tremefacta tabescat : nec subcumbat ampla chors† prauæ plebiculæ quæ quottidie comminuta deperiit : sed euangelicis nexa compagibus solidæ ni† trinitatis unitate plantata permaneat : Iam enim post modicum tantam Christus dominus ecclesiæ suæ tribuet pacem : ut non solum ab istis non impugnemini : uerum etiam qui impugnare quiuerint ab his qui hostes probantur : pro uobis cum dimicauerint uicti succumbant . his dictis intra uelum receptus est . Et cum uellet || cæteris episcopis qui erant sub uelo intimare quæ gesserat : subito facta turbatio est : pro hoc quod quidam frater a palatinis comitibus uinctus de ecclesia trahebatur : quo agnito summi dei sacerdos egressus ad liberandum hominem est malens suam ponere animam : quam sibi commissam perdere ouem . Ad hæc commota plebs catholica : sæuire contra arrhyanos cœperunt : quibus Dionysius uenerandæ memoriæ episcopus sic placido effatus est ore : Non est inquam pro diuina religione armis certandum : sed dictante spiritusancto dira mulcere placidis pectora dictis : et tegere animos summa pietate furentes : Sic ait et dicto citius placat sæuientium iras . Post hæc arrhyanorum primi uidentes beati Dionysii constantiam fidei : et robur mentis et fortitudinem spiritus nil ei persuadere audentes : uersi ad Eusebium sunt : quatenus si possent eius mentem ad damnationem Athanasii

reuocarent . Sed ille cui cum sæculo nihil . cui cum iniquitate nulla societas : cui pro iustitia nullum fatigationis impedimentum . Iis uerbis allocutus est eos . De fide nunc ecclesiæ agimus . Si dura deponitis pectorum corda : et caliginosam nubem a uestris proiicitis mentibus : ut ad anuntiationem nostræ fidei reuertamini : statim percurrentes ad eum locum ubi Athanasius morari uidetur properemus . Si reus est criminis : primus in eum damnationis sententiam fero . commota hac responsione plebs inquit arrhyanorum : Aut da sententiam in Athanasium : Aut nos in te damus sententiam : quibus Eusebius sanctus uos pro fide non uultis subscribere : et mihi suadetis damnare fratrem meum sine causa ? Qui accensi dementia plebem in eum excitare nitebantur : dantes supra eum sententiam . Hæc cum agerentur inter Eusebium et plebem : fideles omnes qui intra ecclesiam erant : hæreticos quosque expulerunt : His eos uocibus insequentes hæretici exeant : arrhyani exeant : peruersorum dogmatum auctores recedebant . Pax Dionysio Pax Eusebio : per quos ecclesiæ salus præstatur . Remota seditione : Allatum uolumen catholicæ fidei apud Niceam urbem promulgatum continens dogma a Dionysio præsule atque Eusebio subscriptum est : Inter quos | aderat quidam Germinius nomine episcopus : qui se ab hac fide non recedere asserebat : Cui responsum est . Vt si defendere cuperet : scripti affirmatione probaret . Ita inquit ille : uox mea mihi testis erit . Igitur fideles omnes Dionysium Eusebiumque petebant : quatenus et Lucifer acaralis Sardiniæ episcopus intra ecclesiam cum ipsis adesset . Quibus Dionysius sanctus : Lucifer inquit ut nobis patet : ab arrhyanis compræhenso clauso tenetur . putant enim : quod obstruso a nobis periculosum ei aliquid ingerere possint : nescientes quod unus atque idem spiritus operatur in cunctis : et diuidit donum cuique prout uult gratiæ suæ . quamuis enim nostris arceatur obtutibus Christi Iesu ei præsentiam credimus non deesse . Tunc sanctus Dionysius thronum scandit sacerdotalem . quatenus ab omnibus tractans audiretur : Et cœperunt se arrhyani intra ecclesiam cum catholicis miscere : ita ut episcopi illorum tribunal conscenderent : quo uiso Dionysius secessit ab illis . plebs quippe catholica non ferens tantam arrhyanorum instantiam compellebat eos exire ecclesiam . Non eos debere ecclesiæ gremio residere : qui maculoso crimine se suosque fædarent . Neque dignum esse intra sacras edes persistere : qui non accomodant fidem quam spiritu dictante sancto ore editam apostolico uniuersalis ecclesia prædicat : Quibus expulsis obseratis ianuis Dionysium ut missam faceret postulabant . Rite peractis diuinis sacramentis : plebs immensas gratias deo dicebat : Iesu bone scelerum indultor tibi mortalis lingua laudes promit : tuos qui sic nitore circumdas cultores sacros tuens a malis : Aiebant iterum : hic maneamus atque noctem peruigilem ducamus : ne forte fur ille sæuus custodiam irrumpens : per noctis tenebras dilaceret quemquam : factumque est : ut tota nocte in hymnis et canticis deo uacarent : quatenus superueniente luce et ipsi luminis reperirentur cultores . luscescente igitur die aduenit Germinius cum Eusebio eunucho : cumque de arrhyanorum seuitia quædam improbe loqui uoluissent : ita ut quæ illi sæuissime agerent : iste digna putaret : et Germinius iam tribunal conscendens resideret : ingrate ferentes religio || si uiri a sistro eum deiicientes cum eunucho pariter ecclesia sunt eiecti . Oportebat enim inutilia uasa non solum proiici : sed etiam confracta ei conculcanda derelinqui . Nam qualis apes æstate noua per florea rura exercet sub sole labor : cum gentis adultos educunt fœtus et facto agmine ignauum fucos pecus a præsepibus arcent : haud aliter feruebat opus : crescebatque uictoria dum Christi athletæ uiriliter pro fide certarent . Missa demum epistola est a Lucifero catholico episcopo ex palatio ubi tenebatur a rege : Dionysio Eusebioque porrecta : Quam plebs ut sibi legeretur postulare cœpit : Facto itaque silentio accersito notario : ut legeretur imperatum est : quo legente arrhyani non sunt passi audire : sentientes eam eorum præstare impedimentum errori : qui turbulenter strepere cœperunt : qualiter sibi et aliis auferrent copiam audiendi : et dum hæc arrhyanis facientibus mora tenderetur : Dionysius episcopus dixit : Apertius datur intelligi uniuersos hos dogmati subiacere : per hoc quod fidem sacram continentem epistolam contemnunt audire : Cumque Phebus diei transacto cursu uisere nobis incognita sibi conscia loca cœpisset : et horrentibus tenebris nox uisa mortalibus esset : fugatis de ecclesia arrhyanis : fidelibus lecta epistola est . Transacta denique nocte fulgido polo lucifer nitore coruscans aurea lux mundo refulsit . Tumque palatini optimates aditus ecclesiæ complerunt . Sanctus uidelicet Dionysius insignis meritis et

aptus copia fandi egressus ad eos dixit : Non puto absque sedicionis piaculo inconsueta uos occupasse loca . Sed quæso arrhyanorum subuersione an uestri consilii astucia feceritis intimate . Illi autem conscii sibi talemque agnoscentes uirum : cui et iam arcana patescunt pectorum silebant : et frigidæ linguæ hærentes faucibus arrectisque auribus stabant . hæretici uero sui liuoris infamiam sentientes confusi foris ab ecclesia restiterunt . Post hæc uenerunt eunuchi tres sciscitantes Dionysium cæterosque episcopos : quid uellent Imperatori suggerere : qui nihil se necessarium habere dixerunt : quam cum hæreticis de fide disceptandum Luciferumque sui consortio copulandum . Red | ditus ecclesiæ Lucifer est : et dimissus palatio grates diuino regi plebs innumeras referebat . Tunc Dionysius dignus deo habitu et sanctitate hæc turbis dixit : Ecce iam triduo in ecclesia commoramur . nemo tamen arrhyanorum ad disceptandum properare uidetur : In tantum corde obtusi ut neque nostram nobiscum defendant fidem : neque suam errantes abiiciant . Missum quippe ab imperatore est Eusebium Luciferumque atque Florentium accersiendos : quibus ductis ad palatium Dionysius in ecclesia est relictus . Vbi cum corda fidelum† superni roris rigaret pinguedine : et æternæ uitæ pabula eorum mentibus subministraret : palatio exhiberi iubetur : Sed Dionysius cui nec blanditiæ suasionem nec terror timorem ingerere poterat : iterum se ad palatium denegauit dicens : Præsto sunt conspectui regis catholicæ fidei uerissimi assertores et arrhyanæ impietatis maledici obtrectatores . Nemo tamen uestrum putet : quod in numero bellatorum celebretur uictoria . Sic quippe dominus in euangelio promisit dicens : cum statuti fueritis ante conspectum principum propter ueritatem nominis mei nolite cogitare : quomodo aut quid loquamini : dabitur enim uobis in illa hora quid loquamini . Ego quidem ut cernitis plebem inter ecclesiam perseuerantem relinquere nequaquam possum : quo audito hi qui missi fuerant ad palatium sunt regressi : Cumque hoc renuntiassent Imperatori : ex dei nutu dimissi palatio Eusebius Lucifer et Florentius pariter cum plebe regressi ad ecclesiam sunt . Positus quippe in ecclesia agnitum consilium est : quatenus sequenti nocte raperentur de ecclesia : atque in exilium dirigerentur . Quas minas in nullo orthodoxi pertimescentes episcopi hymnis et laudibus consurgentes glorificabant deum dicentes : Tu es domine omnipotens scrutator et cordis timentis inspector : tu tuorum defensor seruorum . In te enim confidentes non timemus : quid faciat nobis homo . hæc cum dicerent facto impetu ab Eusebio eunucho : appræhensi sunt de fidelibus uiris numero centum quadraginta et septem : cum quibus quidam de sacerdotibus et clero uincti intra termas herculianas reclusi sunt . Florentius || autem et Lucifer episcopi apud tribunum Gaium Eusebius tribuno Galbioni custodiæ traditus est . Perseuerante Dionysio in ecclesiam aduenerunt arrhyani simul cum palatinis comitibus : et ingressi domum dei cœperunt persuadere beato Dionysio : quatenus sententiam daret in episcopos : quos ceperant . Ille diuino uero frætus auxilio : ita respondit : Ego enim magis compellor illis coniungi : qui pro religione fidei in custodia retinentur detrusi : quam maledico in eis ore sententiam dare . Hesterna et nudiustertius confusi recedentes ab ecclesia etiam inuitati ulterius non uenistis . Sed tantum ualet ferrea frons et cor lapide durius : ut soli confusi non erubescatis : solique approbetis : quæ aprobant uniuersi : At illi uerba ipsius quasi uana recenscentes† : et bene opposita insana mente reproba sentientes : damnationis in eum sententiam applicant : ut parcenti retrouersi ingrati parcere ignorant . Cecilianus nomine arrhyanorum sectæ episcopus tribunal conscendit : ut in populo faceret uerbum : quod cernentes religiosi uiri quamuis pauci inter plurimos tantam non ferebant insaniam credentes non oportere humano uti auxilio : ibi diuinum non deerat præsidium . Eodem Ceciliano pulso ecclesiam hæreticos exire compellebant . Sequenti igitur die ex more uenerunt arrhyani deferentes secum plurimas oppositiones : quatenus ueterani eorum callidissime possent persuadere Dionysio . orta uidelicet contentione ualidissime repugnanti uicti recesserunt : quibus recedentibus sanctus uir Dionysius episcopus plebem ita est allocutus : constantes estote et preces ad dominum fundite : ne forte ille zizaniorum sator irrumpens ouile dominicum quemquam de gregibus cruento dilaniet ore . Stemus uiriliter non timentes hominem : qui potest corpus occidere : animam autem trucidare minime ualet . His dictis aduenit Datianus decurio castrensis Dionysium palatio accersiendum : qni† distulit ire . Sequenti autem die primo diluculo deuenerunt optimates : Dionysium palatio exhibendum . Egressus autem ecclesia dixit

ad plebem : Ecce ego regis præsentabor obtutibus . uos cum | omni patientia diuinis lectionibus cordis flectite aures : quidquid autem gestum fuerit uobis renuntiabimus . Ingressus beatus Dionysius est palatium et aduenientes arrhyani altercari cœperunt : Cumque diu mora esset et plebs intra ecclesiam posita quid palatio ageretur nesciret : accepto consilio uti cum suo pastore in defensione fidei perdurarent : perrexerunt ad palatium . Erant ibidem tam uiri quam mulieres pro religione concertantes : conglobati demum arrhyani simul cum Valente insurgebant contra Dionysium episcopum : quo uiso mulieres religiosæ clamare cœperunt dicentes : arrhyani recedant contemptores diuinæ legis abiiciantur . diu hæc agentes egressus est Dionysius ad eos et imperato silentio dixit : Congruum Imperatori esse uidetur : ut paucis transeuntibus diebus facta iterum conuentione sic de fide agatur . Tunc inquiunt religiosi uiri simul cum mulieribus . Huic præcepto libenter flectimus corda : suspensa tamen Valentis et Vrsatii communione . Regressus Dionysius in ecclesiam thronum sacerdotalem conscendit . Diuinæ lectionis† legi ex more cœperunt : ac post hæc missarum sollemnia celebrata sunt : Cumque omnes corporis et sanguinis Christi consecrationi participassent et populus ab ecclesia dimitteretur : raptus Dionysius a consulibus atque hospitio castrensis reclusus sicque per opaca noctis silentia Dionysius exilio destinatus est . intrepidus carpeus† ignotum iter : Deueniens autem in prouinciam Armeniam ciuitate Arreicio ita breui atque angustissimo carcere clausus est : ut esset sicut fama comperimus omni habitacula biternorum . Ita enim sanctitatis eius cumulus per totam Armeniam prouinciam effloruit : ut nemo eum dubitaret apostolorum esse consortem . quisque tamen infirmorum eum uisere potuisset : procul dubio sanus abibat . Plærique ab eo benedictione mandata conualescebant : Per idem tempus præceptum est ab Imperatore constantio ut sanctus Dionysius episcopus omni cum honore suæ redderetur sedi . Denique uir dei egregius exegit uotis : ut in exilio uitam poneret ne regressus confussa institutis infidelium studia pedibus aut || clericis inueniret : Meruitque hanc gratiam : ut pacem domini tranquillo effectu secum referret : et uexillum confessionis atque in exilii locis propriore martyrii titulo uitam exhalaret . Sed quid nos inertes tanta prærogatiua confessoris præcipui uolumus facta rimari : cuius gesta mortalis fateor lingua nulla uallet explicare ? Vigiliis et orationibus noctibus diebusque continuabat opus . Nullumque uacuum ab opere dei tempus duxit : quo uel otio indulserit uel ab operatione cessauerit . Videbantur in eo cuncta esse maiora : quam uerbis os possit effari . Cumque iam dominus omnipotens confessorem suum intra cælestis regni gaudia collocare uoluisset : defecto macie et correpto corpore ægritudine uitam finiuit : et mutata luce spiritu cælestia carpsit . Sic ex dei nutu per Aurelium uitæ uenerabilis episcopum quamuis corpus exanime ciuibus redditum est : Et quamuis tanto uiro communicare inmeriti fuimus : thronum defensoremque sentimus in ætere . Adueniens itaque Mediolanum summa cum deuotione susceptum et uenerabiliter tumulatum est : In quo loco meritis sancti uiri sedule concurrentibus multa exhuberant beneficia : quæ ad laudem nominis eius Christus Iesus dominus noster meritis sancti Dionysii fidelibus quottidie præstat : Ego enim re uera ueniam flagito ab his quicumque legerint : et opto : ut æquo animo ferant : si aures eorum uitiosus forsitan sermo perculerit : quia regnum dei non in eloquentia sed in fide constat . Non enim mundo per oratores sed per piscatores salutem intulit Christus . Quæso enim Christi inclyte sacerdos ut mihi tuo famulo impetrandæ ueniæ præstes effectum : quatenus peccatorum meorum mole fugata : sit mihi præmium tartaream uitasse gehennam . Præstante domino nostro Iesu Christo : qui cum patre et spiritusancto uiuit et regnat deus in sæcula sæculorum Amen .

VITA SANCTI DONATI EPISCOPI . |

Desideranti tibi famula dei Anastasia : ut uitam Donati episcopi de greco in latinum transferrem sermonem : uidelicet ut merita ipsius quæ legendo cupis decurrere : melius intelligendo cognoscas : Cum tibi apertius sit locutionis ianuæ patefacte : et totum subtilitatis admiseris sensum . Nam et mihi hanc rem infructuosam esse non arbitror : si tanti uiri uirtutes quæ non non grecis litteris continentur : per me et

latinis tribuatur lectoribus . orationibus ergo tuis adiutus facta ut dixi de alia in aliam linguam libri translatione religioni tue direxi : ut habeas quod et libenter legere et legendo religiosæ possis imitari . Temporibus Theodosii principis : erat in prouincia Ephiria ueteri in ciuitate quadam quæ dicitur Curia : sanctus Donatus episcopus sub ipsius territorio ciuitatis est possessio : quæ dicitur Numiosa in qua est transitus publicus . In ipso erat fons aquæ tam noxius : ut si quis exinde biberet : statim moreretur : quod audiens homo dei Donatus conuocatis ad se clericis dixit : fratres carissimi accepto sancto euangelio et cruce eamus ad locum fontis : et oratione præcemur dominum ut effugetur malum quod in aqua est : et quidam timore recesserunt . quidam uero secuti sunt eum . Cum ergo peruentum fuisset ad locum : statim tenebrato nubibus cælo fulgora ac tonitrua terribiliter irruperunt : ita ut aqua fontis et ipsa quoque animalia metu diffugissent . At homo dei Donatus uectus asinulo intrepidus processit ad locum aquæ : Vnde exiens draco immanis ingenti impetu uenit in occursum eius : caudaque pedes inuoluit asinuli : reliquo se contra Donatum erexit uolumine quem Donatus facta oratione ad dominum : uno feriens uerbere flagellii† extinxit Draconem . Tunc conuenit populus in unum : et in struem lignorum ingenti composita immensum bestiæ funus supposito igne consumpsit . uerum nimio labore defessus populus cœpit sitis ardore fatigari : et tamen non au || debat adhuc suspecti fontis poculum appetere . Approximans autem fonti aquæ homo dei Donatus facta oratione orarium suum plicans in circum circulum posuit in terra . ipseque rediit ad turbas : Dixitque puero suo : accipe situlam . uade ad locum ubi me uidisti ante modicum stare orantem . et inuenies aquam : quam hauries Defer ut bibamus . Vadens autem minister iuxta uerbum eius inuenit fontem aquæ nouæ : quam hauriens detulit : ut biberet : qui gratias agens deo : benedicensque bibit : deditque omnibus in circuitu stantibus . Similiter orauit et pro fonte priore : et ueneno fontium curatæ sunt aquæ et factæ humanis usibus saluberrimæ in nomine patris et filii et spiritus sancti in æternum amen . In illo igitur tempore filia Theodosii imperatoris a dæmonio uexabatur : quam offerebant ad singula singulis idolis sacrificia : et multas hostias immolantes sacerdotibus quoque eorum et incantatoribus multa conferentes dona : et nemo eorum poterat dæmonium effugare . cum ergo multa fierent et nihil remedii præstaretur : summaque pater materque tristitia unicæ causa filiæ laborarent : fama ad eos de uirtutibus beati Donati peruenit : quod et draconem occiderit et aquam orationibus suis obdulcauerit . Missum est a prouincia Ephyriæ ueteris imperiale præceptum ut omnes episcopi suam Constantinopolim præsentiam procurarent : qui dum in eadem urbe conuenissent : omnes honorifica salutatione suscepti sunt : quibus Imperator ait quis est Donatus episcopus qui draconem occidit : et aquam sua oratione produxit ? omnesque pariter ostenderunt eum . Regina uero in occultiore secreto se abscondit expectabat enim quis esset . At ubi ostensus est : humiliter occurrens tenuit genua eius : Dixitque ad eum pater bone : bene aduenisti incolumis miserearis filiæ nostræ . Dixit autem ei et imperator : Papa Donate filia nostra grauissime uexatur a dæmonio : et nullus sacerdotum aut incantatorum potuit curare eam : aut ipsum dæmonium effugare . Audiuimus autem de te : quod possis expellere dæmones . Misi propter te : ut tuis orationibus salua efficiatur : quia unigenita no | bis est : et Dimidiam partem mearum facultatum dabo tibi . Respondit Donatus episcopus et dixit eis : Non est impossibile deo meo curare filiam uestram : Eamus ergo ad eam . Primum quidem regina festinanter processit : introeunte sancto uiro exclamauit dæmon dicens : Donate quid me persequeris ? nihil te læsi . Sanctus Donatus respondit : exi immunde spiritus ab ipsa : quoniam non licet tibi inhabitare plasma dei uiui . Dæmon autem clamabat dicens : da mihi transitum : quomodo exeam : aut quo uadam . Dixit autem sanctus Donatus : unde huc aduenisti ? Ille respondit de heremo . dixit ei Donatus : quare non exis et reuerteris : unde uenisti ? Dæmon clamans superfluum dixit ei uideo signum crucis in te : ex qua ignis exiit contra me : et timeo quo exeam aut quo uadam . Sed magis da mihi locum exeundi ex ea : Respondit Donatus et dixit : Non est tibi dari locum aut requiem uoluntatis tuæ : Sed do tibi exitum talem ut reuertaris unde huc uenisti : Reuertere ergo ad heremum . conuocans uero post tergum suum regem et reginam dixit dæmoni : Ecce habes transitum ire : redi ad locum tuum . nihil noceas hominem : quæ est plasma dei : nec quæ eius sunt . Ecce dixi tibi . Exeunte autem dæmone commota est tota domus : et ianuæ concussæ sunt.

Filia uero Imperatoris surgens et† strato suo tenuit pedes hominis dei dicens : Quæso pater tu mihi genitor et pater ab hodie : quia uideo magnam uirtutem esse tecum : Ecce pedibus tuis adhæreo miserearis mei : quia magno timore concutior propter eum : qui tecum est . adiuua ergo me . Extendens autem homo dei Donatus manus eleuansque eam a terra : et Christi armans signaculo : reddidit incolumem . parentes uero eius gaudebant cum exultatione multa : dicentes ad hominem Dei pater Donate sicut promisimus tibi tolle dimidium rerum hæreditatis filiæ nostræ . Respondit illis homo dei Donatus et dixit : cernitis me hominem proximum sepulturæ : et uultis ut filiæ uestræ cohæres inueniar : sed magis si placet serenitati uestræ : est locus in prouincia mea cui uocabulum est Chimphalis : ipsum mihi iubete || præstari : ut faciam in ipso domum orationis pro uestra mercede atque filiæ uestræ . Dixit ei Imperator : nihil est petitio tua : uerumtamen : ut uoluisti fiat tibi : Statimque amputans cinonem loci illius ab omni illatione tituli fiscalis sic tamen immunem factis donationibus contulit : rogans eum : ut aliquantulum temporis apud se moraretur . puella uero non recedebat ab eo : nec iam patiebatur attingere de sacrificiis idolorum dicens parentibus suis : fugite ab illo errore quoniam non est ulla misericordia in diis nostris : magis autem legem huius iusti sequamur : quoniam magnum habet patronum ualentem occidere et uiuificare . Cum enim interrogassem eum : quisnam esset : aut ubi esset : dixit mihi : lex est quæ mecum est : et potes uidere eam nunc : quia non deest regioni uestræ . Tunc enim uidisti eam mecum esse : ut fugeret a te diabolus : propter quem parentes tui precati sunt me . hæc autem omnia referebat beatus episcopus his qui secum erant episcopis : et salutabat eos quasi iam ad patriam redituros : quia ipse nondum relaxabatur a principe . Stantibus autem illis et loquentibus in quadam regione ecce mortuus quidam efferebatur et homo quidam habens in manu chirographum : tenebat funus dicens : deberi sibi ab ipso solidos ducentos : et non permittebat sepelliri eum : Erat in circuitu turbæ fremitus multus ualde uæhemens . Videns hoc sanctus Donatus episcopus dicit reliquis episcopis : uenite mecum . eamus et rogemus : ut permittat sepelliri corpus defuncti hominis : qui submusitantes ei dixerunt : putas : hic nos uis mori . ipse autem solus abiit rogaturus . quidam eminus agnoscentes eum consilium dederunt relictæ eius dicentes . Curre interpella istum hominem dei : quæ procidens ad pedes eius ait . Fac in me misericordiam : quia uidua sum et geminis circumdata sum malis . Virum perdidi et sepelire non permittor mortuum . Tu enim iustus uocatus es in ciuitate tua : et istam fac in me peccatrice misericordiam et opus iustitie et fac eum sepelliri quia iam resoluitur funus eius in lecto . Dicit ei beatus Donatus . scis quia debetur quam dicis peccuniam ? Quæ respon | dit : Domine mi ante hoc aliquantulum temporis dixit uir meus : quia compleuit ipsam peccuniam : et remansit chirographum apud eum . At homo dei rogabat creditorem dicens : Permitte fili mi sepelliri corpus defuncti : et quocumque modo soluetur debitum : Qui non solum non audiuit : sed iniuriatus fuit illi : Tuuc† ingerens se homo dei ad feretrum ait defuncto manu tangens eum et uocans dixit : audi me : qui respondit ei : ego sum : Dixit ei beatus Donatus : surge : et uide quid agas cum homine isto : quia non permittit te sepelliri : qui residens confutauit eum de completo debito : et accipiens chirographum suum sedens scidit illud in ferretro . Aspiciens autem in homine dei dixit ei : Iuste excitasti me homo iustissime ad confutandum peccatorem istum . Iube ergo me dormine† iterum : Dixit ei Donatus : Vade fili in requiem : quia liberasti chirographum tuum . Videns autem hæc Imperator magis magisque credebat in gratia dei : Dixit enim ad hominem dei : Dico tibi pater Donate quia eris mecum omnibus diebus uitæ tuæ : Volo enim ego transire ad legem tuam : quia et filia mea non recedit a te . Puto quia deus tuus per ipsam inuitat nos ad noticiam suam . Agnoscentes autem primarii ciuitatis conuenerunt ad regem : et dixerunt ei : Imperator iustissime in eternum uiue quoniam quidem cognouimus quod diuinitas tua mago illi inueterato se iunxerit : et uis credere uerbis eius : et deos negligere : sacraque ipsorum : quod nullus unquam imperator fecit . quapropter trade nobis illum inueteratum foras : qui te suis artibus immutauit . Imperator autem tantam ciuium multitudinem congregatam uidens respondere noluit quicquam . Consilium autem facientes iterum conuenerunt ad regem dicentes : Domine orbis terræ magnum senem illum præposuisti diis : et non uis tradere nobis seductorem illum . non irascatur optima serenitas tua : quia iam triennii tempus est : ex quo siccitas terram obtinuit et exaruerunt uiridia et

arbores . Non irascatur ergo tranquilitas tua in uerbo nostro : Si habet senex iste deum uerum : qui possit saluare nos : roget eum ut pluat . Tunc scimus : quia non est magus sed uerus dei cultor . Tunc dixit Imperator : iuxta petitio || nem uestram fiat quemadmodum uultis . Et quid turbamini ad molestiam meam . Tunc imperator perrexit ad hominem dei : et ait : Pater Donate potes rogare : ut pluat : quia tota ciuitas congregata est contra me propter te : et hoc petieruut[†] a te signum fieri . Respondit Donatus : et dixit : Potens est deus meus omnia quæ ab hominibus postulantur impendere : quando autem iubes : ut hoc fiat ? Dicit ei imperator : Nunc . ecce roga dominum tuum antequam conualescat seditio . stans uero homo dei extra ciuitatem orauit dominum Iesum Christum : et statim uenit nebula aquosa : et effusi sunt cælitus tanti imbres : ut palatium et regiones inundationibus occuparentur . Gaudio recreatus est Imperator in mirabilibus quæ dominus per seruum suum Donatum ad honorem gloriæ suæ ostendebat . Cogitabat Imperator de homine dei Donato : quia leuibus erat uestimentis indutus : et pluuia erat magna ualde . Sanctus autem Donatus siccis uestimentis rediit quasi super eum : nec uestigium pluuiæ euenisset : quem suscepit Imperator cum lætitia : Dixitque ad eum : Scio : quia famulus dei es : qui in cællo est . Fac me notum deo tuo . Nunc autem agnosco : quia ipse est deus omnium sæculorum . Dii autem gentium dæmonia sunt cogitantes scandala . Non ergo uerearis : quod tradam te ciuitati . Magis autem ipse dona te ciuitati . Bonum est : ut per te uerum et unum agnoscamus dominum . Teuuit[†] ergo Imperator hominem dei annis tribus : et baptizatus est ab eo una cum familia sua et primariis ciuitatis . Sequenti quoque die regina cum reliquis gentibus baptismi gratiam consecute sunt . Tunc factum est signum christianum in urbe Constantinopolitina[†] in nomine domini nostri Iesu Christi usque in hodiernum diem . Post hæc autem petiit homo dei ab Imperatore : et rediit ad suam ciuitatem : et fuit ibidem per multum tempus . Elligens autem locum in possessione ubi draconem occiderat : et designauit oratorii domum sibi ad sepulturam : ubi et positæ sunt reliquiæ eius : et celebrantur ab hominibus summa cum ueneratione : ubi multa beneficia præstantur in dei nomine et domini nostri Iesu Christi : qui seruientibus sibi donat gloriam in sæ | cula sæculorum Amen .

PASSIO SANCTI DONATI EPISCOPI ET MARTYRIS .

Erat quidam puer in ciuitate Romana nomine Donatus clericus in titulo pastoris nutritus a Pimenio præsbytero in titulo suprascripto . Eruditus omnem mundanam sapientiam cum Iuliano subdiacono et diuinam doctrinam . mansuetus uero et humilis lector erat Donatus . Iulianus uero iam subdiaconus erat Romanæ ecclesiæ . Eodem tempore quo prædictus Iulianus sumpsit imperium : et multos christianos cruciauit etiam Pimenium præsbyterum præcepit Romæ custodiæ mancipari : Tenuit quoque patrem et matrem Donati : et iussit eos gladio occidi . Donatus uero lector fugam petens uenit ad oppidum Arrhetium : et suscepit eum quidam Hilarianus monachus cum gaudio : cœpitque cum eo habitare . Donatus seruiens feliciter Hilariano monacho plus etiam omnipotenti deo occulte sine querella diebusque ac noctibus seruiens domino Iesu Christo orationibus et ieiuniis : necnon deferebat ei semper cantans et exultans in psalmis lætabatur . Hoc autem cum audiret Hilarianus monachus mirabatur : et rogabat Donatum : ut nihil de operibus laboriosis faceret nisi tantum : ut in doctrina requiesceret : ut hoc tantum disceret Hilarianus : quod Donatus a Pimenio præsbytero didicerat . Tunc Hilarianus monachus cœpit Donatum hortari : ut non ieiuniis affligeretur : sed tantum ei omnia diuinis interpretationibus intimaret : quod beatus Donatus nullo modo consensit : sed magis ieiuniis et orationibus gloriabatur . In eadem ciuitate erat mulier uidua cæca ab annis nouem : quæ errogatis omnibus facultatibus suis nullo potuit medico curari : quæ mulier uocabatur Syramia gentilis : quæ in agro suo cum uno filio et ipso pagano habitabat . Eodem tempore multi ægrotantes ueniebant ad Hilarianum et Donatum : et accipientes cibum cum oratione salui remeabant ad propria . Hoc audiens Syramia uenit || cum filio suo nomine Herculio ad cellulam Hilariani monachi : quam cum introisset . Hilarianus dixit ad Donatum : Hæc mulier in ueritate mente et corpore et animo cæca est .

Donatus respondit : accipiat cibum et pergat . tunc ponentes mensam uocauerunt eam : ut comederet : quæ clamare cœpit dicens : non manducabo : nisi me illuminaueritis . Donatus dixit ad Hilarianum : Oremus ad dominum Iesum Christum . Hilarianus respondit : Fili non intellexisti uerba mea : quæ dixi tibi : Ex omnibus cæca est mulier hæc ? Donatus dixit : declara mihi cæcitatem eius . Hilarianus respondit : Quia idola uana et surda usque nunc adorauit . Donatus dixit ad eam cum lachrymis : O diabole quid temptare desyderas seruos seruorum Christi . cadens Syramia in terram . clamauit cum lachrymis dieens† : Illuminate me ancillam uestram : quia nudata sum a medicis : Respondit Donatus lector : quomodo poteris illuminari : quæ oleum non habes . Syramia dixit : habeo uel tria dolia plena oleo . Donatus respondit : habes pinguedinem non fidem . Syramia dixit : quæ est fides : quam a me exigis ? Respondit Donatus : et dixit : Vt derelinquas idola muta et surda : et adores dominum Iesum Christum . Eadem ora† Syramia misit filium suum : et attulit Iunonem et Iouem in capsa positos : quam accipiens Syramia in manibus suis confregit : et misit in ignem : et combussit omnia : quæ ex ligno et quæ ex gypso deaurata erant . Eodem die perrexerunt Hilarianus et Donatus ad beatum Saturium episcopum : et narrauerunt ei omnia : et quomodo Syramia mulier idola sua confregisset : et igni combusserit . Tunc beatus Saturius episcopus gaudio repletus amplectensque Donatum plorabat dicens : Meruit decrepita paruitatis meæ etas : ut non claudererentur† oculi mei in conspectu dei patris et domini nostri Iesu Christi filii eius ne fraudaret me aspectibus tuis : et iussit duci ad se Syramiam : cui ita dixit : Filia crede domino : et illuminaberis : quæ respondit : credo et dixit ad eam : humiliare in cinere et cylicio . Ft† cum humiliata fuisset imposuit ei manus : et cathetizauit eam coram Hilariauo† et Donato : et baptizauit eam in | nomine patris et filii et spiritusancti in remissionem peccatorum . Et lauata chrismate : et aperti sunt oculi Syramiæ : Et cœperunt mater cum filio clamare et dicere : uere dominus Christus est : per quem uidi lumen luminum quia illuminauit oculos meos . Reuersa est Syramia in domum suam . Ego autem Apronianus audiens hoc quod dominus per orationes sanctorum ostendit : et quia filius meus Austerius spiritu immundo uexabatur : perrexi noctu Arrhetium : et perduxi filium meum ad Donatum : quem inueni in domo beati Saturii episcopi : et proiectus sum ante pedes eorum . Tunc beatus Saturius episcopus et Donatus et Hilarianus orauerunt : Et ereptus est puer ex eo in nomine Iesu Christi dicens nolite mihi molesti esse : Et sanus factus est ex illa hora . Ab eadem uero die non dimisit Donatum beatus Saturius episcopus : sed fecit eum omnibus diebus ordines ecclesiæ ascendere : et consecrauit eum diaconum : Et post multos annos tempore necessario fecit eum benedictionem suscipere præsbyterii : et habitauit cum beato Saturio episcopo . In ipsis diebus erat quidam uir nomine Eustasius rector Tusciæ uel exactor fisci : et dum ageret munia fiscalia : superuenit hostis : et exagitauit prouinciam : Tunc uxor eius nomine Euphrosyna dum uidisset : hoste prouinciam commoueri : tulit pecuniam : et abscondit eam : et tribulatione præuenta mortua est Euphrosyna . Veniens autem Eustasius uir eius iam tempore ciuili : et non inueniens uxorem suam uiuam neque pecuniam fisci : cœpit tristis eam quærere : et non inueniebat : Cumque diutius a principibus curiæ traheretur ad supplicia fugiens de custodia uenit ad sanctum Donatum præsbyterum : et mittens se ad pedes eius : indicauit ei omnia : quæ gesta sunt . Tunc Donatus præsbyter indicauit omnia beato Saturio episcopo . eadem hora sanctus Saturius episcopus cum Donato præsbytero cœperunt æstuare quid agerent . Dixit autem Donatus ad Eustasium : ostende mihi sepulturam uxoris tuæ : et dum uenissent ad locum prosternens se sanctus Donatus in faciem suam super loculum oransque et præcans dominum omnipotentem uoce clara dixit : Euphrosyna per Christum crucifixum te coniuro : ut dicas no || bis : quid fecisti . aut ubi posuisti peccuniam fisci : quia uir tuus ab exactoribus torquetur : Et facta est uox de sepulchro dicens : In ingressu domus uestræ est reposita pecunia : quam quæritis . eadem hora accesserunt ad locum : ubi dixerat : et fodientes inuenerunt pecuniam cum gaudio : et liberato a calumnia Eustasio : cœperunt omnes mirari in oratione et fiducia beati Donati . beatus autem Staturius† episcopus dixit : Benedictus es domine Iesu Christe : qui ostendisti mirabilia per seruum tuum Donatum præsbyterum . Ab eadem die cœperunt omnis clerus et plebs diligere Donatum præsbyterum . Post paucos autem dies dormitionem accepit in domino beatus Saturius episcopus : Et consilium factum

est ab omni clero : et primatibus ciuitatis Arrhetinæ : ellegeruntque Donatum ad episcopatum : ex quo Donatus clamabat se non esse dignum . electione facta ab omnibus uirum adduxerunt Donatum præsbyterum ad urbem Romam ad beatum Iulium episcopum urbis Romæ : quem uidens Iulius episcopus gaudio repletus est : quia multa per eum dominus mirabilia faciebat : consecratusque episcopus reuocatur cum gloria ad ciuitatem Arrhetium . Dum reuersus fuisset : ne lux absconderetur in tenebris : aliquis erat in ciuitate adhuc gentilis . ueniens itaque Donatus collaudans dominum obtulit sacrificium de ordinatione sua faciens missas populo . Et completo sacrificio participauit populo . Et diaconus nomine quidam Anthynus† tradebat populo sanguinem Christi : Et dum traderet : a paganis impulsus cecidit : et comminuit calicem cum sanguine Domini . Tunc omnis populus tristis factus est . Sanctus uero Donatus episcopus dixit ad diaconum Anthimum : Non tristetur cor tuum : Sed confide in domino : et da mihi fragmenta calicis huius dominici : Qui dum collectus fuisset : imposita sunt ante uestimenta Donati fragmenta . Flectens itaque ille genua cum lachrymis dixit : Domine qui confractos erigis et elisos reparas : non contristetur plebs tua christiana propter nomen tuum : sed cognoscant omnes : quia cæli et terræ dominator et reædificator humani pulueris tu es . Tunc ele | uans se Donatus reddidit calicem officii diacono sanum et illæsum . Tantum una pars quæ absconsa est a diabolo ipsa in uase sancto minus esse uidetur usque in hodiernum diem . uidentes omnes christiani et pagani clamare cœperunt : quia dominus Iesus Christus filius dei est . Eodem die propter mirabilia quæ fecit dominus per sanctum seruum suum Donatum : baptizate sunt animæ numero septuagintanouem : et discesserunt omnes laudantes : et benedicentes dominum : Post dies uiginti et octo audiens hoc Quadratianus augustalis de pecunia inuenta per orationem episcopi et Hilariani monachi misit et tenuit Donatum episcopum : et Hilarianum monachum dicens eis : Nisi artes magicæ fuissent : inuentæ non essent pecuniæ publicæ . et ideo trado uos in custodia : et iussit sibi delucescente die Quadratianus augustalis tribunal parari in oppido Arrhetio et ad se adduci : quo cum adducti fuissent beatus Donatus et Hilarianus monachus sic eos allocutus est dicens : Dominus noster clæmentissimus Iulianus augustus suam præceptionem uulgo terminauit : ut nullus christianorum audeat prædicare : ut uos populis suadetis : et doctrinam plebi pietati eius contrariam aliam inducatis : Nam artem magicam quam cognouimus uos populis intimare ipsam pio Iuliano augusto supplici rellatione uulgamus . sanctus episcopus Donatus dixit : nos confidenter de uirtute domini nostri Iesu Christi securi populum ad eius culturam uocamus . Quadratianus dixit : per clæmentiam domini nostri Augusti Iuliani si ex præceptis eius non sacrificaueritis : igne uos concremabo . Sanctus episcopus Donatus dixit : Quæ sunt præcepta domini tui ? Quadratianus dixit : ut sacrifices diis immortalibus : et uiuatis . Sanctus Donatus episcopus respondit : Sacrificent eis miseri : qui non credunt Christum filium dei : quem uos non metuistis negare . Tunc iratus Quadratianus iussit os eius lapide contundi . Qui cum duceretur in conspectu Hilariani monachi : Sanctus Donatus episcopus dixit : ego semper hoc optaui . Quadratianus dixit : modo mihi deferte tripodam : Et cum allata fuisset iussit afferri Iunonem . Sanctus Do || natus dixit Sacrifica tu diis tui enim dæmones sunt . Nos autem domino nostro Iesu Christo sacrificium semper offerrimus . Conturbatus Quadratianus augustalis iussit sanctum Donatum in custodia recludi . Eodem tempore cœperunt ad eum uenire multi christiani ægrotantes : et a languoribus suis curabantur . Audiens Quadratianus : quia mirabilia Christus per eum ostenderet et a dæmonio liberaret : iussit eadem hora haberi in custodia ubi erat sanctus Donatus episcopus et ibi eum capite truncari præcepit die septimo Iduum augustarum . Quorum corpora collecta snnt† a christianis : et sepulta iuxta ciuitatem Arrhetium in pace regnante domino nostro Iesu Christo : Cui est honor et gloria in sæcula sæculorum Amen :

PASSIO SANCTI DOMNINI MARTYRIS .

Tempore quo Dioclicianus sumpto imperio contra auctoritatem senatus ab exercitu romano Augustus creatus est : et rem publicam magis cœpit perturbare quam regere : moti sunt undique bellorum tumultus in Antiochia et in Egypto maxime in Gallia . Nam Amandus et Helianus duo factiosi uiri collecta rusticorum manu pernitiosas contra rempublicam clades excitarunt : Et quoniam in multis occupatus Dioclicianus ad ulciscendum factionis auctores arma conuertere impediebatur necessitate ductus : Maximianum cognomento Herculium Cæsarem fecit : mittensque eum in Gallias agrestium hominum imperitiam et confusam manum militari uirtute prostrauit . Erat enim in rebus bellicis uir ualde strenuus : sed circa christianam relligionem mente profanus . Rediens itaque a Galliis illa uictoria elatus : paterno affectu a Diocliciano susceptus est . Interea in oriente per omnes romani imperii fines subitarum turbationum fragores concrepere cœperunt : et inter multa quæ in orientis partibus respublica patiebatur discrimina Narreus Persarum rex maxime orientis regna bello premebat : Hoc itaque periculo Dioclicianus permotus eundem Ma | ximianum ex Cæsare fecit Augustum consortemque imperii ad defendendam undique rempublicam sibi sociauit : Et primis quidem auspiciis in inicio imperii ad extinguendum christianitatis nomen armantes impietatem suam christianorum sanguinem diis suis uouerunt . cumque Dioclicianus quidem in oriente : Maximianus uero in occidente ecclesias dei acriter uexare cœperunt : eorum quippe in christianos persecutio decima a Nerone fuit : Sed omnibus fere anteactis diuturnior atque immanior fuit . Nam per continuos decem annos incendiis ecclesiarum . et proscriptionibus Innocentium cædibusque martyrum incessabiliter acta est . Idem namque Maximianus sexto imperii sui anno sociata sibi illa pretiosa thebeorum legione cum pluribus aliis promouens se a mediolanensium finibus Galiias† hostiliter ingressus est ad edomandas quæ sibi rebellauerunt Galliæ et Germaniæ gentes . Sed in egressu Galliarum Ioui cum toto exercitu suo sacrificium offerre intendens : omnem exercitum suum ibi adesse præcepit : ut eidem Ioui uictimas immolarent . Omnibus uero iussa profani Imperatoris implentibus sola thebeorum militum legio fuit : que iniqui Imperatoris feralibus edictis obedire contempsit . Et ex contemptu martyrii palmam capitis obtruncatione promeruit : ut eorum uerissime gloriosa gesta testantur . Deinde igitur crudelissime tantorum martyrum sanguine imbutus crudelius agere cœpit omnes pene commilitantes suspectos habens : et si quos christianos inuenisset . firma rabie in eos desæuiens . Pacatis autem undique Galliis cum in Germaniæ fines peruenisset : compositis apud Germaniam rebus per aliquod tempus moratus est : rituque profano sacris et cerimoniis deorum suorum intentus : si quos christianæ religionis uiros ac mulieres inuenerat : diuersis tormentorum generibus excruciatos ad immolandum diis compellebat . Erant enim tunc in exercitu eius multi christianæ fidei sectatores et ueri milites Christi : quos idem impiissimus Imperator uariis suasionibus et propositis minis a cultura ueri dei auertere nitebatur quos interrogatos cum in fide catholicæ confessionis constantes inuenisset : nec blandimentis nec pœnnarum† terroribus ad cultum || cultum† superstitionis suæ permouere potuisset : illico face diaboli inflammatus nouis excogitatis suppliciis illos deuincere aggressus est : Cumque interrogati sub uoce præconis Christo se credere : Christumque confiteri se uoce publica faterentur : indignatione animi et crudelitate sibi ingenita qua diabolo plenus erat : plurimos tunc christianorum martyrum diuersimode consumatos peremit : Inter quos etiam aderant multi e uariis prouinciis fere numero quingenti : qui eius militiæ associati secundum euangelicum præceptum reddebant : quæ sunt Cæsaris Cæsari : et quæ sunt dei deo : Quique et contra hostes reipublicæ proposito fortitudinis : et circa christianæ fidei religionem : obseruantia deuotionis certabant . Hi itaque cernentes innumeram quottidie christianæ plebis cædem fieri : tantoque se periculo subtrahere salubri usi consilio inter se statuerant : ut relicto crudelissimo Imperatore ad urbem Romam confugium facerent : non timore passionis territi : sed uoce diuinæ exhortationis ammoniti dicentis : si uos persecuti fuerint in unam ciuitatem fugite in aliam . Huius certe consilii auctor :

atque inuentor fuit præcipue beatus Domninus eiusdem prophani Imperatoris cubicularius primus : a quo idem Imperator certis et statutis diebus coronam accipiebat imperii : eamque ipse in sui custodia detinebat conuocatis itaque omnibus in unum : quos una fides unus spiritus unum baptisma in ueram christianæ professionis societatem coniunxerat . cernitis inquit beatus Domninus gloriosi milites Christi : quod persecutionis huius tyramni immanitas ad ultimam iam nos pene mortis necessitatem adduxit : ut hoc quisque quottidie timeat sibi quod uidet fieri alteri : unde quia iam mente destinauimus ut relicto terreni Imperatoris militiæ cingulo : omnino ad cælestis nos Imperatoris militiam conferamus : restat ut diuina sacramenta maiora esse imperialia cogitemus . Nullo certe militiæ sacramento huic sumus obstricti : qui iam colla nostræ fidei suaui iugo submissimus . Que enim conuentio Christi ad Belial : aut quæ participatio luci ad tenebras ? Ac per hoc fortissimi commilitones deserto eo qui a deo de | sertus est : iter quod condiximus intrepido gressu incipiamus . Non nos præsentium rerum intuitus retrahat : non mundi plenitudo diuitiarum ambitio honorum et dignitatum : non affectio parentum ab eo quod cœpimns† diuertat : sed semper memores simus : ut si qua nos ubicumque aduersitas pulsauerit in ea quam suscepimus fide : si ad hoc uentum fuerit usque ad mortem fortiter persistamus . Nec terreat nos diuersorum tormentorum immanitas : qui apostolica tuba animati ueraciter credimus quod non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam : quæ reuelabitur in nobis . His itaque et huiuscemodi uerbis beato Domnino prosequente : dum omnes simul de maturanda profectione satagerent nunciatum est Maximiano tyramno multos in suo exercitu milites esse : qui Christum colebant : et ad hoc inductos esse : ut deserta militia urbem Romam confugerent : et se Christi seruituti toto mentis desyderio manciparent : quo audito Maximianus zelo furoris accensus : aliquot ex his in quibus hæc suspicio agebatur conuocatis ad se : his agressus est dictis : Que O insensati milites : hæc est præcipitatio mentis uestræ : aut quæ operatio artis magicæ : ut obliti generositatis uestræ obliti quoque dignitatis et nominis romanæ gloriæ desertores militiæ . per quam romana respublica semper propagata est effici cupiatis : et quod omni indignitate deterius est : desertis diis omnipotentibus : quos et romana colit religio : et uniuersus orbis adorat : seductorem qui a Iudæis romano præsidi traditus est : et a militibus quoque romanus† patibulo crucis affixus : et lancea latere perforatus occubuit : pro domino colere : omnemque acerbitatem supplitiorum : et mortis pro eo appetere uelitis ? consulite ergo uobismetipsis : et relicta superstitione christianæ religionis uestræ uos reddite dignitati : nostræque caritati adiungite : et compensatione sequentis uirtutis præsens delictum intercludite : ut qui antea in imperio nostro fuistis accepti : iam deinceps melioris animi prouectu emendati in conspectu mansuetudinis nostræ acceptissimi esse possitis . Ad hæc milites libera et rationabili quidem obuiant || responsioni dicentes milites : hactenus Imperator fuimus tui : sed quod et libere confitemur : spontaneo et deuoto affectu . nunc serui sumus Christi . Tibi spopondimus militiam . illi innocentiam . Tibi subiectionem . Illi fidem . pro salute hactenus innocentium contra hostes reipublice tibi pugnauimus . Sed quia a deo factus es alienus : et multorum sanguine sanctorum obnoxius : quem insatiabiliter per multa tempora effudisti : ne cohoperatores crudelitatis tuæ apud æternum iudicem inueniamur : militiam tibi abnegamus nostram : nec ulterius nos eius iam præceptis : quoniam iniqua sunt : obsecuturos promittimus : Deos tuos nequaquam colimus : quoniam non sunt dii : sed dæmonia : quæ in simulacris habitant : quæ tu et similes tui adoratis : cum quibus etiam æterno incendio peribitis : quia indubitato expressum est in scriptura ueritatis : quod confunduntur omnes : qui adorant sculptilia : et gloriantur in simulacris suis . Vnum deum uiuum et uerum credimus ingenitæ maiestatis omnipotentem immortalem : inuisibilem æternum a nullo habentem initium : creatorem omnium rerum uisibilium et inuisibilium . Credimus etiam uerum et æternum esse deum ex deo patre unicum filium coominipotentem† consubstantialem : idest unius cum patre substantiæ : per quem facta sunt omnia : qui in fine temporum pro salute humani generis uerum et integrum hominem assumpsit in unitate personæ : quam semper et æternaliter apud patrem habet . conceptus de spiritusancto et ex beata Maria uirgine temporaliter natus sine peccato in unitate personæ uerbi dei et ueri hominis : qui in assumpta carne pro nostra salute probra et irrisiones sustinens et usque ad supplicia crucis perueniens

mortuus et sepultus est : et resurrexit tertia die . Deinde quadragessima resurrectionis sue die multis cernentibns† ascendit in cælum : sedens ad dexteram dei patris : uenturus inde iudicare uiuos et mortuos : et reddere unicuique de his quæ per corpus gessit siue bonum siue malum . credimus etiam et spiritum sanctum uerum et æternum esse deum a patre et filio inenarrabiiter† procedentem . et in patre et filio æternaliter per | manentem : in quo et per quem omnium peccatorum datur remissio : Hæc est itaque fides nostra . in huius iam militiæ sacramenta iurauimus : cum et diabool† et omnibus pompis eius abrenunciauimus : et salutare baptismum in remissionem omnium pecatorum nostrorum accepimus . Hanc fidem omni nixu totoque mentis affectu Christo domino nostro nos adiuuante destinauimus . Si uis adhibere omnia tormentorum genera : hæc penitus contemnentes non timemus : quia rex noster de cælis hortatur dicens : Nolite timere eos : qui occidunt corpus : animam autem non possunt occidere : sed potius eum timete : qui potest animam et corpus perdere in gehennam . Et ne solum huius pœnæ terrore a nefariis nos ceptis coherceret illico consolatur : dicens : Capillus de capite uestro non peribit . in patientia uestra possidebitis animas uestras . His auditis Maximianus taliter affatus est : Du† uos concionatos esse æquanimiter patientia nostra tulit : sed quia uana sunt et ratione uacua ueritatis quæ protulistis : et ita uos arte magica imbutos conspicio : quod nullatenus reuocari a uestræ sententiæ proposito possitis : dignum est : ut Christi uestri eiusque sequacium : quorum imitamini fidem : mortis quoque sentiatis exemplum : ut sicut et illi : ita et uos pereatis . Et his dictis protinus conuocatis præceptorum suorum executoribus iniquis : omnes mox capitali subiacere præcepit sententiæ . Quo dicto celerius compræhensi : et foras tracti : in remunerationem fidelis professionis munus martyrii capitum abscisione accepernnt† : sicque in melius mutata militia contubernales æterni regis effecti in comitatum et societatem cælestis exercitus coniuncti non iam romanæ ciuitatis ciues sed Hierusalem sanctæ melius effecti sunt . Huic autem pretiosorum martyrum certamini beatissimus Domninns† totius ciuilitatis laude homo conspicuus et christianæ religionis miles fortissimus prægognita tyramni nequitia : ne interesset consultui se cum aliquantis uiris eadem fide qua et ipse prædictis subtraxerat : non ut iam diximus rabie crudelitatis tyramnis† territus sed quia ad hoc tantum in Christi militem absconsum tegebat sub clamide : ut sanctorum || mentes inter agonem sæpius martyrii constitutas spe æternæ remunerationis ad passionum tolerantiam roboraret . Is itaque cernens non iam se ulterius in palatio iniqui Imperatoris solita adiumenta sanctis posse præstare martyribus : habita cum his animi deliberatione quos iam sibi sociauerat : sanctis confessoribus Christi fugam incidere decreuit . Tanta enim diligentia sui et satellitum eius circa christianæ religionis amatores suspicio augebatur : ut si qui aliquo nutu misericordiam christianis deferre in aliquo opere pietatis inuenirentur : protinus compræhensi : aut diis libamina offerrent : aut ceruicem gladio amputandam præberent : aut aliis suppliciorum periculis subiacerent . Quadam autem nocte arripientes iter : imprimis quidem per auia loca fubgientes† : ne ab iniqui Imperatoris insecutoribus caperentur : prouido consilio liberati sunt . Tandem festino reditu in Italiam uenientes cum iam se tutos a persecutione inimici esse putarent : alii per Flaminiam : alii uero per Claudiam Romam tendere decreuerunt : quæ utique publicæ uiæ ad utilitatem commeantium quondam sub consulibus Claudio et Flaminio mira operis continuatione et firmitate constructæ ab ipsis nomen accepisse noscuntur . beatissimus uero Domninus in Claudia pergere destinauit . Inter hæc Maximianus : cognito quod beatus Domninus qui domesticus eius esse uidebatur : obfugisset : contemptui se haberi ab eo : quod et uerum erat : existimans : maiore in eum ira furoris quam in cæteros exardescens : sparsis undique terrarum partibus militum turbis omnibus in commune præcepit : ut ubicumque eum inuenissent : contemptum sui et deorum iniuriam capitis amputatione persoluerent . Hi iussa complentes quanta poterant uelocitate eum insecuti sunt : Cumque beatus Domninus futuræ cladis suæ nescius Placentiam transiens cœptum iter perageret : ad hoc tantum animo paratus : ut si oporteret : pro Christo animam poneret : missi eiusdem profani Imperatoris consecuti sunt in eadem uia Claudia in loco fluuio Sisterioni pene contiguo : qui a uia Grisopoli quindecim millibus distat : quem confestim co | gnitum comprehendentes in eadem uia publica nulla admissa audientia decollauerunt . Atque hoc modo beatissimus Domninus commutato in melius officio uere

iam cubicularius æterni regis effectus glorioso fine martyrii palmam adeptus est : Iam ueraciter decantans : introduxit me rex in cubiculum suum . Ad ostendenda uero et magnificanda sancti martyris sui merita : ad laudem etiam et gloriam nominis sui : mox insigne miraculum dominus : cui omnia uiuunt : et apud quem non pereunt corpora sanctorum : sed mutantur in melius : per eundem gloriosum martyrem suum Domninum mirifice operatus est . Nam protinus ut a satelitibus diaboli martyrii gloriam sanguinis effusione promeruit : eleuato capite suo de terra in qua iacebat transiens fluuium Sisterionem propriis manibus quantus iactum lapidis est : illud deportans iuxta eandem uiam se cum ipso deposuit . Qualiter uero gloriosissimum eius corpus ibi humatum sit instante tyramnorum persecutione : quæ per latos orbis fines non mediocriter eferbuerat : nulla prodit hystoria : quoniam multis actis temporibus memoriæ hominum interrepit obliuio . Credimus tamen diuinitus aliquibus inspiratum : ut sancti martyris pararent exequias : et si non aliter : humanitatis tamen affectione : ibidem eum sepelirent . Accidit etiam : ut intercurrentibus temporibus imminente tyramnornm† persecutione : ut locus in quo iacebat permaneret neglectus : et syluarum opacitate cohopertus . Tandem cum per diuinæ dispositionis prouidentiam expectationi iustorum læticia reddita est : et spes periit imperiorum : Reformata pace sanctæ ecclesiæ per gloriosissimum principem Constantinum : qui inter Augustos primus post Philippum christianus effectus est : sanctorum martyrum corpora gloriosissimis signis et euidentibus cœperunt coruscare miraculis . Vnde et factum est : sicut per succedentia tempora fidelium relatione compertum tenet fides nostra : ut gloriosi sancti martyris sui domnini corpus angelicis operationibus dominus omnipotens reuelaret . Loco igitur in quo iacebat lumen miræ claritatis effulsit per plures noctes . Quapropter multi fidelium ut || uerum erat existimantes illum locum non posse thesauro alicuius sancti martyris esse uacuum : quem claritate tanti luminis dominus decreuerat reuelandum . Habito igitur inter se consilio incolæ loci qui eidem sancto loco uiciniores esse uidebantur fideli intentione quærendum tunc uenerabilem parmensium antistitem suppliciter adierunt . postulantes : ut locum quem uirtutis dei dignatio talibus indiciis declarauerat fideliter uisitaret : et quid ibi inuenire potuisset : ubi tantæ claritatis lux effulgebat perquireret . Episcopus uero hoc audiens et præ gaudio temporis expectationem non ferens mox cum clericis locum adiit : quo lux tantæ claritatis emicuit : eundemque locum extirpare et se præsente fodere fecit . Defossaque altius terra : tandem sancti corporis loculus apparuit : quem episcopus uenerabiliter aperiens sancti martyris corpus inuenit caputque abscisum : et inter ulnas eiusdem martyris positum : atque in uno laterum : qui ad caput eius iacebat : scriptum : hic requiescit corpus sancti Domnini martyris . Continuo etiam ex odoris miri fragrantia maxima circunstantibus suauitas emanauit : quæ de tumulo pretiosi corporis exhalabat . Episcopus de pretiosi thesauri reuelatione una cum fidelis populi multitudine lætus ualde effectus : et præcipue de inuento nomine martyris non minus etiam stupore miraculi territus . cum de gloriosi martyris corpore immensus odor fragraret : ueritus sacrosanctis manibus martyris atrectare reliquias loculum uenerabiliter clausit : et cum consilio ibi fidelium astantium basilicam ibidem construere decreuit : quod mox pro facultate implens insperata celeritate paruam ibi ecclesiam fabricauit : Et exinde locus idem nomine sancti Domnini uocatus frequentibus miraculis sublimatus est per intercessionem eiusdem gloriosissimi martyris Domnini cuius beneficiorum suffragia ibidem in hodiernum diem perseuerant . Quod audientes multi e diuersis locis diuersisque prouinciis quantam curationum gratiam uirtus domini nostri Iesu Christi : pro quo idem martyr passus est : ibidem operaretur spe recuperandæ salutis concurrere cœperunt : quorum fidem : et circa uenerabilem locum deuotione intercedente bea | to Domnino de quacumque tribulatione clamantium beneficia diuina sæpius subsecuta sunt . Inter hæc quæ opere pretium est diuinitus ibi quondam factum debita narratione declarare miraculum . Quodam itaque tempore dum inter multos quidam æger ad impetranda sancti martyris beneficia pro infirmitate qua detinebatur ecclesiam beati martyris ingrederetur : alligato foris cui insidebat equo : prout egritudinis suæ necessitas postulabat : mente deuotissima huberes lachyrmas† : domino fundens lachrymosis uocibus sancti martyris cœpit implorare suffragium : quatenus consuetæ misericordiæ in multos et in se quoque præstaret remedium . Qui continuo recepta sanitate dominum benedicens : et sancti martyris

magnificans merita : domum rediturus egreditur : et non inuento ubi dimisserat equo : illum ut erat furto ablatum credidit . Ex perceptione itaque præsentis beneficii de futuro in fidem non hæsitans iterum supplex sancti martyris intrat ecclesiam postulans† : ut qui sanitatem corporis dederat : infirmum corde pro amissione equi sui redire non permittat . Completa uero oratione ab ecclesia exiens furem eminus redeuntem : sibique equum suum reducentem conspexit : geminique numeris† collato beneficio dominum et sanctum martyrem glorificans lætus in spe qua ueuerat ad propria reuersus est . Crebrescentibus ergo per sancti martyris merita diuinæ operationis miraculis per succedentium temporum seriem uolens omnipotens deus sanctum martyrem suum ampliori honore magnificare et gloria cordibus fidelium ibi habitantium inspirauit : ut ecclesiam beati martyris quæ prius parua erat . amplioribus porrectam spaciis extenderent . Verum quia suberat cordibus omnium quædam dubitatio de antiquitate temporis ignorantium in quo loco ecclesiæ pretiosum sancti martyris corpus requiesceret : cœperunt inde anxio mœrore confundi . Nam uaria inter illos opinio agebatur : aliis sub altare : aliis in medio ecclesiæ sacrosanctas martyris reliquias iacere contendentibus . Tandem quoniam piæ deuotionis affectus nunquam munere benignitatis domini priuatur : Cuidam reuerendo uiro eiusdem ecclesiæ custodi di || uinitus reuelatum est sanctissimi Domnini martyris corpus in medio iacere ecclesiæ . Hac itaque reuelatione multum congaudens non tamen omni dubitatione expeditus uerens : ne fortasse pro attentione uoti optata sibi tantum somnia proueniret : instantius sancti martyris suffragium implorare cœpit : ut si uera esset uisio : iterato confirmaret . Cuius deuotam supplicationem sæpius ostensa uisio subsecuta est : Ex qua certitudine . parmensem præsulem de cuius regimine et proprietate eadem ecclesia pertinere uidetur sociata sibi aliqua multitudine populi festinus adiit supplici ter postulans : ut uotis fidelis populi aquiesceret : et fossionis opere locum qui uisione diuina ostensus fuerat aperire iuberet . Ille uero ut erat prudens magna sollicitudine æstuare cœpit : qualiter et uotis populi satisfaceret : et ueneratio gloriosi martyris ab eo loco non deperiret . Verebatur enim : quod et necesse erat : ut si sancti martyris corpus quæsitum non inueniretur : iam deinde et deuotio populi circa religionis cultum et ueneratio martyris : aut nulla ibi aut minor haberetur : utpote : qui de eius absentia dubitarent . pro tali ergo hæsitatione aliquamdiu uota populi suspensa detinuit : sed inter hæc cum eorum desyderium quottidie de inquisitione corporis sancti martyris et amplificanda ecclesia augeretur : tandem instante præsule cum supplicatione fidelium populorum petita obtinuit : non aliter tamen nisi prius triduano indicto ieiunio : quod protinus spontanea uoluntate exequentes tertia ieiunii die egesta altius humo de loco per reuelationem ostenso pretiosi martyris tumulus apparuit . Interea fidelium populorum conuentus non longe ab eodem loco letanias pro reuelatione sacri corporis in ecclesia beati Dalmatii martyris intenta deuotione agebat . Apparente uero tumulo pretiosi martyris episcopus : qui præsens fodiendo operi insistebat : et hi qui egesta :† humo tumulum patefecerant : illum cum sacris letaniis et deuotis precibus aperuerunt . inuento gloriosi martyris corpore fusis præ gaudio lachrymis . deo gratias agere cœperunt . Fit quoque ex hoc concursus plurimorum : qui aderant : alii | uero subito concurrerunt fideli populo inuentionem sancti corporis quo letanias celebrant nunciantes . Qui mox relictis missarum quæ tunc agebantur solemniis præ nimia gratulatione uelocissime currere cœperunt ad optatum locum festinantes . Erat tunc pons ligneus supra fluuium Sisterionem uicinus ecclesiæ sancti Domnini : quem tanta populi frequentia ascendit : ut pondus hominum ferre non potuerit materia lignorum ex quo confractis trabibus tabulæ quoque cum hominibus ceciderunt : qui profecto exitiali casu corruerent : nisi et eorum fides et uirtus martyris subuenirent . Ad laudem igitur et gloriam domini nostri Iesu Christi qui in suis sanctis gloriosus est et per suos sanctos gloriosissime operatur : omnes qui superfuerant ponti ceciderunt : sed nullus uel leuiter salutis suæ dispendium passus est : Inter quos quædam mulier grauida quidem etiam uicina partui cecidit : supra quam multi uti casus attulit cecidere : quæ tamen nullam læsionem sentiens obstupefacta tantum stabat : demum uero postquam rediens in se cum lachrymis præ gaudio oculos implesset : dominum laudando ecclesiam introiuit . Per trium pene horarum spatia : et de repertione sancti corporis : et de salutis suæ mirabili nouitate magnus ibi lætitiæ clamor exortus est : ut ad augmentum omnium fidei credibiliter posset

decantari : uox exultationis et salutis in tabernaculis iustorum . Post hæc episcopus magna cum deuotione una cum cleri et populi uotiuo assensu eleuans sacrosanctas martyris Domnini relliquias transttulit† in locum : in quo nunc uenerabiliter conditæ sunt reseruato in testimonio latere : qui ad sancti martyris caput iacebat ad uenerationem fidelium populorum : in quo etiam erat scriptum : ut iam dictum est : hic requiescit corpus sancti Domnini martyris . Exinde namque idem locus populorum multitudine auctus est : et nomine sancti Domnini amplius in signis : cuius beneficiis et fertilitate frugum et opulentia rerum et fæcunditate propaginum et abundantia negociationum : et quod maius est ad honorem martyris ex diuersis prouinciis ibi fideliter aduenientium idem uenerabiliter locus decoratur . Ecclesia quoque sancti mar || tyris amplioribus extensa spaciis : laquearibus uero et darietibus† uario picture genere decenter ornata refulget . Passus est beatissimus martyr Christi Domninus sub imperatoribus Diocliciano et Maximiano septimo iduum octobrium et in burgensi opido : quod de nomine eius uocatur gloriose conditus requiescit : Et quia gloriosus est dominus et mirabilis in sanctis suis : corde credimus . fide tenemus . ore etiam confitemur : quod per intercessionem sanctfssimi† martyris sui Domnini uirtutem et fortitudinem dabit plebi suæ benedictus dominus : qui in trinitate perfecta per immortalia sæcula sæculorum uiuit regnat Amen .

PASSIO SANCTARVM VIRGINVM MARTYRVM DOMITILLE EVPHROSYNE ET THEODORAE : ET SANCTORVM SVLPICII AC SERVILIANI MARTYRVM .

Factum est autem posteaquam omnes dei sanctos tulit a solatio Domitille Aurelianus dixit ad Sulpicium et Seruilianum illustres uiros : Scio quod Colactaneas Domitille habetis sponsas . idest Euphrosynam et Theodoram uirgines sapientissimas . Cum ergo Domitillam deponi fecero de insula ad campaniam : isti ad illam uisitandi gratia uadant : et eius suasione reuocent ad gratiam meam animum eius . Cum ergo deposita esset Domitilla de insula potentiana in Terracinam : et uenissent ad eam Euphrosyna et Theodora : inuicem gaudio magno exultauerunt . Interea prandentibus illis : Domitilla ieiuniis et orationi uacabat : Tunc dicunt ei collactaneæ eius : modo quia nos prandemus et maritos accipimus : non possumus colere dominum tuum . Dicit eis Domitilla : Cum habetis sponsos nobiles uiros : si uellent uos ab amore eorum aliquæ ignobiles suppremæque personæ reuocare : num ipsi uos mariti acciperent ? Respondentes dixerunt : Auertat dominus hoc a mentibus nostris : quibus Domitilla ait : ita et a mea mente : quia magnum sponsum habeo filium dei : qui de cælo descendit et promisit uirginitatem diligentibus esse sponsum se carissimum : qui propter amorem eius custo | dierunt uirginitatem . dare eis uitam æternam : ita ut post exitum animarum eorum introducat eas in thalamum æternum in cælis : et faciat eas gaudere cum angelis ; et inter flores aromatum in medio paradisi gratulari semper : et sine fine in conuiuiis epulari : Cum hæc promitteret filius dei : et nullus ei uellet credere : Cæpit cecos illuminare . leprosos mundare . omnes infirmitates curare etiam et mortuos suscitare . Sic factum est : ut se uerum doceret . et ostenderet : et omnes in eum crederent . Dicit ei Theodora : Fratrem habeo iuuenem quem nosti Herodem . Hic ante hunc annum occulorum cæcitatem incurrit : Si uerum dicis : in dei tui nomine salua eum . Dicit etiam et Euphrosyna tu fratrem Romæ reliquisti cæcum : Ego autem habeo filiam nutricis meæ quæ ægritudine muta facta est . Auditum quidem integrum habet : sed uox et sermo fugerunt ab ea . Et hæc dicens : fecit eam in eius conspectum adhiberi . Tunc Domitilla prosternens se in oratione diutissime flæuit . Exurgens autem expandit manus suas ad cælum et dixit : Domine Iesu Christe qui dixisti uobiscum sum omnibus diebus usque ad consumationem sæculi : ostende uerum esse testimonium tuum . Et cum hæc dixisset : fecit signum crucis super os mutæ : et dixit in nomine domini dei mci† Iesu Christi loquere : et statim emisit uocem magnam dicens : Verus dominus tuus Domitilla : et omnia uera sunt : quæ tuo ore protulisti . Tunc miseruut† se ambæ ad pedes eius : et credentes mysteriis Christi

consecratæ sunt . Frater etiam Theodoræ adductus cæcus : Domitillæ precibus recepit lumen et mentis et corporis . Vniuersi autem uiri et mulieres qui pagani ex orbe uenerant siue serui siue ingenui uidentes hæc crediderunt Christo et baptizati sunt : et facta est domus : in qua mānebant† quasi in una ecclesia . Factum est autem ut ueniret Aurelianus cum duobus sponsis ipse tercius cum tribus organariis : ut quasi uno die trium uirginum nuptiæ fierent . Sulpitius autem et Seruilianus uidentes mutam loqui : et Herodem Theodore fratrem illuminatum : audientes hæc omnia quæ dicta et facta fuerant crediderunt : quos cum Aurelianus instanrer† hor || taretur : ut una simul acciperent sponsas suas : Sulpitius autem et Seruilianus prudentissimi homines dixerunt ei : Da honorem deo : cuius uirtute cæcum illuminatum conspicimus : et mutam loquentem uidimus . Aurelianus autem non curans de his : quæ illi loquebantur : fecit per potentiam suam includi in cubiculo Domitillam : ut securus faceret uiolentiam : Et positis organis post cænam cœpit lætus saltare inter eos : Cui saltanti more solito nuptiarum : omnibus autem deficientibus ille incessanter tamdiu saltauit per duos dies et duas noctes : quamdiu corruens expirauit . Videntes quæ euenerant omnes crediderunt . Frater autem Aureliani nomine Luxorius petiit ab Imperatore Traiano : ut hos omnes ad sacrificandum impelleret : qui si non consentirent : pœnis eos quibus uellet interimereret† : Vnde factum est : ut Sulpitium et Seruilianum præfecto urbis Amano traderet : quos præfectus confessos : quod nuper facti essent christiani nolentes penitus ultra idolis immolare decolare eos præcepit : quorum corpora christiani posuerunt in predio eorum uia latina milliario secundo : in quo loco exuberat uirtus martyrii eorum usque in præsentem diem . Post hæc Luxorius abiit ad uirgines Christi ad terracinensium ciuitatem : et nolentes penitus idolis sacrificare : ablatis omnibus quæ habebant in eodem cubiculo in quo simul morabantur clausit : et ignem imposuit . Altera namque die ueniens diaconus Cæsarius inuenit corpora uirginum immaculata in facies suas . prostratæ enim et orantes dominum recesserunt : quorum corpora sanctus Cæsarius in sarcophago nouo simul condiens et profundo terræ infodiens sepeliuit .

RELATIO EXILII SANCTAE DOMITILLE VIRGINIS PRAEDICATI A NEREO ET ACHILEO MARTYRIBVS IN PONTIANA INSVLA VBI DICTA VIRGO EXVLAVIT .

Nisi studia catholicorum securitatis suæ somno quiescerent : nulla posset ratione impietas hæreseos limites inuadere pietatis : sed ad euangelizandum stimulis suis exhulcerant : et tamen rerum quidam euigilantia ac fastidiosa cura : | strenuis et sollicitis obuiantes negligimus agnos : quo pro certo de ouilli amittimus luporum morsibus deuorandos . Vnde eorum sollicitudine qui ante nos fuerunt ortodoxorum prouincie nostre martyria aliquanta colligens de greco transtulimus in latinum : exemplum dans hoc diuersarum prouinciarum studiosis : ut sicut nos in nostra ita illi in suis prouinciis transferant consumata martyria ut populi excolentes et uenerantes eos quos pro nomine domini nostri Iesu Christi passos agnoscunt : sciant quod studio belli uictoriarum triumphos portantes : ad regem suum ouantes atque lætantes peruenire meruerunt . Primam itaque ad hædificationem omnium quorum est studium placendi deo : sumamus Domitillam nobilissimam uirginem : neptem Domitiani Imperatoris . Hæc habuit Nereum et Achileum eunuchos cubicularios : quos beatissimus et sanctus dei Petrus apostolus lucratus fuerat Christo . Isti autem dum uiderent dominam suam gemmis ornari : et purpureis uestibus atque testis indui : dixerunt ei : Quanto studio ornaris in corpore : ut filium consulis Aurelianum hominem mortalem maritum accipias : si tanto studio ornareris in anima : filium dei poteras adipisci sponsum : qui etiam te ipsam æternam faceret : et nunquam tibi neque ornamentis tuis neque gaudiis tuis finem permitteret : aut terminum euenire . Respondit eis domitilla : et dixit : Quæ potest esse melior caritas quam habere uirum . suscipere filios per quos posteritas dulcissima possit propagari : et tam generis dignitatem quam memoriam nominis non delere ? Postremo quam asperum esse delectationes ipsas contemnere : et uitæ huius suauitate non perfrui : et quasi qui non sit natus in hac luce quecumque

dulcia corpori non amare ? Ad hæc Nereus respondens dixit : Tu delectationes unius puncti uides : et quæ sequantur per annum totum pericula non uides : primo enim cum te ab integritate quæ et tecum nata est seperarueris† perdito nomine uirginis mulier nuncupaberis : et quæ nunquam ingenuitati tuæ aliquos dominari passa es nec parentes : patieris dominum tui corporis extraneum hominem : qui te quasi uilissimo abutatur imperio ? ut nullius tibi confabulatio sine litis periculo uel discrimine cedat : non noti aut af || fines non nutrices non uernaculi tecum nutriti erunt tibi affabiles . Periclitatur auditus et quicquid simpliciter egeris malis suspicionibus coharctatur . respondens Domitilla ait : Scio matrem meam passam patrem meum zelotipum et hac iniuria per longa tempora fatigatam . Nunquidnam et ego talem habeo ? Archileus dixit : Omnes sponsi antequam sponsas suas accipiant : humiles et mansuetissimos se fingunt . Postea uero quales se cellauerint produnt : et si luxuriosi fuerint : ancillas dilligunt : easque dominas suas contemnentes et pro nihilo habentes superbia et iracundiæ intentione defendunt . Et hoc non tantum uerbis sed uerberibus etiam ulciscuntur : Et cum iniuriosus sermo a pia matre dictus uix sufferri potuerit : pugni in te durissimi ictibns† uincti† calcium ingerentur . Sed esto quod neque luxuriosus sit neque zelotipus : sed potius probetur lenis et blandus . Videamus nunc : quæ pro certo mulierem incommoda subsequantur . Conceptum enim in utero pondus die noctuque portabit inuita : quo pondere efficitur ægra tumens pallida uix suis pedibus incedere præualens et ciborum utilium perferens fastidia cibis noxiis delectatur . nonnunquam etiam sinus ipse interior aut habundantia sanguinis inflammatur : aut tumoris nimietate algescit : aut siccitate aut ieiunio constringitur : aut pinguedine coharctatur : Et quibus solent debiles nasci curui et claudi : plerumque etiam in ortu suo positi a tenore recto uersantur : Et non solum mulierum oculis seminum earum occulta manifestantur . sed etiam uirorum ignotorum pro arte medicinæ nudantur : ita ut soleant partibus proferri membra concepti : qui matrem suam antequam nascatur interficit : cum ipse prius incipiat occidi quam nasci : Solet etiam aut strabo : aut mutus : plenus uulneribus aut etiam cum dæmonio procreari : ut querere exorcistam quam nutricem præstet . Respondens autem Nereus dixit : O quam beata est sancta uirginitas : que ab his omnibus est necessitatibus aliena : et est deo amabilis et omnibus angelis cara : quam qui habet similis est deo : Qui autem non habet : similitudinem dei ideo non habet : quoniam integritatem amisit : et corruptionem inuenit . Cuius quidem | reatum mulier per pœnitentiam euadere potest : ipsam uero integritatem penitus recuperare iam non potest : Heu quantæ amentiæ est : uelle se subdere libidini alienæ : Heu quam nimiæ inconsyderationis est : ut quæ poterant cum gaudio et laudibus hominum et angelorum integritatis expectare præmium et coronam perpetuam : cum planctu pœnitentiæ pro ipsa pollutione quærere ad indulgentiam peruenire . Omnis namque sanctitas : cum per aliquam uoluntatem aut necessitatem amissa fuerit : ad statum suum penitus reuocari non potest . Reatus autem eius per lachrymas pœnitentiæ expelli potest : Ipsa uero integritas ut diximus penitus reuocari non potest : ita ut statum pristinæ sanctitatis atingat . Omnia ergo perdita recuperari possunt : sola uirginitas si semel perierit recuperari non potest . Neque enim per pœnitentiam suam mulier cum ad indulgentiam facti sui peruerit† : poterit etiam ad hoc atingere ut uirgo fiat : quod creata est : cum semel amiserit integritatem quod nata est . Satis amica deo patri et spirituisancto familiaris probatur esse uirginitas . Nam sicut reginæ persona omnium nobilium et illustrium matronarum antefertur : ita et uirginitas omnium uirtutum dignitates excedit : ita ut secundum locum teneat post martyres . et sit inter uirtutes cæteras prima Seruiunt enim illi uniuerse uirtutes : et quasi Augustæ cubiculariæ suæ : ita obediunt imperiis eius . Blanditur ei fides : amplectitur eam spes : osculatur eam caritas : et omnes quæ astant in conspectu regis cælorum : patientia . perseuerantia . constantia . contemptus mundi . uigilantia . hospitalitas . misericordia . sollicitudo . scientia . ueritas . tolerantia . omnesque iste quæ sunt memoratæ : et quæ minus sunt memoratæ uirtutes famulantur : et inter frondes paradisi et uitæ eternæ inmarcescibiles flores : inter nemora angelorum et prata umbrosa et sanctis odoribus exhalantia uita eterna naribus assumitur : ubi aer ipse hanc habet odoramenti uirtutem : ut qui eum naribus suis assumpserit : ultra tristis esse non possit : ultra nullam in eum possit dominationem exercere infirmitas : nullus dolor . nulla tristicia : sed

semper erit gaudens de uitæ suæ perpetuitate secura . Ad hæc || Achilleus : Hæc quæ frater meus commemorat parua sunt : et quasi de fluuio inmenso unum sextarium sumat aquæ inmensæ . sicut tenens illud : ipsius autem aquæ mensuram colligere computando non præualens : ita ut uitæ illius quæ futura sunt gaudia et deliciarum nullus sermo explicare sufficiat : nulla cogitatio inuenire : nulla disputatio comprehendere . uolo autem et hoc non intermittere : quod et hic in isto sæculo uirginitas non perdit uirginitatem suam . et non timet uirilem audatiam . Non est subiecta homini corruptori : qui inquinat mundam : designat signatam : frangit integram : captiuat liberam et ingenuam a deo factam : et ipsi deo sancti nominis caram libidini suæ faciet uiolenter ancillam . Post hæc intra parietes domesticos : quasi in priuato carcere continet clausam . salutari non sinit : uideri etiam a suis parentibus prohibet . Nutritores et nutrices et affines quasi hostes : a consolatione et confabulatione excludit . nec ipsa infantum alloquia libere loqui patitur : deum† timet per eos agnosci a parentibus suis quas exercet in mulierem iniurias : hic qui habuerat in uirgine falsissima blandimenta . Mentior : si nunquam est factum . Et non magis minora satis memorauerim mala quam solet exercere uirilis superbia : agente angelo dei sancto uirginitatis patrono : quod hanc a se excludi permisit . cum qua nata est et lactata cum qua a cunabulis et risit et fleuit sanctam hanc integritatem permisit proiici de prædio suo : quam nascendo a creatore suscepit : et locum eius fecit in unicam eius corruptionem inuadere : cum eiicitur inde uirginitas quæ semper ibi ex quo nata mansit : et introducitur : nunquam ibi ex quo uiuere cœpit accessit : Et diximus patronum habere sanctam uirginitatem angelum domini : qui mulierem factam obiurget et increpet : faciamus uocem eius rationabiliter obiurgantis . Dic mihi o homo in quo te læsit uirginitas : ut illam a te proiicias et in locum eius inimicam eius admittas : quando de utero tuæ matris existi . tecum lactata semper tecum fuit : et a tuo consortio non recessit . Tecum fleuit fletus infantiæ : tecum inter blandimenta et nutrimenta lactata est : te | cum cibata : tecum tediata est cum angustiis infirmitatum tuarum : tecum angustiata est : tecum cum uigilares uigilauit : tecum cum dormires dormiuit : cum surgente stetit : cum sedente sedit : cum uestireris uestita est : cum ornareris ornata est : cum esuriente esuriit : cum epulante epulata est : Tecum litteras didicit : tecum grammatico magisterio erudita : tecum in oratoriis : tecum facta cathecumina : tecum baptizata est : tecum Christi sanguine consecrata : simul tecum uenit ad nuptias Christi et ecclesiæ : ubi thalamus eius gemmis uirtutum instratus . in ornamento mundarum mentium quottidie pulcra fit . Et enim de quorum nuptiis quottidie innumerabilis nascitur multitudo infantium : cum sit pater nascentium Christus : et mater filiorum ecclesia : tamen thalamus non diminuitur : quia Christus pater sponsus esse non cessat : et ecclesia mater sponsa esse non desinit . Semper enim Christus et sponsus et pater est . Semper ecclesia sponsa et mater est : quæ parere non desinit : et uirgo esse immaculata non cessat . In amplexu enim Christi ampliatur potius integritas quam fugatur : et in partu ecclesiæ crescit potius uirginitas quam decrescit . Huius ornamenta uario gemmarum splendore coruscant . Huius ore procedunt melliflue legis eloquia et perpetua uirginibus blandimenta . O felix et sancta uirginitas : quæ adhuc inter homines peccatores in terra posita tam magnis leticiis frueris : quales putas inter angelos post hæc habitura eris in celis? Quam carissima eris angelis : quam ornatior omnibus pretiosissimis gemmis : omni hora habens tecum iuuenem pulcherrimum Christum dei regis omnipotentis filium : diadematum auri comitem splendidum et fulgentem corusco cæli potentis lumine . Nam cum sol seruus probetur et famulus quanta potest esse pulchritudo domini : cum tanta sit pulchritudo serui? Hic semper tecum erit o sancta uirginitas : tecum inter omnes sanctos suos in blandimentis æternis et spiritualibus perseuerat : tecum semper inter angelos letus exultat . Elige nunc quem uis : aut istum cum æternis deliciis qui æternus est : aut hominem moriturum . cuius sunt || simul et ipse delicie periture . Hæc et multa his similia prosequentibus Nereo et Achilleo : Domitilla uirgo prudentissima dixit : Vtinam olim ad me hæc dei scientia peruenisset : et nunquam ego nec nomen sponse suscepissem nec sine labore titulum hunc assumerem : ut sicut baptizata idolorum culturam deserui : sic instructa carnale hoc comercium contempsissem . Nunc autem quoniam uobis deus aperuit os ad lucrandam animam meam : ipsum credo quod aperiat nobis consilium suum : ut possit per uos hic quod pro eius amore

cupimus adimplere : Tunc Nereus et Achilleus perrexerunt ad sanctum Clementem episcopum : et dixerunt ei : Licet gloria tua in domino nostro Iesu Christo sit posita . et non de humana sed de diuina dignitate glorieris : scimus tamen Clementem consulem patris tui fuisse germanum . Huius soror Plautilla non† infantulos comparauit : et tunc quando ab ipso diuo Petro apostolo uerbum uitæ audiens credidit et .† baptizata est : nos simul secum et cum filia sua Domitilla sancto baptismate consecrauit . Eodem anno et beatus Petrus cum corona martyrii properauit ad Christum : et Plautilla corpus terrenum deseruit . Domitilla uero filia eius cum Aurellianum illustrem haberet sponsum a nostra paruitate didicit sermonem : quem nos ex ore apostoli didicimus : quia uirgo quæ propter deum in uirginitate perseuerauit : Christum mereatur habere sponsum : cum quo in æternis deliciis et gloriis perseueret perpetuis . hæc et his similia audiens a nobis : cupit nunc uirginitatis suæ uotum manus tuæ uelamento sacrari . Quibus Clæmens episcopus dixit . Tempus est ut uideo : in quo et mea et uestra et ipsius uocatio : hac occasione ad martyrii palmam attingat . Sed quia præceptum est domini nostri Iesu Christi : ut non timeamus eos qui occidunt corpus : contemnamus hominem mortalem : et principi uitæ æternæ totis uiribus obtemperare nitamur . Tunc sanctus Clæmens ueniens ad Domitillam : consecrauit eam : Et quia longum est per ordinem scribere : quæ mala sponsus eius exercuit Aurelianus circa Domitillam furiis plenus : hinc articulum ad rerum | exitum transferamus . Impetrauit itaque a Domitiano principe : ut si sacrificare contemneret . Potentiane insule subiret exilium in quo exilio posse se arbitraretur a proposito perseuerantiæ animum sanctæ uirginis reuocare . Igitur cum esset in Potentiana insula exilio missa : simulque ibi essent cum ea Nereus et Achilleus : erant ibi exilio missi duo malefici discipuli Symonis : unus ex eis uocabatur Furius alius Priscus . Hii ergo duo pene incolas insule fallendo magicis signis fecerant Symonem magum pro dei filio uenerari et credi : Petrum uero inimicum eius sine causa fuisse . Cum obsisterent ei Nereus et Achilleus : essetque copiosa multitudo quæ eos defenderet : dixerunt populis Nereus et Achilleus : Marcellum nostis marci præfecti urbis filium ? Responderunt : quis hoc nesciat ? Dicunt ei Nereus et Athilleus† : huius testimonium admittitis de Symone et Petro ? Responderunt : grandis stultus est : qui tali personæ non credit : qui respondentes dixerunt : præstate ergo saluti nostræ : et quousque litteras nostras accipiat : et rescribat nobis tam de beato apostolo Petro quam de Symone mago : tollite a doctrina eorum : Factam autem epistolam nostram eligite unum ex uobis qui ad eum deferat : quam nos in conspectu uestro cupimus recitari : ut dum ille rescripserit in uestro conspectu . nihilhominus hoc dictum . Et continuo litteras sanctorum dirrexerunt . Textus autem epistolarum iste est . Nereus et Achilleus serui Christi Iesu : fratri et condiscipulo Marcello æternam salutem . In ergastulo pontiane insule exilio damnati . propter nomen domini dei nostri Iesu gaudemus : Sed gaudium nostrum fatigant Furius et Priscus discipuli Symonis : qui pro magicis artibus exilio damnati sunt . Asserunt enim quod innocens fuerit Symon : et apostolus Petrus sine causa execratus sit eum . Cumque diceremus omnibus ut nemo eis crederet : asseruimus idoneam et illustrem fidei tue personam : quæ possit eos informare scriptis : quæ et qualis fuerit uita eius : quoniam cum eius discipulus uniuersas eius agnoueris actiones quæ petimus ut ea scribere non moreris : ut possint ab eorum fallacia liberari . Gratia domini tecum . ||

PASSIO . S . DONATIANI ET ROGATIANI MARTYRVM .

Dioclitiani tempore florebant in urbe Namnetica duo fratres iuuenes Donatianus et Rogatianus : quorum Donatianus adhuc in iuuenta positus iam migrauerat in senem . Mota autem persecutione Rogatianus qui natu maior erat cucurrit ad fratrem suum petens : ut baptizaretur antequam persecutor appropinquaret : quod quidem ille tunc non consecutus est propter absentiam sacerdotis . Tenti autem simul in carcerem missi sunt : ubi sanctus Rogatianus contristatus eo : quod baptizatus non esset : sufficere sibi credidit : si osculum a fratre acciperet . Sanctus autem Donatianus rogauit pro eo dominum : ut esset ei pro lauacro martyrium : quod et factum est :

Nam in eculei catasta suspensi ac laniati : deinde lancea militari perfossi : nouissime capite cæsi sunt nono calendas Iunias ad illius honorem et gloriam qui trinus et unus uiuit et regnat amen .

VITA BEATI DOMINICI CONFESSORIS ET ORDINIS PRAEDICATORVM INSTITVTORIS .

Beatus Dominicus prædicatorum dux et pater inclytus : qui appropinquante mundi termino quasi nouum sydus emicuit ex Hyspaniæ partibus uilla : quæ dicitur Callaroga exoniensis diocesis oriundus fuit . Decebat sane : ut qui olim luciferum in tempore suo produxerat : uesperum quoque aduesperascente iam die super filios terræ consurgere faceret ab occasu : ut arentibus temporibus ab extremis terræ nubes educeret : quarum imbre serotino uineam : quam dextera eius plantauerat : huberius irrigaret . Sicut enim Iohanne baptista uelut lucifer solis ortum præueniens saluatoris prænunciauit aduentum : sic sanctus ipse Dominicus uespertini syderis in se gerens officium occidente sæculi luce uicinum creditur præuenisse iudicium . Huius mater : an | tequam ipsum conciperet : uidit in somnis se gestare catulum accensam in ore faculam baiulantem : qui egressus ex utero totum mundum incendere uidebatur : quo præfigurabatur ex ea prædicatorem esse nasciturum : qui facem igniti portaret eloquii : quo frigescentem in multorum cordibus caritatem uæhementius inflammaret : et sedulæ prædicationis latratibus lupos arceret a gregibus : dormientes quoque in peccatis animas ad uirtutum uigilantiam excitaret : quod et rei postmodum probauit euentus . fuit enim uiciorum mirabilis obiurgator . oppugnator hæresium : fidelium diligentissimus exhortator . Verba quidem eius ardebant ut faculæ : quia in spiritu uenerat et uirtute Heliæ . Natus autem ex piis parentibus et religiosæ nutritus : cœpit esse puer ingeniosus : utpote qui sortitus animam bonam : a domiuo† siquidem in benedictione dulcedinis est præuentus . Pater eius Felix : mater uero Iohanna nuncupata est . Horum itaque pio studio priusquam sæculare alliquid eius illaberetur animo : traditus est ecclesiastico imbuendus officio : ut sanctitatis odorem uelut testa recens imbiberet : quam postmodum antiquatam perpetuo tenore seruaret . In illa puerili ætate cor ei senile iam inerat : et sensus uenerandi canicies sub tenella facie latitabat . Cum enim esset adhuc puerulus nondum a nutrice segregatus : depræhensus est sæpe lectum dimittere : quasi carnis iam delicias abhorreret : et eligebat potius super terram accumbere quam in lecto corporali quodammodo quiete resolutus iacere . Extunc duxit in consuetudinem : declinata strati mollicie frequentissime super terram dormire . Videbatur iam illud quod nondum legerat intellexisse prouerbium : Adolescens iuxta uiam suam etiam cum senuerit : non recedet ab ea . Volens quoque magnum aliquid prouenturum futurorum præscius deus ostendere : cuidam matronæ quæ eum ex baptismi fonte leuauerat : uisionem per somnum demonstrauit . uidebatur siquidem illi puer dominicus stellam in fronte habere : quæ totam terram suo lumine perlustrabat . Quo dabatur intelligi : quod dandus foret quandoque in lucem gentium : illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent . Erat autem hæc ma || trona nobilis . uisionis itaque magnitudine stupefacta : matri eius cum ingenti gaudio quod uiderat nunciauit . Post hæc missus est Palentiam : ut sibi liberalium artium compararet studii exercitatione peritiam . Ibi enim tunc temporis generale florebat studium : abundans tam multitudine numerosa scholarium quam studiosa perfectione doctorum . Cœpit autem sanctæ indolis puer Dominicus non segniter agere : sed eruditioni : cuius gratia missus erat diligenter intendere : omissisque friuolis quibus adolescentior solet ætas effulgere : maturioribus sese studiis occupabat : Et ut animum suum plenius transferret ad sapientiam : cogitauit a uino abstrahere carnem suam : Vnde et uinum per decennium non bibebat . Postmodum autem lacescente stomacho : compulsus est a bonæ memoriæ Didaco oxomensi episcopo modico uino uti : quod ita lymphatum sumebat : ut pauci de suo scypho bibere affectarent . ex quo factum est : ut in liberalium artium eruditione supra multos coætaneos suos spacio breui proficeret . His ergo satis instructus : ne

in huius non tam scientiæ quam uere et summe philosophiæ præludiis tempus salubriori disciplinæ congruum deperiret : ad theologiæ studium se contulit : cœpitque diuinis inhyare uæhementer eloquiis : quorum mellea delectatus dulcedine : hauriebat auide : quod postea effudit abunde . his itaque sapientiæ salutaris studiis quattuor annis inuigilans : tanta diligentia tantaque discendi auiditate sacris litteris inhærebat : ut pene noctes insomnes duceret . uidebanturque ei dies pauci præ amoris magnitudine : quo ad speciosæ rachelis castos hanelabat amplexus . nec fraudatus a desyderio suo . re uera in opere illius iuxta propriam uoluntatem exiguum laborauit : sed cito de generationibus illius percepit : Et enim diuini uerbi sæmina intenta cordis aure percipiens : tanquam terra cælesti rore perfusa : non solum sanctarum meditationum et affectionum segetes : sed etiam operum bonorum fructus huberrimos producebat . Effudit proinde largius intellectum foris sapientiæ super latitudinem cordis eius : ut non solum facilioris doctrinæ lac suggeret : sed et solidioris cibi substantiam | mira facilitate glutiret : quod enim humanæ peritiæ deerat : hoc in eo diuinæ gratiæ illuminatio habundanter supplebat . Sanctitatem quidem uitæ ratiocinationum argutiis et spiritualem fructum uerborum foliis præponebat . sermo enim eius et prædicatio eius non in doctis humanæ sapientiæ uerbis : sed in ostensione erat spiritus et uirtutis . Fame autem perualida in uniuersis hispaniæ partibus ingruente seruus dei Dominicus adhuc manens Palentiæ : cum uideret egenorum miserias neminemque consolatorem : anxio admodum compassionis urgebatur affectu . Ab infantia quippe cum eo creuerat miseratio : quæ aliorum sibi coaceruans miserias nullius afflictionis aspecte permittebat eum non esse participem . de cordis hospitio xenodochium fecerat : et misericordiæ uiscera claudere alicui nesciebat . crebris ergo egenorum necessitatibus stimulatus excogitauit uno simul opere et euangelicis obtemperare consiliis : et morientium proximorum subuenire miseriis : uenditisque libris quos sibi admodum necessarios habebat et omni supelectili acceptum pretium dispersit : deditque pauperibus : quo exemplo magnos quoque diuites ac magistros ad misericordiæ opera prouocauit : Et extunc apparuit eos largius eleimosynas erogare proprie parcitatis ignauiam ex iuuenis liberalitate pensantes . Talibus uirtutum floribus in beato uiro gratissima uenustate uernantibus : cœpit odor sanctitatis eius circumquaque diffundi . Cumque honestatis eius late patens præconium oxomensis episcopi Didaci attigisset auditum : percunctata diligentius ueritate atque comperta : continuo accersitum fecit eum in sua ecclesia canonicum : qui uelut singulare iubar emicuit : et de uirtute in uirtutem mira celeritate progrediens omnium in se prouocauit affectum . Mirabantur canonici tam subitum religionis apicem : et eum licet inuitum sibi constituerunt suppriorem . Ipse autem quasi lucerna super candelabrum et quasi ciuitas supra montem posita delectabile se cunctis clarumque sanctitatis spectaculum† exhibebat . factus omnibus uitæ speculum religionis exemplum . Erat enim in oratione assiduus : caritate præcipuus : compassione anxius : humilitate subiectus : spiritualem || namque gratiam deus ei contulerat flændi pro peccatoribus : pro miseris et afflictis . Et animarum pereuntium zelo succensus : nec minus desyderio cælestis habitationis affectus : crebro in orationibus pernoctabat . Sæpe autem et inter orationes rugiebat a gemitu cordis sui : nec continere se poterat : quin uox plangentis euidenter eminus audiretur . Frequenter autem aures diuinæ clæmentiæ hac speciali petitione pulsabat : quatenus cordi eius illam caritatem dignaretur infundere : qua proximorum efficacius salutem posset procurare exemplo eius uidelicet : qui se totum obtulit nostram in salutem . Sane librum qui collationes patrum inscribitur studiose legens ac uigilanter intelligens salutis in eo rimatus semitas : magnum perfectionis apicem apprehendit . Agit siquidem liber ille de cordis puritate . de uiciis et de omnium perfectione uirtutum : Cuius frequens lectio Christi discipulum ad multam cordis puritatem : ad contemplationis arcem et totius disciplinæ perfectionem gratia opitulante prouexit . Factum est autem non sine diuinæ prouisionis ordine : ut supradictus Didacus rogatu Aldefonsi regis castellæ ire ad marchias debuisset : regis uidelicet eiusdem filio Ferlando cuiusdam puellæ nobilis nunciaturus connubia : Qui quidem episcopus assumpto sibi honesto iuxta suæ dignitatis exigentiam comitatu : secum et dei seruum Dominicum ecclesiæ suæ suppriorem adducens profectus est : Cumque peruenisset Thosolam† intellecto loci illius indigenas iamdudum hæreticæ prauitatis fuisse pestifera infectione corruptos : cœpit super eorum perniciem miserabili admodum cordis compassione turbari .

Eadem uero nocte qua in præfata urbe hospicio sunt recepti : beatus Dominicus hospitem suum hæreticum tam affabili persuasione alliciens quam irrefragabili rationum connexione deuincens : ad fidem catholicam dei spiritu cogente conuertit : Neque enim resisti poterat sapientiæ et spiritui qui :† in beato Dominico loquebatur . At uero iam dictus episcopus prosecutus iter : executus nuncium : assecutus propositum ad regem regrediens successum ipsum prosperum et puellæ nunciauit assensum . Rursus cum ma | iore apparatu ab eodem rege missus marchias adiit : sed puellam : quæ ducenda tanti laboris causa extiterat : defunctam inuenit : id nimirum diuina prouidentia disponente : ut disceret Didacus : meliores et spirituales nuptias inter deum et animas dedicare . remisso igitur ad regem nuncio ipse cum sociis curiam romanam adiit . Cessionem a summo pontifice postulauit : dicens esse suum propositum cumanæ gentis conuersioni curam et laborem impendere : si eum dignaretur a cura pastoralis officii liberare . Non acquieuit eius instantiæ summus antistes : nec saltem ei licentiam ad cumanos eundi uoluit indulgere . Reuertens itaque uisitauit in uia cistercium : Vbi in multitudine seruorum Christi sanctam conuersationem intuitus religionis pulchritudine delectatus : assumsit habitum monachalem : abductis secum aliquibus monachorum : quorum instructione forma quoque religionis imbueretur : redire in hispaniam festinabat . Sed superna prouisio plerumque ad meliora reducit : sibi melius obstaculum præparabat . Eodem tempore missi erant a papa Innocentio uiginti abbates cisterciensis ordinis cum uno apostolicæ sedis legatos† in terram Albiensium : ut fidem catholicam prædicantes hæretica uenena pro uiribus propulsarent : qui conuocato archiepiscoporum et episcoporum aliorumque in partibus illis ecclesiæ prælatorum concilio : conquirebant inter se quomodo commodius id cuius gratia uenerant executioni mandarent . Illis autem super hac deliberatione sollicitis : sæpe dictus Didacus oxomensis episcopus superuenit . nec latebat eos : quin esset uir sapiens . sanctitate præcipuus . mororum† grauitate maturus . zelator fidei : rectitudinis æmulator . Postquam igitur illis eum aduenisse innotuit : accersitur cum honore . suscipitur . consulitur et fides eius consiliis adhibetur . Hoc autem fuit eius spiritu diuino suggerente consilium : ut abiecta pompa superflui apparatus quam quidem satis incongrue qui ad Christum pauperem prædicandum uenerant : in expensis et equitatibus ac uestibus ac uaria supellectili præferebant ueram atque euangelicam in se prætenderent paupertatem : et fidem Christi non uerbis tantum et labiis || personarent : sed rebus et manibus demonstrarent . atque hoc modo animas quas hæretici falsa uirtutis ac pietatis imagine deludebant : ipsi uera sanctitatis et religionis exhibitione possent ad ueritatem fidei reuocare . fauent omnes eius consilio : et iuxta uerbum eius facere se pollicentur . Ipse uero primus dictis suis facta compensans : cœpit facere : quod aliis suadebat : statimque misit suos oxomiam cum equitaturis ac supelectili diuerso quem secum tulerat apparatu . Retinuit tamen secum paucos fratremque Dominicum oxomensis ut dictum est ecclesiæ suppriorem : extunc tamen ille cœpit frater Dominicus et non supprior appellari . Hic est frater Dominicus : prædicatorum ordinis primus pater et frater : Vere Dominicus a domino custoditus a corruptione peccati . uere Dominicus domini sui custos : et ideo glorificandus . Custos quippe domini fuit ipse : quia uoluntatem domini custodiuit : Custos domini : quia uineæ domini Sabaoht† custos a domino deputatus . At uero qui conuenerant causa fidei prædicandæ : episcopi Didaci non minus exemplo quam consilio didicerunt : quam expeditos esse ueri Abræ uernaculos expediret . Remissus ergo ad loca sua temporalium sarcinus cœperunt singuli euangelicam paupertatem amplecti : pedites discurrere : ac strenue fidem Christi uerbo et opere prædicare . habentes super se totius negotii ducem episcopum oxomensem : quod uidentes et inuidentes hæretici cœperunt et ipsi ex aduerso importunius prædicare . Fiebant autem eo tempore in partibus illis frequentes inter catholicos et hæreticos disputationum conflictus sub iudicibus deputatis : conueniebatque ad hoc spectaculum uirorum ac mulierum diuitum ac nobilium et populi multitudo . Cum autem apud fanum Iouis celebris quædam esset indicta disputationis contentio : nonnulli hæreticorum contra fidem cœperunt scripta confingere : Plerique etiam fidelium collectis ad assertionem fidei rationibus et auctoritatibus : suos conscripsere libellos : quibus omnibus diligenter inspectis liber beati Dominici præ cæteris commendatus est : et communiter approbatus . Statuta ergo die adest | populi plurima multitudo . adsunt partes : adsunt et iuduces† : libelli utriusque

partis in medium proferuntur . alter beati Dominici : alter hæretici . Longata fuit disceptatio : quis eorum rationabilior uideatur : cumque uerborum hinc inde contentio non posset in partem alteram declinari : uisum est arbitris : ut utrosque libellos flammis iniicerent : et si quis eorum illæsus euaderet : ille ueræ fidei testis proculdubio haberetur . Accensa igitur pira uterque libellus examinandus immittitur . liber hæretici mox flammis exuritur . liber Dominici prorsus non læditur : sed procul egreditur a camino . Secundo iterum iniectus ac tercio æque prosilit incombustus . manifesta probatione demonstrans et fidei catholicæ ueritatem et scriptoris sui Dominici sanctitatem . Tanta uero in dei seruo Didaco episcopo lux diuinæ gratiæ radiabat : ut amorem sibi omnium raperet et ipsos quoque aduersarios gratiæ ui quadam honesta alliceret : ut ab illis etiam amaretur : unde et de eo pronunciabant hæretici : quod necesse est huiusmodi hominem prædestinatum fore ad uitam : et ob hoc ad partes illas directum : ut ueræ fidei mereretur apprehendere disciplinam . Erant autem in locis illis nobiles quidam : qui egestate compulsi filias suas tradebant hæreticis nutriendas et erudiendas immo re uera erroribus pestiferis eludendas quarum perniciosum miseratus obprobrium dei seruus Didacus episcopus monasterium quoddam ad earum suscepionem instituit in loco : quod Prulianum : Vbi usque hodie ancillæ Christi gratum deo exhibent famulatum . Exacto quidem in fidei prædicatione biennio præfatus episcopus ne forte negligentiæ posset redargui circa sibi commissam ecclesiam oxomensem : in hispaniam redire decreuit . Proponebat autem assumpta de ecclesia sua aliquanta pecunia ad consumationem præfati monasterii fœminarum redire ad solitum prædicationis officium : ordinare etiam de consensu summi pontificis uiros aliquos ad prædicationem idoneos : quorum uidelicet esset officii hæreticorum erroribus semper obsistere non deesse : Relictis ergo ibidem quibusdam ex sociis : fratrem quidem Dominicum eis in spiritua || lium cura quendam uero Guilielmum Clareti dictum in temporalium administrationem præfecit ita tamen : ut ad fratrem Dominicum referret omnium quæ ageret rationem : cumque iusto labore Oxomam peruenisset pedes transiens per castella ad extremum uitæ suæ perductus mortalitatis terminum immortalis uitæ continuauit initio : Ingressus in abundantia sepulchri in requie opulenta . Fertur etiam post obitum miraculis claruisse . nec mirum si regnans in patria uirtutum signis claruit : qui adhuc in uia militans . uirtutibus plenus fuit . Audito igitur transitu oxomensis episcopi cæteri qui in partibus tholosanis gratia prædicandi remanserant ad propria sunt reuersi . Solus frater Dominicus cum paucis sibi adhærentibus in prædicationis indefessa continuatione permansit . Licet autem eum aliqui sequerentur : non tamen ei adhuc aliquot professionis aut uoti uinculo tenebantur . Ex his uero qui cum eo remanserant . erat Guilielmus Clareti de quo supra fecimus mentionem : alter uero frater Dominicus quidam hispanus : qui postmodum in hispania prior extitit Demantino . Cœpit interea de mandato domini papæ Innocentii crux contra Albigenses in Francia prædicari . Videns siquidem Innocentius duræ fore ceruicis hæreticos : nec posse uerbis filiorum more erudiri : seueritatis uerbera fortiter adhibere decreuit : ut infructuosos palmites quos uerbi dei gladius putare non poterat : ipsos priusquam uineam domini sabaoth demolirentur ad libitum : materialis gladius penitus amputaret . Hanc cladem eis superuenturam beatæ memoriæ Didacus oxomensis episcopus prædixit adhuc uiuens . Cum enim eorum mentes ab erroris insania nulla persuasione posset auertere : illis irridentibus et blasphemiarum suarum ineptias impudenti pertinacia defendentibus extensis in cælum manibus ait : Domine mitte manum tuam : et tange illos : quod uerbum diuina fuisse inspiratione prolatum subsecutum eorum probauit excidium . Mansit autem ibi tunc temporis beatus Dominicus usque ad obitum comitis Montisfortis constanter annuncians uerbum dei : nec apostolorum quidem fraudatus est gloria : | quia dignus est habitus pro nomine Iesu contumeliam pati . Irridebant siquidem et multipliciter subsannabant hæretici uirum sanctum conspuentes et lutum et huius modi uilia proiicientes in eum . Venit quoque postmodum aliquis ex illis pœnitentia ductus : qui diceret in confessione se luti iniectione ipsum sanctum Dominicum percussisse : eique a tergo pro derisu paleas alligasse : Sed quasi nec ista sufficerent captabant in animam iusti : et mortis ei parabant insidias . Intentabant attroces sacrilegis linguis minas : quas miles Christi fidei magnanimitate contemnens necesse sibi comminantibus aiebat : Non sum ego dignus martyrio . Nondum merui mortem istam . Cum

autem aliquando pertransiret locum : in quo sibi paratas suspicabatur insidias : non solum intrepidus uerum etiam cantans et alacer uadebat : eius exemplum sequutus : de quo scriptum est : Oblatus est : quia ipse uoluit . Audientes autem post hæc hæretici admirantesque eius constantiam inconcussam dixerunt ei : Nunquid non tu mortis horrore concuteris ? quid acturus eras : si conpræhendissemus te ? At ille : Rogarem uos inquit : ne mihi breui compendio mortem celerem inferretis : sed paulatim et successiue membra singula mutilantes : deinde ostensis coram meis oculis detruncatis membrorum particulis : ipsos etiam oculos eruentes : ad ultimum semiuiuum laceratumque corpus sic permitteretis cruentatum in suo sanguine uolutari uel prorsus ad libitum necaretis . Ad hæc uerba ueritatis aduersarii stupefacti destiterunt ultra insidiari ei : cum sæuientes in eum seruire potius sibi et persequentes obsequi uiderentur . Ipse uero animas Christo lucrari quas poterat totis uiribus et zelo feruentissimo satagebat : et inerat ei mira et pene incredibilis salutis omnium æmulatio : conterere mola iniqui : et de dentibus illius auferre prædam . Caritatis quoque perfectione non uacuus pro salute proximorum animam suam ponere promptus erat . hortatus ei aliquando quemdam dolis impietatis hæreticæ circumuentum : ut ad matris ecclesiæ rediret sinum cum illum didicisset temporalium egestate compulsum : ab infidelium societate non posse || discedere . nam ipsum uictum ei quem aliunde habere non poterat ministrabant . Deliberauit dei famulus semetipsum uænundare : atque sui pretio redimere proximum : redemptoris omnium imitatus exemplum : quod et fecisset : nisi deus qui diues est in omnibus : aliunde prouidisset : quo miserabilis illius hominis releuaretur egestas . Simile quidem prius fecisse dignoscitur : cum adhuc in patria sua moraretur . Quædam enim mulier conquesta est ei : fratrem suum apud sarracenos detineri captiuum . At ille ut erat plenus spiritu pietatis intimo compassionis affectu saucius : uændendum se obtulit pro redemptione captiui . Sed non permisit hoc dominus : qui eum sibi ad huberiores fructus iustitiæ et animarum complurium conuersionem seruabat . Eo tempore sciens dei famulus sæcularium corda exemplis potius moueri quam uerbis : ideoque quamplurimos subdola hæreticorum superstitione infectos pertrahi ad errorem : excogitauit exemplis exempla retundere : et ueris uirtutibus sophisticas uersutias expugnare . Erant siquidem sanctæ quædam nobiles in partibus tholosanis : quarum sibi familiaritatem lupi rapaces hæretici pellis ouinæ subducto uelamine uendicabant . Prætendebant enim : ut assolent : miram humilitatem in habitu : simplicitatem in gestu : dulcedinem in affatu : nimiam austeritatem in uictu . Exterminabant quippe facies suas ut uiderentur ab hominibus ieiunantes . quis uel sapiens in prima fronte non deciperetur a talibus ? quis eos non sanctissimos reputaret . Nolens igitur sanctus animarum zelotipus huiusmodi figmentis seduci mentes simplicium : quasdam nobiles dominas incredulorum credentes ac familiares adiit : et apud eas hospitio receptus est : et per totam quadragesimam ibi mansit . Igitur ut et ipse eas ostensione sanctitatis alliceret : tanta se ipsum cum societate sua cœpit austeritate afficere : quantam sine auxilio diuinæ gratiæ sustinere nequaquam infirmitas humana potuisset . Et enim cum sibi cibi more solito præparati ab ipsis hospitibus offerrentur : nos inquit huiuscemodi nunc alimentis non utimur . Panem nobis tantum et aquam frigidam exhibete . Ieiunauit er | go uir sanctus cum socio suo in pane et aqua quottidie per totam quadragesimam usque ad pascha : ita ut mirarentur familiares hæreticorum : et dicerent : Vere isti hòmines boni sunt . Stratus quoque cum eis pararetur ad quiescendum idoneus : non inquit in hac mollicie sed super tabulas quiescimus : Stratis itaque sibi nudis tabulis accubuerunt . His lectis his culcitris hac supellectili per totam quadragesimam singulis noctibus utebantur : carnemque propriam pro salute proximorum crucifigebant quottidie nudo dormientes in ligno exemplo eius : qui somnum mortis cœpit in crucis patibulo . Somnus autem eorum breuis erat . Surgebant enim quantocyus et præocupabant uigilias orationibus insistentes . Allocutus etiam beatus Dominicus aliquas ex dominabus illis rogauit : ut sibi et socio suo uestes quasdam uiles sed admodum necessarias querere dignarentur . Interrogantibus autem illis : cuiusmodi uestes essent : quibus tanto opere indigerent : cylitia inquit : addiditque : Nemo sciat : seruetur secretum . Stupuerunt itaque admirantes tantam excellentiam sanctitatis : et cœperunt magis ac magis allici ad fidem catholicæ ueritatis . Hæc autem faciebat uir spiritu dei plenus : non ut sibi fauorem humanæ laudis acquireret : sed ut mentes infidelium ad amorem

catholicæ religionis alliceret : et ab errore supersticionis hæreticæ reuocaret . qua in re si cui uidetur pater sanctus imitatus fuisse hipochrytas : noscat hipochrysim duas habere facies . pulchram et fædam exteriorem et interiorem : mutuatam et propriam . Pulchram exterius : qua decipit . fædam interius qua corrumpit . exteriorem mutuatur : et sibi ipsi usurpat ex alieno : interiorem habet de suo . Illa enim uirtutis est species : hæc uicii turpitudo . Per illam denique exterius nequiter se humiliat : per hanc interiora eius plena sunt dolo . Illud ergo quod hippochrysi cum uera uirtute uidebatur esse commune exterius : boni uidelicet apparentiam dei seruus prudenter eligens reliquum quod est uitii scilicet fallaciam interiorem cauit seperans pretiosum a uili . aurum quidem cuius fulgore subornatur hippochryta : in publicum aliquatenus pro fraternæ carita || tis exigentia proferebat : sed cordi eius dolus non inerat : cuius conscientia nimirum obrizo amoris intimi rutilabat . Non ergo fuit hippochrysis ostensa exterius sanctitatis : cuius interius suberat ueritatis : quamuis in huiusmodi rigoris seueritate non consistat uirtutum perfectio : si desit illa : quæ radix est et fructus omnium bonorum operum dillectio : ex qua nihil repræhensibile . sine qua nihil fieri potest laudabile . Hinc nonnunquam pater iste sanctus admonebat fratres suos : ut cum apud sæculares essent : ad proximorum ædificationem aliquam ostenderent in seipsis uirtutis apparentiam in abstinentiis . uigiliis . uerborum quoque ac gestuum disciplina : et sic eos sancta quadam hipochrysi ad fidei reuerentiam et uirtutis amorem propensius inuitarent . Vnde et apostolus sumptus recusabat accipere : ne quod offendiculum præstaret euangelio Christi : uirtutes etiam suas ac labores necnon et dei reuelationes enumerat : ut plures lucrifaciat . Hinc quoque scriptum est : Sic luceat lux uestra coram hominibus : ut uideant opera uestra bona : et glorificent patrem uestrum : qui in cælis est . Igitur dei seruus Dominicus apud deum et homines gratia proficiebat et fama . Hæreticos uero torquebat inuidia : quibus claritas uiri sancti grauis erat ad uidendum . Illis autem subsannantibus : et de malo thesauro cordis sui proferentibus mala : fidelium erga eum crescebat deuotio : et catholici multo eum uenerabantur affectu . Apud magnates etiam et archiepiscopos et episcopos aliosque in illis partibus ecclesiarum prælatos pro sui sanctitate ingenti dignus habebatur honore . Nondum ordo prædicatorum tunc temporis institutus erat : nec ulla edita constitutio ex iis : quæ modo in eodem ordine obseruantur : sed tamen de institutione ordinis tractabatur . Frater autem Dominicus prædicationi insistebat . habebat uero ad sui et suorum sustentationem ecclesiam fani Iouis et quædam alia castrum etiam quoddam insigne : quod dicitur cassaruel sibi a comite Montisfortis collatum : cuius comitis erga eum feruebat deuotio et dilectio spiritualis : De omnibus uero quæ habebat beatus Dominicus : quicquid sibi suisque sociis sub | trahere poterat : Dominabus monasterii de Pruilano† impartiri studebat . Mansit autem beatus Dominicus in eisdem partibus solus annis fere decem a transitu uidelicet beatæ memoriæ Didaci oxomensis episcopi usque ad illud tempus : quo lateranense concilium celebratum est : Eodem tempore se obtulerunt fratri Dominico duo uiri probi et idonei ex Tholosa : quorum unus fuit frater Petrus de sela prior tandem in eodem ordine Lemonisensis† : qui domos insignes et arduas quas habebat Tholosæ circa castellum narbonense contulit fratri Dominico et eius sociis : in quibus Tholosæ primitus habitare cœperunt . alter uero frater Thomas uir admodum gratiosus et sermone facundus . Et extunc cœperunt qui fratri Dominico adhærebant magis ac magis ad humilitatem et paupertatem uoluntariam inclinari : et religiosorum se moribus conformare : quod uidens beatæ memoriæ Fulco Tholosanus episcopus : qui dilectum deo et hominibus fratrem Dominicum tenearime† diligebat : exultans ad nouæ lucis exortum de consensu totius capituli sui sextam partem omnium decimarum suæ diocesis ipsi et eius sequacibus elargitus est : cuius emolumenti subsidio suis ad libros atque sustentationem necessariis prouiderent . Proficiscente autem Romam eodem episcopo ad concilium generale : frater etiam Dominicus cum eo profectus est : Vbi pari uoto parique consilio precati sunt dominum papam Innocentium : quatenus ordinem : qui prædicatorum diceretur et esset : fratri Dominico eiusque sequacibus confirmaret : ratam etiam dignaretur habere assignationem reddituum tam :† a comite prædicto quam ab episcopo fratribus prærogatam : quibus auditis hortabatur Papa fratrem Dominicum ad fratres suos redire : et de communi eorum consensu regulam aliquam iam approbatam eligere : quibus etiam ecclesiam aliquam assignaret episcopus : tandemque

reuersus ad curiam : confirmationem ordinis sui et cætera quæ postulauerat reportaiut† . Regressus igitur post celebrationem concilii frater Dominicus : uerbum summi pontificis fratribus patefecit : qui mox inuocato spiritusancto regulam beati Augustini prædicatoris || unanimiter elegerunt : quasdam sibi arctioris uitæ consuetudines in super assumentes in uictu et strato pariter ac uestitu . Proposuerunt etiam ne prædicationis impediretur officium : terrenas possessiones abiicere uerum redditus adhuc quos acceperant placuit retinere . Porro præfatus Fulco tholosanus episcopus tres eis ecclesias assignauit unam intra terminos ciuitatis : aliam in uilla Appasiensi : tertiam inter Soredam et Podium Laurentii ecclesiam silicet sanctæ Mariæ de Lescuna : quarum quelibet conuentualis esse debebat : Et eam quidem quæ intra terminos ciuitatis in honore sancti Romani fundata erat : acceperunt fratres anno domini Millesimoducentesimo sextodecimo . Erant enim fratres numero sexdecim : ædificaueruntque iuxta eandem ecclesiam claustrum et cellas ad studendum idoneas : dormitoriumque satis aptum . In reliquis autem duabus ecclesiis nullus unquam ex fratribus habitauit . Defuncto interea papa Innocentio : Honorius post eum in honorem apostolicum sublimatur : Ad quem accedens frater Dominicus confirmationem ordinis et quicquid a predecessore eius postulauerat : ad uotum plenissime impetrauit . Sequenti anno postquam primitus ecclesia in Tholosana ciuitate fratribus data erat : Cœperunt Tholosani insurgere contra comitem Montisfortis : cuius interitus fratri Dominico in uisione præmonstratus est : uidebat enim in somnis imaginaria quadam uisione uerum intellectu non uacua arborem quandam uerticis sublimitate proceram : ramorum expansione diffusam . densarumque frondium uenustate perpulchram . quiescentem quoque in ramis eius auium multitudinem copiosam . Post paulum arbor corruit : et omnis ille cœtus uolatilium dispersus aufugit . Intellexit igitur uir spiritu dei plenus comiti Montisfortis magno uidelicet principi pupillorumque tutori proximum imminere occasum mortis . conuocatis ergo fratribus inuocato quoque spiritusancto dixit suum hoc esse propositum . fratres omnes licet admodum paucos per diuersas dispergere regiones : nec se uelle de cætero eos simul habitare : sciens : qnod† sæmina dispersa fructificant : congesta putrescunt . Ad | mirantes autem fratres cur sic eos dispergeret : altiori quidem id agi consilio ignorabant . Nemo tamen eius sententiæ contraire præsumpsit . Tanta enim sanctitatis auctoritas in dei seruo Dominico præminebat : ut ab eis omne dubietatis nubilum abigere : ne ipsius sententiam aliunde quam de uultu dei procedere autumarent . Voluit autem : eos aliquem sibi ex fratribus eligere in abbatem : cuius arbitrio cæteri regerentur : ita tamen ut tam super ipsum abbatem quam super cæteros fratres penes fratrem Dominicum resideret auctoritas corrigendi . Hoc autem faciebat vir sanctus disponens adire terram Sarracenorum : et eis uerbum fidei prædicare : Vnde etiam barbam aliquanto tempore nutriebat . Electus est igitur frater Matheus canonicæ in abbatem : qui primus et nouissimus in hoc ordine appellatus est abbas . Nec quisquam ipsi : nec ipse alicui in huiusmodi dignitatis appellatione successit . Placuit postmodum fratribus : ut insinuande humilitatis gratia qui toti eidem responderet ordini : non abbas sed magister ordinis diceretur . Cæteri uero inferiores prælati priorum uel suppriorum uocabulo censerentur . Dispersit igitur dei nutu fidelis dispensator et prudens frater Dominicus fratres suos : uelut quædam sæmina salutis animarum fructus huberrimos productura : et quosdam quidem in hispania : quosdam uero parrhysios : alios autem Bononiam destinauit . Illi autem profecti salutarem ubique disseminabant scientiam : magnas sustinentes angustias paupertatis : et uirtus domini erat ad multiplicandum eos . Ipse antem† frater Dominicus Romam petiit : Vbi cum esset : accidit : magistrum Reginaldum uenerabilem aurelianensem decanum cum aurelianensi episcopo mare transiturum : illuc usque uenire . Erat autem iste magister Reginaldus uir scientia præditus . uirtute pariter et opinione præclarus : qui etiam in iure canonico præfuerat apud parrhysios annis quinque . Hic tale conceperat deo inspirante propositum : ut relictis omnibus quæ habebat : prædicationi totus insisteret : Et hunc sibi uiuendi modum eligere disponebat : sed quomodo id commodius ageret quod mente conceperat : adhuc || animo non satis occurrerat . Nondum enim nouerat ordinem prædicatorum institutum fuisse . Habito autem cum quodam sedis apostolicæ cardinali familiari colloquio : suum ei propositum reuelauit : Dicens se admodum affectare : si quo modo posset huius uitæ genus attingere : ut relictis omnibus : Christum prædicando

per diuersa loca discurreret uoluntaria paupertate . Tunc ille : ecce inquit nouus ordo prædicatorum exoritur : qui : secundum quod appetis : et prædicationis officium et paupertatem uoluntariam profitetur . Magister quoque ipsius ordinis in hac Romana urbe prædicationis insistens officio demoratur . His auditis magister Reginaldus continuo fratrem Dominicum accersiri fecit : et ei cordis sui reserauit arcanum : Illectus denique sanctitatis eius aspectu : gratioso quoque salutaris exhortationis affatu : extunc ordinis ipsius deliberauit ingressum . Sed mox sancti propositi examinatrix aduersitas uoto eius obiicitur : et idem magister Reginaldus graui infirmitate corripitur : Morboque inualescente succumbit propemodum natura : mortis etiam reuelantur indicia : salutisque a medicis desperantur remedia . Beatus uero Dominicus susceptæ sobolis intempestiua damna non sustinens totum ad orationem se contulit : aures diuinæ clæmentiæ iportunis† cordis clamoribus interpellans : atque nullatenus silentium ei præstans : ne se tam subito nondum nati sed quadam spe concepti filii consolatione fraudaret : et sicut ipse postmodum in collatione fratribus referebat : obsecrans ut uel modico tempore eum sibi concedere dignaretur . Eo igitur in orationibus persistente apparuit uisibiliter magistro Reginaldo uigilanti et uæhementi ardore febrium æstuanti beatissima dei genitrix mundi domina uirgo Maria : duabus se comitantibus speciosis supra modum puellis : Ipsam reginam eum clæmenter alloquentem : is qui patiebatur audiuit . Pete inquit a me : quod uis : et dabo tibi . Deliberanti uero quid peteret : una ex eis quæ reginam cæli commitabantur puellis suggessit ei ne quid peteret quod regina non dignaretur conferre : sed totum eius comitteret uoluntati . Posuit itaque in | beatissimæ matris dei sano usus consilio electione : ut secundum beneplacitum suum ei daret : quod uellet . Tunc illa manum extendens uirgineam ægrotantis oculos renes et pedes salutari quam secum detulerat unctione perunxit : formulas uerborum proprias ad singulas unctiones subinferens : quorum uerborum ea duntaxat comperi : quæ ad renum et pedum protulit unctionem . Ad renes quidem ait . Stringantur renes tui cingulo castitatis . Ad pedes autem : Vngo pedes tuos in præparationem euangelii pacis : et addidit . Tertia die mittam tibi ampullam restitutionis plenæ sanitatis . Tunc ei habitum prædicatorum ostendit . En inquit hic est habitus ordinis tui : atque ita feliciter ægrotantis oculis corporalem illam speciem suæ uisionis abscondit . Sic inunctus a cæli regina Reginaldus continuo bene habens conualuit : nimirum quem mater illius perunxerat : qui nouit unctiones conficere sanitatis . Mane autem facto uenienti ad se beato Dominico et qualiter se haberet familiariter sciscitanti sanus inquit sum . At ille de spirituali hoc sanitate accipiens aiebat : Scio quod uere sanus es . Ille autem perstabat replicans se sanum esse : Cum autem hoc beatus Dominicus de corporali sanitate non caperet : tunc magister Reginaldus nunciauit ei ex ordine uisionem . Aguntur ergo gratiæ et quidem non indeuote ut arbitror saluatori : qui sanat quos percutit : et eis quos uulnerat salutarem adhibet medicinam . Medici mirantur tam subitam et inspertam† salutem ignorantes :† cuius medicinæ fuisset exhibitione curatus : qui secundum eorum sententiam de uita fuerat desperatus . Die autem tertio sedente beato Dominico cum magistro Raginaldo† erat cum eis quidam uir religiosus de ordine hospitaliorum : qui manifeste uidit beatam uirginem uenientem : et totum corpus magistri Reginaldi manu propria perungentem . Illa uero cælestis unctio sic carnem uiri sancti magistri Reginaldi non solum ab æstu febrium : uerum etiam ab ardore concupiscentiæ temperauit : quod sicut ipse postmodum confessus est : nec primus in ea motus libidinis de cætero pullulauit . Hanc uisionem beatus Dominicus post eius transitum fratribus publi ‖ cauit . Adiuratus enim ab ipso fratre Reginaldo fuerat : ne hoc in uita ipsius alicui reuelaret : sed secretum quasi sub sigillo confessionis seruaret . Mox igitur recepta cælitus sanitate deo se totum obtulit : et beato Dominico professionis se uinculo obligauit . quo audito Aurelianensis episcopus adhuc Romæ persistens cœpit cum magna instantia et inconsolabili cordis anxietate petere a beato Dominico : quatenus ei panem suum : sic enim magistrum Reginaldum appellare consueuerat : saltem usque ad redditum peregrinationis suæ concedere dignaretur . Instabant etiam complures alii gratia ipsius episcopi compassione moti . seruum dei beatum Dominicum flagitantes : ut acquiesceret præcanti . Frater uero Reginaldus constantissime magistro suo beato Dominico parere paratus : fixus et immobilis in suo proposito permanebat . At ille ut erat miseratione plenissimus uictus compassionis affectu : concessit præfato episcopo

magistrum Reginaldum usque ad maris transitum : deinde uisitata terra sancta ad fratres suos continuo reuersurum . Igitur frater Reginaldus recuperatis uiribus cum episcopo Aurelianense mare pertransiit : et peracta illa peregrinatione Bononiam est reuersus duodecimo calendas Ianuarias : ubi prædicationi totus insistens totam Bononiam salutari turbatione commouit : et Christo complures animas lucrifecit . Multi etiam per eum prædicatorum ordinem sunt ingressi : et extunc maxime fratrum numerus augeri cœpit . Post hæc non sine graui desolatione fratrum quos receptos Bononiæ materno nutriebat affectu : missus est Parrhysios a beato Dominico : ubi uerbo et opere Christum prædicans crucifixum . obdormiuit post non multos dies in domino : et consumatus in breui expleuit tempora multa . Sepultus est in ecclesia sanctæ Mariæ de Campis : eo quod fratres prædicatores nondum propriam haberent sepulturam . Cum autem beatus Dominicus esset Romæ quidam adolescens consanguineus domini Stephani cardinalis de Fossa noua lapsus ex equo præcipiti grauiter collisus deferebatur exanimis : Cumque plangenti ut† circa eum clamor incresceret : contigit | aduenire beatum Dominicum : et cum eo fratrem Tancredum uirum religiosum : cuius etiam hoc relatione uulgatum est . Hic sua exhortatione cœpit sollicitare beatum Dominicum quatenus pro salute adolescentis dominum precaretur : Vbi est inquit modo pietas tua pater ? Vbi etiam est fides nunc in domino ? Cur non dominum precaris ? Ille tam fratris precibus quam pietatis motus uisceribus : fecit illud pene uel penitus ut uidebatur extinctum adolescentis corpusculum in conclaue clauculo† introduci . Facta autem oratione protinus eum uitæ restituit et saluti . Retulit quoque frater Bertrandus uir fide dignus : quod cum aliquando una cum eo iter ageret : facta est subito super eos aeris intemperies : Cumque iam multa inundatio pluuiarum terram infunderet : Beatus Dominicus signo crucis omnem illam ante se inundationis eluuiem propulsauit : et de cruce quodammodo papilionem fecit : ut dum gradientes semper coram se quasi tribus cubitis terram cernerent densa imbrium infusione madescere : super eos autem nec una quidem gutta stillaret . Post receptionem magistri Reginaldi in ordine beatus Dominicus in hispaniam profectus est : Vbi duas domos instituit : lunam† apud Maioritum : quæ modo est monialium : alteram apud sæcobiam quæ domus fratrum prædicatorum in Hispania prima fuit . Cum autem esset in Hispania loco qui dicitur Gadalfaia quibusdam fratribus sociatus temptauit eos Sathanas : ut a beati uiri societate discederent : quod uirum sanctum Dominicum non latuit antequam fieret . Apparuit enim ei per uisum immanissimus quidam draco : fratres illos qui secum erant absorbere apertis faucibus uisus . Intellexit igitur uir spiritu dei plenus graue fratribus diabolicæ temptationis imminere discrimen : et uisionem eis terribilem propalauit : hortans eos : ut constanter restiterent temptatori : a quo nemo nisi spontaneus absorbetur . Breui autem tempore interiecto : fratres illos quos paulo ante draco absorbuerat per uisum : absorbuit per effectum . Nam omnes qui cum beato Dominico esse uidebantur exceptis tribus scilicet fratre Adam et duobus conuersis : suadente diabolo recesserunt . In || terrogatus autem quidam ex illis a beato Dominico : an et ipse uellet abire : absit inquit pater carissime ut relicto capite sequar pedes . At uero pater sanctus erga eos qui recesserant non indignatione : sed compassione permotus continuo ad consuetum orationis refugium se conuertit : et quos præceptis retinere non potuit : precibus reuocauit . Nam paulo post omnes fere ad eum instinctu diuinæ gratiæ redierunt . Post hæc reuersus ad parrhysios : ibique paululum cum fratribus demoratus : Bononiam adiit : tunc enim inde fratrem Reginaldum superius memoratum ad parrhysios destinauit . Inerat enim ei mirabilis consuetudo ut fratres huc illucque dispergeret : et quædam quæ humano sensui uidebantur ambigua : ita confidenter† ageret : ac si de futuris iam euentibus certus esset . Atque ut non immerito credi potest : per spiritus sancti reuelationem edoctus paucos a principio fratres habebat : et parum litteratos : et hos ipsos sparsim per ecclesias ad prædicandum mittebat : ut filiis huius sæculi secundum suam prudentiam iudicantibus potius inchoata destruere : quam aliquid magnum construere uideretur . Sed hæc diuino spiritu acta esse sequentes rerum exitus probauere . Deinde quos pater sanctus dispergendo periculis exponebat orationis suæ clipeo protegebat . Quidam autem sacerdos uidens beatum Dominicum cum fratribus suis prædicationi feruenter insistere : nulla terrenorum premii sollicitudine cæterisque postpositis solis spiritualibus inhærere cœpit eorum uitam pia æmulatione appetere : beatum

fore se reputans : si eos posset aliquando imitari . Deliberauit itaque sic prorsus relictis omnibus eorum adhærere uestigiis : dum modo noui testamenti librum haberet : quem sibi ad prædicationem necessarium extimabat . Hoc autem eo cogitante ecce quidam iuuenis uænalem baiulans sub ueste codicem affuit : quem sciscitatus prædictus præsbyter cuiusmodi liber esset : agnouit nouum testamentum : statimque cum magno gaudio illud emit . Habito autem libro : mox irrepsit ei temptatio : cœpit hæsitare : an propositum illud quod mente conceperat exequi expediret : forsitan deo place | ret . Cum ergo in mente ipsius uariæ sibi cogitationes succederent : uisum est ei in libro illo diuinum flagitare responsum : et fusa ad deum prece impressaque clauso libro exterius cruce inuocatoque dei nomine librum aperuit : et oculos ad capitulum quod primo se obtulit in ipsa libri apertione coniecit . Occurrit autem ei mox illud quod in actibus apostolorum beato Petro de Cornelii nunciis dictum a spiritusancto legitur : Surge . descende : et uade cum eis nihil dubitans : quia ego nisi[†] illos . Statim igitur tanquam diuino certificatus oraculo relicto sæculo secutus est eos . Accidit etiam quodam tempore cum iam fratrum conuentus numerosior esset Bononiæ : ut quidam apostolicæ sedis legatus episcopus uidelicet portuensis Conradus nomine uir religiosus ordinis cistersiensis Bononiam deuenisset . Hic in conuentum fratrum prædicatorum ueniens debito cum honore susceptus est . Quædam autem cogitatio hæsitationis de hoc ordine mentem eius agitabat uidelicet : quid sibi uellet noua huiusmodi et inaudita religio : et an esset ex deo . Posita igitur sibi cathedra residens in ecclesia fratrum librum aliquem petiit : Oblatusque est ei liber missalis : quem facto crucis signo aperiens : in superiori primi folii parte legit : laudare : benedicere : et prædicare : quo tanquam cælitus emisso responso exhilaratus : omnem ambiguitatis scrupulum iam certus abiecit . Tunc totis uisceribus fratres amplexus : ait : ego quidem et si alterius professionis habitum exterius perfero : uestrum tamen interius mente gero : Nec dubium uobis sit : quin totus sim uester uestrique ordinis . uobis me tota deuotione commendo .

Nec ista nos dicimns[†] : quod sacrilegorum approbemus prestigia : qui futuros et incertos rerum euentus incertioribus taxillorum siue in libro uersuum cæterarumque sortium coniecturis inaniter auspicantur . Nam aliud est ex incertis casibus certitudinem futurorum diuinando præsumere : aliud in ambiguis humano deficiente consilio orando fideliter diuinum oraculum expectare . Nam et Dauid cæterique patres antiqui frequenter dominum consulebant . Hoc autem non sine necessitatis || articulo est faciendum : nec sine miraculi reuelatione credendum : Scriptum est enim : Non temptabis dominum deum tuum : Rursus scriptum est : Cum ignoramus : quid agere debeamus : Hoc solum habemus residui : quod oculos nostros dirigamus ad te . Hinc etiam Iudæis mos erat creberrimus signa petere a domino deo suo . Tanta uero uir iste beatus morum honestate pollebat : tanto diuini feruoris impetu ferebatur : ut ipsnm[†] esse uas honoris et gratiæ uas ornatum omni lapide pretioso non dubie probaretur . Inerat ei firma ualde mentis æqualitas : nisi cum ad compassionem et misericordiam turbaretur . Et quia cor gaudens exhilarat faciem[†] : placidam interioris hominis compositionem manifesta de foris benignitate ac uultus hilaritate prodebat . Tantam autem seruabat in his quæ secundum deum rationabiliter fieri concepisset cordis constantiam : ut uix aut nunquam semel enunciatum cum digna deliberatione sermonem acquiesceret immutare : Et cum multa in eius facie sicut commemoratum est de bonæ conscientiæ testimonio semper eluceret hilaritas : Lux tamen uultus eius non cadebat in terram . Denique per hanc omnium sibi facile uendicabat amorem . Omnium sine difficultate : mox ut eum aspicerent : illabebatur affectibus . ubicumque uersaretur : siue in uia cum sociis : siue in domo cum hospite reliquaque familia siue inter magnates et principes et prælatos semper ædifatoriis[†] affluebat sermonibus : abundabat exemplis : quibus ad amorem Christi sæculi ue contemptum audientium animus flecteretur . ubique uirum euangelicum uerbo se exhibebat et opere . Interdiu cum fratribus sociis ue nemo communior : nemo iucundior : nocturnis horis nemo uigiliis et obsecrationibus per omnem modum instantior . Ad uesperum demorabatur ei flætus : et ad matutinum læticia . Diem impertiebatur proximis : noctem deo : sciens : quoniam in die mandauit dominus misericordiam suam : et nocte canticum eius . Flæbat autem huberrime atque creberrime : et fuerunt lachrymæ eius panes die ac nocte . Die quidem tunc magis cum missarum crebra et quottidiana celebraret sollemnia :

nocte uero cum | super omnes infatigabilibus excubaret uigiliis . Erat ei pernoctandi in ecclesiis creberrima consuetudo usque adeo : ut uix aut raro certum ad quiescendum lectulum uideretur habere . Orabat igitur noctibus : et perseuerabat uigilans : quantum a fragilitate corporis extorquere potuisset : Et cum tandem lassitudine succedente et lacescente spritu† somni interpellaret necessitas siue ante altare siue alio quocumque in loco aut certe super lapidem . adinstar patriarche Iacob capite reclinato paululum requiescens rursus euigilabat ad ipsum orationis feruorem . Omnes homines largo excipiebat caritatis sinu : et cum omnes diligeret : ab omnibus amabatur : Gaudere cum gaudentibus flære cum flentibus sibi proprium uendicabat : affluens pietate : et se totum in proximorum curam : atque miserorum compassionem effundens . Hoc etiam cunctis eum faciebat gratissimum : quod simplici gradiens uia nullum unquam uerbo uel opere duplicitatis aut fictionis prætendebat uestigium . Verus erat paupertatis amator : uilibus utens indumentis : Et in cibo simul atque potu modum temperatissimnm† obseruabat : delicata uitans . et libenter simplici pulmento contentus : habens firmum suæ carnis imperium : et utens uino sic temperate lymphato : ut necessitati satisfaciens corporali : nunquam subtilem eius atque tēnuem† hebetaret spiritum . Quis huiusmodi hominis usque quaque uirtutem sufficiat imitari : nisi quem forte miserans dei bonitas in simile dignata fuerit prærogare sanctitatis fastigium ? Possimus et ipsius exemplo pensare nostri temporis inertiam . Posse uero quod ille potuit : non humanæ uirtutis : sed singularis gratiæ est . Sed ad hoc quis idoneus ? Imitemur fratres : ut possumus paterna uestigia : simul et agamus gratias redemptori : qui talem in uia hac qua ambulamus ducem exhibuit seruis suis per eum nos in huiusmodi conseruationis lucem regenerans : Et precemur misericordiarum patrem : ut illo nos regente spiritu quo filii dei agunt : per terminos quos posuerunt patres nostri ad eandem perpetuæ felicitatis et sempiternæ beatitudinis ad quam ille sine fine felix introiuit : nos quoque indeflexo tramite pertingere mereamur . At ue || ro beatus Dominicus appropinquante fine certaminis et cursus sui meta bonorumque laborum fructu glorioso repositam sibi coronam iusticiæ accepturus in cælo : cœpit apud Bononiam positus graui corporis ægrotatione languescere . Spiritu tamen : deo infatigabiliter adhærebat . Inualescente siquidem infirmitate corporis non deficiebat : sed proficiebat in eo potius mentis uirtus interior . Conuocatis igitur ex fratribus bononiensis conuentus duodecim : cœpit eos ad canonicæ religionis obseruantiam : et ad uirtutum constantiam exhortari . Admonuit quoque cauenda esse summopere fœminarum et maxime iuuencularum suspecta consortia : quæ illecebrosa admodum uiriles etiam animos aut emoliunt : aut inclinant . Ne autem filios quos dederat ei dominus exhæredes et orphanos derelinquere uideretur : ut pote tanti patris ac consolationum ipsius opibus destitutos : testamentnm† condidit : quale decebat pauperem Christi diuitem in fide et cohæredem regni : quod repromisit diligentibus se . Testamentum inquam non terrenæ pecuniæ sed gratiæ : non materialis supellectilis : sed spiritualis uirtutis : non terrenæ possessionis : sed cælestis conuersationis . Denique quod possederat : hoc legabat . Hæc sunt inquit carissimi : quæ uobis tanquam filiis hæreditario iure possidenda relinquo . Caritatem habete . Humilitatem seruate . paupertatem uoluntariam possidete . O testamentum pacis : testamentum nulla obliuione delendum : nulla dedignatione spernendum : nulla super ordinatione mutandum . Testamentum inquam non morte testatoris sed immortalis uitæ adeptione sancitum . Beatus qui non negligit : qui non spernit : uel abiicit caritatis incorporale uestimentum . fertilem humiilitatis† fundum : desyderabilem paupertatis thesaurum : tanti patris sibi traditione legatum . Has uirtutes uirum sanctum Dominicum possedisse non ambigit : quisquis eius adhuc in carne positi conuersationem nouit : quam uirtutibus plenam fuisse : et si taceat lingua : clamant miracula felicem eius transitum tam præcedentia quam subsecuta . Ipsa quoque eius grandis in morte fiducia ustum cum† proloquitur : ut me | rito eius memoria cum laudibus habeatur . Fratribus namque tanti patris decessum ægre ferentibus confidenter asseruit non oportere eos de sua defuuctione† tristari : cum utiliorem eum forent post obitum habituri . Certus quippe de sua : pro suorum erat salute sollicitus : eo potentiorem se ad impetrandum fore non dubitans : quo in potentias domini securior introisset . Illud autem pater egregius quanta potuit districtione prohibuit : ne quis in hoc ordine possessiones induceret temporales : maledictionem dei et suam imprecans ei : qui hunc ordinem quem præ-

cipue paupertatis decorat professio : terrenarum diuitiarum puluere præsumpserit offuscare . Denique beatus Dominicus post labores diuturnos : quibus in uinea domini Sabaoth fideliter desudauerat : introiuit in gaudium domini sui : diurnumque accepit denarium : Compleuitque dies suos in bono : et annos suos in gloria : anno incarnationis dominicæ millesimoducentesimo uicesimo primo . Interfuit autem eins† exequiis uenerabilis Hostiensis episcopus : tunc apostolicæ sedis in Lombardia legatus . postmodum uero papa Gregorius : corpusque eius sacrosanctum cum digna deuotione per semepipsum† sepulturæ mandauit . Nouerat quidem sanctam eius conuersationem in domino : et spiritalis eum sibi cum adhuc uiueret astrinxerat dilectionis amplexu . Sepultus est autem Bononiæ in ecclesia sancti Nicholai fratrum prædicatorum : quorum ordinis ipse primus extitit institutor . Eadem die eademque hora defunctionis eius Frater Vala eiusdem ordinis tunc prior Brisiensis : post autem eiusdem ciuitatis episcopus : cum se in loco campanilis fratrum Brissie paululum reclinasset : leui quodam pressus est somno : Viditque interioribus oculis quasi aperturam quandam in cælo . Per aperturam uero illam submittebantur candidissimæ duæ scalæ . Summitatem unius scalæ manu tenebat Christus dominus : sumitatem uero alterius mater eius : Angeli autem lucis discurrebant : ascendentes et descendentes per eas : et ecce inter utrasque scalas sedes in imo posita erat : et supra sedem sedens : Et qui sedebat : similis erat fratri habenti faciem uelatam caputio : quemadmodum in ordine moris est fratres mor || tuos sepeliri . Trahentibus autem paulatim scallas illas . Christo Iesu et matre eius : trahebatur et sedes pariter cum sedente : donec psallentibus angelis cælo illatus est . Receptis igitur in cælum scalis et sede : et cum eo qui in sede fuerat collocatus : cæli apertura clausa est : uisioque disparuit . Excitatus a somno frater ille : quamuis ex infirmitate præcedenti debilis adhuc esset : confestim Bononiam iter arripuit : ubi rei ueritatem diligenter explorans : comperit eandem diem eam denique horam fuisse : qua sibi uisio illa cælestis apparuit : in qua sancta illa anima beatissimi patris Dominici migrauit e corpore de incolatu miseriæ præsentis : ad supernæ beatitudinis habitationem commeans : ubi ab hubertate domus dei feliciter inebriatur . Post obitum quoque uiri sancti Dominici diuina non defuere miracula : quorum quidem plurima indiscreta quorumdam humilitas occultauit : dicentium non debere recitari miracula : ne sub obtentu deuotionis notam incurrerent cupiditatis . Plura uero per negligentiam aboleuit obliuio mater ingratitudinis gratiæ inimica : Quædam uero conscripta sunt diligenti prius inquisitione discussa : coramque domino papa Gregorio fidelium attestatione probata : quæ huic opusculo inserenda decreui . Igitur cum beati Dominici crebrescentibus euidenter miraculis non posset ultra sanctitas occultari : fidelium dignum duxit deuotio corpus eius humili prius solo repositum ad altiorem locum reuerenter transferri . Indignum ei uidebatur : ut eius ossa humanis subiecta pedibus humus obtegeret : cuius animam æthereis subuectam esse iam sedibus indubitata fide constaret . Erat autem monumentum ipsius in quo primum fuerat tumulatus grandi lapide durissimoque cemento conclusum : ita ut nec spiramine quidem uel ab iinterioribus† posset procedere uel ab exterioribus subintrare . Hoc cum fuisset fracto uix ferreis instrumentis cemento sublatoque lapide patefactum : tanta subito ex ipso erupit suauissimi odoris fragrantia : ut utique non tam sepulchrum quam cella uideretur aromatum patuisse . Re uera et enim corpus eius uirgineum quod illibata integri | tate manserat incoruptum sanctispiritus organum salutaris unguenti extitit alabastrum uirtutum cella : charismatum apotheca : Erat sane odor ille tantus tamque mirabilis : ut inusitata fragrantia cuncta superaret aromata : nec alicuius rei odori similis uideretur . Nec solum ossibus aut pulueri sacri corporis uel cassiæ inerat : uerum etiam fratrum manibus horum quippiam tangentium adhærehat† : qua in re pensandum est : quantis in cælo deliciis perfruatur spiritus : cuius tanta suauitate redolet adhuc in puluere iacens corpus .

Quidam scholaris nomine Nicholaus de bosco anglicus natione uigorniensis diocesis degens Bononiæ fuit graui renum ac genuum dolore uexatus a festo sancti Michaelis usque ad pentecosten : nec per se surgere compos erat per domum sine baculo uel alterius sustentationis adminiculo ambulre† . Denique inualescente morbi molestia quindecim diebus de lectulo non surrexit : Et leuum femur eius uæhementi macie attenuatum emarcuit : adeo quod secundum medicorum iudicia omnis spes curationis abscesserat . Adhibitis enim compluribus medicinæ remediis . nil ei proderat : sed

magis deterius habebat . Itaque humano destitutus auxilio : Christo se deuouit beatoque Dominico dicens : Ego me uoueo Iesu Christo : et beato Dominico : ut me ab hac infirmitate liberet . quod utique si uoluerit : ualebit : Volens etiam in signum deuotionis offerre candelam iuxta modum propriæ quantitatis : cœpit filo stupeo de quo facienda erat candela corporis sui longitudiuem† et crassitudinem mensurare : cumque se totum mensus esset in longum caput etiam et collum ac pectus deinde renes et femora tandem genu filo ambiente cinxisset : inuocato ad quamlibet mensurationem nomine Iesu Christi et beati Dominici : continuo se aleuatum sentiens exclamauit . Ego sum liberatus . Et exurgens lachrymas fudit gaudio . Currensque sine baculo uel alia ope : uenit pedibus suis ad ecclesiam sancti Nicholai : ubi corpus beati Dominici quiescebat . Distabat autem ecclesia ab eius hospitio : quantum iacere potest arcus . Recessit autem restitutus pristinæ sanitati Christi Iesu gratias agens nomini ac beati Dominici te || stimonium perhibens sanctitati . Quædam puella bononiensis nomine Thomasina : grauem morbum et pene incurabilem diebus duodecim in sinistra patiebatur maxilla : Cumque multæ fluxu putredinis et saniei lacerata eius facies fædaretur : impossibile uidebatur : quin aliqua cicatrice uel deformi macula turparetur . Temptatis igitur frustra uariis medicinæ remediis : ad inuocationem beati Dominici beneficium obtinuit sanitatis . Mane siquidem diei sequentis nec uestigium quidem morbi remansit in facie : excepta quadam rubedine nullam deformitatem præstante : sed tanti miraculi memoriam commendante . Bononiensis quædam mulier Ghisia nomine octo annis dextri lateris a cingulo inferius uires prorsus amiserat : ita ut nec pedem nec tibiam mouere posset : nisi forte manibus sicuti lignum . Hæc itaque inuocato Dominico : adepta protinus sanitate gratias deo egit . Iuuenis quidam de Manzolino nomine Manfredinus a festo sanctæ Agathes usque ad pentecostes festum omnium membrorum uiribus destitutus nec ambulare per se poterat : nec super latus iacere nec in terra nisi alio se deponente sedere : nec se nisi alio trahente leuare . Tibias quoque proprias frustra et quasi alienas portabat . Is cum adhibita sibi medicamina expertus esset inania et nociua : inuocauit beatum Dominicum : quam obrem perfecte sanitatis continuo assecutus est donum . Ghislina quædam mulier apud Manzolinum commorans ab introitu quadragessimæ usque ad translationem beati Dominici graui totius corporis infirmitate detenta : brachii sinistri et usum pariter et sensum amiserat : quod ita erat emortuum : et penitus arefactum : ut nec uulnus in illud causa minutionis illatum sentire poterat : nec ex ipso uulnere sanguinem emittebat : Eratque ipsum brachium dextro gracilius : quod et nimium diuturnior morbus extenuauerat : Quæ ut beato Dominico se deuouit : statim perfectæ curationis commodum reportauit . Alia quoque manens apud Manzolinum mulier nomine Monacheta labii inferioris iam per anni spatium priuata erat officio : ut nec loqui posset : nec sine magna difficultate sumeret | alimenta : eo quod enormiter labium illud intumuerat : et quasi emortuum dependebat . Inuocauit opem beati Dominici et dudum amissæ reddita est continuo sanitati . Næc mirum si labia sanat corporis : cuius labiis sæpe curatæ sunt pestes mentis . Sed et iuuenis quidam nomine Geminianus per quattuor annos et amplius graui langore detentus : ita ut capillis lapsis a capite et sanie defluente grauissimæ passionis perferret indicia : Beati Dominici precibus et meritis potitus est beneficio sanitatis : Cum iuuari non posset a medicis inuocato beato Dominico liberatus est : Quidam Cambius nomine apud pergatuli dum purgaret aream : ingressam in guttur atque inhærentem reiicere non ualebat aristam . Octo denique diebus graui in gutture dolore grauatus : per dies quattuor nec cibum sumpsit : nec sermonem emisit : Cumque sibi medicinæ remedio subueniri non posset : ad inuocationem beati Dominici statim redditus est saluti . Alius quoque Marsilius febre continua et graui pectoris dolore uexatus et quasi iam in extrema uitæ suæ regula constitutus : beato se commendans Dominico conualuit . Mulier Iohannina nomine : usum digiti uiginti annis amissum : incurabiliter si quidem arefactus et contractus fuerat : sancti Dominici deuota inuocatione statim recepit . Mulier quoque Alda nomine quinque annis habens scrufulas et claudulas sub ascella uessicas etiam circa mammillas in dextro latere fætida ualde sanie defluentes graui admodum affligebatur dolore : ita ut nec etiam supra dextrum latus iacere posset : Hanc quoque ad inuocationem sancti Dominici Iesu Christi pietas continuo liberauit . Scholaris quidam nomine Guilielmus allacre de castro Lauri diocesis tholosanæ Bononiæ studens :

duplici tertiana grauiter cruciatus iam incurrerat desperationem de recuperandæ remedio sanitatis : Is ad ecclesiam sancti Nicolai ueniens : ut super lapide posito super sepulchro beati Dominici iacuit : percepta continuo sanitate surrexit . Bonafilia mulier nasi et superioris labii tumore non mediocriter grauabatur . Obortus siquidem morbus qui ficus dicitur sic labium illius et nasum intumescere fecerat instar oui gallinæ : ut ori eius deformis grosities || immineret : ac ætorem† fhorribilem† exhalaret . hunc igitur morbum perpessa biennio . nec quicquam proficiens auxilio medicorum beatum Dominicum precibus adiit : et diu desyderatam salutem subito impetrauit . Puer Iohannes grauissima per tres dies decubuit infirmitate : Cumque iam euidenter apparerent in eo mortis indicia : omnes etiam medicinæ artis periti de eius uita desperabant : Mater autem eius beatum Dominicum petiit : et ab ipsis mortis ianuis reuocatum incolumem filium mox recepit . Cortesina mulier graui per annum cum dimidio infirmitate confecta omnium fere membrorum officio destituta erat et inutilis prorsus efecta : ita ut non posset quippiam operis exercere : Inuocatione autem beati Dominici liberata continuo uires corporis recuperauit . Puer Amycus nomine per octo dies et amplius grauissima ægrotatione decumbens : nec loqui iam poterat nec cibum aut potum sumere : Totumque corpus eius lætali iam frigore congelatum uicinæ mortis euidens præferebat indicium . Cunctis igitur de salute eius desperantibus : inuocatur beatus Dominicus et subito salus ei redditur . Alius quoque puer nomine Perinus quindecim dies et amplius grauissime infirmitatis molestiis occupatus miserabiliter intuentium molestabat aspectus : Ab umbelico siquidem inferius grandi tumore tumefactus : ita ut nec ire posset nec stare : uel aliquatenus se iuuare : nec erat quisquam qui non ipsum quasi unum ex mortuis reputaret . Facto autem uoto ad beatum Dominicum : contra spem omnium celerem adeptus est sanitatem . Nec silenda est pueri Redulfi mira curatio : Languens siquidem per tres ebdomadas et amplius ad portas mortis euidenter et secundum rationem inferioris naturæ irreuocabiliter propinquauit . Denique diebus octo nec cibum sumere potuit nec mamillam suggere . Eratque iam illud opusculum summa confectum macie : naturali quoque calore adeo destitutum : ut nemo ipsum uitam præsentem confideret retenturum . Facto autem pro eius salute a parentibus ad beatum Dominicum uoto inuenerunt eum protinus liberatum . Mulier Gisia nomine apud Immolam graui dentium urgebatur do | lore . Itaque uæhementissimo cruciatu agitata nec iam quiescere poterat nec somnum oculis capiebat : sed uelut furiosa continuis clamoribus hululabat . emisso itaque beato Dominico uoto subitam adepta est sospitatem . Illud quoque nulla obliuione delendum est : quod Adinfus nomine de Mazenello in se expertus est patratum miraculum . enim uero periculosi admodum apostematis per mensem et amplius inflatione grauatus : a uidentibus iudicabatur moriturus . Erat enim apostema illud in parte interiore destri† lateris sub ascella intumescens : nec uidebatur aliqua posse ei succrescere medicina . At uero facto uoto et ut inuocatus est beatus Dominicus : et hulcus protinus detumuit et qui de uita desperabatur sanus euasit . Scribatur etiam hoc in generatione altera : ut populus qui creabitur in Dominico seruo suo dominum laudet : et nihilominus Dominicum laudibus attolat in domino : qui apperit os mutorum et linguas infantium facit discretas . Duo namque Alberti de Tensignato filii muti a natiuitate erant : ætatis quidem : alter supra quintum et dimidium : alter uero supra tertium et dimidium agens annum . Facto autem uoto pater eorum inuocauit beatum Dominicum : et statim utrique diuinitus datum est expeditæ locutionis officium . Huc accedat et beatæ puellæ diu quidem perdita : sed mira celeritate restituta loquela . Huius enim lingua tenus gutture bouis cornu percussione decisa : muti oris inutiliter claustrum occupabat . Inuocato autem beato Dominico fecit uotum : et integrum perditæ linguæ usum recuperauit . Druda nomine occulorum lumine priuata per tres annos et amplius extincti uisus damna sustinebat : nec ullius potuit medicaminis ope iuuari . Inuocato autem beato Dominico uotum fecit : et lumen statim occulorum recepit : puella Guilborca nomine surditatem incurrerat : ita ut per mensem et amplius nihil prorsus intelligere uel audire posset Clamans eius mater ad beatum Dominicum exaudiri meruit : et auditum filiæ impetrauit : Alia mulier nomine Cicaldina de Secta : diocesis Immolensis per annum et amplius tantæ surditatis sustinebat incommoda : ut nil au || ditu perciperet : nisi quis super eam auribus eius uæhementius inclamasset . Inuocatus autem ab ea

beatus Dominicus : deuotis precibus aures præbuit : et auditum surdibus auribus restaurauit .

Multa quidem et alia tam in uita gloriosissimi patris quam post obitum perpetrata innotuere miracula : quæ non sunt stili officio exarata . Hæc autem breuiter annotata sunt ad sanctitatis eius ostensionem . ad fidelium ædificationem : ad laudemque et gloriam eius qui facit mirabilia magna solus : qui trinus in personis et unus in essentia uiuit et regnat per infinita sæcula sæculorum . Amen .

PASSIO SANCTAE DOROTHEAE VIRGINIS ET MARTYRIS .

Regnante Augusto passa est apud Cæsaream Capadociæ Dorotthea† uirgo sub Sapricio præside octauo idus frebruarias† . hæc tradita duabus sororibus Sichriste et Caliste : quæ apostotauerant† : iterum eas conuertit : et quæ postca† sunt in dolium missæ et in conspectu eius incensæ . Post illarum autem passionem beata Dorothea leuatur in cathasta et ait : nunquam sicut hodie lætatata† sum in uita mea . Tandem ducta est ad decolandum . Cui dixit Theophilus scolasticus : eia tu sponsa Christi mitte mihi rosas aut mala de paradiso sponsi tui : quæ respondit plane sic faciam : Cumque orasset : ecce puer ante eam apparuit : ferens in sportario tria mala optima et tres rosas . cui illa : obsecro te inquit : ut hæc Throphilo† scolastico deferas . Cum ergo Theophilus narraret circumstantibus : promissionem uirginis irridens : ecce puer ante eum stetit et ait : ecce tibi petenti mittit Dorothea uirgo sacratissima quod promisit : qui accipiens statim conuersus est ad fidem Christi . Eratque mensis februarius quando rosæ illæ missæ sunt : et totam Capadociam glaciale frigus tegebat : uidebatur autem puer pucherrimus† et perbreuissimus ætatis annorum quattuor . mox ergo Theophilus in eodem eculeo suspensus aiebat : modo chri | stianus factus sum : quia in cruce suspensus sum : nam eculei factura crucis similitudinem gerit : et tandem gladio consumatus est . .

VITA SAVCTI† DOROTHEI THEBEI .

Dorotheus genere thebeus quottidie lapides a mari colligebat : et singulis annis hospitium ædificabat : et non ualentibus ædificare dabat . noctibus autem propter corum† cibum faciebat sportas ut uenderet . Nunquam uisus est in lectulo soporatus : uel pro requie pedes extendisse : et sæpe ei dormienti cibus ex ore labebatur . Aliquando somno grauatus cecidit in stercore : expergefactus et contristatus ait sub silentio : si angelis dormire suaseris et mihi ulterius suadebis . Huic laboranti dixit quidam : cur ita perimis corpus tuum ? respondit quia illud occidit me . Huius cibus omnino absque ignis opere fuit . Huius cellulam cum latrones eum aurum habere existimarent quodam tempore inuadentes : ita orationibus eius foribus affixi sunt : ut penitus moueri non possent donec consueta hominum multitudo aduenirent . Quos ut uiderunt : igne comburendos trahere conabantur . Tunc iiir† sanctus necessitate luqui† compulsus ait : Sinite eos abire . Alioquin sanitatis gratia fugiet a me . Sola enim manus impositione conferebat de quacumque ægritudine sanitatem . Illi uero his auditis et monachi facti sunt : et penitentes abire dimissi sunt . Hic etiam sanctus quotiens hominibus respondebat : in tabulis scribebat . dicitur etiam quod noctibus ad heremum prodiens plurimo bestiarum comitatu uteretur : quibus tanquam pro laboris remuneratione aquam de puteo suo hauriebat . ||

PASSIO SANCTI ELEVTHERII EPISCOPI ET MARTYRIS .

Eleutherii nobilissimi uiri nos fama delectat : et animum ad fidei ueritatem uenerauda concertatio inuitat . huius et enim pater cum prius senatorum ac ter candidas edidisset recedens de corpore paruulum dimisit matris suæ et unicum relinquit Antiæ : quæ eum post modum offerens domino cuidam episcopo tradidit sacris litteris edocen-

dum . Eleutherius uero crescebat in fide et ætate : et gratia domini erat repletus . Cum autem esset annorum duodecim ad diaconatus eum prouexit officium . Eleutherius uero præstante misericordia dei magis crescebat in fide . factus itaque annorum uigintitrium præsbyterium accepit . Dominus autem noster maiorem gratiam ei largitus est : nam cum esset annorum uiginti uidens sanctus episcopus : cui fuerat commendatus : multa signa per eum fieri : et spiritus inmundos expelli : petentibus eum sæpe multis episcopum ordinari : in Apuliam ciuitatem destinauit . Dominus autem semper erat cum Eleutherio : Tunc Adrianus imperator romam de partibus orientis aduenit : Audiensque Eleutherii famam : quia signa et uirtutes per eum dominus in urbe et in loco quo fuerat destinatus demonstraret : mittens Felicem comitem cum ducentis militibus exhiberi eum præcepit . ueniens uero Felix comes cum equo ingressus est in ecclesiam : et inuenit eum tractantem uerbum dei . Videns autem sanctus Eleutherius Felicem comitem dixit ad eum : Quid ad nos cum tanta tyramnide aduenisti Felix ? Nunquid potestati uestræ possumus resistere ? Sed dominus qui me ab adoloscentia† mea gubernare dignatus est : ipse uestram insaniam superabit . Tunc Felix dixit ad eum : Ad te inquit sumus destinati . Eleutherius respondit : et ego sciebam : Nec enim quicquam eum latebat : quia spiritu domini erat repletus . Sanctus autem Eleutherius aperiens os suum plurimis eos allocutus est uerbis : ita ut omnes mirarentur super eius doctrina . Et | cadens ad pedes eius Felix comes dixit ad eum : Da et mihi domine Eleutheri talem intellectum : ut credam in deum tuum : cui deseruis . Apertissime autem ut uere cognosco : uana sunt quæ colui . Sic itaque Eleutherius facta oratione imposuit ei manum : et fecit eum christianum . Egressi uero pergebant Romam et uenientes ad quendam locum : uidens aquam Felix dixit ad eum : Domine episcope ecce aqua . baptiza me : ut deleantur peccata nostra : et conuertar ab insania : qua teneor . Sic itaque Eleutherius tenens manum eius orauit dicens : Domine Iesu Christe qui sanctum Philippum apostolum tuum desyderantem eunuchum non prohibuisti baptizari : ita et nunc adesto super hunc famulum tuum Felicem : et intingens eum dixit : In nomine patris et filii et spiritusancti . Post hæc uerba pergebant Romam cum militibus . Ingressis uero Romam nuntiatum est Adriano regi Eleutherium aduenisse . Iussit autem sibi alio die tribunal sterni in consistorio et sedens pro tribunali iussit eum sibi offerri : dixitque ad eum : Eleutheri quid passus es : ut de tam nobili genere et tanti uiri filius uanissime te traderes religioni et coleres eum : qui ab hominibus est crucifixus . At uero Eleutherius stans studebat silentio . Adrianus autem imperator dixit ad eum : Eleutheri responde ad ea quæ te interrogo . Eleutherius aspiciens in cælum facto signaculo Christi respondit : libertas uera est et nobilitas generis humani cognoscere dominatorem cæli et terræ et omnium nostrum creatorem . Adrianus dixit ad eum : Acquiesce mihi : et adora deos meos : et faciam te magnum in palatio meo : Eleutherius respondit : uerba tua amaritudine et dolo sunt plena tyramne Adriane : Ego enim pro deo meo non tantum pati sed et diuersis modis impendi paratus sum . Tuuc† fremens Adrianus iussit afferri lectum æreum : et imposito eo quattuor partes extendi præcepit : ut eius tenera membra disrumperentur . Ignis uero erat suppositus . Audientes autem Romani tantum certamen ad spectaculum concurrebant : et exclamauerunt dicentes Innocens et ualde liber homo sine causa moritur : et cum transisset hora existimans eum iam mortuum esse || solui præcep t† . Exurgens Autem sanctus Eleutherius deambulare cœpit et extendens manum suam dicebat : uiri romani magnus est deus christianorum : quem beatissimi Petrus et Paulus prædicauerunt : per quem signa fecerunt : et Symonem illum magum gloriantem se colentemque idola : quæ ueneratur Adrianus : confuderunt . Tunc Adrianus iussit offerri craticulam et oleum et ignem supponi iussit : et dixit ad Eleutherium : honorifica te ipsum . per deum enim solem et per deos omnes quia habeo te tanquam filium meum . Sanctus Eleutherius respondit : Lupi rapaces sunt sermones tui . dii tui tecum sint in perditione . Me autem non mutabis a sensu quem habeo et inerui† a iuuentute mea timere dominum Iesum Christum saluatorem . Adrianus iussit iterum colligari eum : et mitti in craticulam . Statim autem ignis extinctus est : et craticula refrigerata . Adrianus uero non sufferens iniuriam iussit afferri sartaginem et in eam mitti ceram et adipem . ministri uero dicto citius fecerunt : quod imperatum est eis . Consyderans itaque uir beatissimus iuuenis : quia ab ætate quidem rudi aiebat sapientiam similem in Christo statim insiliens in sartaginem bulientem

requiescebat tanquam super rorem : qui descendit super hærbam de cælo . Et dixit ad Adrianum : Tyramne non ne sepulchrum sic carnem desyderat et sanguinem recipere . Recipe resticulam tuam sicut pater tuus qui dicitur diabolus . Tunc Adrianus furore repletus immutauit faciem suam : et factum est cor eius ut fremitus leonis . Accedens itaque Correbor præfectus eius dixit ad eum . mitis esto domine mi rex . ego nunc inuenio : quibus iuuenis iste possit impendi . Sic Adrianus lætus effectus est . Tunc Correbor præfectus iussit fieri clibanum : et intus sudes ferreos circundedit . Et cum supposito igne excaluisset oleum intus infundi præcepit : Et dixit ad regem : Ecce parata sunt domine mi rex : qualiter iste miserrimus iuuenis impendatur . At uero sanctus Eleutherius eleuans oculos suos in cælum dixit : Domine Iesu Christe lumen uerum adesto puero tuo humili et peccatori circa diaboli potestatem : et da gloriam nomini tuo : | ut magnificetur in gentibus : quod est benedictum in sæcula sæculorum . Tunc Correbor præfectus uidens hoc : exclamauit uoce magna dicens : Magnus est deus christianorum : ut pueri tui Eleutherii . Nihil enim in isto mali sensimus . quid est : quod sic eum uult rex perdere ? Tunc iratus Adrianus dixit ad eum : Nunquid aurum aut argentum a matre eius accepisti : quod eum sic defendis ? Nunquid quod es : ego te feci : et hanc potestatem præfecturæ non a me accepisti ? Correbor præfectus respondit : honor tuus temporalis est : Nam et unus et solus est deus Eleutherii in quem ego credere desydero . Nam ex hoc cognosco nihil esse quæ in mundo aguntur . Quis enim aliquando homo tantis tormentis subditus est ? Quos superflue nunc usque colui : iam non colam . Et cum sis in tanta potestate constitutus : et gentes omnes subiaceant tibi : ab uno puero regnum tuum superatur : uidete ergo quia magnus est deus christianorum : in quem me credere oportet : ut similia patiar . Iratus Adrianus in clibanum quem præparauerat ipse : mitti eum præcepit . Comprehensus uero a ministris exclamauit uoce magna dicens : Eleutheri famule dei ora deum tuum pro me : ut det mihi signaculum nominis sui : sicut dedit Felici comiti : quo et ego præcinctus uirtute eius uincam aduersarii artes et tyramni potestatem : ut manifestetur nomen eius per me sicut et per te . Eleutherius respondit : Constans esto : et fiducialiter age . adueniet dominus Iesus Christus : qui te per bonam confessionem dignum sibi seruum efficiat ad exemplum multorum . Si quidem spiritum sanctum uideo in te manentem sicut et in Cornelio : qui ante baptismatis gratiam et scientiæ spiritum meruit accipere . et cum iactassent eum ministri in clibanum ignis : non eum tetigit . Cumque uidissent hæc omnia Romani magnificauerunt deum : qui tantam gratiam parat sperantibus in se . Videns itaque Adrianus quod ignis eum non tetigit : educto eo de clibano : gladio eum percuti præcepit : et cum percuteretur dixit ad Eleutherium : Ora pro me famule dei : ut per effusionem sanguinis mei pro deo tuo cui credo efficiar christianus . Sic itaque percussus est gladio : et compleuit gloriosum cer || tamen . uidens autem Adrianus se a puerulo esse superatum : iratus recepit se in palatium suum : Et conuocans comittes† suos consilium petebat quemadmodum interimeret sanctum Eleutherium : Et cum esset sub custodia sanctus Eleutherius : escam non accipiebat : siquidem spiritu dei nutriebatur : et gratias deo dicebat : Benedictus es domine cæli et terræ : quem a pueritia mea nutristi : et nunc reple me spiritu sancto : ut non carnalem sed spiritualem desyderem escam . Tu es enim : qui Danieli in lacu leonum escam amministrasti . Tu enim magnus et benedictus in sæcula . Et post finitam orationem dixit ad regem : miror quod non erubescis a tantis superatus uirtutibus : etiam a Correbore famulo dei : quem in sinu Abrahæ credo requiescere : per cuius confessionem ignis extinctus est . Tunc iussit Adrianus quattuor equos adduci indomitos : et adiungi currum : et alligatum sanctum Eleutherium superponi iussit : et stimulos ferreos præcepit fieri : et ignem mitti : quibus contacti equi indomiti eum per inculta et arida loca rapientes simul membra disrumperent . Cum ita factum fuisset : adueniens angelus domini soluit eum : et mitigans equos sedere fecit eum : atque in montem excelsum eduxit eum : et sedens ibidem benedicebat dominum : qui ei tantam gratiam præstiterat : Et cum esset ibidem conueniebant ad eum omnes fere syluarum leones . leopardi : ursi : et cetere bestiæ . Sanctus autem Eleutherius aperiens os suum docebat eas : ut laudarent et benedicerent deum . At illæ cum aliter non possent laudare eum : leuantes dextros pedes suos benedicebant dominum cæli et terræ : qui omnia creauit . Cum autem apropinquassent dies paucissimi : quo Adrianus ludos exhiberet :† Romanis misit uenatores :

ut leones caperent : et romanorum desyderia adimplerentur . Venatores uero deuenerunt in montem ubi erat sanctus Eleutherius . Et uidentes eum sedentem in montem : et feras in circuitu eius currentes nunciauerunt regi . Audiens autem hæc Adrianus misit comites suos et milites armatos : ut comprehenderent sanctum Eleutherium : et producerent : Et cum peragrassent diuersa loca : deuenerunt ubi sede | bat : et sanctus Eleutherius dixit ad feras : Reuertimini in loca uestra in nomine domini Iesu Christi nemini nocentes . Tunc ait ad eos qui missi fuerant ab Adriano rege : Filii non ne uobiscum eram quottidie ut musca pusilla ? quid ergo nunc cum tanta turba uenistis ad me : quasi alicui uestrum ego nocuerim ? Nunc igitur audite me : et credite in dominum nostrum Iesum Christum : ut saluentur animæ uestræ : quia hæc transeunt . Beatus ille : qui se deo commendauerit sicut Correbor præfectus uester . Et cum descendissent de monte plurimi eorum crediderunt in domino et baptizati sunt in nomine domini . Nam de comitibus tres crediderunt : Cumque nunciatum fuisset Adriano regi : quod Eleutherius aduenisset : iussit sibi præparari ludos : et sedens pro tribunali concurrebat omnis populus ad spectaculum . misso itaque sancto Eleutherio in amphiteatrum : iussit ei leænam dimitti : quæ dimissa uenit rugiens in agnitione famuli dei : et cucurrit ad pedes eius : et nolutabat† se : Cumque uidisset hæc Adrianus iussit iterum leonem dimitti ei : qui cum in cauea esset : fremitum eius nemo tolerabat : et cum fuisset dimissus : cucurrit ad pedes sancti Eleutherii : et abegit ab eo leænam . Insiliens autem collo eius pede dextro detergebat sudorem eius . Turbis autem mirantibus magna contentio erat inter eos : alii dicebant : quia ille deus qui operatus est in petro : ipse cum Eleutherio operatur . Contendentibus autem multis infecti anime quasi quinque milia . Tunc uidens Adrianus hæc fieri receptis feris dixit Eleutherio : quamdiu patiens ero tibi Eleutheri ? an non intelligis : quia dii nostri laborant pro te ? Recede ab hac stultitia Cui sanctus Eleutherius respondens ait : Stultus es : quia stulta loqueris : Hæc enim omnia dominus meus Iesus Christus operatus est : et adhuc operatur : ut uel sic eum cognoscas : Sed quia noluisti ipse dissipabit regnum tuum : et dabit illud alii : Et sic aspiciens in cælum sanctus Eleutherius dixit : Domine Iesu Christe qui non secundum meum meritum sed secundum tuum propositum multa signa et prodigia per famulum tuum ostendisti Romanis : ne patiaris me de hoc sta || dio sine consumationis cursu exire . Sed da mihi uictoriæ coronam : ut merear ab hac conculcatione liberatus ad te transire : Et post finem orationis facto signaculo se percuti præcepit . Audiens autem hæc Adrianus : qui tantis superatus tormentis fuerat : gauisus est : quod se percuti præcepit . Postquam percussus est : uox facta est ad eum dicens : Veni Eleutheri famule meus accipe requiem : quam parasti . Suscipient te angeli mei : et perducent te in ciuitatem sanctam cælestem Hierusalem . Romani autem audientes benedixerunt deum christianorum . cum eos uero mater eius cohortaretur : gauisa est in eius passione : quod digna esset de fructibus uentris sui domino munus offerre . Tunc se manifestauit Adriano regi . Iactauit autem se super corpus filii sui dicens : memor esto mei fili : quia ego te genui : cum ueneris in requiem : quam tibi dominus promisit . uidens autem eam Adrianus : requisiuit : quæ esset : et nunciatum est ei ipsam esse matrem Eleutherii : quam interrogauit : quæ diceretur : Respondit Antia : Dixitque Adrianus ad eam : quid desyderas quia super corpus filii tui iactasti te ? Antia respondit : ut merear cum ipso uiuere in perpetuum : nec ab eo unquam seperari . Sic ita Adrianus dixit ad eam : Ecce quod desyderas facio : ut non sis seperata : et sic eam gladio percuti præcepit : quæ glorificans dominum quod eam ad confessionem sui nominis dignam uocauit : reddidit spiritum . De ciuitate autem Enechum ubi erat sanctus Eleutherius episcopus ordinatus plurimi secuti sunt eum . Postquam uero uenerabile compleuerunt certamen : occulte per noctem tulerunt reliquias eorum : et transmiserunt in patriam romanam . alia autem die cum requirerent reliquias sanctorum suorum : et non inuenirent : turbatio magna erat inter eos . Tunc confessi sunt illi dicentes : quia nos tulimus reliquias Episcopi nostri et Antie matris eius . et sic mitigatus est furor romanorum . Acta sunt autem hæc circa sanctos dei Eleutherium episcopum et Antiam matrem eius apud urbem Romam quartodecimo calendas maiias sub Adriano imperatore . Regnante domino nostro Iesu Christo . cui est honor et glo | ria in sæcula sæculorum Amen .

PASSIO SANCTAE EVLALIAE VIRGINIS ET MARTYRIS.

Apud Emeritam ciuitatem Hispanie uirgo Eulalia passa est sub Daciano præside. hæc locuples et nobilis genere cum esset duodecim annorum spernens ludos et oblectamenta sæculi mota persecutione uoluit sponte præsidem redarguere : sed parentes eius absconderunt eam domi : quam habebant rure procul ab urbe. At illa nocte fores aperiens clanculum exiit : ac per uiam sentibus ac uepribus plenam carpere iter cœpit angelico choro comitata : sicque uepribus et spinis per quas cucurrerat pedes lacerata ad urbem peruenit : maneque tribunal adiit : et coram uociferari cœpit : quis furor est corda sternere : et deum patrem omnium negare Isis Apollo Venus nihil est. Maximianus et ipse nihil dominus opum et lapidum pectora cur generosa quatit dux bonus arbiter egregius : qui sanguine pascitur innocuo. Talibus prætor in furias excitatus iussit lictorem eam præcip tem† rapere : ac suppliciis obruere : quam tamen ad deorum cultum reuocare cupiens aiebat : respice torua puella quanta gaudia amittas : quæ tibi fecit gemmalis honor morieris in flore tenero proxima dotibus et thalamo. Ad hæc illa nihil respondens sed fremens et in oculos tyramni sputa iaciens simulacra dissipauit : impositamque molam turibus pede subegit : Nec mora carnifices pectus dilacerant ungula latus utrumque pulsant : et usque ad ossa secant. Tunc exclamauit Eulalia Scriberis ecce mihi domine quam iuuat hos apices legere : qui tua Christe trophea uocant. Tunc appositæ sunt ad eius latera lampades ardentes : Cumque illa sine flætu et gemitu læta caneret et intrepida : lampadibus in latera stomachumque sæuiebant : ac crinis odorus de uertice eius fluxerat humeris uolutatus : qui pudibunda uirginis celabat : ipsoque tegmine uerticis opposito flamma crepans in faciem uirginis uolabat : et per comas uegetata caput occupans apicem superabat. Virgo autem || citum cupiens obitum : ore rogum bibebat. Tunc emicans columba niue candidior ex ore eius uisa est exire : et cælum petere. Sic abeunte anima rogus emoritur : et pax artubus exanimis datur. Videns autem et ipse lictor columbam palam ex ore uirginis in cælum meare : stupefactus prosiliit : et sua gesta pauidus fugit. ACTOR. Huius uirginis festum in martyrilogio uidetur esse bis annotatum scilicet pridie idus februarii et quarto idus decembris : nisi forte duæ fuerint eiusdem nominis in eadem prouincia passæ et in eadem persecutione.

DE SANCTIS EVGENIA PROTHO ET HIACYNTO.

Philippus illustrissimus uir Romanus ab Imperatore commodo ad Egyptum dirrectus ut Alexandriæ præfecturam ageret : filiam suam Eugeniam litteris liberalibus perfectissime edocuit. pulchra erat corpore sed pulchrior castitate. Cumque a multis in coniugium peteretur : omnino obsistebat. Iam enim licet sub paganissimis parentibus agere animo christiana esse cœperat : Et quia christiani iussi fuerant ab Alexandria discedere : rogauit parentes : ut in uehiculo permitteretur prædia sua in suburbano posita circuire : Quod cum statim impetrasset : et ab urbe ad uillam properaret : instructionem Apostoli Tecclæ uirgini factam in basterna legens audiuit christianos psallentes et dicentes : Omnes dii gentium dæmonia et cætera. Tunc suspirans et flæns ad eunuchos suos Prothum et Hiacyntum dixit : philosophorum syllogismos uano labore perscrutati sumus. Aristotelis argumenta et Platonis idæas et quidquid poeta cecinit : quidquid orator inuenit : uel philosophus cogitauit cuncta in hac sententia excluduntur : qua tripudiantes christianos audimus dicentes : omnes dii gentium dæmonia. Tunc uehiculum stare præcepit : et diutissime uim carminum consyderans ait : Si uolumus† perire : credendum est. Deumque de deo uero mutuo sermone tractarent : fit | concordia fidei : et ordo quæritur : quo possit sancta fuga statui : et fides recta teneri. Tunc illa dixit : Audio Helenum diei† episcopum cuius est habitatio illa : in qua die noctuque dei laudibus insistitur : sed ad congregationis huius diuersorium nullam fœminam accedere patitur. Hoc ergo consyderans tonderi

me debere existimo : ut uacua pertranseunte basterna nos tres uirili habitu simul ad dei homines properemus . Factum est autem : ut eadem hora qua ad monasterium uenerunt : sanctus Helenus peruenerat episcopus et cum eo psallentium multitudo . Cumque se uinxissent† psallentibus quæsierunt : quis esset senior : qui solus aselli uehiculo uteretur . et in medio populi sequentis et præcedentis : et audierunt : quod esset beatus Helenus episcopus ab infantia christianus : qui dum infantulus monasterio cresceret tantæ sanctitatis uirtutibus cingebatur : ut si quando missus esset ignem e uicino petere : prunas ardentes uestimento deferebat illæso . Denique inquit et post hos paucos dies uenit huc quidam magus : qui uerborum argumentis populum dei conabatur euertere dicens : falsum esse episcopum . se autem a Christo missum ad docendum . Tunc omnis turba christianorum accesit ad episcopum dicens : Constitue diem : in quo eum tibi socium recipias : aut si potes non uera prosequentem conuincas . Constituta igitur die in medio Heliopolis uenit zereas magus cum artibus suis et Helenus episcopus cum orationibus suis : cœpitque cum eo uerborum ingens habere luctamen : Et quia uersutus erat : nec eum concludere sermonum ratione poterat : respiciens populum fortiter lædi : quod zereas quasi superior ascendebat in uerbis : postulato silentio ait ad populum : Pauli apostoli in hac parte monita tenenda sunt . Noli inquit uerbis contendere et cætera . Sed accendatur ignis in medio ciuitatis : et ingrediamur flammas simul : Et qui non fuerit ustus : credamus quod hunc miserit Christus : Quod cum omnibus placuisset ait zereas : Tu ingredere prius qui hoc proposuisti . Tunc ille orationem fundens : seque consignans ingentes flammas intrauit intrepidus : stetitque in medio ignis dimidia fere hora neque capillis neque uestimentis ex || aliqua parte adustis : cumque ut zereas intraret similiter imperaret : ille reluctare cœpit : et fugere . At ubi inuitum illum populus ignibus tradidit : statim eum flamma circundans exurere cœpit : et immittens se beatus Helenus licet semiustum uiuum tamen eum eripuit : quem populus affinibus huius regionis cum dedecore exterminauit : Hunc ergo sicut uidetis quottidie turba quocumque perrexerit cum dei laudibus comitatur .

PASSIO SANCTI EVPLI LEVITAE .

Sub Dioclitiano nouies et Maximiano septies consulibus quarto idus augustas in cathenensium ciuitate cum esset extra uelum secretarii beatus Euplus proclamauit dicens : christianus sum : et pro Christi nomine mori desydero . Audiens hoc Caluisianus consularis dixit : Ingrediatur qui clamauit : et cum ingressus fuisset beatus Euplus secretarius iudicis euangelia portans : unus ex amicis Caluisiani nomine Maximianus dixit : Non decet tales causas eum tenere contra regalium præceptionem . Caluisianus consularis dixit ad beatum Euplum : hæc unde sunt . De domo tua exierunt ? beatus Euplus respondit : Non habeo domum hic : et dominus Iesus Christus nouit . cui Caluisianus consularis : Tu ea inquit huc deportasti ? et Euplus respondit : Per me ea huc deportaui sicuti et ipse uides . Caluisianus d xit† : ecce sicuti nunc ea portasti me præsente in conspectu meo lege : et dic mihi : ut ego sciam : Et cum aperuisset euangelia beatus Euplus legit secundum Mattheum dicens : dixit dominus Iesus Christus : Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam : quoniam ipsorum est regnum cælorum . Item aperuit secundum Marchum dicens : Omnibus qui credunt in me ipsis datum est cognoscere regnum dei : Item secundum Lucam : Si quis uult post me uenire : abneget semetipsum et tollat crucem suam : et sequatur me : Item secundum Iohannem : Omnis qui uenit ad me : non esuriet : et qui credit in me non si || tiet in æternum . Et cum clausisset euangelia : Caluisianus consularis dixit : hoc quid uult esse ? beatus Euplus respondit : lex dei mei quæ mihi tradita est . Caluisiauus consularis dixit a quo ? Beatus Euplus respondit : a Iesu Christo filio dei uiui . Caluisianus dixit : quoniam innotuit eius confessio : publice tradatur . Dioclitiano nouies et Maximiano septies consulibus sub die quarto idus augustas cum in medio beatus Euplus traditus fuisset : Caluisianus consularis dixit ad beatum Euplum : quæ per tuam confessionem hodie dixisti : quid dicis de eis ? Tunc beatus Euplus signaculum Christi faciens in fronte sua dixit : quæ tunc dixi : et nunc ea confiteor .

Caluisianus consularis dixit : habuisti aliquando lectiones : quæ ueterauerunt piissimi imperatores ? Beatus Euplus respondit : habui . Caluisianus dixit : habes nunc ea ? beatus Euplus respondit apud me sunt . Caluisianus dixit ubi sunt ? beatus Euplus respondit : hic sunt . Caluisianus dixit : Torqueatur Euplus : quousque confiteatur se deos ueros omnipotentes adorare Martem . Apollinem . Aesculapium . beatus Euplus respondit : Bene dixisti Caluisiane : ut adorem trinitatem inseperabilem : quæ trinitas deitatis est . Tunc audiens hæc uerba impiissimus caluisianus putauit se quia de diis ipsius diceret beatus Euplus . et gaudio repletus est Caluisianus et ait : Ergo sacrifica : cui beatus Euplus respondit : Ego sacrifico : et immolo me ipsum patri et filio et spirituisancto : Tunc Caluisianus audiens hæc ita commotus iussit eum amplius torqueri . Et dum diutissime torqueretur : sustinuit certamen orthodoxæ fidei . Tunc impiissimus Caluisianus sententiam dedit dicens : contrarii deorum et negantes imperialium iussionem unde censemus peccare eos : Ideo iubemus Euplum : quia scripturæ impietatis ab eo ostensæ sunt : iusto iudicio nostro gladio interfici . Tunc beatus Euplus gratias egit domino Iesu Christo : quoniam aduenisset tempus coronam accipiendi . Eunte enim eo cum gaudio omnis plebs e uestigio sequebatur : Ammirantes fortitudinem animi eius . Ipse autem refouente gratia Christi uultu fulge || bat : et lætus prompto animo ambulabat quasi ad nuptias proficisceretur . Et repletus spiritusancto canebat dicens : Magna est gloria tua domine in seruis tuis : quos ad te uocare dignatus es : Et pro omnibus qui sequebantur eum orabat dicens : Domine adesto seruis tuis : et ne deseras eos usque in finem : ut glorificetur nomen tuum in sæcula sæculorum . Et accelerabat gressus suos iam quippe uictoria coronandus . Tunc extendens manus suas ad cælum dixit : gratias tibi ago domine Iesu Christe : quoniam consolata est me uirtus tua : et non permisisti perire animam meam cum ipsis : et donasti mihi gratiam nominis tui . confirma ergo nunc quod operatus es in me : ut confundantur aduersantes audacia : et tunc respiciens ad populum dixit : dilectissimi fratres audite . orate dominum : et immittite illum in toto corde uestro : quoniam memor est timentium se : antequam exeant . Et postquam exierint : occurrerunt eis angeli : et deducunt eos ad ciuitatem illius sanctam Hierusalem : Et cum hæc uerba complesset : et finem fecisset flectens genua sua parauit ceruicem : et decollatus est beatissimus Euplus . Tunc sempiternam coronam fidei accepit exultans in agmine angelorum et sanctorum martyrum : et introiuit in conspectu domini nostri Iesu Christi : et repositum est corpus eius in loco uenerabili conditum .† aromatibus ad laudem et gloriam omnipotentis dei et domini nostri Iesu Christi : in quo beneficia largiuntur contingentibus sepulchrum eius : et omnes infirmorum langores sanantur usque in hodiernum diem in nomine patris et filii et spiritus sancti : qui uiuit et regnat in sæcula sæculorum Amen .

PASSIO SANCTI EVSEBII ET SOCIORVM MARTYRVM .

Vitellius perquiri Eusebium cum sociis fecit sibique eis præsentatis dixit : Manifesta assertio est dirripuisse uos facultates Iulii : cum et corpus illius collegistis : simulque etiam sepulturæ adidistis . Tunc gloriosus uir Eusebius locutus est : Quod inquit nobis obiicis : proculdubio fecimus | quodque meruimus præsule Christo executi sumus . Iudex nequissimus dixit : qui meruistis thesauros diripere difficile non sit nobis reddere ne pereatsi† sicut et ille periit . Respondit Eusebius : hoc omnibus uotis appetimus : hoc communi animo concupiscimus : cumque constanter persisterent : confusus Vitellius eadem hora iussit ut in eculeo facie ad faciem suspenderentur : obtunderentur neruis : et fugarentur : quibus suspensus† præco etiam clamabat : deos et principes nolite blasphemiare . diutius autem eos tortos iussit cessare paululum a tormentis : quibus dixit : Parcite uobis ipsis : et sacrificate diis . Eusebius ad hæc miser inquit : quod cœpisti perfice . noli desistere . Ante enim tibi deficiet ad nos torquendum tempus : quam noster deficiat in Christo persistens animus . Ne ergo putes nos terreri nec seperari nos a fraternitate domini nostri Iulii . Vitellius circunstantibus ait : Isti securi de arte magica in tormentis gaudent : Respondit Vcentius† :

Nos gaudemus et exultamus in domino nostro Iesu Christo Tyramnus uero iussit extemplo flammas applicari eorum lateribus . Illi alacres effecti dicebant : Gloria tibi domine qui nos uisitatione tua circundas .

VITA SANCTAE EVPHROSINAE VIRGINIS .

Fuit in urbe Alexandria magna quidam uir diues ualde et gloriosus nimis nomine Panfucius omnino efficax in præceptis dei . hic accepit uxorem uenerabilem quandam et dignam suæ uoluntatis nobili et ipsa de genere natam . Erat autem sterilis : et non pariebat : et ex hoc in multa deffectione erat uir eius : quia non habebat : cui derelinqueret substantiam suam : nec post obitum eius optime disponerentur res ipsius indigentibus . Igitur uxor eius cernens uirum suum satagentem : uon† cessabat die noctuque ecclesias peragendo : et ieiuniis atque precibus deum postulando : donare sibi sobole multa ualde de pecunia pauperibus et uenerabilibus habitacu || lis distribuebat . Similiter et uir eius circuibat monasteria : quatenus reperiret hominem dignum deo : qui precibus posset pro eorum desyderio . Porro abiit in cœnobium : in quo audiebat abbatem magnum apud deum esse . Et ingressus in eum orabat atque non paruam detulit pecuniam fructificans collocutionibus latissimis ut mereretur ab abbate et fratribus qui ibi ressidebant . Post autem non multum tempus indicat abbati : quare egerent necessariis : et præbens consultum petitionibus eius : rogauit deum donari ei fructum uentris : Et annuens deus utriusque precibus donauit eis unam filiam . uidens ergo Panfucius abbatis conuersationem : nullatenus deinceps a monasterio recedebat . unde etiam et coniugem suam sæpius ducebat illuc : ut benediceretur ab abbate et a fratribus . Ablactata namque infantula et facta annorum sex baptizauit eam . Et cognominanerunt† eam Eufrosynam . Exultantes de meritis abbatis eo quod eius orationibus filiam promeruissent a deo recipere dicentes ei : tuis orationibus hanc promeruimus pater . Gaudebant enim in ea parentes eius : quod esset urbana atque insignis apud deum et spetiosa facie atque corpore nimis : Cumque duodecimum pertinxisset annum : eius genitrix hoc sæculum derelinquit . pater uero erudiebat eam litteris et reliqua doctrina : quin etiam contigit ut bona infantula sicut orationum fructus esse noscitur : Ita que fuit studiosa ut miraretur pater tantam eius studii delectationem . Fama autem latissima ut percurreret per totam ciuitatem de sapientia eius et studio doctrinæ . Necnon elegantia corporis eius sed et pulchritudo faciei et species decoris eius multos dignitate præcelsos et non tantum infulis decoratos in desyderium eius traxit : ut nurum acciperent : et suis eam filiis copularent : et huiusmodi causa pater eius quottidie molestabatur . Sed uoluntatem dei ille fieri postulabat . unus denique supereminens omnium dignitatum honoris potentiæ et substantiæ aduocans patrem eius persuasit dare filiam filio suo in matrimonium . Cumque consentiens promisisset : præparantur arrarum consuetudines : Et modico tempore transacto ac | cipiens eam pater eius decimooctauo iam consistens anno abiit in cœnobium multa nimis bona ad fratrum obsecrationem offerendam defferens secum : Et colloquens abbati retulit dicens : Fructum orationum tuarum obtuli huc pater : ut ores pro ea : quia nuptui eam uolumus tradere . Et iussit eam diuerti in xenodochio cœnobii : atque benedicens ei : et multa de castitate et patientia disputans ualde eam ædificauit : et tribus diebus in cœnobio permanentes impigro auditu patrum psalmodiæ auscultabat modulationes : et cernens uniuscuiusque industriæ habitum atque efficaciæ uoluntatem : quæ in diuinis competit fulgere mandatis : mirabatur in tali eorum angelica uita dicens : Beati homines isti : quoniam in hac uita positi consimiles sunt angelis : et post huius sæculi migrationem æternæ uitæ præmio perfruuntur . Et cœpit cor eius conpungi in zelo timoris dei . Tribus namque diebus peractis dicit dominus Panfucius ad abbatem : Iube pater spiritualis filiæ tuæ eam te salutare . et ora pro ea : quia ire uolumus in ciuitatem : Cumque ambulasset ad puteum : corruit pedibus senis dicens : Ora pro me quæso te pater : ut deus saluet animam meam . Et erigens manus abbas dixit : Qui cognoscis uniuscuiusque cor antequam nascatur : huius ancillæ tuæ procura : quatenus mereatur inuenire sortem uel portionem cum omnibus : qui tibi placuerunt . Commendantesque se abbati abierunt in ciuitatem .

Pater uero eius quoscumque inuentos contemplatur monachos : rogatosque suam ducebat in domum : caritatemque complectentes postulabat eos orare pro se uel pro filia sua . Vna si quidem dierum contigit memoriam celebrari abbatis illius : qui monasterium olim construxerat : atque mittens abbas unum ex fratribus adhortatus fuit Panfucium in die abbatis adesse : Veniens ergo qui mandatum detulerat in domum eius : didicit eum iam processisse . Eufrosyna uero hoc audiens uocato fratre cœpit eum taliter inquirere : quot fratres sunt in cœnobio uestro . Respondit trecenti quadraginta et duo : Et illa dixit : quisquis uult uenire et sedere : suscipit illum abbas ? Dicit ei monachus : Omnes suscipit . At puella dixit illi : psallunt || omnes in una ecclesia : aut æquale est illis ieiunium ? Respondit monachus : Psallimus quidem simul omnes . Ieiunium autem peragit unusquisque ut uult : et suffert : omnia quæ solitariæ sunt uitæ . Discutiens ait fratri : uellem uirilem habitum habere et effugere uitam istam sæcularem . Et monachus : Optima cogitatio . Puellaque respondit : Sed metuo patrem meum : quia pro uano huius sæculi negotio uult me tradere uiro . Ait monachus : Ne contaminetur corpus tuum . Ne tradas pulchritudinem tuam in passiones uerecondiæ : sed totam te ipsam sponsam trade Christo : qui potest donare tibi pro sæcularibus regna cælestia . Clam igitur tonsa egredere de domo tua : et uade in monasterium : et salueris . Et illa : quis me habet tondere ? Nequeo enim a sæcularibus tondi : eo quod fidem non seruant . Monachus respondit : Ecce patrem tuum duco in monasterium : et moraturum ibi tres dies uel quattuor . tu adduc unum monachum : et quemadmodum cupis facias : et conuenit tibi . Adhuc eo ipso loquente aduenit pater eius . Videns monachum et cognoscens eum sciscitabatur : quid esset : quid ue fatigatus fuisset . Ait monachus : memoria patris habitaculi nostri est : et rogat te abbas : ut aduenias : atque perfruaris eius orationibus . Et lætus effectus est : multis etiam pecuniarum more globis cumulatus ingressus nauiculam abiit in monasterium . Patre uero in cœnobio morante mittens quendam puerum introduxi sic cognominatam ecclesiam : quemcumque inquiens receperis monachum perduc illum huc . Per dei autem dispensationem quidam senex magnus Sythi ueniens opera manuum suarum uendebat : Et uidens eum puer perduxit eum ad eam : quem cum uidisset puella dicit ei : Ora pro me pater : Cumque orasset : sederunt pariter : atque ait seni : O pater ego patrem habeo seruum dei in multo diuitiarum opere existentem : habuitque uxorem : et ex ea genuit me : Et uult propter nimiam substantiam suam tradere me sæculo iniquitatis : et nolo contaminari sordibus eius : et rursum inobediens patri meo existere timeo : quid faciam ignoro : Totaque nocte ob hoc sine somno finita precata sum dominum : | nota mihi faceret : quæ expediunt pro salute animæ meæ . Dilluculo uero surgens direxi ad ecclesiam adducere unum de patribus : et hoc audire uerbum bonum . Obsecro te ergo sicut a deo missus es : instrue me : quæ conueniunt meæ saluti . Ait ei senex : domino dicente : Si quis non dimiserit patrem aut matrem aut fratres aut sorores aut filios insuper et animam suam abnegauerit : non potest meus esse discipulus . Ego quid tibi amplius dicam : nescio . Si scis quia potes sufferre omnes carnis temptationes : relinque omnia : et fuge . Patris uero tui facultas multos potest habere hæredes . Ecce ecclesiæ prothonotia monasteria hierochonia xenodochia pupilli . et uiduæ et peregrini atque captiui . Si placet patri tuo illis relinquat : solummodo animam tuam non perdas : Dicit ei puella : Spero in domino : et in orationibus tuis certa sum : habeo saluare animam meam . Et senex : huiusmodi uoluntas differri non debet : quia a mane usque ad uesperum mutabitur tempus . Ait puella : ob hoc et ego uexaui te pater : ut ad dominum applices uoluntatem animæ meæ : Cui respondit senex : Si uoluntatem desyderium proprium sæquitur : quid morantes tardamns† ad salutis pertingere portam ? Et illa ait : Immittens conpongat cor tuum deus orare pro me : ut tuo interuentu saluetur anima mea . Nunc igitur optimo arbitratu pater tonde me : et da mihi habitum : quem per multorum annornm† spatia hanælanter promereri concupiui : quo audito senex surgens oratione facta statim totondit eam : deditque ei optatum habitum : oransque dixit : Qui saluauit sanctos omnes : quique mystica uoce proclamans dicit : Nolo mortem peccatoris : sed ut conuertatur : et uiuat : ipse sui regiminis in te ponat custodiam o filia : atque ab omni aduersario et ab aduersarii gladio te eripiat : Vt quæ placita et nobis expectabilia snnt† peragentes : soli patri et domino nostro Iesu Christo et spiritui sancto gratias refferamus : Et hoc dicens egressus est senex de domo . Euphrosyna

uero inter semetipsam cogitans dixit : Si in mulierum abiero monasterium : pater meus perscrutans reperiet me : et propter sponsum meum ui exinde euellet me Vadam ergo || in cœnobium uirorum : ubi nullus suspicatur me mulierem esse . Et exuens se muliebri tunica : atque induens uirilem habitum facto uespero egressa est de domo sua accipiens secum quingentos aureos . Patre autem eius in ciuitatem reuertente illicoque in ecclesiam abiit . Nam Euphrosyna peruenit in cœnobium : ubi pater eius caritatem habebat : et per hostiarium renunciatur abbati . Aiebat enim Eunuchus quidam de pallatio ante fores stat . uestris se petit a fratribus promoueri : qui præcepit eam ingredi : et ingressa corruit in terram : et facta oratione sederunt pariter : Et ait abbas : Quid ad nos uexata est uenerabilitas uestra ? Respondit illa : Ego o pater de palatio extiti imperiali : et desyderaui monachorum uitam : sed quia ciuitas nostra non facile certantibus taciturnitatis patientiam præstat mundanis uexationum negotiis : audiens ergo de sanctitate uestra ueni habitare uobiscum . Siquidem satisfacto animo uis suscipere me . habeo enim multas res : quas si ædificatus in conuentu uestro fuero : huc perducere spondeo : Cui ait abbas : bene aduenisti : Ecce monasterium nostrum in conspectu tuo est : si placet . Sede nobiscum : et dic nobis nomen tuum . At illa respondit : Smaragdus uocor ego . Ait ei abbas : Quoniam iunior es : solus esse non poteris : sed oportet te magistrum habere : qui te instruat monasticæ symbola disciplinæ . Respondit Smaragdus : Quemadmodum uolueris : faciam ita pater : Et uocato quodam ex fratribus cui nomen Agapetus uiro eloquentissimo et compassibili atque miti : tradidit ei Smaragdum dicens : Ecce non ne† hic est filius tuus . Talem eum perfice : ut suum magistrum precellat : ambo uero genu flexo humoque prostrati benedictionem petierunt . orante autem patre accepit eum in cellam suam pro nimio decore corporis et specie uultus eius qua fulgebat . Post hæc Smaragdus ecclesiam ingrediens uel cœnaculum hymnos deo referebat . cum uero multis ob nimiam eius pulchritudinem temptatio esset ut etiam murmurarent aduersus abbatem : qui hominem uultu tali in conuentu eorum suscepisset . Quo audito abbas uocauit Smaragdum : et ait ei : Quoniam forma deco | ris et species uultus tui cum sit multa etiam in ualidioribus lubricum efficitur iter : Volo te in secretiore sedere cellula : et ibi psallere : comedere : bibere atque dormire debere : Iubet itaque Agapeto cellulam ei præparare secretam : In qua Smaragdus silentio studeat . Ille uero sicut ei iniunctum fuerat fecit : accipiensque Smaragdum in cellulam suam ieiuniis uigiliis orationibus lectionibusque et psalmorum modulationibus die noctuque uacantem eum constituit : ita ut ipse magister Agapetus cum cæteris fratribus in tanta eius uigilantiæ sollicitudine mirarentur . Porro pater eius ad prandii horam ueniens : filiamque in domo non inueniens cœpit immutata facie discutere pueros et puellas : quid factum fuisset de Euphrosyna . At illi inquiunt uespere eam uidisse : dilluculo uero nequaquam . Cogitauitque pater eius : Ne forte sponsus eius ueniens eam in domum suam abstulisset : Et mittens ad eum scisitabatur† pro huiusmodi re : sed et pater adolescentis eiusque filius cognoscentes turbati sunt : et uelocı cursu domum Panphucii ueniunt . Et inuenerunt eum humi prostratum et flæntem : Aiuntque ei : Ne forte aliquis seduxerit eam : et fugit . Confestim equites per egyptum et lybiam absoluebant . Detinebantur naues . Et requisitis fiebant multa . Scrutabantur domus : Monasteria : Amici uicini : Solitudines : Speluncæ : et quod quærebant inuenire non poterant : Cumque perscrutantes minime reperissent : iam non uiuam sed mortuam lugebant . Socer quidem nurum flæbat . sponsus uero uxorem hululabat . Pater filiam deplorans dicebat : heu mihi filia mea dulcissima . heu mihi consolatio animæ meæ lumen oculorum meorum . Quis meum thesaurum abstulit ? quis meam substantiam dirripuit ? quis dispersit diuitias meas ? quis decorem domus meæ sustulit ? quis meam nactus est speciem ? qualis lupus meam depastus est ouem ? quis locus solis præfulgentem abscondit uultum ? qualis barbarus captiuam habet regalem effigiem ? Illa mihi senectutis baculum . Illa malorum solutio . Illa laborum requies . Illa dolorum sublæuatio . Terra Terra ne operias sanguinem et carnem meam : donec cognoscam : quis meam filiam Euphrosy || nam abscondidit . Amici eius qui aderant lugubres simul emittentes uoces totam pene ciuitatem lachrymare compellebant in repentina infantulæ perditione . Verum non tollerans pater eius hanc tristitiam perrexit in cœnobium : adiitque abbatem dicens : Quæso te pater : ne desinas orare dominum : neque sileas : ut inueniantur labores ora-

tionum tuarum . Direpta enim est Euphrosyna ancilla tua filia mea : quo audito abbas mæstus ac tristis effectus est : Iubetque pulsari tabulam : ut fratres congregentur . Et cum conuenissent : ait eis : Facite caritatem fratres : et laborem sustinete : unam hebdomadam binis ieiunantes diebus . Rogate dominum : ut nobis manifestet : ubi est filia domini Panphucii : qui cum ieiunassent et orassent : nulli eorum eam deus manifestauit : præstabant enim orationibus omnium præces Euphrosynæ . Postulabat enim deum in uita sua se non manifestari . Itaque omnibus pro huiusmodi re certantibus : nullumque persequentibus pro hoc effectum : uocantes dominum Panphucium aiunt ei : Noli desistere nec tribuleris : sed magis gratiarum actionem munus offer deo : Et quando uoluerit eius pietas patefaciet tibi filiæ tuæ euentum . Notum tibi enim hoc sit : quod non in turpibus uel obscenis se tradidit desyderiis sed castitatis et pudiciciæ agressa est iter : et ob hoc eam manifestauit uni ex nobis . Si enim in malo esset : profecto non desperat deus labores et dolores tuos : quos propter nomen eius in sanctos omnes ostendas præcipue in nos . Sed modis omnibus eam manifestasset . hæc audiens deo gratias Panphucius orabat : optimam adipisci eam conuersationem . Post autem non multum temporis uenit rursum in cœnobium : osculatusque est fratres : reuersusque est in ciuitatem . Porro rursum in monasterium uenienti dicit abbas : uis colloqui fratri bono : scientia perito et doctrina illustri de pallatio Theodosii imperatoris egresso ? Panphucius respondit : rogo te : et hilariter supplico : Et uocans abbas Agapetum ait ei : dominum Panphucium ducito domum Smaragdi : qualiter. is instructus ædificetur : quocirca eum ad illum perduxit . At illa patrem suum cernens repleta est tota lachrymis . Verum Panphucius conpunctio | nis gratia extimabat . Nam penitus eam non cognouit pallore uel macie uultus eius : quo præ immensa abstinentia et ineffabili uigilantia affligebatur . Cucula namque tegebat faciem suam : Ne quouis signo nota efficeretur . Et facta oratione sederunt pariter : cœpitque Smaragdus de misericordia atque eleimosyna et sapientiæ læticia seu castitatis effectu humiliter disputare . hæc Smaragdo luculentius disserente cor Panphucii conpungebatur : et simul stupore et gaudio tenebatur amori eius copulatus : sed animi calorem cordis refrenabat arcanum : Completoque instructionis affectu abscessit Panphucius : tum ueniens ad abbatem dicit ei : Magnus est deus pater : Certe nimis ædificatus sum in homine isto . Nouit dominus sic eum mentis dilectione complexus sum : ac si esset filia mea . Et commendans se fratribus abiit . Igitur Smaragdus in cœnobio modesta conuersatione triginta octo annos perficiens in infirmitate detentus est : per quam et uitam finiuit . Nam cum infirmaretur ueniens Panphucius in cœnobium per solitam locutionem dicit abbati : Permitte domine . ut uideam fratrem Smaragdum : quia ualde anima mea dilligit eum : qui uocans Agapetum ait ei : Perduc eum ad fratrem gmaragdum† : quia ut estimo deinceps non uidebit eum : Qui fecit ut iussum fuerat . Ille uero corruit in hospitium in quo iacebat Smaragdus : Osculatusque eum dixit : Ora pro me domine frater : ut donet mihi deus consolationem pro filia mea : quia nondum consolationis medelam accepit anima mea pro eius iusticia : Et Smaragdus inquit : Noli contristari : neque lachrymari : Deus enim dum hic es manifestat tibi de filia tua : Sed quæso te sustinere tribus diebus : et ne discedas a me . Respondit ei : iussisti frater . Certe non abscedam : Transactis namque tribus diebus : dum iam apud deum se migraturam cognouisset : uocato patre ait ei : Quoniam dei misericordia meum dispensauit cursum . impleuitque desyderium animæ meæ : uolo iam te securum esse et sine tristitia permanere pro filia tua Euphrosyna : Ego enim sum miserrima : Et ecce uidisti me : et ecce satisfactum est tibi . Sed rogo te per inseperabilem trinitatem : ne permittas alium quenquam tractare corpus meum : || sed tu ipse per te tantum quæ opus erunt perfice . Et statim enarrauit per ordinem ipsi patri modum et uiam : quos habuit in sæcedendo a domo : et ueniendo ad monasterium et sicuti uitam suam honeste et sanctæ duxerat hucusque in eo monasterio . Sed quia repromisi abbati dicens pecuniam me multam habere : et si hic dispensata fuero dare eam in cœnobio : collecta omnia affer huc . Scis enim et ipse : quia pie disponitur locus iste : et ora pro me : Et hæc dicens reddidit spiritum deo . Hæc audiens Panphucius . amens effectus est et deficiens spiritu atque dissolutus cecidit tanquam mortuus in terram . hæc uidens Agapetus cursu ueloci afferens aquam in faciem elleuauit eum dicens : Quid est domine Panphuci ? Quid habes ? Respondit uix : Heu mihi filia mea dulcissima cur non mihi ante tempus indicasti ? Cur ut et ego

tecum commorerer tuæ uoluntati . uæ . uæ . uæ . Quomodo latuisti inimici malignantis astucia ? Quomodo pertransisti principatus ac potestates filia ? Quomodo ingressa es in perpetuam uitam ? hæc audiens Agapetus nunciauit abbati et flæns agebatur : Qui uelociter currens cecidit super sanctum eius cadauer dicens : Sponsa Christi uera . ueri dei nostri et filia sanctorum sociaque iustorum atque omnium angelorum : ne obliuiscaris concollibertorum tuorum neque istius sacræ congregationis : Sed deprecare eum : quem adepta es Christum nobis largiri patientiæ . uirtutem . uigilantiam et solicitudinem orationum . facultatem atque omnium sacramentorum cælestium ad intelligendum industriam : per quam pertingere possimus æternæ uitæ portum et immortalitatis possessionem : simulque tecum perfrui æternorum bonorum suauitate . Et hoc dicens iubet pulsari tabulam : deinde congregatis populis cum magna gloria deducebant sanctum eius corpusculum in ecclesiam suam . Cum uero uenissent omnes : et adiscentes huiusmodi rem stupore comprehensi glorificabant deum : qui facit mirabilia solus . Vnus ex fratribus unum habens obstrusum oculum ingressus est osculari sanctum corpusculum : moxque ut cecidit super sanctissimum eius uultum uisum recepit : Quod factum conspicientes omnes | dicebant : Gloria tibi deus : qui semper facis stupenda et admiranda opera : et donas præceptum salutis uolentibus confugere ad portum misericordiæ tuæ . Et simul plerique ædificati posuerunt eam in sepulchrum sanctorum patrum . Pater uero eius uniuersam substantiam suam ecclesiis monasteriis xenodochiis atque pauperibus distribuens : abrenuncians omnibus ingressus est et ipse monasterium : Et maximam substantiæ suæ relinquens mansit ibidem honeste degens in filiæ suæ cellula . multum etiam consolationis habens prosiathio in quo filiam suam super pauimentum prostratam iacuisse meminerat . Vixit ergo in eodem monasterio et ipse per decem annorum spatium degens in præceptis domini studiosæ Et in hanc conuersationem ad extremum perueniens terrenaque relinquens migrauit ad cælos . Atque ætheriis coniunctus collonis coruscat in choro sanctorum . Reliquiæ namque eius iuxta corpus filiæ suæ reconditæ hactenus usque habentur . Regnante domino nostro Iesu Christo : cui est honor et gloria in sæcula sæculorum Amen .

PASSIO SANCTAE EVPHEMIAE VIRGINIS .

Sub Dioclitiano imperatore : proconsule autem Prisco in Europa erat congregatio magna christianorum in ciuitate Calcedonia . Priscus autem proconsul amicum habebat impiissimum Appellianum nomine Sophistam gentilium : quique assiduus erat deo Marti . hic Appellianus accusator fuit christianorum dicens : Optime uirorum et eloquentissime in cognitione proconsul notum sit dignationi tuæ de magno deo Marte : cui omnes pariter inuictissimi et magni regis decreto sacrificium reddimus : placuit hic sermo proconsuli Prisco ad subuersionem animarum perditarum : unde edicta scribens terribilia in locis publicis et festis proposuit ita designans : Viri amici chalcedonenses : purificemus nos in diebus octo : ut decretum regis custodientes immolemus deo magno Marti . Si quis autem negligens aut alterius sectæ cultor inuentus fuerit tor || mentis pessimis puniatur : Est autem hoc signum sacrificii : Quacumque hora tuba sonuerit : omnes simul ad templum Martis concurrentes alacriter eidem propiciatori sacrificemus . Venit Appellianus curiosæ agens per singulos dies et horas cum latrarent ad dæmones suos . Ergo tubicinator quidam clamabat luctuosa uoce colligens eos omnes : qui uanam spem sequebantur . Erant autem et qui deum timebant in animo et in domo sua una in superioribus inclusi instabantque orationibus . Assidua erat ad illos Euphemia Philosophronis senatoris filia : cuius mater dicebatur Theodora . Ascendebat in superiora domus suæ ad orationem dei cultrix et faciebat eleimosynam expectans mercedem de cælo uenturam sibi . Appellianus autem condiscipulus diaboli dicit ad proconsulem : Sunt hic uiri aliqui : qui se in superiora domus clauserunt : et nec decretum imperatoris nec tuæ pietatis præceptum audire uolunt . quod si istis fuerit concessum : multi uertent se a sacrificio magno Martis : et adhærebunt illis : et dispergent irridentes sacrificia nostra . hoc audito proconsul iussit adduci eos : Qui cum adducerentur : in medio eorum erat Euphemia gratissimum habens uultum in

habitu pudica super omnes : qui erant cum ea : illuminans continentia pudiciciæ suæ facies uidentium : Cumque uenissent ante tribunal : dicit ad eos proconsul : audite omnes decretum imperatorum : et immolate deo magno Marti . Illi autem omnes simul cum sancta Euphemia sicut ex uno ore dixerunt : Notum sit tibi proconsul : nos seruos magni et perpetui regis esse : qui sedet in cælis : et Christo : qui patris uoluntate extendit cælos . firmauit terram : et cuncta constituit . Illum adoramus : et illi sacrificium beneplacitum nos ipsos offerimus . Priscus autem proconsul hoc audito dicit ad eos : Misereor uniuscuiusque uestrum : et differo positionem habens cogitationes mentem excelsam et substantiam formæ uniuscuiusque uestrum . Imperatore et sacrificiis deorum fruimini : ex quibus magni poteritis esse amici et cogniti regi : necnon ducatus uobis uel principatus acquiretis : Audientes autem hæc fortissimi uiri reformauerunt tristiciam uultus sui ad adipiscendam diuinam clæmentiam : ha | bentes secum in medium magnam illam sanctam Euphemiam : et dixerunt nos o proconsul seruos suos deus tradidit : ut consequamur promissionem ipsius sicut dixit : Euge serue bone et fidelis : in modico fuisti fidelis : supra multa te constituam . Sed nec tu ignoras proconsul : quod omnis cui creditur administratio : festinat se ipsum commendare illi : qui sibi credidit principatum et potestatem : ut ad maiora possit ac meliora peruenire . Si ergo corruptibiles cum sint homines coruptibilibus seruientes : temporales et inutiles quærunt honores : quanto magis incorrupto et æterno deo fidem nostram debemus exhibere et conscientiam : ut merito postulemus promissionem incorruptibilem et sempiternam : quæ arripi non potest ullo modo . Fac igitur : quod tibi placet . Nos autem parati sumus pro cælesti scientia nosmetipsos morti tradere : et percipere thesauros repositos ab omnipotente deo . Priscus hæc audiens immutauit faciem suam : et iussit singulos eorum tormentis puniri : Cumque quærerentur : per singulos dies : sustinebant tormenta magna nimis et fortes aduocabant se ipsos ad sustentationem certaminis . Magnum autem sensum et fortem certatricem Euphemiam cum gaudio ad brauium Christi peruenire instruebant : dicebant enim ei : ut fortiter curreret fide adornata : nam mente stabili sapientiaque Christi induta possidere debes eum cum patribus inextinguibilem habens lampadam : Concurre inquiunt : et connumerare obuiam quinque illis uirginibus candidatis sponso : qui mercedem tibi reddet integram in regno cælorum : Et cum completa fuisset nonadecima dies in certamina sanctorum : erant in carcerem nutriti iam sancto spiritu . Vicesimo autem die Priscus proconsul habito consilio cum impiissimo Appelliano cui erat arbitrium : processit et sedens pro tribunali iussit eos adduci . Adducti igitur fortissimi habebant secum lampadam sanctam Euphemiam . Interrogauit itaque eos proconsul : Dicite mihi adolescentes : si cogitastis ut sacrificetis deo Marti . Illi autem quasi ex uno ore cum bona certatrice Euphemia dixerunt : quamdiu te ipsum ludis et non discedis ab ea quæ te continet fallacia : et non recognoscis eum : qui te fecit ? || Tunc Priscus dixit ad ministros diaboli : Alapis cædite illos : et dicite : audite deo Marti . Ministri autem diaboli ita fecerunt : Cumque cæderentur facies : uultus eorum magis albescebant . defecerunt autem ministri cædentes : et facti sunt sicut mortui . Appellianus autem dixit ad proconsulem : uerberatos hos tormentis transmitte ad regem : Et placuit hic sermo proconsuli et omnibus : qui cum eo erant : et iussit mitti eos in uincula carceris : donec mitterentur ad regem . Erant autem numero quadragintanouem : cum quibus erat sancta Euphemia : Et cum ducerentur ad carcerem : uenit quidam quasi fera currens quasi latro quasi lupus in gregem : et eripuit magnam et beatam Euphemiam estimans quod sicut ille infirmus : et inutilis erat : infirmum inuenirtet[†] uas . Illa autem diligens Christum : et Christo dilecta gaudio repleta erigens oculos suos ad cælum dixit : Adiuua me Christe spes mea domine Iesu Christe sustentatio mea saluator meus et fortitudo mea : ne peream a te domine . Priscus autem hæc audiens dixit : honora te ipsam : et generis tui substantiam uel noticiam ne amittas . Sed si corrupta es uerbis ut mulier reuertere : et immola deo Marti . Illa autem deo fortis et certatrix bona ait : Non in natura corporis fortitudo certaminis : sed in uirtute spiritussancti infirmitas substantiæ confortatur : nec enim sensus deerit in certamine . Igitur corpore quidem mulier sensu autem uirili adsum : et parata sum patrum meorum prophetarum promissionem implere . Tunc Priscus iratus est : quod a muliere uinceretur : uel superaretur : iussitque argumentum stare rotarum : et mediam illam imponi ut extensa et contrita

cito redderet spiritum . Illa autem rotis imposita pectorale sibi imposuit Christi signaculum : et ait : O inique quanta diffundis uenena diabole : ut Priscus sedeat operarius iniquitatis artes tuas inquirens : mali fallaciam et mysteria patris sui perficiens : diabole inimice malefice dolose non tangat membra mea argumentum artium tuarum : Habens enim Christum auxiliatorem mihi spero per maiora et fortia tormenta certaminis omnibus approbari . Dicente autem illa hæc corrigebant mini | stri rotas : et per singula membra confringebatur corpus eius . Sensus autem animi eius conualescebat : et benedicens dominum dicebat : Gratia tua et lux ueritatis tuæ inextinguibile lumen : qui sedem ueritatis obtines : qui non despicis inuocantes te in ueritate : saluator meus respice in me miserrimam ancillam tuam : et eripe me de uoragine huius iniusti et ab impiissimo diabolo et a terroribus Prisci . Hæc cum diceret confestim angelus de cælo descendens confregit argumenta rotarum : et dissoluit ministros ita : ut fierent paralytici : et iminutæ sunt facies eorum . Certatrix autem bona exiit sine macula ita : ut uideretur hilari uultu coram omnibus . Dixit autem Priscus proconsul iratus : Per imperatoris genium et deorum propiciationem nisi sacrificaueris deo Marti : igni te concremabo : et non poterit te adiuuare : quem putas colere deus tuus . dixit autem Euphemia : ignem mihi minaris : qui ad modicum uidetur : et confestim extinguitur : Sed non sum ita soluta uirtute : ut terrores tuos timeam . Per sacros piorum : qui pro Christi nomine in carcere agone magno certant : non timebo habens adiutorem Christum : sed conculcabo tyramnicos tuos terrores . Exterritus autem proconsul iussit succendi fornacem : ita ut flamma fieret per cubitos quadraginta et quinque latitudinis ignis : et adduci præcepit sanctam Euphemiam ab aliis ministris . Stetit autem illa hilari uultu integro corpore et ait : Benedictus es deus : quia tu in excelsis habitas : et humilia prospicis in cælo et in terra : quem glorificant angeli : adorant et archangeli : Inuoco te et ego exigua et miserrima in stadiis bonitatis tuæ : ut signaculum mihi imponas Christi : per quod queam salutare eius inuenire : Ostende maligno huic inimico Christi : quia tu misisti angelum ad tres pueros : et dispersisti flammam ignis : et tyramni extinxisti terrores : mitte et nunc in me ancillam tuam auxilium tuum : et eripe me de ore leonis et a laqueo uenantium et a terroribus proconsulis : Nomen tuum gloriosum est et terribile : Cumque hæc dixisset : proconsul dixit ministris : proiicite eam in ignem : ministri autem præcinctam illam tenebant : unus autem ex ministris || nomine Sostenes habens cultellum ad singulum respicit ad proconsulem : et dixit ei : Iube me proconsul hoc gladio interficere . impossibile est enim mihi super sanctam istam inicere manus : uideo enim ante oculos exercitum candidatorum expectantium illam : Victor autem minister uigilans ad scientiam soluit rotam sanctæ Fuphemiæ† : et ait : Oro te proconsul soluo me a necessitate ista . graue est enim manibus extendere . Video enim oculis in ore fornacis stantes uiros : qui despergant ignem . Expectant autem hanc sanctam immaculatam : Proconsul autem iussit hos quidem custodiri : alios consistere . Venit autem Cæsarius quidam et Barbarus nomine : qui apræhendentes beatam martyrem proiecerunt super ignem . Confestim susceperunt eam ministri deitatis unici filii dei angeli lucidi angeli pacis et disperserunt flammam ignis : Cumque igne combustus fuisset Cæsarius : stabat in media fornace sancta Euphemia quasi in platea honesta regem dominum conspiciens : Et expansis manibus ait : Benedictus es domine deus patrum nostrorum : qui non es immemor malorum meorum sic omnium qui diuinitatem tuam non spernunt et oculum ueritatis tuæ direxisti super ancillam tuam : et expulisti tempestates iniquitatis : et iusticiam florere in me fecisti : qui intellectu spiritussancti tui tenebrosum a me serpentem segregasti : qui recto aspectu uerilluminis† domini nostri Iesu Christi illuminas eos : qui in te sperant : da et mihi ancillæ tuæ in conspectu tuo dignum concertamen mereri cum eis : qui in ueritate tua cursum consumauerunt . Cum autem hæc dixisset exiit de fornace commendans ministros regi omnium sæculorum Christo . Posuit autem illam in carcerem proconsul dicens : Vsque ad crastinum sit in custodia : et cogitabo quemadmodum perdam illam . Euphemia autem abiit glorificans deum . Gratulabantur autem et fortissimi milites Christi in certamine beatæ martyris Euphemiæ : et dicebant : Deus qui benedictus es in sæcula : da ancillam tuam offerri tibi in sacrificium : et connumerari cum patribus : qui cum deitatis desyderio nomen tuum confessi sunt . Adhuc sedens proconsul iussit adduci Sostenem et uictorem : et dicit ad eos : Immo-

late diis . Illi autem responderunt : Nos o procon | sul seducti a tenebroso inimico quem tu colis pro tempore seruientes perdidimus apud deum uerum spem nostram . Credimus per certatricem Euphemiam illuminari tenebras nostras : quia potens est deus delere ea : quæ contra nos fuerant : et quæ secundum inimicum ueritatis : et conscribere nos sanctorum libro . Fac igitur sub celebritate patris tui opera : et afflige nos tormentis : quia non subiacemus uesaniæ tuæ : nec edicto regis nec immundo fallaci deo tuo : quo audito proconsul iussit harenam exerceri : et mitti ursos : ut cum bestiis pugnarent . Missi sunt ambo simul : et dixerunt ita : Domine omnipotens castus et mundus deus qui timore tuo regis cuncta : qui constituisti fundum maris : qui solidasti terram : et segregasti tenebras a luce : qui draconem occidisti : et soluisti dolorem mortis : solue nos a cogitatione rapacis : et eripe nos ab homicidæ rapina : et da nobis cum pace immaculatam animam et corpus possibile : Et confestim uox facta est de cælo dicens : Exaudiui orationem uestram : et commendantes semetipsos deo immaculati tradiderunt animas suas . Videns autem proconsul surrexit : et abiit in prætorium : Et sublata sunt corpora sanctorum a christianis : et ornatos eos sepelierunt in locum uenerabilem . Mane autem cum factum esset processit proconsul audire beatam Euphemiam . Illa autem egrediebatur de carcere sicut bona iuuencula Christi et cantando uoce teribili dicebat : Cantabo tibi domine canticum nouum super terram : ac clarificabo te domine in uirtute tua . Psalmum dicam tibi inter gentes : et nomen tuum glorificans hæreditatem possidebo . Cantando igitur glorificans et psalmum dicens et hymnum uenit ad tribunal : Et dicit ad eam proconsul : quandiu es amens et te ipsam perdis ? Magnus deus cui Imperator sacrificat propitius tibi erit si adoraueris eum . Obaudi et sacrifica ut ueniens mater demonstreris . Illa autem cum risu respondit : Vere insipiens et sine intellectu uocabor : si incertis et dissipatis his qui non sunt natura dii paruero et demoniis mutis et surdis obaudiero improbe et inconstans ueritatis christiane . Astrictus autem laqueo serpentis festinas sicut ipse es tartari et ignis inextin || guibilis et abissi heresi et eos qui in ueritate conturbantur tecum ducere uis . Sed ego non ita quia Christi habeo firmamentum uirtutem indeficientem . Iussit ergo iterum proconsul quattuor lapides afferri et in angularibus eorum machinas et argumenta constitui : ut mitterentur lapides ab argumentis et contererentur carnes eius . Perfectum est autem opus et iussit apponi eam lapidibus ligatam . Ingressa autem sub lapidibus et flectens genua cum lachrymis orabat dicens : Te deprecor domine deus meus : tibi inclinabo genua cordis mei : Ante tuum conspectum me ipsam contero : lachrymas meas coram te effundo : et dorsum meum præparo in flagella : et corpus meum et faciem meam non auerto a sputo . Timorem tuum requiro . miserere mihi ancillæ tuæ : ne concedas pessimo huic aduersum me malignari : ut impediat mentem meam : sed denuda et erade omnem maculam sordidam . mirifica me in ueritate tua . Non contingat me instans et inutile argumentum . In bene sonanti cimbalo cognita constituar : et glorificetur nomen tuum in sæcula . Hæc cum diceret inclinauit genua : et illi ministri quidem fatigabantur trahentes argumentis lapides . Cumque trahærentur : comminuti sunt lapides : ita ut fierent puluis . Illa autem iacebat sicut agna immaculata coram deo . Et uidebat eam proconsul et qui cum eo erant integram corpore et constantem . Iterum iussit effodi foueam et circundari aqua multa : et bestias carnifices inmitti in eam : sanctamque Euphemiam immitti in medio eius : ut obuiantes bestie eam comedant . Illa autem cum sciret factum ante præceptum proconsulis cucurrit : et stans in obsidionem primum abiecta putredinis sorde et inconuenienti inscriptione ornata autem et incomposita ad sensibilem et deificam conuersationem ita ait . O desperate et omni fallacia plene minister sathane Prisce iuste enim tibi nomen hoc affixum est : Prisceres autem qui sunt serratores celestes tibi præparantur qui te susceptum torqueant : quoniam qui tribuit uitam et ueritatem deum irritasti et Christi milites iniuriis affecisti . Et cum hæc dixisset signans se dextra leuaque inuocauit dominum suum Christum dicens : lumen meum | Christe mecum ingredere sicut ingressus es cum Daniele in lacum leonum et cum Iona propheta in uentrem cæti grandis in mari . Proiecit se ipsam in aquam et occurrentes bestiæ uniuersæ portabant eam super aquam : sicuti nutrix proprium infantem : sentientes timorem dei . Videns autem proconsul quia magna signa fiunt : dixit ad Apellianum . Quæ sunt hæc aut quis est qui eam adiuuet : quoniam dæmones obtinet et magicis suis ueneficiat omnia . Proconsul autem dixit . Quare

non dii nostri retribuunt ei . Apellianus dixit : Pro patientia et pietate sua . Tunc Priscus iussit lapides acutos cum gladiis in pauimento figi obscuro et modica terra cooperiri : ut illa ex improuiso ueniens ad lacum proiecta in illis moreretur : sicut aper inscius in foueam cadit . Illa igitur insciente factum est hoc argumentum : Et cum factum esset uenit Euphemia nobili genere et hilari uultu et tanta passa et nihil læsa : et a ministris cum compelleretur rapta est ab angelis . Et transposuerunt illam et in locum illum ministri incurrerunt et in argumentum operis sui mortui sunt . Aperiens itaque os suum sancta Euphemia dixit : Benedictus es tu deus : qui cognoscis corda : qui sacramenta pietatis contines : qui prebes thesauros cælestes inde prædatos : qui extendisti terram et solidasti eam qui uerbo tuo omnia fecisti : qui tua uoluntate unicum filium tuum misisti de cælo : ut soluat dolores et constringat immanem principem : qui adstans militibus tuis his qui pro tuo nomine certantur et confirmas pietatis fidem . Adiutor esto et libera animam meam per orationes sanctorum tuorum : qui in carcere tenentur et deitati tuæ cursum consumant . Custodi ancillam tuam conserua me domine ad unitatem spiritussancti tui : quia tu es immemor malorum et saluos facis in tempore tribulationis . Videns autem proconsul : iussit eam adduci ante tribunal et dicit ad eam . Nosti Euphemia quia ingenua cum sis et de genere primo persuasum est tibi et permansisti in fallacia videlicet Imperatoris præceptis non satis faciens : et non mihi uel obseruantiam præstitisti sapiens et uenerabilis . Attamen obaudi et ignosce mihi iniurias : || quas tibi fecisti ut sacrificia deo Marti : ut non in opprobrium sis nationi tuæ . Illa autem continuo Christi sensum habens ait : Vt quid facies tua amaritudine et dolo est plena ? ah laqueum uerbis compositum . O bestiarum reformatam indumentis lupi rapacis prædam . oh probatos sermones stellione amariores . Insipiens autem ero : si derelinquens thesaurum uitæ : diabolo communicauero . Ergo noli seduci proconsul : quia suades mihi immundis immolare dæmoniis : Sed nec coges me dicere deos : Nam quomodo dii esse possunt : qui nunquam fuerunt : uel quomodo sensum habens uiuum deum immobili et nunquam uiuenti assimilet : aut huic sacrificium offerat ? Nam taurum adducis de grege multo mugientem : et delibas diabolo : et non intelligis : quia meliorem te occidis similem tibi insensato . Non audio igitur amaris sermonibus tuis : sed festina : et fac quod uis . Quæro enim per tua argumenta introire in stadium sempiternum : ubi pater est : ubi angelorum princeps est : ubi perfectus agontheta est : ubi sanguis ueritatis est : ubi Christus nutrit eos qui pro illo certantur . Tunc iratus proconsul iussit eam uirgis cædi . Et dicebat ei : sacrifica diis : quæ cum cæderetur dicebat : Non me tangunt uirge tuæ . Vulneratus es : et non habes substantiam . excecatns† es a continente tenebras sathana . uicta est tiramnica tua uirtus quam operatus es ab iniquitate . Tunc indignatus Apellianus cum proconsule : iussit afferri serras et sartagines et per argumenta artis secari membra eius per partes et interponi in sartagine : ut fiant tanquam puluis . Factum est et hoc argumentum : et aduenientes sancta Euphemia posita est super serras et serre confracte ipse et sartagines extinctæ sunt : et nihil nocuit eam : Erant enim angeli cum ea . Videns autem Apellianus cum proconsule quod miles Christi uinceret per sustentationem : facto consilio ut perderent eam : iusserunt harenam agi et induxerunt ancillam dei in stadio . Illa autem cum stetisset in stadio dixit : Notus es deus eis qui te inuocant . Suscipe animam meam . Sicut suscepisti patris nostri Abrahæ sacrificium : ita per sacrificium humilitatis meæ suscipe spiritum meum . Et cum hæc di | xisset : signauit se et inuocauit nomen domini . Et exierunt quattuor leones et due bestiæ : Leones quidem insidentes osculati sunt uestigia eius : similiter et bestiæ . Vt autem compleretur certaminis eius martyrium : currens una ex bestiis momordit eam : liuorem tamen nullum fecit ei : et uox facta est de cælo : Ascende Euphemia : et sta in locum sanctum . recipe palmam tuam . Cumque uox et sonus factus esset ita : ut commoueretur locus ille : tremuerunt omnes . Sancta uero Euphemia ait : da nequissimo huic proconsuli secundum cor eius : et tu egredere cum seruis tuis domine Iesu Christe . Et cum hæc dixisset : reddidit spiritum . Veniens autem mater eius et Philophron† pater sumpserunt corpus eius : et curatum ex more sepellierunt in loco nouo quasi mille passus a ciuitace† chalcedonensium . Proconsul autem destinauit : qui erant in carcere sanctos ad regem datis litteris : ut Imperator quod sibi placuisset de eis disposuisset . Præcipiens questionariis in pace et libertate eos per uias custodiri . Inciderat enim in tedium ingens : et torquebatur .

Completum est autem martyrium sanctæ Euphemiæ† sextadecima die mensis Septembris in gloria dei patris omnipotentis et Christi Iesu filii eius : Ita ut cognita sit commemoratio beatæ Euphemiæ et uenerabilis conuersatio confessionis eius et certaminis mense septembri Prisco proconsule Europæ . Omnes ergo qui pro nomine domini nostri Iesu Christi sanctæ martyri congaudemus : glorificemus dominum et patrem et spiritumsanctum : ut precibus sanctæ martyris inueniamur partem habere cum illa in sæcula sæculorum . Amen .

VITA SANCTI EVSEBII PAESBYTERI† .

Tempore quo liberius de exilio reuocatus fuerat a Constantio Augusto hæretico : in eodem tamen dogmate : ut non baptizaret populum : sed una communione contaminaret plebem . Eusebius uero præsbyter urbis Romæ cœpit declarare Liberium hæreticum et amicum Constantii . Profecto || cum multi in sancta confessione et catholica uitarent comunionem Liberii : per Eusebii præsbyteri doctrinam : occupantur ecclesiæ a Liberio . eiicitur Felix de episcopatu . subrogatur Liberius . tenetur Eusebius præsbyter : quia in domo sua quam ipse construxerat populum congregaret : et quia plebem sanctam exhortabatur . Tunc Constantius imperator aggreditur cum Liberio Eusebium præsbyterum dicens : Tu solus christianus es in urbe Roma ? Eusebius præsbyter respondit : Sic confidimus in domino : quia fideles nos inueniet Christus : sicut et baptizati sumus : et per benedictionem : quam a beato Iulio suscepimus . Liberius dixit : nos cuius fungimur uice ? Nonne Iulii anterioris nostri ? Eusebius præsbyter dixit : Si perseuerasses in fide : quam in persecutione primo tenere uisus fueras . Liberius dixit præsente Augusto : Tam contumacem me existimas ? Eusebius dixit : Res ipsa te docet et declarat . Imperator Constantius dixit : Et quid est inter fidem et fidem ? Eusebius præsbyter respondit : quantum ad nos peccatores integre tenentes fuimus : quantum ad uos insania diaboli et inuidia supersticionis uestræ : ut Felicem episcopum quem uos non timuistis catholicum : et dominum Iesum Christum inuocantem purum sacerdotem ab omnibus declaratum in damnationis causam exilio direxistis : qui tamen in prædiolo suo orationibns† uacat : et quidem iussu tuo christianis occisionem et necem præcepisti inferri : maxime clericis præsbyteris et diaconibus . Tunc iratus Constantius sub rogatu Liberii includit Eusebium præsbyterum in quodam cubiculo domus suæ : quod humile erat in latitudine pedes quattuor . Et ibi multis diebus : in oratione constanter perseuerans inclusus tamen post menses septem dormitionem accepit : decimonono calendas septembres : Cuius corpus collegerunt Gregorius et Orosius præsbyteri et parentes eius : et sepelierunt in crypta iuxta corpus beati Xisti martyris et episcopi in uia appia in cymiterio Calisti : ubi et titulum ipsius scribentes posuerunt pro commemoratione eius : Eusebio homini dei . Eodem tempore auditum est a Constantio imperatore ipsi quod Gregorius et Orosius præsbyteri collegissent cor | pus Eusebii præsbyteri : et in eadem crypta uiuum præcepit includi Gregorium . Tunc Orosius præsbyter collegit semiuiuum beatum Gregorium nocte occulte propter Constantium Augustum : Et emisso spiritu sepeliuit eum iuxta corpus sancti Eusebii præsbyteri : Qui etiam Orosius hæc gesta scripsit . Ab eodem die intra ecclesias iussu Constantii imperatoris quisquis inuentus fuisset : non sic confiteri et participare : sicut Liberius : indiscussus gladio puniretur : In plateis et uicis et in ecclesiis siue in balneis gladio trucidabantur : persequente Constantio christianos una cum Liberio . Mortuo autem Liberio leuatur Damasus : qui uoce publica damnauit Liberium facta synodo cum episcopis uigintiocto et præsbyteris uigintiquinque . et cessauit persecutio : non tamen multum tempus : donante domino nostro Iesu Christo : qui uiuit et regnat in sæcula sæculorum Amen .

VITA SANCTI EVSEBII CONFESSORIS ET EPISCOPI VERCELLENSIS .

Eusebius semper uirgo dum adhuc cathecuminus esset : ab Eusebio papa baptisma suscepit et nomen : in quo baptismo manus angelicæ uisæ sunt : quæ ipsum de sacro fonte leuarunt . Matrona quædam eius pulchritudine capta cum ipsius cubiculum uellet adire : custodientibus angelis peruenire non potuit : quare facto mane ad eius pedes procidit : et ab eo ueniam lamentabiliter petiit . Ordinatus præsbyter tantæ sanctitatis emicuit : ut in missarum solemniis inter manus eius ministerium appareret angelicum . Post hæc cum arrhyana pestis totam Italiam inficeret : imperatore Constantio eidem hæresi fauente : Iulius papa Eusebium in uercellensem episcopum consecrauit : quæ tunc obtinebat inter alias Italiæ urbes principatum : quod hæretici audientes omnes fores ecclesiæ claudi fecerunt . At Eusebius urbem ingressus ante hostium maioris ecclesiæ : quæ est beatæ Mariæ : genua flexit : et omnia hostia sua mox oratione || aperuit . Auxentium mediolanensem episcopum hæreticca prauitate corruptum de episcopatu eiecit et pro eo uirum catholicum Dionysium ordinauit . Sicque Eusebius totam ecclesiam occidentis ab arrhyanorum peste purgauit . Quo circa Constantius imperator contra Eusebium indignatus multorum episcoporum concilium duxit ei : Dionysium accersiuit : multasque ad Eusebium epistolas dedit : Qui tamen sciens maliciam in multitudine præualere : uenire contemdsit† et suam senectutem opposuit . Vnde Imperator statuit contra eius excusationem in urbe Mediolano : quæ prope erat : concilium celebrari : ubi cum Eusebium deesse uideret iussit arrhyanos fidem suam describere : et Dionysium episcopum mediolanensem et uiginti nouem episcopos eiusdem fidei fecit subscribere : quod audiens Eusebius de urbe sua mediolanum profecturum seque multa passurum prædixit . Cum uero ad quendam fluuium uenisset : ut Mediolanum pergeret : nauis procul ex alia parte fluminis stans : eo iubente ad eum uenit et ipsum cum sociis sine alio gubernatore transportauit . Ei predictus Dionysius obuiauit : et ad pedes eius procidens ueniam postulauit . Cum deinde Eusebius ab Imperatore nec minis nec blandiciis flecti posset : coram omnibus uos inquit dicitis filium minorem esse patre : Cur ergo filium meum et discipulum mihi prætulistis ? non est enim discipulus super magistrum nec filius super patrem : qua illi ratione moti statim chirographum : quod scripserant et cui Dionysius subscripserat : ei obtulerunt . At ille nequaquam ait post filium scribam : cui auctoritate præsum : sed istud incendite : nouum enim subscribam : si uultis et uos conscribere : Sicque nutu dei succensum est chirographum : quod Dionysius et alii subscripserant . Rursumque arrhyani aliud citius chirographum subscripserunt : Eusebioque et aliis episcopis ut scrberent† tradiderunt : Sed cum omnes ab Eusebio persuasi nullatenus consentirent : cœperunt plurimum gratulari : quod chirographum quod subscripserant penitus conbustum uidebant . Tunc iratus Constantius Eusebium uoluntati arrhyanorum tradidit . Illi protinus ipsum de medio aliorum episcoporum rapientes et | durius flagellantes eum per gradus palatii a summo usque ad imum : et rursus ab imo usque ad summum traxerunt . cum uero capite quassato multum sanguinem fudisset : et adhuc non assentiret : uinctis post tergum manibus fune ipsum trahebant . Ipse autem gratias agens dicebat se pro confessione fidei catholicæ mori paratum esse . Tunc Constantius Liberium papam . Dionysium . Paulinum et omnes alios episcopos : qui eius exemplo fuerant persuasi : in exilium mitti fecit . Eusebium uero apud Scitopolim urbem palestinæ arrhyani duxerunt : et ipsum in quodam loco sic arcto recluserunt : ut esset illo longitudo breuior . latitudo angustior : ita ut curuatus nec pedes extendere nec se in latus alterum uertere posset : capiteque depresso humeros tantum et cubitos mouere ualebat . Verum Constantio defuncto Iulianus eidem succedens et omnibus placere uolens : iubet qui exulauerant episcopos reuocari : et deorum aperiri templa : et pace frui sub lege : quam quisque uellet : quare Eusebius inde exiens ad Athanasium uenit : et quanta passus fuerat eidem exposuit . Defuncto autem Iuliano : et Iouiniano regnante : sopitisque arrhyanis : Eusebius uercellas

rediit : et eum populus exultatione magna suscepit . Sed iterum Valente regnante arrhyani repullulant . et Eusebii domum uallantes ipsum extra domum supinum trahunt lapidibusque obruunt : atque ita ad dominum feliciter migrauit : Deinde in ecclesia quam ipse construxerat sepultus est . Fertur quoque hanc gratiam suæ ciuitati Eusebius a deo suis precibus impetrasse : ut nemo arrhyanus ibidem uiuere posset . Vixisse autem octoagintaocto† aniis† traditur .

Sancti Eusebii epistola

Dilectissimis fratribus et satis desyderatissimis præsbyteris sed et sanctis in fide consistentibus : Plebibus uercellensibus nouariensibus hipporegiensibus necnon etiam dertonensibus Eusebius episcopus in domino æternam salutem . Licet nos multis dominus noster a uobis corpore separatos foueret bonis : et uestram admodum in aduentu et uisitatione plurimorum fratrum nobis præsentiam exhiberet : tamen mæsti ac || tristes et sine lachrymis non eramus : quia longo temporis interuallo uestræ sanctitatis non accipientes scripta : Verebamur ne qua uos aut decepisset diabolica subtilitas aut potestas humana infidelibus subiugasset : His ergo dum afficimur cogitationibus : et omnem consolationem fratrum : qui ad nos e diuersis ueniebant prouinciis : ad dolorem magis absentiæ uestræ quam ad læticiam uerteremur : Et hoc præstare dignatus est dominus : ut de eo quod eram sollicitus : non solum litteris sinceritatis uestræ : sed et præsentia carorum nostrorum Syri diaconi et Victorini exorcitæ† cognoscere potuissem . Agnoui itaque fratres carissimi uos : ut desyderabam : esse incolumes : Et quasi subito raptos omni longinquitate terrarum ut Abacuc factum est : qui per angelum portatus usque ad Danielum : sic me iudicaui ad uos peruenisse : dum singulorum litteras accipio : Dum sanctos animos uestros et amorem in scripta uestra percurro . miscebantur mihi cum gaudio lachryme : et auidus ad legendum animus occupatione lachrymarum tenebatur : Et erant utraque necessaria : ut singuli sensus in hoc complementum desyderii sua dilectionis officia cuperent præuenire Sic per dies in occupatione hac uobiscum me famulari iudicans : præteritos labores obliuiscebar . Ita enim undique circumdabant me gaudia hinc stabilem fidem hinc dilectionem hinc fructum porrigentem : ita in tot et tantis constitutus bonis subito me : ut superius dixi : non in exilio sed uobiscum esse iudicabam . Gaudeo itaque fratres carissimi de fide uestra . gaudeo de salute : quæ fidem sequitur . gaudeo de fructibus : quod non solum illic constituti facti sed et longæ pergitis : Vt enim agricola arbori bonæ inseruit illi : quæ fructuum causa non securim patitur non igni . bus† mancipatur : ita et nos uestræ sanctitati non solum seruitium secundum carnem uolumus et cupimus exhibere : sed et animas nostras pro uestra salute impendere : Extendistis ut dixi firmos fructu ramos : et per tam longa terrarum spacia ad me pertingere laborastis . Gaudeo agricola et libens nostri laboris poma decerpo . Et quia tantum facere uoluistis : non solum ego uel qui | mecum sunt sanctissimi nostri præsbyteri et diaconi uel cæteri fratres sed et omnes : qui desyderantes sumus replestis : ut apostolus beatissimus dicit : uiscera mea cum complestis mandata diuina : quæ complere christianos in episcopum uel ecclesiasticos uestros quos in exilio fidei causa nostis laborare . Completis quæ oportebat fratres fratribus facere : et patri filios exhibere . Sed cum nos secundum mandata diuina uobis uolentes de terrenis cælestes de caducis stabiles de fragilibus sempiternos fructus facere cœpimus per necessitatem patientes quottidie sæminare : Gaudebant de uestris fructibus pauperes : glorificabant deum : non solum ciuitatis ipsius homines sed et omnes . qui autem uidere potuerunt : quam mecum dilectionem haberetis ex ipsis fructibus uidentes glorificabant deum : et omni nos honore cum uestra benedictione nominabant . Videns hoc diabolus innocentium hostis iustitiæ inimicus contrarius fidei : quia in hoc opere benedicebatur deus : inflammauit aduersum nos arrhyomanitas suos : qui iam longo tempore suspirabant non solum in hoc opere sed de sua infidelitate : ad quam nos persuadere non poterant : ut existerent uiolenti more hoc : quo semper est usus : ut quos persuadere non poterat : ui et potestate terreret : Congregauit itaque suorum multitudinem . nos ad officinam infidelitatis suæ rapiunt et eludunt : Et totam hanc potestatem traditam sibi ab Imperatore dicunt . His ergo multa dicentibus et de sua

potestate glorificantibus : in hoc illis ostendere uolui : quia nihil erant nec poterant : tacens ut carnificibus corpus tradidi : quod dominus dicebat posse in persecutionibus tradi . Quam libero autem fuerim animo dum ab ipsis patior : et recludor : et per quatriduum seruor et diuersorum increpationes et persuasiones audio : in hoc ostendi : quibus nec unum sermonem dixi . addere uoluerunt ad maliciam suam : ut a me cessarent fratres : id est præsbyteros et diacones : sed et cæteros dicebant se esse prohibituros : ne ad me accederent . Ego me ab infidelium manibus uel transgressorum quod deterius est infidelium ut apostolus dicit : ne marducare† cibum : li || bellum ad ipsos hoc more feci . Exemplar libelli facti ad Patrophilum cum suis : Seruus dei Eusebius cum conseruis suis : qui mecum fidei causa laborant Patrophilo custodi cum suis . Qui me in multorum furore non solum tractum per terram sed interdum nudato corpore supinum portastis : de hoc hospitio quod mihi per uestros et agentes in rebus dedistis : e quo nunquam nisi cum uestra uiolentia egressus sum . Et deus scit : et ciuitas nouit : nec uos hic et in futuro negare potestis . Ideo deo causam reseruo : ut quemadmodum ipse ordinauerit : finem possit accipere . Interim hoc me decrenisse† sciatis : ut ratio nunc et in futuro et hic possit stare et in hospitio : quo me clausum tenetis : in quo post primam portationem retrudentes crudelius ausi fuistis : Interim eodem more portare et in unam cellam reficere non panem manducaturum : neque aquam bibiturum : nisi ante singuli professi fueritis : non solo uerbo sed et manu uos prohibituros fratres meos : qui mecum hæc fidei causa libenter patiuntur . De hoc hospitio quo manent necessarias escas offerre : nec eos qui me dignati fuerint requirere . Oportuerat quidem exire de corpore : ne tantum scelus quod contra ius diuinum ac publicum commisistis sæpe scire uolentibus cogerer dicere : sed ne quis de infidelibus nos in nobis crudeles appellet : et ignorantes diuina præcepta putet : nos confusiouem† uitare uoluisse : quam domino parere . Ideo hoc uoluisse præsumere : Iterum dico : quod nisi professi et uerbo et conscriptione fueritis : eritis homicidæ prohibendo : Nouit hoc omnipotens deus . nouit et eius unigenitus inenarrabiliter de ipso natus filius : qui salutis nostræ causa deus sempiternæ uirtutis hominem perfectum induit . Pati uoluit : Morte triumphata tertia die resurrexit . ad dexteram patris sedet uenturus iudicare uiuos et mortuos . Nouit et spiritussanctus : Testis est ecclesia catholica : quæ sic confitetur : quia non ego in me reus ero sed uos : qui conseruos meos necessaria ministraturos prohibere uoluistis : Et si hoc putaueritis uos debere contemnere : non quasi mortem timens : sed ne post excessum meum di | catis me uoluntaria morte exire uoluisse : et quandam uobis nebulam excusationis inueniatis : Conuenturum me scitote ecclesias : quas clausas interim litteris possim pertingere : Conuenturum et dei seruos : ut ipsis concurrentibus : orbis terrarum quod fides integra : quæ ab uniuersis catholicis episcopis comprobata est : ab arrhyomanitis patiatur : quos ante damnauit possit agnoscere . Item suscripsi ego Eusebius episcopus . Adiuro te : qui has litteras legeris per patrem filium et spiritumsanctum : ut non supprimas sed aliis legendas tradas . Hi ergo uix quarta die ad hunc libellum mitigata ieiunos ad hospitium in quo manseramus reuertere nos compulerunt . Viderunt interea quemadmodum nos reuertentes populi cum gaudio suscepernnt† . Lucernis nostrum hospitium circundederunt . Cœpimus annuente domino iterum egentibus ministrare . Non hoc sustinuit ipsorum inhumanitas : et nostrum amorem in suum odium peruiderunt . Vix fere uiginti et quinque tollerare potuerunt dies . Erumpunt denuo et cum perdita multorum manu ad nostrum hospitium ueniunt armati fustibus per aliena claustra . parietem rumpunt . et ad nos uolentes perueniunt . Iterum rapiunt : et in arctiore custodia cum solo carissimo Tegrino præsbytero recludunt . nostros quoque fratres id est præsbyteros diacones et omnes rapiunt et includunt . Post triduum potestate sua per loca diuersa in exilium mittunt . Alios fratres qui ad nos uenerant uisitandos in carcere publico mittunt . per plurimos dies reclusos tenent . Aduolantes iterum ad hospitium omnia quæ aut in sumptu aut pauperibus fuerant comparata diruunt . Sed quia hoc publicum ipsorum facinus ab omnibus ciuibus notabatur argumento hoc usi sunt : ut aliqua redderent leuiora : et se nobis nostra creddidisse† iactarent . Sumptus uero apud se tenuerunt : et post tautum† scelus quærebant . si fieri possit : sic negare : ut nullum de meis ad me uenire permitterent : nobis escas corpori necessarias afferrent . uix sexta die clamantibus sibi diuersis unum uenire permiserunt . quantum ad se fuit ostenderunt homicidæ animos : quod pri-

mum nec essent quarta die dimiserunt . Postmodum sexta || uix deficientibus nobis unum cum uictu uenire permiserunt . Hæc itaque sunt arrhyomanitarum opera . Videte sanctissimi fratres : si non est persecutio : dum hæc patimur . qui fidem catholicam custodimus : et altius cogitare et ualde deterior quam illa quæ fiebant per hos qni† idolis seruiebant : Illi mittebant in carcerem : non tamen prohibebant ad se uenire suos . Quantum ergo Sathanas ecclesias uulnerauit per arrhyomanitarum crudelitatem ? In custodia publica mittunt : qui liberare debent . Violentiam faciunt : qui ut patiantur iustitiæ causa discunt . Aliena diripiunt : qui sua direpta ne repetant de diuina lege docentur . Præterea quanta illos inuasit crudelitas : dum facultatibus temporalibus gaudent ? In carcere latronibus clausis a quæstionariis uel a iudicibus non denegatur facultas uidendi suos . a nobis et nostri prohibentur : et deuoti fratres ne ueniant non solum ab hospitio arcentur : quo tenemur : sed ne adeant : carcerum comminatione terrentur : Sic cunctos subiugauerunt : ut manifestissime agnoui : ut ab episcopis incipiam : dum honorem quidam timent amittere : ipsi fidem perdiderunt†. Dum facultates terrenas et immunitates nolunt perdere : cælestes thesauros et ueram securitatem nullam iudicauerunt : Sic quoque ducti cæteri dum episcopos hæc timentes perdere uident : amare cœperunt : quæ semper habere non possunt . Sic arrhyomanitæ diuites terrent : Dum his proscriptionem minantur : Sic pauperes : dum potestatem in carcere recludendi habent Et quanta insania est ? in loco quo tenemur non solum uiros qui non seruiunt : in carcerem mittunt : sed et puellas sanctimoniales sine ullo diuino timore in custodia publica recludunt : Sed ut gauisi non sunt seniores mali : qui pudicitiam Susannæ uiolare quærebant : ita nec hi gaudebunt semper : qui ecclesiam persecutione uaria et depressione nimia suæ infidelitati conantur subiicere . Dixit enim sanctus Daniel ad illos : Sic timentes filiæ israel concumbebant uobiscum . Sed recedat sanctissimi humanus timor a uestris animis : habe:ts† domini consolationem : qui dicit : nolite timere illos : qui corpus occidunt : animam autem occidere non possunt . | Tempus est probationis . tempus est : ut probati innotescant manifesti . Ideo acceperunt humanum adiutorium : quia diuinum non habent . Quem si haberent : nunquam potestate terrena innocentium sibi animas subiugarent . Multa de illorum malis : quibus non solus ego sed plurimi deprimimur debueramus scribere : sed ne possemus hoc facere : et ipsorum crudelitatem litteris intimare : arctissima custodia seruamur ab ipsis . Ideo ad nos et alii nostri amici prohibentur accedere . sed concessit dominus in hac epistolam per carissimum nostrum ad uos Syrum diaconem mittere : quem in potestate mittendi habui : quia prouidentia domini nostri eo tempore ad uidenda loca sancta accesserat : et cum cæteris fratribus inuentus non est . Cæterum et ipse tenetur : uix hanc epistolam quomodocumque conscripsimus deum semper postulantes : ut concederet : et custodes in horas refrænaret : ne ad uos diaconem nuncium magis laboris nostri quam qualescumque salutationis litteras ferret : Propter quod satis uos peto : ut cum omni uigilantia custodiatis fidem . seruetis concordiam . orationibus incumbatis . nostri memores sine intermissione sitis : ut dignetur dominus ecclesiam suam liberare : quæ super uniuersum orbem laborat : et ut nos qui deprimimur possimus uobiscum liberati gaudere : quod præstare dignabitur dominus petentibus uobis per dominum nostrum Iesum Ghristum† : qui est secum benebictus† a sæculis et in omnia sæcula sæculorum Amen : Iterum peto : et uos per misericordiam dei rogo : ut unusquisque in hac epistola salutationem suam nuncupet : quia singulis ut solebam faciente necessitate scribere non potui . Ita in hac uobis omnes fratres sed et sanctæ sorores filii et filiæ omnem sexum appello . omnem ætatem peto : ut hac contenti salutatione nostro obsequio etiam hos : qui foris sunt et nos dignantur diligere : salutare dignemini . Salutant uos fratres nostri : qui mecum sunt præsbyteri et diacones : sed et omnes nostri qui una mecum satis petunt : ut nostri memores omnes uestros nostro dignemini obsequio salutare . Transmisi præterea litteras : quas ad Patrofilium custodiarum meum feci : ut ex his agno || scatis nos arrhyomanitarum nec minis posse terreri : neque ipsorum serpentina blanda subtilitate posse ad ipsorum societatem perduci . Diuinitus nos† protegat florentesque uiuere et hic et in futuro cum omnibus uestris fratres carissimi . et satis desyderatissimi .

VITA BEATI EVGENII EPISCOPI .

Caroli secundi temporibus cum idem apud Romam imperium magnifice obtineret : Adrianusque pontifex summus sederet : synodus immensa multis episcopis congregatis celebrata est : in qua cum multa atque diuersa tractarentur : improuide contra mysterium dei beatique doctoris et confessoris Ambrosii sese intulerunt : parum aut nihil quantæ reuerentiæ beatus Gregorius olim ecclesiæ Ambrosianæ affectum contulisset reminiscentes . Propterea quasi et absque ullo iudicio inclytum et per multa tempora firmum atque sancitum quodammodo decolorare et obnubilare : et ut plus dicam delere aggressi sunt . Edoctus est itaque Carolus imperator a compluribus episcopis : ut per totam linguam proficisceretur latinam : et quidquid diuersum in cantu et ministerio diuino inueniret a romano totum deleret : et ad unitatem mysterii romani uniret . quo factum est : ut ueniens Imperator Mediolanum deuastata Papia : quam ipse ira inextinguibili ob regem desyderium emulum suum oderat : quem milites Papiæ contra Caroli imperium uiriliter armis et ingenio tutati fuerant : omnes libros Ambrosiano titulo sigilatos quos uel dono uel pretio uel ui habere potuit : alios combussit : alios transmontes quasi in exilium secum detulit . at religiosi uiri tantos et tales libros uidentes tenuerunt . Deus uero qui omnia uidet et cognoscit animos et intentionem cunctorum præuidens : officium quod ad laudem et honorem nominis sui per spiritumsanctum Ambrosio ordinante ac dictante ordinatum nouerat uiolari aut a malis dillacerari non passus est . Proficiscens igitur gloriosæ memoriæ Eugenius transmontanus episcopus : amator et quasi pater Am | brosiani mysterii necnon et protector eximius pater spiritualis Caroli causa concilii Romæ inuenit apostolicum Adrianum : qui primus anulos et uirgas ad inuestiendum episcopatus Carolo dedit iam per tres dies celebrasse concilium . Qui studiose omnia ut gesta erant per ordinem inquirens : prout erat uir discretus : consilio ac sapientia prouidus : animo placidus : uultu serenus : doctrina et uerbis affabilis : atque ut eius dignitas exposcebat ultra omnes benignus : quod dignum laude esse sibi uidebatur : competenter affirmabat . Tandem qualiter aut quomodo circa mysterium Ambrosianum sese synodus habuisset quasi ab illis extorsit : quod ubi Eugenius audiuit longe expauescens condoluit . Et miserum se uocans lachrymis decurrentibus dixit : miser quid agam ? mundus et eius uindex periit . Orbis doctrina cuncta huius uitæ quæ uanitates sunt obfuscans ellabitur . Decus totius ecclesiæ tam latinæ quam grecæ obnubilatur . Bonum iustum et sanctum elliminatur . Columna ecclesiæ fundamentum fidei assertor iustitiæ uerbi dei amator deprimitur . Doctor egregius omnium artium peritia imbutus prosternitur . Mysterium perit mysteriorum : de quo dominus papa Gregorius sinistrum proferre timuit : de quo etiam quanta et quam magna quasi lucidissimos flores beatus magister et doctor Gregorius extrahens et romano mysterio interserens adiunxit usque hodie uidemus . Spiritu demum animoque resumpto iussu papæ : et magna nobilium parte romanorum simul cum plebis uoluntate omnes episcopos : archiepiscopos : abbates et quoscumque religiosos : laicos et cleros : quos concilio interfuisse cognouit : quamuis per tres dies recessissent a Roma : ad curiam summi pontificis reuocauit : quibus congregatis sanctus Eugenius episcopus de mysterio Ambrosiano uoce benigna unde incomposite tractauerant multum conquestus est : quo audito extranei clerici cognoscentes uirum ualde probum iustitiæque amatorem satis mirari ac uerecundari cœperunt . Quid multa ? Ab apostolico et uniuersis episcopis et a toto clero uniuersoque populo romano conclamatum et collaudatum est : ut librum ambrosianum || et beati Gregorii librum ambos super beati Petri altare optime et euindentissime[†] apostolico sigillo signatos uiri religiosi superponerent : Quin etiam omnibus hostiis ecclesiæ apertissime sigillatis indictoque ieiunio per tres dies cuncti a minimo usque ad maximum deuote ieiunarent : et sic deo propicio quemcumque apertum ac reseratum inuenirent : summa deuotione et indubitanter tenerent : quæcumque autem immotum ac sigillatum reperissent euidentissima dispensatione delerent . Facto hoc autem ieiunioque ab episcopis omnibus et uniuerso populo Romano celebrato tertia die tertia scilicet feria illius hebdomadis in qua ambrosiani :

misericordia domini plena est terra usque hodie deuote cantant : in unum uniuersis conuenientibus ad inuisum et inauditum miraculum : ecclesiæ ianuæ stante apostolico reseratæ et ultro apertæ sunt : Quibus introgressis ambos libros ut dimiserant sigillatos et omnino intactos inuenerunt . hoc uiso cunctis ualde obstupescentibus nimiumque congemescentibus libri ligaturas suas rumpentes sonum magnum atque teribilem audientibus uniuersis dederunt : Et sese digito dei aperientes : ita ambo aperti sunt : ut aliquis unum illorum folium non plus in unam partem quam in alteram inueniret . Itaque ingens gaudium omnes obortis lachrymis illico inuasit . Interea libris ambobus uisis : qualiter aperti apparuerant omnes quasi una uoce clamabant dicentes : gregorianum et ambrosianum mysterium ab uniuersa ecclesia laudetur . confirmetur simulque ex toto teneatur . Dicebant enim ut hæc mysteria laudentur firmiterque ab uniuersis totius orbis ecclesiis teneantur dei omnipotentis et beati Petri apostoli cernitur esse uoluntas . At quibusdam hoc uerbum laudabile uidebatur . quibusdam difficile atque durissimum : tandem summi pontificis : aliorumque sapientium uirorum sententia collaudatum est : ut sedes ambrosiana imperio mysterio ordinata : et a beato Ambrosio exaltata suo tantum permaneat contenta . Necnon cætera pars orbis quæ linguæ latinæ uerbis consonare uidetur omnibus aliis prætermissis gregorianum studiose tenere studeat . His omnibus ita factis beatus Eugenius magno gau | dio quasi ad proprios filios tendens Mediolanum peruenit : de qua urbe paucis antea transactis diebus Imperator iussu concilii quo Romæ interfuit omne mysterium ambrosianum de superficie terræ omnino delere desyderans : trucidatis multis clericis maiorum et minorum ordinum : libros omnes ambrosianos tam in sententiis noui et ueteris testamenti quam in musica arte secundum Ambrosium descriptos abraserat . Nihil enim præter missale remansit : quod quidam bonus sacerdos et fidelis absconsum in cauernis montium per sex hebdomadas fideliter reseruauit . Manuale autem postea sub beato Eugenio sapientes tam sacerdotum quam clericorum : qui multa memoriter retinebant : conuenientes in unum : deo opitulante ut antea integre inuenientes in posterum tradiderunt . Per idem tempus beatus Eugenius cum ab urbe Mediolano : iam Carolo ambrosianæ ecclesiæ contrario : deuastatisque atque combustis multis libris : paululum discessisset : conuocans dispersos et laceratos clericos : et præter modum tristes ac miseros uidens : quantum ualuit eos consolatus est : Qui cuncta ut per omnia de mysterio Ambrosiano Romæ apud summum pontificem multis episcopis astantibus gesta fuissent : se per plurimum operante : et deo beati Ambrosii orationibus fauente fideliter aperuit . His omnibus auditis quasi pater unico filio mortuo et postea dei clæmentia resuscitato lætati et secundum tristiciam qua erant gauisi sunt . Tandem Eugenius cum abundanter illos in dei honorem beatique Ambrosii ministerium fuisset hortatus : ab urbeque per quindecim fere dies moratus discedere uoluisset : clerici et maiores quamuis pauci qui apud Mediolanum lacte Ambrosiano per ipsius Eugenii doctrinam nutriebantur : Eugenium orarunt : ut si dignitati suæ ac bonitati placeret : cum illis adhuc maneret : quod ubi ille audiuit ineffabiliter beatum Ambrosium et eius ordinem cantusque diligens ita respondit : Noscat caritas uestra fratres carissimi ob amorem et reuerentiam beati et gloriosi confessoris Ambrosii : ad cuius honorem iam aliquantulum desudaui : uestramque fraternitatem : me non tantum in hac eccle || sia uobiscum manere : sed in carcerem et in mortem uobiscum si opus : aut temporis oportunitas exposceret animo cupienti properare . uiuens postea beatus Eugenius adhuc paucos dies : omnes uita moribus bonisque exemplis imbuebat . Demum plenus scientia pietate et castitate cunctisque uirtutibus moriens naturæ concessit . Multis autem temporibus transactis cum beati Eugenii episcopi memoria suique nominis atque sepulturæ a cordibus uniuersæ gentis urbis huius accolæ ellapsa esset : placuit deo qui cuncta abscondita suis fidelibus reuelat : et suos fideles ac milites ad honorem sui nominis usque hodie pandit : per quandam matronam multis paralyxi dissolutam diebus : nomen episcopi et sepulturæ locum signis euidentissimis reserare . Enim uero cum in lecto more solito infirma opibus attenuata : quas ut ab ægritudine qua tenebatur liberaretur : per diuersos expenderat medicos : quiesceret animo extuanti quomodo cuncta bona sua quasi inconsulte perdidisset cogitans : illico omnem salutis suæ spem in deo ultra : ut sua bona esset uoluntas : infixit : quæ cum multa animi uoluntate circa ecclesiastica diuersa officia ad dei honorem cogitare iterum iterumque cœpisset : dei subito uoluntate uir reuerentia dignus

uultu et habitu uenerandus : capillisque canescentibus uirgam in manu tenens pastoralem atque episcopalibus indumentis uestitus ei apparuit : Salue inquit mater . orationes tuæ et eleimosyne tuæ lachrymeque tuæ patientia tua ante deum repræsentatæ et ab eo exauditæ sunt . Surge mane tu et uir tuus cum duobus terræ fossoribus : et perge apud beatum Eustorgium : ubi eius corpus quiescit non longe a fonte : in quo baptizati sunt martyres Protasius et Geruasius atque Secundus dei athletæ . Ibi inuenies locum aliquantulum humidiorem : quo effosso corpus meum inuenies : quod inde leuatum in ecclesiam beati confessoris Eustorgii collocari facias . hoc audito : mulier : ut erat sanitatis auida : auxilio corporis anxia nobilique prosapia orta : cupiens pedes sancti illius deosculari : lachrymis effusis orare fortiter cœpit : ut saltem uel suum nomen sibi notum faceret : Cui beatus Eugenius | respondit : Meum nomen meumque corpus si curiose quæcumque dixi egeris : in sarcophago proculdubio reperies : atque ita dicens recessit . Mulier porro uirum suum excitans : cuncta quæ ipsa uiderat et audierat : omnia ei per ordinem narrare curauit : asserens per semetipsam sanitate redintegrata et locum in quo sanctus quiesceret scire : et cuncta facturam ire . Tandem maritus quasi incredulus letus tamen quod coniunx affirmauerat summo diei crepusculo acceptis fossoribus in omnibus a coniuge ammonitus uelociter ad locum perrexit . Interea mulier quam ut antea infirmam atque ægram domi dimittere consueuerat : sciensque per omnia illam nec se mouere posse : fossoribus et ipso de loco titubantibus sana et incolumis in medium eorum cursu ueloci aduenit : quibus ualde mirantibus de salute pristina illi a deo collata affuit fossorio terram scindens : et illis quodammodo iniuria afficiens uiris tamen relligiosis quos ipsa aduocauerat astantibus psalmosque studiose canentibus ad corpus deo annuente peruentum est : Quo introspicientes iuxta caput ut sanctus retulerat laminam plumbeam in qua nomen eius corpus ac uestes et mortis tempus ut in die quo missæ sunt in monumentum et mortis tempus inuenerunt . Demum in lectica eum boni uiri imponentes : iuxta arcam beati Eustorgii a latere dextro multis cum aromatibus : orationibus : uigiliis : hymnis : solemniis : magnisque eleimosynis honoratum in pretiosa arca marmorea mirifice condiderunt . quo facto mulier quæ deo annuente et beati Eugenii meritis et orationibus saluti pristinæ reddita est : adhuc in tanti uiri exaltationem anhelans ad eius honorem decentissimam ut uulgo aiunt capellam facere constituit . Propterea consilio cum uiro suo inito aliquantulum illo quippe qui uini parum aut furmenti† ad tantum opus sibi cognosceret contradicente : tandem eius spe deo fixa murorum conuocatis magistris et iis quorum seruitio indigebat opus diligenter aggressa est . Factum est ut bonitate diuina opus summa cum diligentia perfectum sit . omnia namque eius tam frumenti quam uini uasa sicuti cum id operis cœptum est : sic omnibus apprime operariis refocilatis cum tota || domo sua et familia multisque pauperibus recreatis quasi intacta :† fuissent inuenta sunt . Quo peracto matrona nobilis parum quod egerat extimans : qualiter in perpetuo festum beati Eugenii hymnis et orationibus crebrisque uisitationibus cleri et populi honoraretur : longe cœpit cogitare . Interea uir eius cognita eiusdem uoluntate quam ei antea intimauerat : sciensque illam in dei admodum affectam seruitio : in omnibus ut uoluit facultatem ei fideliter tribuit . proinde illa conuocatis sacerdotibus humanarumque legum iudicibus prædia e quibus beati Eugenii festum honorifice annuatim cum omnibus ordinibus celebraretur : constituit : unde usque in præsentem diem deo annuente et beato Eugenio pro ea atque uniuersis Christo deuotis interpellante summa cum deuotione celebratur : Regnante domino nostro Iesu Christo : cui est honor et gloria in sæcula sæculorum Amen .

PASSIO SANCTI EVSTACHII ET FILIORVM EIVS .

In diebus Traiani imperatoris dæmonum præuallente fallacia : erat magister militum nomine Placidus genere secundum carnem insignis : operibus pollens sed dæmonum seruitio captus : operibus uero et iustitia cunctis uirtutum erat præditus meritis . Subueniebat oppressis . patrocinabatur grauatis in iudicio . Plures etiam a iudicibus iniuste damnatos releuabat . Nudos uestiebat . et ut uere dicam cunctis

indigentibus in uita dispensans : sicut in actibus apostolorum legitur : ut etiam in his temporibus† Cornelius uideretur . habebat uero et coniugem eadem sub dæmonum cultura existentem : sed similem moribus mariti sententiæ . procreantur ei filii duo : quos educabat pares propria uoluntate . Erat uero nobilis in iustitia et potens in bello : ut et ipsi barbari subiugarentur ab eo . Erat etiam uenatione industrius . at benignus deus : qui semper et ubique ad se sibi dignos uocat : bona non despexit huius opera : nec uoluit benignam et deo dignam mentem sine mercede deseri idolatriæ contectam tenebris : se† | secundum quod scriptum est : quod in omni gente quæ operatur iustitiam acceptus est ei . Peruenit ad istum benigna misericordia et eum saluari uult hoc modo : Exeunti una die consueto more ad montes uenari cum omni exercitu et gloria : apparuit grex ceruorum depascens : Et disponens solito more exercitum : eos conatur insequi . militibus uero circa captionem ceruorum occupatis : apparuit unus ceruorum uastus ultra mensuram et totius gregis speciosissimus : qui resistens a grege impetum in spissiorem fecit syluam : quem uidens Placidus et desyderans eum capere : relinquensque omnes cum paucis militibus eum insequitur . Omnibus uero lassatis qui cum illo fuerunt : solus perseuerauit ad insequendum . Prouidentia uero dei nec equo lassante nec ipso propter difficultatem† loci desistente sed diu insequente longius remotus est a suo exercitu . Ceruus autem ille rupis occupat altitudinem : stetitque desuper . Propius uero magister militum ueniens sine comite stetit circumspiciens undique : et consyderans : quemadmodum posset capere ceruum . Sed totius sapientiæ et misericordiæ deus : qui cunctis uias ad salutem hominum prouidet uenantem uenatus est : non sicut Cornelium per Petrum sed sicut Paulum insequentem per suam ostensionem . Diu uero stante Placido et aspiciente ceruum : admiranteque eo uastitatem eius et deficiente circa captionem : demonstrat illi deus iudicium tale non temere neque supra suæ uirtutis magnitudinem : sed sicut sub Balaham tribuens uerbum asinæ arguit eius insipientiam : sic et huic demonstrauit inter cornua cerui formam sacræ crucis supra claritatem solis splendentem : et in medio cornuum imaginem domini nostri saluatoris Iesu Christi : qui etiam humanam uocem imponens ceruo : aduocat Placidum dicens ei : O Placide quid me insequeris ? Ecce tui gratia ueni : in animali isto ut appaream tibi . Ego sum Christus : quem ignorans colis : Eleimosynæ quas facis indigentibus coram me steterunt : Et ueni me ostendere tibi per istum ceruum : et pro illo te uenari et capere rætibus misericordiæ meæ . Non enim iustum est dilectum meum propter bona opera || seruire dæmoniis immundis et simulacris uita carentibus et uacuis et insensatis . Ob hoc ergo ueni in terram in hac specie sicut nunc me uides saluare genus humanum . hæc audiens magister militum timore repletus est maximo : et cecidit de equo in terram . Hora uero transacta ad se rediit : et surrexit : Et cautius uolens uidere : quod apparuerat ei spectaculum ait intra se : Quæ ista uisio : quæ apparuit mihi ? Reuella mihi : quid loqueris : et sic credam in te . Et dixit ad eum dominus : Intende Placidæ . Ego sum Iesus Christus : qui cælum et terram ex nihilo feci : qui indiscretam materiam distinxi : qui lucem oriri feci : et tenebras diuisi : Ego sum qui tempora et dies et annos constitui . Ego sum : qui hominem formaui de limo terræ : qui propter salutem generis humani in terris apparni† in carne : qui crucifixus sepultus et tertia die resurrexi . Hæc audiens magister militum concidit iterum in terram dicens : Credo domine : quia tu es : qui fecisti omnia : qui conuertis errantes : et uiuificas mortuos . Dicit ad eum dominus : Si credis perge ad ciuitatem : et audi pontificem christianorum : et quære ab ipso baptismum gratiæ . Respondens Placidus : domine inquit si iubes me renunciem ista coniugi meæ et filiis meis : ut et ipsi credant in te . Dixit ad eum dominus : Renuncia illis : et accipientes signum baptismi mundamini a pollutione idolorum : et ueni huc : et rursus tibi apparebo : et demonstrabo tibi futura : et patefaciam tibi salutaris uitæ mysteria . Descendens ergo de monte nocte facta cœpit exponere coniugi suæ omnia : quæ uidit . Postquam uero compleuit omnia : exponens uisionem et quæ ei dicta sunt : exclamauit uxor eius dicens : Ille enim solus est uerus deus : qui per talia signa uocat ad se credentes . Tunc dicit uiro suo : Transacta nocte et ego uidi eum dicentem mihi : Crastina die tu et uir tuus et filii tui nenietis† ad me . Et nunc cognoui : quoniam ipse est Iesus Christus . Voluit ergo sub tali figura mirandi spectaculi per ceruum tibi apparere ut eius mirari possis potentiam credens in eum . Veni ergo hac nocte : et eamus : et impetremus

sanctum baptismum christia | norum . Per hoc enim eius proprii fiunt qui in illum credunt . Dicit ad illum† Placidus : hoc et mihi dixit ille : qui uisus est mihi . medio uero noctis scientibus famulis eius abierunt ad sacerdotem Christianorum : et nunciauerunt ei omnia : quæ facta fuerant uel dicta ad eos : et confestim credere se in dominum Iesum Christum dicentes : supplicauerunt ad eum : ut daret eis signaculum baptismatis : qui alacri gaudio repletus et glorificans dominum deum : qui uult omnes saluos fieri : et ad eos† cognitionem ueritatis uenire accipiens catetizauit eos : et exponens eis mysterium fidei babtizauit† eos in nomine sanctæ trinitatis : et Placidum quidem uocauit Eustachium : uxorem uero eius theopistin et filios eiusc† primogenitum uocauit Agapetum : alterum uero theopistum : et contulit sanctum sacramentum domini nostri Iesu Christi : et dimisit eos dicens : Dominus et Iesus Christus filius dei sit uobiscum : et donet uobis æterna regna . Cognoui nanque quod manus domini uobiscum sit . Vos autem confruimini paradisum . mementote animæ mei Iohannis postulo uos . Mane uero facto accipiens Eustachius paucos milites secum perrexit ad montem : et prope locum ueniens ubi uiderat uisionem : misit milites suos quasi sub obtentu inuestigandæ uenationis : et solus remanens propinquauit loco : et uidit formam sibi ostensæ uisionis propriæ : cadensque in faciem clamauit dicens . Supplico te domine . cognoui : quia tu es Iesus Christus filius dei uiui . Et credo in patrem et filium et spiritumsanctum : et nunc ueni supplicans intemeratam tuam diuinitatem : ut manifestes : quæ promiseras mihi . et dicit ad eum dominus : beatus es : quia accepisti lauacrum gratiæ meæ : et quia induisti te immortalitatem . modo superasti diabolum . modo conculcasti eum qui te deceperat . modo spoliasti te corruptibilem hominem : et indutus es incorruptibilem permanentem in sæcula sæculorum . modo fidei tuæ demonstrabitur opera : quoniam inuidia commouebitur contra te diaboli : eo quod illum reliquisti : et festinat omnem adinuentionem contra te mouere . oportet enim te multa sustinere ut accipias coronam uictoriæ ecce enim exaltatus es || usque modo negotiis huius sæculi et temporalibus opibns† . oportet ergo te humiliari de alta tua uanitate : et rursus exaltari in spiritualibus diuitiis . Non ergo tua uirtus deficiat : nec respicias ad gloriam : quæ tibi fuerat prius : Sed quemadmodum repugnans hominibus cupiebas uictor ostendi mortali imperatori festinans placere : sic te contra diabolum strenue agere festinans mihi immortali Imperatori fidem seruare oportet : et in his temporibus alterum Iob demonstrari per temptationem : et uictorem diaboli ostendi per tollerantiam . Vide ergo : ne forte in corde tuo cogitatio blasphemiæ ascendat . Cum enim humiliatus fueris : ueniam ad te : et rursus restituam te in propria gloria . Et postquam hæc dixit : ascendit in cælos dicens Eustachio : modo uis accipere imminentem tibi temptationem an in extremis diebus ? Dicit Eustachius : supplico domine Iesu : si non possibile est euitare : quæ a te nobis sunt decreta : modo nos magis accipere temptationem iube : sed da nobis uirtutem sustinere : quæ promissa sunt : ne aliquod malignum uerbum adinueniens aduersarius commoueat sensum nostrum de tua fide concertantem : et facta est uox ad eum dicens : Noli metuere Eustachi : gratia enim mea uobiscum est custodiens animas uestras . Descendens uero de monte et ingressus domum renunciauit uxori suæ omnia : quæ ei fuerant dicta a domino : Et simul flectentes genua supplicabant dominum dicentes : Domine Iesu Christe fiat uoluntas tua . Paucis uero diebus transactis contigit ægritudine pestifera affligi domum eius . et mori omnes seruos eius et ancillas . Hoc facto sentiens Eustachius prædictam sibi temptationem fuisse : eam gratifice suscipiens poscebat uxorem suam : ut non deficeret tribulans . post aliquod uero tempus occupauit equos eius et alia peccora aer quidem mortiferus et mortua sunt omnia quæ fuerant illi : excipiensque temptationem hanc discessit occulte de domo una cum uxore et filiis . Videntes autem quidam de malignis deprædationem eorum aggressi per noctem dirripuerunt omnia : quæ possidebant aurum et argentum et uestem ita : ut nihil relinqueretur de substan | tia eorum præter quæ amicti fuerant . Cum essent ergo in eiusmodi tristicia : reliqua eorum possessio et substantia ad nihilum peruenit per fraudes inimici . Illis diebus omni populo celebrante festiuitatem cum Imperatore pro uictoria : quæ in Persas facta fuerat : oportebat etiam et Placidum festiuitatem suam facere in præsentia : quippe qui fuisset magister militum et princeps senatus : et quærebatur : et inueniri non poterat . Dubitantibus ergo cunctis : quod sic uno momento nullum de suis reliquisset : nec ipsum posse reperiri : mærore perculsus

est cum omni senatu Imperator : et omnes stupebant de iis : quæ acciderant ei . Tunc dicit ei uxor : Quo usque expectamus hic . Veni accipiamus duos infantes nostros . Ipsi enim tantum relicti sunt nobis : et recedamus hinc . In obprobium enim facti sumus omnibus cognoscentibus nos : Et nocte superueniente accipientes duos infantes pergebant ad ægyptum . Postquam uero duorum dierum fecerunt iter appropinquantes mari inuenientesque nauem applicatam uolebaut† ingredi et nauigare . Contigit autem : ut dominus nauis illius barbarus esset et immitis . Ingressi ergo cum eo nauigabant : et uidens dominus nauis uxorem Eustachii decoram facie esse : ualde concupiuit eam : Et cum transfretassent mare : exigebat ab eis nabulum . Non habentibus illis unde redderent : retinuit uxorem eius quasi pro nabulo : uolens illam habere secum Vt autem uidit Eustachius : nolebat eam dare . Diu uero contradicente eo et supplicante innuit dominus nauis nautis suis : ut in medium mare illum proiicerent . At ubi sensit Eustachius insidias eorum reliquit uxorem suam : Et accipiens duos infantes suos ibat ingemiscens et dicens : Væ mihi et uobis : quia mater uestra tradita est alienigenæ marito . Pergens uero cum gemitu et lachrymis peruenit ad quendam fluuium : Et propter abundantiam aquarum non est ausus ingredi cum duobus filiis in aquam . Portans uero eorum unum super humeros suos reliquit alterum circa ripam : et transposuit infantem quem portauerat super terram : et ibat ut portaret alterum . Cum autem uenisset : fluuius dilatatus erat . Intendens uidit : et ccce† leo || rapuit filium eius : et abiit in syluas . desperans itaque de illo reuersus est in patientia spem habens alterius : Et cum abiret : uidit : et ecce similiter lupus rapuit alium filium eius : et abiit : et non potuit eum insequi : Cumque esset in medio fluminis cœpit euellere capillos capitis sui plangens et hululans : uoluitque se proiicere in aquam . Sed iterum constantem eum reddidit prouidentia dei : Leo uero rapiens puerum conseruauit illæsum per prouidentiam dei . Videntes autem pastores puerum portari a leone uiuum insecuti sunt eum cum canibs† . Per dispensationem uero dei rugiens leo proiecit infantem incolumem : et recessit . Alterum uero infantem qui raptus fuerat a lupo uidentes quidam aratores insequentes lupum liberauerunt puerum illæsum . utrique ergo siue pastores siue aratores de uno fuerunt :† uico accipientes pueros educauerunt apud se . Hæc uero Eustachius nesciebat : sed pergebat plangens pariter et hæc dicens : Heu mihi quondam pollenti ut arbor : modo uero nudatus sum . Heu me : qui in abundantia nimia fueram : modo captiuitatis more desolatus sum . Heu me : qui magister militum et multitudine exercituum circundatus fueram : modo solus relictus sum : nec filios concessos habere uisus sum . Sed tu domine nec in finem derelinquas me : nec despicias lachrymas meas . memini domine dicentem te : quod oportet te temptari sicut Iob . Sed ecce plus aliquid in me fieri uideo . Ille enim et si possessionibus caruerat : sed stercus habuit : super quod sedere concessum est illi . Ego uero peregre eadem patior tormenta . Ille amicos habuit conpatientes ei . Ego uero in deserto immites feras habeo in consolationem : quia filios meos rapuerunt . Ille et si ramis caruit : radicem tamen uxoris respiciens secum consolabatur . Ego uero infelix undique sine radice factus sum . Non scintillam facis generis mei respiciens : sed sum similis ramis in deserto : qui undique procellis conquassantur . Non execreris domine serui tui multa colloquia . Doleo enim : dum dico : quæ non oportet . Pone domine custodiam ori meo : et non declines cor meum in uerba mala et eiiciar a facie tua . Da uero iam domine requiem de multis tribulationibus | meis : Et hæc dicens cum lachrymis et gemitu animi abiit ad quendam uicum : qui dicebatur Dadissus : Et ingrediens in eum operabatur : et adquirebat uictum . Commorans uero per multum temporis postulauit eiusdem uici habitatores : et posuerunt eum custodire agros suos : et mercedem accipiens degebat ibi annis quindecim . Filii autem eius educati sunt : ut supradiximus : in altero uico non cognoscentes alterutrum : quod essent fratres . Dominus uero nauis ille alienigena Eustachii uxorem ad suam perduxit patriam . Domini uero gratia obumbrauit mulierem ut non se commisceret alienigenæ in omni illo tempore . Hoc enim postulabat a deo : ut custodiretur ab alienigenæ communione : Contigit uero illum alienigenam mori : et ipsa suæ fuit potestatis . Post hos autem dies factus est incursus hostium in terram illam : ubi Eustachii uxor erat : qui exeuntes plurimas romanorum terras inuaserunt . Nimio ergo tumultu consistebat Imperator de hostium inuasione : Et commemoratus est Placidus eo : quod strenue contra ipsos hostes

egisset . tristabaturque de subita mutatione . Colligens autem exercitum et inspiciens omnes milites Placidi : exquirebat si qui cognouissent eum uiuere an mortem obiisse : mandabatque unicuique militum : ut eum inquirerent : dicebatque : Si quis eum inuenerit : et indicauerit mihi : ampliores addam ei honores : et emolumentorum augebo solatia . Duo uero milites nomine Antiochus et Achacius Placidum quærentes uenerunt in uicum : ubi degebat Eustachius . Ille uero a longe consyderans ex consuetudine recognouit eos . Et ueniens in memoriam prioris conuersationis cœpit perturbari et orans dicere : Domine deus noster qui de omni tribulatione eruis sperantes in te : quemadmodum istos præter spem uidi : qui aliquando mecum fuerunt : Iube : ut uideam ancillam tuam coniugem meam : Nam infantes mei scio propter meam prauitatem a feris comesti sunt . Da ergo domine : ut uel in die resurrectionis uideam filios meos : Et hæc eo dicente audiuit uocem de cælo dicentem : Confide Eustachi : hoc enim tempore remeabis ad tuum priorem statum : et accipies uxorem tuam et filios . In resur || rectione uero maiora horum uidebis : et æternorum bonorum delectatione reperies : et nomen tuum magnificabitur in generationem . Hæc audiens Eustachius terrore percussus sedebat . Videns uero milites uenientes abiit contra ipsos . Venientibus uero illis propius amplius eos cognouit . Illi autem eum non cognouerunt : Qui dixerunt ad eum : Aue frater . At ille ait : Pax uobiscum fratres . At illi rursus dicunt ei : Dic nobis : si nosti hic peregrinum aliquem nomine Placidum cum uxore sua duobusque filiis : et si demonstraueris nobis eum : dabimus tibi peccunias : quibus ille dixit : Qua propter eum quæritis ? dixerunt ei : Amicus noster fuerat : et uolumus eum uidere post multos annos . Dicit ad eos Eustachius : Talem hic uirum non cognoui . nam et ego peregrinus sum . Et assumens eos duxit in hospitium suum : et abiit emere uinum : ut propter æstum eos potaret . Et dixit ad dominnm† domus : in qua hospitabatur : Noti mihi sunt isti homines : et propter hoc huc uenerunt . Præbe mihi cibos et uinum : ut fruantur : et reddam ea tibi in tempore de mercede mea . Ille uero alacriter præbuit ei : quæ fuerant necessaria . Reficiens autem eos Eustachius : non poterat sustinere dum priorem uitam suam recoleret : perfundebatur lachrymis . Plorabat autem foras egrediens : et lauans faciem suam rursus ingrediebatur : et ministrabat eis . Illi uero consyderantes eum cœperunt paulatim ad agnitionem uisionis eius uenire : et ad alterutrum dicebant : Quomodo similis est iste homo illi : quem quærimus . Vnus autem ait socio suo ualde similis est illi . Scio autem ego illum cicatricem sua ex ictu belli habere . Consyderemus ergo : si habet signum in ceruice et ipse est : qui quæritur a nobis . Consyderantes uero cautius cicatricem annotauerunt in eius ceruice : et confestim exilientes osculabantur eum : et cum lachrymis interrogabant : si ipse esset : qui aliquando magister militum eorum fuerat . Ille uero profusis lachrymis dicebat : Non sum ego . demonstrantes uero illi signum in eius ceruicem : et iurantes quod ipse esset magister militum Placidus de eius uxore filiisque | interrogabant et alia plura commemorabant ei . Tunc confessus est : quod esset . de uxore uero et filiis quod mortui essent . Et dum hæc dicuntur qui astabant quasi ad signum et spectaculum ueniebant . Tunc ergo milites exponebant eis de uirture† uiri et priore eius gloria : Audiebant autem et flæbant dicentes : Quanta exultatio uiri nobis sub mercede seruiuit . Tunc milites insinuauerunt ei præceptum Imperatoris : et induentes illum uestibus optimis cum eo pergebant in uiam suam . Omnes uero de uico producebant eum . Ille uero osculans dimisit illos . Ambulantibus uero eis exposuit quomodo denominatus est Eustachius : et quæ contigerunt ei omnia : Transacto uero quindecim dierum itinere uenerunt ad Imperatorem : Et ingressi milites nunciauerunt ei : quemadmodum inuenerunt Placidum . Et egressus Imperator in eius occursum osculatus est eum : causam interrogans eius discessionis : qui singillatim et Imperatori et cuncto senatui rem significauit . et de uxore sua quomodo in mare relicta esset et quo pacto filii sui a feris capti sunt . Facta uero est magna lætitia ob eius inuentionem . Petierunt uero eum et cingitur : ut pridem fuerat : magister militum . Qui discutiens milites : et cognoscens non sufficere ad compescendum hostium incursus : iussit tirones colligi per omnes ciuitates et uicos . Contigit autem in terra illa in qua educati sunt filii eius describi : ut darent duos tirones . Cuncti uero eiusdem uici cultores duos illos iuuenes ut peregrinos decernentes tradunt . Erant autem grandi statu et decora facie ualde . Congregatis uero cnnctis† tironibus et adductis coram magistro militum omnes consy-

derans taxauit in numeros : Videns autem illos duos adolescentes : quod essent super omnes decora specie et statu constituit eos primos in m nisterio† suo . Et uidens in eos generosita em† morum naturalem : affectu impulsus et amore eorum iussit inter conuiuas eos annumerari . Et post dispositam militiam : ut solitum est : profectus est ad bellum . Et terram quidem quam abstulerant barbari liberauit . Ipsis uero subiectis transiit fluuium : qui dicitur Hidaspes : Et ulterius procedens ad interiorem || terram barbarorum eorum terram depopulatus est . Adhuc autem interius desyderans ingredi prouidentia dei uocante uenit : ubi erat uxor sua : Quæ ut prædictum est : custodita fuerat ab alienigenæ pollutione . Discesserat enim sola : et commanebat in hortulo cuiusdam : feceratque sibi tabernaculum . Perueniens igitur in uicum illum expectat ibi tribus diebus exercitum quiescere uolens . Opportuna enim erat possessio ad omnem delectationem . Contigit autem : ut tentoria eius figerentur prope hortum quem custodiebat mulier . Illi ergo duo adolescentes hospitabantur in matris suæ tabernaculo : nescientes genitricem eorum esse . Et facto meridie sedentes exponebant sibi inuicem de infantia sua . habebant in memoria : quæ eis contigerant . Mater uero eorum sedens contra intentius audiebat : quæ illi exponebant . Dicebat ergo frater maior minori : Ego dum infans essem nihil aliud in memoria habeo nisi hoc : quia pater meus magister militum fuerat : mater uero speciosa facie ualde : Duos filios habebant me et alterum minorem : speciosus et ipse nimis . Accipientes uero nos egressi sunt de domo noctu : et ingressi sunt in nauem nobiscum nescio quo ire uolentes . Cum autem egrederemur de naui mater nostra nobiscum non erat nescio quemadmodum in mari relicta est . Pater noster uero portans nos duos et flæns pergebat . Perueniens autem ad quendam fluuium transmeauit cum fratre meo iuniore : me supra fluminis ripam relicto . Cum reuerteretur : ut me acciperet : Lupus ueniens rapuit fratrem minorem : Et antequam mihi appropinquaret : subito de sylua exiliens leo me rapuit et in syluam uexit . Pastores uero eruerunt me de ore leonis : et nutritus sum in possessione : in qua et ipse scis . Et quid patri meo aut fratri contigerit incompertum mihi est . Hæc audiens iunior exiliens cœpit flære : et dicere : per deum christianorum : ut audio : frater tuus sum ego : Quoniam et qui me educauerunt : hoc dicebant : quoniam de lupo te eruimus : Et amplexi osculabantur se inuicem . Audiens uero hæc mater eorum : et consyderans : quæ exposuerunt usque ad nauigium perturbatur in uisceribus suis : Amplius etiam | uidens adolescentes amplectentes se inuicem et osculantes et flæntes : Et dum consyderaret forte : quod ipsi essent filii sui propterea : quod patrem magistrum militum fuisse dixerunt : et quia in mari mater relicta est : Altera die interpellauit magistrum militum dicens : precor te domine ego de terra romanorum sum : et captiua adducta huc : perduc me ad patriam meam : Et hæ† dicens et consyderans uidit signa quæ in marito suo erant : Et cognoscens formidabat eum . Cum uero diu se continere non posset : procidens ante eum dicebat : Præcor te domine ne indigneris contra ancillam tuam : sed propicius audi me : et expone mihi priorem uitam tuam . Ego enim puto te esse magistrum militum Placidum : qui cognominatus est Eustachius : quem etiam dignatus est saluator ipse per ceruum ad se uocare : ut crederet in eum : Et incidens in temptationibus accipiensque uxorem suam : quæ sum ego et duos filios Agapetum et Theopistum perrexit ad ægyptum . Cumque nauigaremus perdidit me : propter quod dominus nauis barbarus esset : qui me tenuit in ista patria : Et testis est mihi Christus : quia nec ille me polluit nec alter : sed usque hodie seruauit dominus castitatem meam . Et ecce ego dixi tibi gna† : et tu cognoscens indica mihi per uirtutem Christi saluatoris . Audiens hæc Eustachius et ipse similiter consyderans speciem eius recognouit eam : et statim præ læticia lachrymas effundens osculabatur eam : et dabant gloriam saluatori Christo : qui in omni parte prodest suis seruis : et reuocat : et consolatur de multis tribulationibus . Tunc dicit uxor : Domine ubi sunt filii nostri : qui dixit : a feris capti sunt : Et exposuit quemadmodum perdidit eos : Et illa ad eum : Gratias agamus Christo : puto enim quemadmodum nobis deus donauit : ut inueniremus nos inuicem : donabit etiam recognoscere filios nostros . Dicit ad eam Eustachius : dixi tibi quia a feris capti suut† . Dicit ad eum uxor eius : Hexterna die sedens in horto audiui duos iuuenes inuicem loquentes de infantia sua : et scio quoniam filii nostri sunt : sed nec ipsi inuicem sciebant : quia fratres sunt nisi per expositionem maioris fratris . Nunc ergo cognosce : quanta sit pietas Christi : || qui utrisque donauit agnitionem . Disce igitur

ab eis : et dicent tibi . Conuocans igitur magister militum adolescentes sciscitatus est ab eis : qui essent . Tunc exposuerunt ei omnia quæ facta fuissent : sicut exposuimus : Et recognouit eos quia ipsi essent filii sui : Et amplexatus et osculatus est eos Eustachius . Similiter et mater amplexata est et osculata . Et incuruantes se super filiorum colla cum flætibus gratias agebant Christo ab hora secundâ usque ad sextam propter inuentionem eorum . Discurrit igitur fama hæc per omnem exercitum : et omnes congregati mirabantur : et exultabant in eorum inuentione Amplius etiam propter barbarorum expugnationem . Altera uero die maximam celebritatem facientes gratias deo egerunt propter magnam eius pietatem . Postquam uero subiecerunt uniuersam terram romanorum imperio reuersi sunt cum uictoria magna spolia multa portantes et captiuos plurimos ducentes : Contigit igitur antequam reuerteretur Eustachius de bello obisse Traianum Imperatorem : et surgere alterum pro eo Imperatorem nomine Adrianum gentilem et ipsum peiorem in impietatibus . Reuerso ergo Eustachio de bello occurrit ei Imperator : ut mox† est romanis : et pro uictoria festiuitatem celebrauit . Interrogansque quomodo in prælio uiriliter gesserit : et de agnitione uxoris et filiorum eius prolyxius ostendit conuiuium . Altera die perrexit in templum idolorum pro uictoria sacrificium idolorum oblaturus . Intrante uero Imperatore in templum Apollinis non cum eo ingressus est Eustachius : et retrocedens foris stetit . Imperator uero conuocans eum interrogabat : quare non sacrificauerit diis propter uictoriam : et uictimas obtulerit eis : maxime propter inuentionem filiorum : Qui dixit ad Imperatorem : Ego supplico Christo domino meo : et offero incessanter ei preces : qui miseratus est humilitatem meam : et reuocauit me de captiuitate : et restituit mihi uxorem et filios . Alium uero deum neque scio : neque collo nisi deum cælestem : qui fecit mirabilia . Tunc Imperator ira repletus iussit ei solui cingulum : et uelut transgressorem astare pariter cum uxore et filiis : et sic faciebat contra eum quæstionem . | Consyderans igitur Imperator immutabilem eius in Christo fidem : iussit cum uxore et filiis introduci in harenam : et dimitti eis leonem . Accurrens uero leo : et stans prope beatos submittens caput : et quasi adorans recessit : et cœpit egredi de harena . Tunc ergo Imperator uidens mirabile spectaculum quod non tetigisset eos fera : præcepit incendi bouem æneum : conuenit uero uniuersa plebs fidelium et paganorum expectare sanctos : quomodo introducebantur in æneum bouem . Introducti uero in machinam supplicauerunt carnificibus : ut darent eis orandi spaciuṁ : et extendentes manus suas orauerunt dicentes : Domine deus uirtutum qui omnibus inuisibilis nobis uero uisus esse uoluisti : exaudi nos precantes te . Ecce enim uotum nostrum quod peractum est : quia recipientes nos inuicem admeruimus sortem sanctorum recipere : sicut tres pueri : qui per ignem probati sunt : non te denegauerunt : sic et nos quoque finire iube per ignem istum . Da uero domine requiebus nostris gratiam : ut omnis qui memor nostri fuerit : partem nostri habeat in regno cælorum : et super terram abundantiam : Vel si in mare aut in fluuio periclitatus fuerit : et inuocauerit te per nomen nostrum : liberetur de periculo : et si in peccata inciderit : per humilitatem nostram supplicantibus ueniam præsta : et subueni . Da uero domine et cominationem ignis in errorem transferri : et in hoc finire nos iube : et complace in corporibus nostris ut non separentur : sed hic simul repponi ea iube . Et hæc illis dicentibus uox ad eos uenit de cælo dicens : Ita erit uobis : sicut supplicastis : et amplius ab his fiet : quia certatores per bonam uitam facti estis plures et magnas sustinentes temptationes : et non uicti estis . Venite in pace recepturi coronas uictoriæ : Et pro temporalibus malis in sæcula sæculorum fruimini præparatis bonis . æhc† audientes beatissimi alacriter semetipsos tradiderunt igni : Et statim comminatio ignis compressa est . et glorificantes intemeratam et laudabilem trinitatem : et cantantes hymnum reddiderunt cum pace animas suas . Et non tetigit eos ignis : neque capillus capitis eorum sensit ignis ardorem . Post tres autem dies aduenit || impiissimus Imperator in locum : et præcepit aperiri æneam machinam : ut uideret : quid factum esset de reliquiis sanctorum . uidentesque corpora eorum putauerunt eos adhuc uiuere : Et eiicientes posuerunt eos super terram . Admiratio autem cunctos habuit circunstantes : quia neque ad capillum dominatus fuerat in eis ignis : sed erant corpora splenentia† super niuem . Formidans itaque Imperator abiit in palatium suum : Multitudo uero : quæ circunstabat exclamauerunt dicentes : Magnus deus christianorum . unus et solus deus uerus Iesus Christus et non est alius : quia

nec in capillis eorum dominatus est ignis . Occulte uero christiani tollentes corpora sanctorum deposuerunt in celeberrimum locum : Et postquam sedata est persecutio : ibidem oratorium construxerunt : Et deposuerunt eos celebrantes memoriam relliquiarum sanctarum calendis nouembribus . Hæc est beatorum uita et hic finis gloriosi certaminis . Omnes ergo qui merentur celebrare memoriam eorum et inuocare eos in præsidio impetrant : quæ promissa sunt sanctis per gratiam domini nostri et saluatoris Iesu Christi : cui est gloria et potestas in sæcula sæculorum Amen .

VITA BEATI EVSTORGII CONFESSORIS .

Fuit apud Constantinopolim urbem ante tempus beati Ambrosii Mediolanensis archiepiscopi uir christianissimus nomine Eustorgius natione græcus : patria uero constantinopolytanus : nobilis genere sed nobilior moribus : scientia quoque inter omnes eruditissimus : qui apud Imperatorem romanum carus siquidem et gratus adeo ducebatur : ut inter primos amicos et fideles consiliarios unus esset : quemque secretorum suorum conscium habebat . huic nimirum se et sua summa fide committebat : eiusque audito onsilio[†] plurima faciebat . Erat enim uir multæ prudentiæ : consilio prouidus : iudicio iustus : commisso fidelis : bonitate conspicuus : uultu iucundus : sermone facundus : habitu reuerendus : fidei custos et castus : et apprime morum honestate clarissimus . Factum est autem domino disponente : ut uirum | hunc Imperator in Italiam ad partes lyguriæ quæ nunc lombardia dicitur legatum transmitteret : Qui Mediolanum ipsius prouinciæ metropolim directe ueniens : a populo Mediolanensi honorifice : sicuti dignum fuit : susceptus est . Ibi uero dum commissæ sibi legationis officium clæmenter exequeretur ; post aliquandiu moratus : in tantam deuenit gratiam et fauorem cleri ac populi : quod mortuo tunc sancto dei uiro Prothasio octauo illius ciuitatis episcopo : non alium nisi ipsum eligerent : consyderantes uiri probitatem eximiam et dei gratiam : quæ mira refulgebat in eo : necnon christianissimi domini sui Imperatoris debitam reuerentiam : hunc itaque uirum præ omnibus suadente magni consilii angelo omnes uno corde et una uoce in pastorem sibi et episcopum elegerunt . Audiens hoc Eustorgius : stupefactus est uæhementer : et ultra quam crederetur admirans : concurrentibus ad eum turbis cleri et populi : sermonem habuit inter cætera dicens : Quid in hoc frustra conuenistis amici ? quid fideles uiri : quid facere uoluistis ? quid hominem popularem pro publicis imperii causis huc destinatum ad tam spirituale ministerium : ad tantæ sanctitatis officium : ad tam sacratissimæ dignitatis apicem : ad tanti honoris culmen sic inordinate et improuide elegistis ? quid denique alienum seruum et tanto domini sui negocio occupatum circa propria uestra implicare : et ad opus tam dissimile ac diuersum trahere cogitastis ? Non licet uobis : si bene nostis ad hoc manus uestras immittere : nec uos decet in tanto negocio sic errare . Non oportet in hoc improuide ambulare : nec mihi conuenit : neque uobis expedit ita esse . Reuertimini itaque in id ipsum : et electionem inuocato domini spiritu more debito facientes uirum liberum : uirum sanctum idoneum uobis et dignum eligite : qui uobis in tanto regimine digne præesse ualeat : et prodesse : ego autem superintendo legationi commissæ . Hæc autem et alia dicente Eustorgio : deuotus ille clerus et populus humiliter instare et instanter multis cum precibus et lachrymis supplicare cœperunt : ne ipsos talia dicendo confunderet : ne ut illos licet tanto pastore indignos sperneret : nec ele || ctionem inspirante domino tam unanimiter de se factam repelleret . qui potirs[†] uoluntati diuinæ et electioni sanctæ consentiens : si domino suo Imperatori non displicuerit acquiesceret . Obsecrantes ad hæc ut ad eundem super hoc consulendum redire dignaretur . assumptis sibi legatis eorum quos utique et suis maioribus[†] et honestioribus cum deuotissima supplicatione et gratiarum actione ad hoc transmittere disponebant . Vincitur tandem uir dei Eustorgius : nec iam omnino restitit uir constantissimus . uincitur autem non honoris amore uel populari fauore sed illustrante cor eius sanctospiritu et uim sibi faciente : supplicantibus aliquatenus acquiescens constantinopolim regreditur cum legatis secum de Mediolano directis . Et quamprimum Imperatori gratias agens dixit : Serenissime domine Imperator semper auguste quas possum gratias ago tibi : quod me indignum usque nunc

multipliciter honorare dignatus in Italiam ad fidelem ciuitatem tuam Mediolanum legasti . Scias omnia sicut mandasti per me fideliter explicata et tributa tua tibi ad integrum esse parata . Ad hæc non lateat maiestatem tuam ibidem me ipsius ciuitatis electum esse non meis meritis sed tui gratia et dei honore ad eius clæmentiæ decus : me utique indigne meritis precibus multisque lachrymis rogato : ut redirem : tibique notificarem : quod propter dei honorem et tuum domine : tuus beniuolus et tibi deuotus fecit populus . hiis etiam legatis mecum ad te cum supplicatione et gratiarum actione transmissus[†]. Esto igitur memor dei : et iube quid facturus sim . Auditis his clæmentissimus Imperator benedixit dominum : gauisus gaudio magno talem se misisse legatum : qui reuelante domino summo sacerdoto[†] dignus tanto populo haberetur : et uirum dei Eustorgium alloquens et confortans ait : proficiscere benedicte domini : et reuertere ad populum dei : qui te ellegit : estoque ibi uir digne præsul . dominus tecum . Respondit autem Eustorgius : Ecce ego seruus tuus . domini dei nostri uoluntas et tua fiat . Sed audi quæso christianissime domine semper auguste : Iube de dei et tuis sacris quæ uoluero mecum annuente clæmentia diuina | deferri et ad deuotam urbem Mediolanensem et eius sanctam ecclesiam sacris relliquiis honorandam transportari : populumque tibi subiectum digna mercede remuneres : Ad quem Imperator : Quæ uelis inquit sume . accipe . ferto . Esto sicut es : et si fieri potest : melior efficiaris . populum meum saluta : et ab hinc eum ab omni tributo absolue . Confortatus itaque et discedens Eustorgius præelegit arcam marmoream sanctam et sacratissimam sanctorum trium magorum et regum corpora continentem accipere : qui tria munera aurum tus et myrrham nato in terris dei filio Christo domino obtulerunt : Quæ siquidem de diuersis terrarum partibus olim a beata regina Helena genitrice Constantini Imperatoris in unum studiose colecta sunt : et in eadem arca cum deuotione recondita . Hanc autem super eleuatam diuino auxilio comitiua adiutus : tanto proficiscens itinere terra marique multisque laborans uigiliis et orationibus fide plenus ad memoratam urbem usque deduxit . Itaque in celebri loco ubi in diebus suis in honore dei et ipsorum honorabilis est fabricata ecclesia eandem arcam cum sanctorum trium regum corporibus honestissime collocauit : Vbi uidelicet est fons celeber et sanctissimus : in quo baptizabantur sancti ad Christi fidem uenientes : Cuius aqua salubris pro meritis in ea baptizatorum et magna fide credentium tantam fertur olim diuinitus accepisse uirtutem : ut nonnulli febricitantes cum ex ea biberent : a suis cito liberarentur febribus : et pristinam reciperent sanitatem . Illic uero sancta illa arca composita sancti reges simul maior medius et minor : quorum nomina Gaspar Balthasar et Melchion Mediolani die noctuque uenerari et glorificari et digne laudari solebant : per totius utique mundi christianum cultum ab omnibus honorandi et deuotissime uenerandi : quos misericors deus infundendo lumen splendidum ineffabiliter : ut primitias gentium illustrauit : et ab æterno dilexit . Cum tantis igitur sanctarum relliquiarum thesauris tantaque huius insigni miraculi gloria electus dei Eustorgius in suæ promotionis introitu Mediolanum profectus est . Nec dubium : quin || omnipotens deus electum suum : quem ante promotionem suam tam mirifice honorare dignatus est : celebrius postea mirificauerit : licet pauca de gestis eius reperire possimus propter negligentiam præcedentium : qui cognita scribere : uel scripta aliquando perdita instaurare cum potuerint neglexerunt . Cum autem Mediolani residere cœpisset : expletis propediem circa ipsum ecclesiasticis sacramentis : ingenti cum læticia et exultatione cunctorum ad sumum prouectus est sacerdotii gradum : In quo siquidem excrescente in eo diuina gratia se dignum adeo exhibere studuit : ut qui prius laudabilis ualde apud homines habebatur : depositis cunctis sæculi pompis in uirum transiret alterum : et de bono in melius : ac de uirtrte[†] in uirtutem ascendens : multo laudabilior apud deum et homines atque melior haberetur . Fuit namque studium eius totum et pia intentio sine crimine uiuere : super omnia deum diligere : et ei in diebus suis placere : et seruire in iustitia et sanctitate . Memor etiam euangelicæ simul et apostolicæ doctrinæ tanquam fidelis seruus et prudens super familiam domini sibi commissam assiduus uigilabat : et exequens boni pastoris officium : se totum pro suis ouibus impendebat : et nunquam ut mercenarius fugiens : sed ut pastor bonus pro suo se grege lupis insurgentibus opponebat . Nec inter alia negligebat oues suas prudenter agnoscere : uultusque singularum sicut poterat diligenter inquirere . Commissas sibi ecclesias et plebes pro tempore uisitare per uicos et castella discurrere : præsbyteros

suos de subditis eorum et iniunctis sibi parrochiis conuenire : ipsosque omnibus quæ ad eos pertinere nouerat edocere : cæteros quoque clericos et laicos instruere : et omnes fide et moribus prout poterat informare . Plærosque etiam pro suis excessibus corripiendo : atque alios durius increpando : alios uero in melius obsecrando : singulos sicut exigebat ratio sollicitus commonebat . Cæterum ut non tantum sermone sed et opere potens esset : seipsum secundum apostolum circa omnes bonorum operum præbebat exemplum : et in omnibus exhibebat se sicut dei ministrum . in multa pacientia . in laboribus . in ieiuniis . | in uigiliis et orationibus . in eleimosynarum largitionibus . in misericordiæ et pietatis operibus . in caritate non ficta . in uerbo ueritatis . hospitalem benignum . mansuetum . prudentem . modestum . sobrium . iustum . sanctum . pudicum . misericordem . compatientem : et quidquid ad pastoris curam pertinet omnimode adimplebat . Itaque tanquam seruus bonus et fidelis talenta sibi a domino tradita non abscondit : sed utiliter negotiando eadem domino suo multiplicata reddere laborauit . Sanctæ et enim prædicationi et animarum saluti iugiter usque ad extremum uitæ suæ tempus intendens simulque uirtutum gratia pollens plurimos ad dei cultum euangelizando perduxit : multasque paganorum et diuersorum errantium animas Christo lucrifaciens ecclesiam suam domino cohoperante plurimum agumentauit† : quam fideliter custodiendo per annos decemseptem uiriliter gubernauit . Magnificatus est autem in conspectu dei et hominum super omnes . Ita sane ut rarus in diebus suis inuentus fuerit similis illi : qui conseruaret legem excelsi . Denique cursu suo feliciter consumato in pace obdormiens requieuit . quartodecimo calendas octobres . Successit ei beatus Dionysius pontifex gloriosus unus ex paucissimis illis episcopis : qui inualescente ubique terrarum arrhyane persecutionis perfidia soli pro ueritate catholica firmiter obstiterunt . Post quem secutus est beatus Ambrosius ecclesiarum dei doctor eximius : cuius studio et labore inter cætera doctrinæ et miraculorum insignia tempore arrhyanæ illius perfidiæ præualente sancta dei ecclesia tota Italia ad fidem catholicam est reuersa . Sepultus est antem† beatus Eustorgius in uenerabili sanctorum regum ecclesia : in ipsius honore et nomine postmodum constituta : cuius immensa beneficia et pia snffragia† usque in hodiernum diem in populo perseuerant : fauente dei et domini nostri misericordia : cui est in sanctis suis sempiterna laus et gloria . Nos ergo fratres carissimi tanto patri digna reddentes obsequia exultemus omnes in domino : et spirituali iucunditate lætemur : et beatissimi pontificis et patroni nostri Eustorgii sancta sollemnia corde et animo celebrantes : tota nos ei || fide ac deuotione iugiter commendemus : ut eius meritis et præcibus gloriosis mereamur ab ipso sancto sanctorum domino Iesu Christo perenniter adiuuari benedici et glorificari : qui sanctum suum inter electos suos assumpsit : et glorificauit in sæcula sæcula† sæculorum . Amen .

VITA SANCTAE ELISABET FILIAE REGIS HVVNIAE† VVLGO HVNGARIAE .

Elisabet illustris regis Hungariæ filia genere nobili sed fide ac relligione nobilior stirpem tam nobliem† nobilitauit exemplis : illustrauit miraculis et decorauit gratia sanctitatis : quam actor uere supra naturam quodammodo extulit : dum puella regalibus nutrita deliciis omnia puerilia aut omnino contemneret : aut tandem in dei obsequium manciparet : ut liquido clareat : tenera eius infantia quanta simplicitate uiguit : quam dulci deuotione incœpit : Ex tunc siquidem cœpit bonis assuescere studiis : ludos spernere : sanctitatis successus prosperos frangere : mundo semper in dei reuerentiam proficere . Cum enim adhuc esset quinquennis in ecclesia orandi gratia tam sedula permanebat : ut eam eius sodales uel ancillæ auellere uix ualerent : hanc cum ancillæ uel coætaneæ obseruarent : aliquam ex illis causa ludi uersus capellam insequi uidebatur : ut ex hoc intrandi ecclesiam opportunitatem captaret . Quæ ingrediens genua flectebat : aut pauimento totaliter incumbebat . Et licet litterarum peritiam non haberet : tamen coram suis oculis sæpe psalterium expandebat : ut quodammodo se legere fingeret : ne uelut occupatam aliquis impediret . Se quoque cum

puellis ad terram prostratam ludi spem mensurabat : ut sub tali occasione deo reuerentiam exhiberet . In ludo etiam annulorum et aliis ludis spem totam in deum ponebat : et ex iis quæ puella paruula luctabatur uel aliis peculiariter præsidebat inducens eas : ut sæpe orationem dominicam dicerent : et crebro uirginem salutarent . Ccrescens†uero per ætatem temporis crescebat amplius per affectum | deuotionis . Nam beatam uirginem dei genitricem in sui patronam et aduocatam : et beatum Iohannem euangelistam in suæ castitatis custodem elegit . Cum enim singulæ cædulæ singulorum apostolorum nominibus inscriptæ altari supponerentur : et quelibet aliarum puellarum casu sibi cedullam contingentem acciperet : ista oratione fusa ter cedulam ubi nomen sancti Iohannis erat inscriptum ut desyderabat accepit : Ad quam tanto deuotionis ferebatur affectu : ut nihil in eius nomine petentibus denegaret . Ne uero mundi successus sibi nimium blandiretur : quottidie in rebus prosperis sibi aliquid detrahebat . Cum enim in aliquo ludo sibi prospere succederet : reliquum intermittens : dicebat : nolo procedere : sed propter deum reliquum intermitto . Ad choreas quoque a puellis cæteris aduocata : cum unum circuitum peregissent : dicebat : Sufficiat uobis unus circuitus . iam propter deum alios dimittamus : atque ita puellas a uanitatibus teemperabat† . uestimentorum lasciuos usus semper abhorruit : et omnem in his honestatem dilexit . Certum quoque sibi numerum orationum indixerat : quem si quando aliqua occupatione præuenta non potuisset perficere : et ab ancillis lectum ingredi cogeretur : cum cælesti sponso uigilans uigilanter soluebat . Dies quoque solemnes puella nobilis tanta deuotione colebat : ut etiam manicas sibi consui nulla pateretur ratione : antequam missarum sollemnia complerentur . Chirothecarum etiam usus in diebus dominicis sibi ante meridiem interdixit : uolens in hoc et sacræ deferre sollemnitati et suæ satisfacere deuotioni : propter quod sollicita erat ad hæc et similia se per uotum astringere : ne quis eam posset aliquibus suasionibus a suo proposito reuocare . Officium ecclesiasticum tanta audiebat reuerentia : ut cum sancta legerentur euangelia uel sacra hostia conficeretur : manicas si forte consutæ essent solueret . monilia deponeret : cæteraque capitis ornamenta simul locaret . At ubi gradum uirginalem prudenter texit : et innocenter percucurrit : coniugalem gradum intrare compellitur : ut pote quæ ad hæc paterno imperio urgebatur fructum perceptura || trigessimum : quæ fidem trinitatis seruauit cum decalogo præceptorum . Consensit igitur licet inuita in copulam coniugalem : non ut libidini uacaret : sed ne patris præceptum contemneret : et ut filios educandos ad dei seruitium procrearet . Quamuis enim fuerit legi thori coniugalis astricta : nulli tamen fuit culpandæ delectationi subiecta : quod mihi manifeste constat : quandoquidem in manibus magistri Conradi uotum emisit : quod si uiro suo eam superuiuere contingeret : continentiam perpetuam obseruaret . Fuit igitur Lanegranio† turingiæ sociata coniugio : prout regalis exigebat magnificentia : et dispositio diuina ordinauit : ut scilicet multos ibidem ad dei amorem adduceret : et in clericos homines edoceret . Licet autem mutauerit statum : non tamen mentis immutauit affectum . Quantæ autem fuerit deuotionis et humilitatis ad deum : quantæ austeritatis et abstinentiæ ad seipsam : quantæ largitatis et misericordiæ ad pauperes : ex iis quæ subiecta sunt apertius declaratur . Nam in oratione tanti feruoris extitit : ut etiam ancillas ad ecclesiam gradu concito præueniret : ut quasi quibusdam clandestinis orationibus aliquam dei gratiam impetraret . In nocte ad orationem sæpe surgebat : rogante eam marito : ut sibi parceret : et quieti alicui corpus donaret . Ordinauit autem cum quadam ancilla inter cæteras magis familiari : ut si forte somno depræssa non surgeret : eam pede tangens excitaret : Quadam uero uice pedem dominæ tangere uoluit : et casu in pedem mariti impegit : Qui subito excitatus rem ut erat didicit : et patienter sufferens : prudenter dissimulauit : Et ut orationum suarum deo pingue redderet sacrificium : sæpe ipsum lectum irrigabat abundantia lachrymarum : quas quidem lachrymas fundebat iucunde : et sine aliqua incidenti uultus permutatione : ita ut semper cum dolore flæret : et de dolore gauderet : et hoc quadam uultus læticia uenustaret . Tanta se humilitate subiecit : ut propter dei amorem uilia et abiecta non sperneret : Sed hæc nimia cum deuotione exerceret . Nam infirmum quendam uultu deformem capitis fætore horribilem in sinum proprium reclinauit : et hor | ridum crinem tondens . eius caput ancillis ridentibus lauit . In rogationibus semper processionem nudis pedibus induta lineis sequebatur : et in prædicationum stationibus inter pauperculas tanquam pauper et humilis residebat . In purificatione post partum

nequaquam se ut cætere gemmis ornatam uel uestibus deauratis tegebat : sed exemplo intemeratæ puerperæ filium propriis gestans in ulnis ipsum ad altare cum agno et candela humiliter offerebat : ut ex his et sæculi pompam contemnendam ostenderet : et se illibatæ puerperæ conformaret . Deinde domum rediens uestimenta ipsa : cum quibus ad ecclesiam processerat alicui mulieri pauperi tribuebat . Accedit quoque ad suæ humilitatis præconium : quod ipsa libertate præcellens et dignitate sublimis magistri Conradi pauperis et mendici : sed tamen scientia et relligione præcipui : saluo iure matrimonii et conscientiæ : mariti obedientiæ adeo se subiecit : ut quidquid ille præciperet : ipsa cum reuerentia et multo gaudio adimpleret : ut ex hoc et obedientiæ perciperet meritum : et Christum saluatorem qui factus est obediens usque ad mortem imitaretur . Aliquando itaque ad quandam prædicationem ab ipso uocata superueniente marchionissa messeriense impedita non uenit : Quod ille egre ferens tantam eius inobedientiam relaxare noluit : donec illam usque ad camisiam expoliatam cum quibusdam ancillis suis quæ culpabiles fuerant fortiter uerberari fecit . Sibi quoque tantum rigorem et abstinentiam imponebat : ut corpus suum uigiliis : disciplinis : ieiuniis et abstinentiis maceraret . Nam sæpe a uiri thoro abstinens noctes ducebat insomnes : ut orationibus posset insistere : et in abscondito patrem cælestem orare : Cumque somni interpellaret necessitas : super stratis tapetibus dormiebat . At cum maritus abesset cum sponso cælesti in orationibus pernoctabat . Sæpe etiam per manus ancillarum faciebat se in cubiculo fortiter uerberari : ut et saluatori flagellato uicem rependeret : et carnem ab omni lasciuia coherceret . Tantam autem in cibo et potu temperantiam et abstinentiam exhibebat : ut in mensa mariti inter diuersa ferculorum genera interdum pane simplici esset || contenta . Magister enim Conradus sibi interdixerat ne de mariti cibis quicquam contingeret : de quibus sanam conscientiam non haberet . quod ipsa tanta diligentia obseruauit : ut aliis diuersis deliciis abundantibus ipsa cum ancillis suis cibis crassioribus uteretur . Sæpe tamen ad mensam sedens cibos manu contrectabat : et diuidebat : ut ex hoc comedere uideretur . ne superstitionis nomen incurreret : sed urbanitate tali cunctos conuiuas lætificaret . Semel cum longi itineris labore depræssa fuisset et marito et sibi diuersi essent cibi oblati : qui non credebantur de iustis laboribus acquisiti : omnino abstinuit . et nigrum panem et durum in aqua calida madefactum cum suis ancillis patienter comedit : Ob hoc cuiusdam iustos redditus uir suus sibi assignauerat : de quibus cum quibusdam suis ancillis : quæ sibi ad hæc omnia consentiebant : uiuebat . Sæpe enim cibos curiæ respuit : et aliquorum bonorum uirorum cibaria requisiuit . Hæc autem omnia uir suus æquo animo ferebat asserens in quod hæc et ipse libenter faceret : si turbationem familiæ suæ non timeret . Statum quoque paupertatis in summa gloria constituta summopere affectabat : ut et Christo pauperi uicem rependeret : et mundus in ea proprium nihil haberet : quapropter interdum : cum sola cum ancillis esset : se uilibus induens et despecto uelo caput suum operiens dicebat : taliter incedam : cum ad statum deuenero paupertatis . Licet autem sibi abstinentiæ frænum imposuerat : tanta tamen se liberalitate ad pauperes effundebat : ut nullum premi aliqua inedia pateretur : sed omnibus a deo† largissime subueniebat : ut omnes eam matrem pauperum acclamarent : Sex enim misericordiæ operibus tota uigilantia insudabat : ut regnum perpetuum perpetuo regnatura perciperet : et paternam benedictionem cum benedictis ad dexteram possideret . Ipsa namque nudos uestiebat : Si quidem . uestimenta impendebat .† pauperibus nudis peregrinorum et pauperum corporibus sepeliendis instabat . quos quidem pueros sæpe de sacro fonte leuabat et propriis manibus eorum uestimenta suebat : ut cum paternitate contracta eis liberius subueniret . Accidit autem : ut cuidam pau | perulæ quoddam satis bonum tribueret uestimentum . Ille autem uidens donum tam magnificum : tam ingenti gaudio est perfusa : ut ad terram cadens mortua crederetur . Quod beata Elisabet uidens : doluit se ei tanta dedisse : timens ne sibi fieret causa mortis . Sed tamen pro ea orauit : et ipsa sanata surrexit . Sæpe autem ipsa cum ancillis manibus propriis lanam trahebat : et inde uestimenta fieri faciebat : ut ex hoc et bonorum laborum gloriosum fructum reciperet : et exemplum uere humilitatis præberet : et de proprii corporis laboribus eleimosynam deo daret . Ipsa esurientes pascebat . pauperibus enim alimenta præbebat : adeo ut Leganeo uiro suo profecto ad curiam Phrederici Imperatoris quæ tunc erat Cremonæ : ipsa omnem annonam de suis grangiis collegit : et congregatis undecunque

pauperibus quottidie eis necessaria ministrabat : eo quod tunc caristia et fames ualida imminebat : Et quantumcunque alicui daret parum : diuina tamen uirtute toto die illa sibi sufficiebat . Sæpe autem cum pecunia sibi deficeret : ornamenta uendebat : ut pauperibus subueniret . Multa enim sibi et ancillis suis consueuerat subtrahere : et pauperibus reseruare . Ipsa sitientes potabat . Aliquando autem ceruisiam pauperibus distribuens : cum unicuique sufficienter dedisset inuentum est : quod uas nullam diminutionem pertulit : sed eandem quam prius mensuram seruauit . Ipsa hospitio peregrinos et pauperes suscipiebat . Domum enim maximam sub altissimo castello suo construxerat : in qua infirmorum magnam refouebat multitudinem : hos diebus singulis non obstante difficultate ascensus uel descensus uisitans : et eis omnia necessaria impendebat : et uerbis exhortatoriis ad patientiam inducebat : Et licet omnem corruptionem aeris semper ægre portauerit : infirmorum tamen corruptiones propter dei amorem in æstiuo tempore non abhorruit . remedia uero piissime assidueque adhibuit . uelo proprii capitis tersit : et manibus propriis contrectauit : licet ancillæ talia grauiter tolerarent . In eadem quoque domo puerulos pauperum fœminarum nutriri summa diligentia faciebat : quibus se tam dulcem et humilem exhibebat : ut eam omnes matrem uocarent : et intrantem domum cun || cti tanquam matrem filii sequerentur : et ante se cateruatim summo studio collocarent . Ipsa uero oliculas et annulos uitreos et alia quædam uitrea emi fecerat : ut pueri ludos pueriles in talibus exercerent . Quæ dum in pallio proprio equitans in castellum deferret : de rupe altissima super lapides ceciderunt : nulla tamen eis læsio est inuenta . Ipsa infirmos uisitabat . miserorum enim compassio adeo eius animum uendicabat : quod eorum hospitia diligenter perquirens eos sollicite uisitabat : eorum camerulas familiariter et deuote subintrans : nec difficultate uiæ perterrita nec longitudine lacessita : quibus et subueniebat in necessariis : et uerba exhibebat consolationis : propter quod ex quincuplici† consyderatione remunerationem accipiet ex dignatione scilicet uisitationis : ex labore itineris : ex affectu compassionis : ex affatu consolationis : et ex largitione muneris . Ipsa sepulturas pauperum frequentabat : mente namque deuota pauperum currebat ad funera : et uestes quas propriis manibus fecerat : eorum corporibus coaptabat : adeo ut aliquando uelum suum magnum lineum in partes concideret : et cuiusdam pauperis corpus inuolueret . Eorum etiam funera propriis manibus contrectabat : et in ipsorum obsequiis deuota manebat . Inter hæc laudanda est deuotio uiri sui : qui licet negotiis multis esset implicitus : in dei tamen obsequio deuotus erat : Et quia ipse talibus personaliter intendere non ualebat : uxori suæ potestatem concessit agendi omnia : quæ dei honorem respicerent : et animæ suæ salutem afferrent . Cupiens uero beata Elisabet : ut uir suus in fidei defensionem potentiæ suæ arma conuerteret : ipsum salubri exhortatione induxit : ut ad terram sanctam pergeret uisitandam : ubi dum esset Langranius† princeps fidelis inclytus et deuotus fide integra et deuotione sincera deo redidit spiritum : suorum operum fructum recipiens gloriosum : quare ipsa uidualem statum amplectitur : ne uidualis continentiæ præmio fraudaretur : sed fructum sexagessimum perciperet : utpote quæ decalogum præceptorum cum septem misericordiæ operibus obseruaret : uerum cum mors uiri sui per totam fuisset Turriginam† diuulgata : ipsa tanquam dissipatrix et prodiga a quibusdam subditis uiri sui turpiter et totaliter est eiecta : ut ex hoc eius patientia claresceret : et paupertatis diu | conceptum desyderium obtineret . Aduenientе igitur nocte in domo cuiusdam tabernarii in loco ubi porci iacuerant sese recepit deo gratias multas agens . Hora uero matutinali domum fratrum minorum pergens rogauit : ut pro sua tribulatione deo gratias agerent : et te deum laudamus cantarent . Sequenti die domum cuiusdam sui æmuli cum suis paruulis iussa est ingredi arcto sibi loco ibidem admodum assignato : quæ dum ab hospite et hospita plurimum grauaretur parietibus uale fecit : dicens : Libenter hominibus uale facerem : si benedicos inuenirem . Compulsa igitur ad locum priorem rediit : et paruulos suos ad loca diuersa alendos transmisit . Dum uero per quandam arctam uiam luto profundo plenam super quosdam lapides ibidem positos pergeret : et uetula quædam cui iam multa beneficia contulerat super eosdem lapides transiens eidem cedere recusaret : ipsa in lutum profundum cecidit : dum uero surgeret uestimenta sua gaudens et ridens abstersit . Post hæc autem abbatissa eius matertera illius nimium paupertati compatiens ad episcopum banembergenen-

sem ipsius auunculum eam duxit : Qui eam honeste suscipiens caute retinuit cogitans eam secundis nuptiis copulare : Quod cum ancillæ quæ secum continentiam uouerant didicissent : et ex hoc se lachrymis multis affligerent : beatæ Elisabet hæc cum gemitu retulerunt . Illa uero eas confortans ait : Confido in domino : pro cuius amore continentiam perpetuam uoui : quod meum propositum firmum custodiet : et omnem uiolentiam conteret et consilium humanum dissoluet . Et si forte auunculus meus uoluerit me copulare : animo dissentiam : et uerbis pariter contradicam : et si nullum alium mihi euadendi supererit remedium : nasum mihi proprium detruncabo : ut me sic deformem quilibet aborreat . Cum igitur de mandato ipsius episcopi ad quoddam castellum inuita deducta fuisset ibidem moratura : donec alicui in coniugium traderetur : et ipsa suam castitatem domino cum lachrymis commendasset : ecce domino disponente ossa uiri sui de ultramarinis partibus deferuntur . Iussa est igitur ab episcopo reduci : ut ossibus uiri sui deuota occurrat . Ipsa ergo ossa ab episcopo cum honorabili processione et ab ipsa cum multa deuotione et lachrymarum || effusione suscepta sunt : quæ conuersa ad dominum dixit : Gratias tibi ago domine : quia in susceptione ossium dilecti mei uiri dilecti tui me miseram consolari dignatus es . Tu scis domine : quia licet ipsum te amantem multum amauerim : tamen ob tui amorem eius præsentia libenter carui : et in sanctæ terræ tuæ subsidium destinaui : Et quamuis delectabile mihi esset : adhuc cum eo uiuere tali condicione : ut cum ipso paupere per totum mundum paupercula mendicarem : tamen te teste contra tuam uoluntatem uno cane ipsum non redimerem : nec ad uitam mortalem iterum reuocarem . Ipsum autem et me tuæ gratiæ commendo . uerum ne fructum centessimum perderet : qui perfectionem euangelicam seruantibus datur : qui de sinistra miseriæ ad dexteram glorie trasferuntur : religiosum habitum induit uestes uario colore humiles et abiectas : continentiam post mortem uiri sui perpetuam seruans : obedientiam perfectam custodiens : et uoluntariam paupertatem amplectens . Fuit autem eius habitus tam despectus : ut deferret pallium uarium panno coloris alterius prolongatum : Manicas etiam tunicæ ruptas alterius coloris panno habuit insutas . Pater uero suus rex Vngariæ audiens filiam suam ad tantam inopiam deuenisse comitem quendam ad eam misit : ut ipsam ad paterna limina reducere procuraret : qui uidens eam tali habitu decoratam : cernensque eam sedentem et lanam colo trahentem : præ confusione et ammiratione exclamans dixit : Nunquam filia regis cum tali uili habitu induta apparuit : nec lanam nere aliquando uisa fuit . Cum uero pro sua reductione uæhementissime institisset : nullatenus acquieuit : malens cum pauperibus in paupertate degere : quam cum diuitibus multis diuitiis abundare . Vt uero eius animus totus in deum transiret : et intenta eius deuotio nullum impedimentum haberet : rogauit dominum : ut omnium temporalium sibi contemptum infunderet : et suorum filiorum dilectionem a corde suo auelleret : contraque omnes contumelias contemptum et constantiam largiretur . Fusa uero oratione audiuit dominum sibi dicentem : Exaudita est oratio tua : quæ dixit ancillis : Exaudiuit dominus uocem meam : quia et omnia temporalia ut stercora reputo : et de filiis meis non plus quam de aliis proximis curo : et mei contemptum et obprobria paruipendo : nihilque iam aliud diligere uideor nisi deum . | Magister quoque Conradus sibi molesta et contraria imponebat : et quos amplius diligere uidebatur : ab eius consortio separabat : adeo ut duas ancillas fideles et prædilectas : quia a iuuentute sua secum fuerant enutritæ ab ea remouerat multis effusis lachrymis . Hoc autem faciebat uir sanctus : ut eius uoluntatem frangeret : et ut ipsa suum affectum totaliter ad deum erigeret : et ne aliqua ex ancillis pristinam gloriam ad eius memoriam reuocaret . In hiis autem omnibus inueniebatur et uelox ad obedientiam et constans ad patientiam : ut per patientiam animam suam possideret : et per obedientiam uictoria decoraretur . Dicebat quoque : Si propter deum tantum timeo hominem mortalem : quantum timere debeo iudicem cælestem ? Ideo autem magistro Conrado pauperi et mendico et non alicui diuiti episcopo obedientiam facere uolui : ut omnem occasionem temporalis consolationis a me penitus abdicarem . Dum aliquando claustrum quarumdam sanctimonialium ab eis obnixe rogata intrasset : non habita uen a† a suo magistro : fecit eam tam grauiter uerberari : ut post tres hebdomadas in ea uestigia uerberum apparerent . Dicebat autem suis ancillis se et illas consolans : Sicut gramen fluuio inundante deprimitur : et decrescente erigitur : sic nos aliqua afflictione adueniente debemus per humilitatem sum-

mitti : cessante uero : ad deum per spiritualem læticiam eleuari . Tanta se humilitate deprimebat : ut nullatenus pateretur : quod ancillæ eam dominam appellarent : sed singulari tantum ad eam nnmero† loquerentur eo modo silicet : quo inferioribus loqui solemus . parapsides uasaque isnuper† alia coquinæ lauabat : Et ne ab ancillis prohiberetur : ea ad loca alia transmittebat . Dicebat etiam : Si uitam aliam magis despectam inuenissem : ipsam potius elegissem . Cæterum ut cum Maria partem optimam possideret sedulæ contemplationi uacabat . In qua quidem contemplatione specialem gratiam habuit : lachrymas fundere : cælestes uisiones crebro uidere : et ad amorem dei alios inflammare : quando quidem magis iucunda uidebatur : tunc iucundæ deuotionis lachrymas emittebat : ita ut lachrymæ de iucundo eius uultu tanquam de fonte serenissimo effluere uiderentur : ut simul flæns uideretur et gaudens : nunquam in deformitatem || uel rugas uultum ex flætu conuertens . Dicebat enim de iis qui uultum in flætu deformant : uidentur quasi dominum deterrere . Dent domino :† quod habent cum iucunditate et hilaritate . Visiones cælestes in tempore suæ orationis et contemplationis sæpe uidebat . Quadam uero die sacro quadragessimali tempore in ecclesia stans sic ad altare oculis defixis intenta manebat : ac si ibidem dei præsentiam miraretur : ubi per magnum spatium diuina est reuelatione consolata : domum deinde reuersa dum se præ debilitate in ancillæ gremium reclinasset : et illa per fenestram oculos ad cælum defixos attolleret : tanta hilaritate uultus eius perfunditur : ut etiam risus mirabilis sequeretur : quæ cum diu tam iucunde lætificata fuisset : subito in lachrymas est conuersa . Rursus oculos aperiens pristina iucunditate perfruitur : oculosque claudens pristinis lachrymis irrigatur : et sic usque ad completorium talis est diuinis consolationibus immorata . Verum cum diu tacens nullum uerbum penitus emisisset : tandem prorumpens locuta est dicens : Ita domine tu uis esse mecum? et ego tecum : et nunquam uolo a te seperari . Postmodum cum ab ancillis rogaretur : ut ad dei honorem et ipsarum ædificationem quid uiderit indicaret : illa ipsarum importunitate deuicta ait : uidi cælum apertum : et Iesum se ad me benignissime inclinantem : uultumque ad me suum serenissimum ostendentem . Ego uero de sua uisione ineffabili iucunditate perfusa de suo recessu remanebam multo mærore deiecta : qui mei misertus iterum me sui uultus ostensione lætificans ait : Si tu uis esse mecum : ego ero tecum : Cui ego respondi : prout me loquentem audistis : Cumque rogaretur : ut etiam uisionem quam iuxta altare uidit exponeret : respondit : quæ ibi uidi : non expedit enarrare . Ibi tamen in gaudio multo fui : et dei miranda conspexi . Sæpe quoque dum in oratione consisteret : eius facies mire splendebat : et ex eius oculis radii instar solis prodibant . Sæpe autem eius oratio tanti feruoris inueniebatur : ut etiam alios inflamaret . Iuuenem namque sæculariter indutum ad se uocans ait : uideris nimis dissolute uiuere : cum deberes creatori tuo seruire . uellesne : quod pro te dominum exorarem? Et ille : uolo domina : et id uæhementer exposco . Cum igitur se orationi | dedisset : et iuuenem similiter pro se orationi incumbere monuisset : iuuenis alta uoce clamauit dicens : Cessa domina : iam ab oratione cessa . Sed cum illa attentius oraret : iuuenis altius clamans dixit . Cessa domina : quia totus deficio et comburor . Ipse enim tanto fuerat calore succensus : ut totus sudans et fumans : corpus et brachia uelut amens iactaret adeo : ut plærique accurrentes : ipsumque tenentes : uestes eius præ nimio sudore madidas inuenirent : et æstum eius manibus ferre non possent ipso clamante ac dicente : Totus ardeo : et consumor . Vt uero beata Elisabet orationem compleuit : iuuenis æstuare cessauit : qui rediens ad seipsum et diuina gratia illustratus ordinem fratrum minorum ingressus est . Illa autem inflamatio sic ostensa feruorem orationum suarum igneum demonstrabat : qui tam ualidus estitit† ut etiam frigidum inflamaret . Sed ille carnalibus assuetus et spiritualibus nondum idoneus talia cogere non ualebat . Ad summum uero cumulum perfectionis : propter Mariæ contemplationis ocium non desinit Marthæ officium laboriosum sicut superius in septem operibus misericordiæ est ostensum . Nihilominus tamen postquam habitum religiosum induit : sedulæ pietatis operibus deseruiuit : Nam cum pro dote sua duo millia monachorum accepisset : partem in pauperes unam distribuit : alteram in Marpuchum magnum hospitale construxit : propter quod omnes eam reputabant dissipatricem et prodigam : cunctique eam appellabant insanam : et quia omnes iniurias nouerat gaudenter excipere improperabant ei quod nimis cito memoriam uiri sui a corde suo abiecerat : et penitus

exultabat . Postquam autem hospitale construxit : pauperum obsequiis se tanquam ancillam humiliter mancipauit . pauperibus enim adeo sollicita ministrabat : ut eos etiam balneis foueret : et in lectis collocatos operiret : ita ut ancillis gratulabunda sæpe diceret : quam bene nobiscum agitur : quæ dominum sic balneamus et tegimus . In ipso autem pauperum obsequio tam humiliter se habuit : quod puerulum quendam monoculum et scabie perfusum una nocte sexies propriis brachiis ad loca necessitatis detulit : et pannos ipsius ut assolet fædatos libenti animo lauit . Quandam etiam mulierem horribiliter† leprosam sæpe abluens in lectulo collocauit : ulcera tergens et ligans medicamenta : un || guesque præcidens . Cui etiam eius pedibus† prostrata corrigias calciamentorum soluebat . Ipsos autem infirmos ad confessionem et communionem inducens : uetulam quandam penitus renuentem uerbere castigatam induxit . Cum uero a pauperum uacabat officio : lanam nebat ex quodam monasterio sibi missam : et pretium : quod inde accipiebat : pauperibus diuidebat . Cum autem post multam paupertatem quingentas marchas pro sua dote receptas pauperibus diuideret : et omnibus ordinate locatis ipsa succinta transiens ministraret : posita est lex : ut si quis in aliorum præiuditium locum mutaret : capillorum suorum detruncationem aliquam sustineret . Et ecce quædam puella nomine Ildegundis : quæ mira capillorum pulchritudine pollebat : inde transitura aduenit : non ut ecclesiam acciperet : sed ut quandam sororem suam infirmam uisitaret : quæ cum tanquam preuaricatrix ad beatam Elisabet adducta fuisset : eius capillos protinus detruncari mandauit ipsa flænte et plurimum reluctante . Cum uero quidam de astantibus eam innocentem esse asserent : illa ait : Saltem de cætero non poterit cum tanta capillorum ambitione ad choreas accedere : nec cum illis uanitates aliquas exercere . Interrogata uero puella a beata Elisabet : utrum aliquando salubris uitæ propositum concepisset . Respondit quod iam diu habitum† religionis assumpsisset : nisi tantum capillis suis delectata fuisset . Et illa carius inquit mihi est quod tu capillos perdideris quam si filius meus fuisset in imperium sublimatus . Continuo igitur puella habitum religionis induit : et in hospitali cum beata Elisabet degens laudabilem uitam duxit . Cum quædam paupercula filiam peperisset : beata Elisabet filiam de sacro fonte leuauit : et nomen suum eidem imposuit : matrique necessaria ministrauit ita : ut pellicio ancillæ suæ manichas auferens ad inuoluendam puellam tribueret puerperæ : et calceos eidem proprios donaret . Post tres autem septimanas mulier dimissa filia latenter cum uiro suo aufugit : quod cum sanctæ Elisabet fuisset enunciatum in orationem se dedit : et uir et mulier ultra progredi non ualentes ad ipsam coacti redierunt ab ea ueniam postulantes : quos : ut iustum erat : de ingratitudine redarguens puellam nutriendam eis tradidit . | Appropinquante uero tempore quo dominus dilectam suam de mundi ergastulo uocare disposuit : ut quæ contempserat regnum mortalium : regnum perciperet angelorum : Christus apparuit ei dicens : Veni dilecta mea in præparata tibi mira tabernacula . Dum igitur febre correpta decumberet : et ad parietem faciem uersam teneret : audita est a circunstantibus : dulcissimam promere melodiam : quæ cum ab una ancillarum : quid nam esset hoc percunctata fuisset : respondit : Auicula quædam inter me et parietem se ponens tam suauiter cecinit : quod me ad canendum similiter prouocauit . In ipsa autem sui ægritudine semper hilaris estitit : et nunquam ab oratione cessauit . Vltima uero die ante eius transitum dixit eis : quid acturæ essetis : si diabolus aduentaret ? Post paululum uero alta uoce : quasi in diabolum aspiciens : fuga : ter inclamauit . Deinde dixit : Ecce appropinquat media nox : in qua Christus nasci uoluit : et in præsepio requieuit . Appropinquante uero hora sui transitus ait : Iam tempus instat : in quo omnipotens deus eos qui amici eius sunt ad cælestes nuptias euocauit . Post paululum uero Anno . M . CC . xxxi . ad extremam horam ueniens dormiuit in pace Licet autem eius uenerabile corpus quattuor diebus inhumatum iacuerit : nullus tamen fætor ex eo prodibat . Sed quidam odor aromaticus cunctos reficiens exhallabat . Tunc autem uisæ sunt multæ auiculæ super cacumen ecclesiæ congregatæ : quas nunquam aliquis prius uidit : quæ tam suaui modulatione cantitabant et tanta uarietate modos cantandi formabant : ut cunctos in ammiratione adducerent eo quod : eius exequias quodam modo agere uiderentur . Tunc etiam in aere audita est suauissima melodia : ac si responsorium : Regnum mundi : quod in laudibus uirginum canitur : audiretur . Multus autem ibi fuit clamor pauperum : multa deuotio populorum ita : ut alii capillos capitis detruncarent : alii

particulas pannorum inciderent : et hæc pro summis reliquiis reseruarent . Eius autem corpus in monumentum est positum : quod postmodum redundare oleo compertum est . Manifestum est igitur in eius transitu quantæ ipsa beata Elisabet fuerit sanctitatis : et hoc quo ad auiculæ modulationem demoniique expulsionem . Illa enim auicula quæ se inter ipsam et parie || tem ad cantandum dedit angelum eius fuisse credamus : qui ad illius custodiam deputatus fuerit : et qui eidem tunc æternum gaudium nunciauit . Sicut enim reprobis interdum ante suum transitum æterna eorum damnatio ad maiorem confusionem reuelatur : sic electis interdum æterna sui saluatio ad maiorem reuelatur consolationem . Ille autem cantus quem ipsa protulit fuit immensum gaudium : quod ex tali reuelatione concepit : quod quidem tam immensum fuit : ut in corde totus capi non potuerit : sed se per suauitatis uocem manifestauit . Diabolus insuper si forte aliquod ius habeat ad sanctos etiam morientes accedit : Sed quia in beata Elisabet nil iuris habuit : ideo turpiter expulsus aufugit : per hoc igitur datur intelligi : quantæ fuerit sanctitatis : a qua et diabolus territus fugit : et cui angelus æternum nunciauit gaudium . Manifestatum est secundo quantæ fuerit mundiciæ ac puritatis : et hoc quo ad odoris exhallationem : quando quidem eius corpus omni mundicia et castitate in uita nituit : ideo in morte suauitate odoris fragrauit . Manifestum est tertio quantæ fuerit excellentiæ et dignitatis : et hoc quo ad auium et angelorum iubillationem . Illas uero aues quæ in cacumine ecclesiæ iubilantes et cantantes apparuerunt credimus angelos fuisse : qui a deo missi sunt : ut eius animam in cælum deferrent : eiusque corpus cælestibus iubilationibus honorarent . Sicut enim ad reprobos morientes dæmonum conuenit multitudo : ut eos terroribus crucient et eorum animas ad tartara rapiant : sic ad electos decedentes multitudo confluit angelorum : ut eos confortent eorumque animas ad cælestia regna perducant . Manifestatum† est quarto quantæ fuerit misericordiæ et pietatis : et hoc quo ad olei emanationem . De eius enim corpore oleum emanauit : quia tota in uita misericordiæ operibus redundauit . O quantis pietatis uisceribus eius nunc affluit spiritus : cuius perfundi oleo inuentum est in puluere corpus iacens . Manifestatum est quinto : quanti apud deum sit meriti et potestatis : et hoc propter multiplicem miraculorum operationem . Postquam enim de corpore transiit : deus eam multiplici miraculorum gloria illustrauit : quorum quædam inferius sunt posita : multa uero breuitatis gratia intermisimus . In partibus siquidem Saxoniæ monasterio quodam Isdensis | diocesis monachus quidam ordinis cisterciensis Henricus nomine tanta fuerat infirmitate depræhensus : et grauibus doloribus circundatus : ut omnes ad ei compatiendum induceret : et clamoribus inquietaret . Quadam igitur nocte apparuit ei quædam uenerabilis domina uestibus albis amicta : quæ eum ammonuit : ut si sanitatem recipere cuperet : dominæ Elisabet se deuoueret . Sequenti nocte similia persuadens apparuit . Ille autem cum abbas et prior deessent de superioris consilio uotum emisit . Tertia igitur nocte eidem rursus apparens signum crucis super eum edidit : et ille continuo optatam recepit sanitatem . Cum autem abbas et prior hoc redeuntes audissent : mirari quidem de sanitate cœperunt . Sed de uoti adimpletione plurimum dubitarunt : cum nulli monacho liceat aliqua uota emittere : nec se ad talia obligare : Adiecit quoque prior monachos sæpe ad huiusmodi illicita sub specie boni dæmonum apparitione deludi : et ideo esset illi monacho consulendum : ut mentem suam instabilem confessione firmaret . Sequenti igitur nocte eadem persona quæ prius sibi apparens dixit : Infirmus semper eris : donec impleas quod uouisti . Statim ergo eadem infirmitas ipsum arripuit : et eisdem doloribus torqueri cœpit : qui mox sanitate recepta uotum suum implere studuit : et illius infirmitatis nihil postmodum passus fuit . Puella quædam Benigna nomine mogensis dyocesis cum ab ancilla potum petisset : Illa commota potum porrexit dicens : Accipe : et diabolum bibe : uisumque est puellæ : ut ardens ticio per eius guttur descenderet adeo : ut se in collo pati clamaret . Contiuuo† igitur uenter eius instar utris intumuit : et quippiam in eius uentre per membra singula discurrere uisum fuit . Illa uero gestus miserabiles faciens et uoces insanas emittens obsessa a dæmone credebatur . In tali uero statu per biennium mansit . Deducta igitur ad tumulum sanctæ Elisebet† atque ibidem pro ea uoto emisso dum super tumbam posita fuisset : uelut exanimis ibidem apparuit . Sed dum modicum panis ad manducandum et aquam benedictam ad bibendum super eandem tumbam eidem obtulissent : mox cunctis stupentibus et mirantibus sanata surrexit . Vir quidam Federicus nomine

cum una manu contractus eius usum penitus amisisset : et sepulchrum beatæ Eli || sabet bis uisitans curationem minime recepisset : tertio illuc cum uxore sua multa cum deuotione accessit : quo dum tenderet senem quendam reuerendi aspectus obuium habuit : qui ab eo salutatus : et unde uenisset requisitus : dixit se de Marpurchum ubi corpus sanctæ Elisabet requiescit uenire : ubi deus multa miracula operatur . Cum autem uir suam infirmitatem exposuisset : eidem ille manu elauata eum benedixit dicens : Securus perge : quia sanitatem recipies : dummodo manum infirmam ad caput sepulchri in quadam fouea ibi facta sub lapide miseris . Quam quanto profundius immiseris : tanto sanitatem citius obtinebis . Tunc autem sanctum Nicolaum in memoria habens : qui sanctæ Elisabet tanquam comes et sotius in suis miraculis cohoperatur eidem . Adiecit etiam stultos esse : qui proiectis oblationibus statim discedunt cum sanctis placeat : ut cum perseuerantia eorum suffragia postulentur : Moxque senex ab eis disparuit : nec ultra ipsum uidere potuerunt : Super quo plurimum amirati pergebant plenam sanitatis recuperandæ fiduciam animo tenentes . Vir igitur iuxta senis .† consilium manum sub lapide monumenti posuit et ipsam continuo sanam retraxit . Quidam nomine Hermanus dum in carcere a iudice teneretur : ad deum se totaliter contulit : et beatam Elisabet et magistrum Conradum in sui adiutorium deuotione quantum poterat inuocabat . Sequenti autem nocte ambo simul cum multo lumine sibi apparuerunt eum multipliciter consolantes . Tandem sententia in eum data suspenditur : et ad spatium unius milliaris theutonici in patibulo detinetur . Iudex autem concessit parentibus : ut ipsum deponerent : et in tumulo sepellirent . Præparata igitur fouea cum esset depositus pater et patruus cœperunt pro mortuo beatæ Elisabet patrocinia inuocare . Et ecce uniuersis mirantibus et stupentibus qui fuerat mortnus† surrexit sanus et uiuus . Scholaris quidam Bintardus nomine dum piscationi minus cautus insisteret : in flumine lapsus decidit . Magno autem spacio temporis interiecto dum eius corpus esset extractum adeo sine sensu et motu et rigidum est repertum : quod nullo in eo signo inuento uitæ uere mortuus ab hominibus iudicatus est . Tunc beatæ Elisabet imploran | tur merita et cunctis uidentibus sibi restituitur salus et uita . Iuuenis quidam trium annorum cum dimidio Vetellinus nomine dum spiritum emisisset : et corpus eius per spatium quattuor miliariorum theutonicorum rigidum et exanime iacuisset : mater ad inuocandum beatam Elisabet tota deuotione se contulit : et puerum uiuum sanumque recepit . Puer quidam quattuor annorum dum in puteum decidisset : casu quidam ueniens aquam haurire : animaduertit puerum ibi submersum iacere : quem postquam cum difficultate extraxisset : mortuum deprehendit : Cuius quidem mortis erant inditia temporis diuturnitas corporis rigiditas : oris et oculorum horribilis apertio : cutis denigratio : uentris inflatio : et omnimoda sensus et motus priuatio . Pro ipso igitur suscitando ad beatam Elisabet uotum emittitur : et continuo uitæ pristinæ restauratur : Quædam etiam puella in flumine submersa dum fuisset extracta : eius meritis est uitæ protinus restituta . Vir quidam nomine Fredericus in arte natandi ualde peritus : dum se in quadam aqua balnearet : et pauperem quendam per beatam Elisabet illuminatum deridens : in eius faciem aquam contemptibiliter spargeret : ille prouocatus dixit : Domina illa sancta quæ mihi gratiam præstitit : de te me uindicet ita : ut hinc non exeas nisi mortuus et submersus . Ille autem inprecationem pauperis paruipendens : et in aquam se lasciue immittens : uiribus penitus destitutus se iuuare non potuit : sed in profundum quasi lapis descendit . Post multum uero temporis requisitus de aqua mortuus et delatus : cum magnus planctus fieret super eum : quidam eius propinqui cœperunt pro eo ad beatam Elisabet uotum facere : et eius suffragia implorare : Statim igitur in eum spiritus reddiit : et uiuus et sanus surrexit . Quidam nomine Iohannes cum quodam fure innocenter deprehensus et suspendio cum ipso adiudicatus : cunctos rogauit : ut deum et beatam Elisabet orarent : quod secundum sua merita iuuaretur . Cum ergo aliqui dicerent ipsum iterum suspendendum : iudex ait : Quem deus liberauit : suspendi iterum non permittam . Conuersus quidam fuit in quodam monasterio Halemarus nomine admo || dum religiosus . qui carnem suam sic afflixit : ut circa annos uiginti loricam ad carnem portaret : et inter lapides et ligna iaceret . huius manum : dum in molendino esset : lapis molaris casu apprehensam sic contriuit : ut carnem ab utraque parte auelleret : ossa et neruos contereret : ita ut in quodam mortario contrita quodammodo uideretur : qui tanto doloris aculeo urgeba-

tur : ut rogaret : quod manus sibi præcideretur . Cum igitur beatam Elisabet crebro in sui auxilium inuocaret : quæ etiam in uita sua sibi familiaris extiterat : quadam nocte ei apparuit dicens : uis sanus fieri ? Qui cum responderet : libenter : Illa manum appræhendens : neruos sanauit . ossa integrauit : et carnem ex utraque parte restituit : pristinæque sanitati donauit . Mane autem facto perfecte sanatum se reperit : et toti conuentui ipsam manum cunctis stupentibus sanatam ostendit . Quidam puer quinquennis Dictritus nomine : cum cæcus natus esset : meritis beatæ Elisabet lumen recepit . Pellis siquidem integra sine pilis palpebrarum uel aliqua pellis diuisione oculis superinducta fuerat : adeo ut totaliter oculos tegeret : nec substantiæ oculorum ullum iudicium† appareret . Mater igitur eius ad sepulchrum sanctæ Elisabet merita inuocauit : Et ecce pellis integra per medium scinditur : et eius oculi paruissimi turbulenti et sanguinolenti uidentur : Sicque puer beatæ Elisabet meritis suffragantibus adiutus beneficio est potitus . Puella quædam Beatrix nomine cum diu magnis et diuersis fuisset infirmitatibus molestata tandem gibo in dorso et struma in pectore excrescentibus sic est toto corpore incuruata : ut nulla se ratione erigeret : sed manibus super genua positis corpus suum taliter sustentaret . Cum igitur mater in quadam sporta eam ad tumulum sanctæ Elisabet deportasset : et per dies decem commorantes ibidem nullum potuissent sanitatis remedium inuenire : irata mater ipsius contra beatam Elisabet murmurauit dicens : Omnibus beneficia impendis : et me miseram non exaudis . Reuertens igitur omnes quos potero a uisitatione tui auertere procurabo . Cum ergo irata recederet et iam miliare et dimidium peregisset : et eius filia doloribus cruciata lugeret : tandem ipsa puella obdormiens | uidit quandam pulcherrimam dominam cum facie refulgenti : quæ corpus eius in dorso et pectore liniens dixit ei : surge : et ambula . Euigilans puella : et se ab omni deformitate et curuitate penitus sanatam inueniens : uisionem matri retulit : et gaudium et læticiam generauit . Redeuntes igitur ad sepulchrum sanctæ Elisabet deo et sibi gratias egerunt : et ibidem sportam in qua puella portata fuerat dimiserunt . Mulier quædam Gerdrudis nomine per multos annos utroque crure contracta et toto corpore curua in somnis ammonetur : ut ad sanctum Nicolaum proficiscens eius debeat merita implorare : quæ ad quandam ecclesiam sancti Nicolai portari se fecit : et in uno crure sanitatem inuenit . Tandem ad sepulchrum sanctæ Elisabet producta et super eius tumulum posita grauissimis doloribus stimulata et uelut amens effecta sana et incolumis exurrexit . Mulier quædam Gerundis nomine cum per annum integrum penitus cæca mansisset : et aliorum semper auxilio duceretur : ad rogandam sanctam Elisabet tota deuotione se contulit : et amissum lumen recepit . Vir quidam Henricus nomine : cum lumine oculorum penitus esset priuatus : sepulchrum sanctæ Elisabet uisitans plene curationis beneficium reportauit : Postmodum uero idem uir fluxu sangninis† adeo est grauatus : ut moriturus a familia crederetur . Accipiens uero de terra sepulchri sanctæ Elisabet et ipsam conterens : aqua commiscuit : et bibens plenam sanitatem inuenit . Puella quædam Metildis nomine treuerensis dyocesis : dum uisu priuata esset : et loquendi et ambulandi potentiam amisisset : pater eius et mater ad beatam Elisabet eam deuouerunt : et perfecte sanatam dei et beatæ Elisabet laudantes magnalia receperunt . Mulier quædam nomine Helingius : cum per annum cæca penitus extitisset : et pro sua curatione beatæ Elisabet merita inuocasset : ad tumulum eius duci se faciens unius oculi lumen recepit : quæ ad propria reuersa in alio oculo torqueri grauiter se sensit . Cum uero iterum eius merita imploraret : apparuit ei dicens : Accedens ad altare fac cum corporali tuos oculos uentilari : et sic recipies sanitatem : quæ cum iussa complesset sanitatem recepit . Vir quidam Theodoricus nomine in || genibus et cruribus grauissime infirmatus est ita : ut non posset pergere : nisi ab aliis portaretur : uotum fecit quod sepulchrum sanctæ Elisabet cum oblationibus uisitaret : et cum locus eius a tumulo tantum per decem milliaria distaret : uix in octo diebus potuit peruenire . Cum uero ibidem per quattuor septimanas mansisset : et nullum remedium impetrasset : domum redibat : Cumque in loco quodam iuxta alium infirmum decumbens quiesceret : uidit in somnis quendam ad se uenientem : et aqua totaliter perfundentem : qui euigilans contra socium iratus ait : quare me aqua taliter perfudisti ? qui ait : Ego te nullatenus perfudi : sed credo quod illa perfusio erit tibi causa salutis . Ille igitur surgens et totaliter se sanatum inueniens baculos super humeros posuit : et ad tumulum sanctæ Elisabet rediens gratiasque agens lætus ad proppria remeauit .

PASSIO SANCTI ERASMI MARTYRIS.

Facta est persecutio christianorum a Dioclitiano imperatore : ut si quis inuentus fuisset non sacrificare diis : multis suppliciis interiret . Hæc audiens beatus Erasmus heremum petiit annis septem : ubi multa mirabilia fecit in monte : qui dicitur Lybanus die ac nocte dominum deprecans : Nam esca ei per coruum uectabatur . Multas enim uirtutes per eum dominus faciebat ita : ut angeli cum eo loquerentur : Diuersæ etiam feræ ueniebant in cellulam eius : et prosternebant se ad eius uestigia : Et facta est ad eum uox de cælo dicens : Erasme descende ad tuam ciuitatem : et statim surrexit : et descendit ad ciuitatem : Cumque descendisset : multi qui uexabantur a spiritibus immundis occurrebant ei . Tunc beatus Erasmus imponebat eis manus in nomine domini : et statim salui fiebant . Multos etiam per baptismum conuertebat ad dominum . Hoc audiens Dioclitianus imperator : iussit beatum Erasmum teneri : et sibi præsentari : Cumque introduceretur : sedens Imperator pro tribunali interrogauit eum dicens : Quid uis esse : aut ex quo genere es tu? Tunc beatus Erasmus dixit : christianus sum : et Christi seruus : et ipsum confiteor . Erat autem beatus Erasmus non solum spiritu sed et corpore pulcher . uultus etiam | eius angelicus : oculi sicut radii solis : Loquella ipsius sine ulla offensione . Securus itaque respondebat et non trepidabat : ad quem ait Imperator : Acquiesce : et sacrifica diis meis : ut non male moriaris . Ad quem Erasmus : o Imperator nunquam ero : ut lapipibus† et sculptilibus : quibus tu ipse similis :† es sacrificem . sed ego sacrifico deo uiuo : qui fecit cælum et terram mare et omnia quæ in eis sunt . ipsi soli seruiet anima mea . tibi nunquam consentio . Tunc Imperator furore repletus iussit ministris : plumbatis latera eius tundi : qui dum cæderetur : respexit in cælum : et dixit : Gratias tibi ago domine Iesu Christe : qui es uia in te credentium : qua peruenit ad quod desyderat anima mea : adiuua seruum tuum : ut non me absorbeat abyssus mortis . Tunc Imperator dixit : Erasme uideo te iuuenem pulchrum . consule animæ tuæ : et sacrifica diis meis : et dabo tibi aurum argentum et uestem inextimabilem : faciamque te nobilem in palatio meo . Dicit ei beatus Erasmus : Lupe rapax seductor animarum : non premia tua seperant me a caritate Christi : Nam aurum et argentum et uestes tuæ inextimabiles sunt tecum in die perditionis tuæ . Ego autem habeo loricam fidei : quam infernus corrumpere non potest . Tu uero cum patre tuo diabolo eris in igne æterno arsurus . Tunc Imperator furore repletus iussit beatum Erasmum fustibus mactari . Ter nouos mutauit : et in dorso eius : nulla macula uidebatur . Vniuersa uero plebs clamabat : Vere magnus est deus christianorum : qui tantam uirtutem operatur in illo : Imperator dixit : erratis populi : artes maleficiorum operatur iste . Tunc beatus Erasmus dixit : Non ne et tu diabolus es similis illi : qui prothoplaustum de paradiso eiecit . Impie carnifex draco iniquitatis dux maleficiorum : maleficia mea Christus est filius dei uiui : quem uirgo genuit Maria ex uerbo : quem prophetæ uenturum prædicauerunt : qui soluit peccata muudi† illuminans tenebras ignorantiæ nostræ : qui te percutiet in æternum : cui et tu rationem redditurus es : Imperator furore repletus iussit beati Erasmi carnes uinculis ferreis effodi : Ille lætus propheticum psalmum deo canebat : Posuerunt Hierusalem ut pomorum custodiam . Posuerunt mortalia seruorum tuorum || bestiis terræ : Tunc Imperator iussit ministris plumbum picem sulfur resinam cum cæra et oleo solui : et beatum Erasmum perfundi . Stabat autem angelus domini : qui ei refrigerium præstabat . Tunc beatus Erasmus dixit : Quid est imperator ? ubi sunt tuæ minæ et furor tuus magnus ? Ecce corpori meo præstitisti refrigerium magnum . Vniuersa uero plebs clamabat . Dimitte hominem iustum et episcopum ciuitatis suæ : quia dominus christianorum operatur cum illo : Et ecce subito factus est terremotus magnus et tonitrua et corruscationes : ut pene pars tertia populi moreretur . Angelus uero domini cum beato Erasmo stabat : et cæcos homines ad Christi lumen deducebat . Imperator autem fugiens sperabat ciuitatem ab ira dei perire : qui locutus est ad populum : et dixit : Iste quem uidetis deos blasphemauit : ideo talis est perturbatio . Tunc Imperator repletus furore iussit beatum Erasmum in carcere retroduci : et centum pondera ferri in cer-

uicem : uel in manibus eius imponi : Et præcepit ministris : ut si quis inuentus fuisset : uel aquam ei dare : morte moreretur : Et fecerunt ministri : sicut eis præceptum fuerat . Imperator autem annulo suo signauit hostia carceris : Et circa mediam noctem exclamauit beatus Erasmus ad dominum dicens : domine Iesu Ghriste† accelera : et eripe me : ut non glorietur inimicus in seruis tuis : ne dicant gentes : ubi est deus eorum . Et ecce subito carcer illuxit : et fragrauit quasi fuisset plenus aromatibus : Et uisa sunt uelut duodecim candelabra aurea ardentia ante beatum Erasmum . Angelus enim domini ingressus fuerat ad eum dicens : Erasme ecce ego ueni ad te : et statim liquefactum est ferrum tanquam cera : et in medio eorum stabat psallens et benedicebat dominum dicens : Benedictus es domine : qui fecisti cælum et terram : cui astant angeli et arcangeli cum tremore et numerus prophetarum et martyrum : qui passi sunt propter te : qui fecisti cum seruo tuo misericordiam : et liberasti animam meam de manibus inimicorum meorum sicut liberasti Sidrach Misach et Abdenago de medio fornacis ignis ardentis : et de manibus Nabuchodonosor regis et Danielem seruum tuum de lacu leonum allato ei prandio per Abacuch prophetam : et Susanam a falso crimine | liberasti : et mecum fecisti misericordiam : Et ecce angelus domini dicit ad eum : Erasme exurge : et ambula mecum in Italiam : ibi tibi dominus æternam tribuet uitam in sæculum sæculi : Et quasi columbam Christi plaudentem sic in ciuitate lucido deposuit eum . Alia autem die Imperator currens ad carcerem signaturam annulli sui inuenit : Cumque resignasset : præcepit ministris dicens : adducite magum : qui deos meos pro nihilo fecit . Ingressi autem in carcerem nusquam eum inuenerunt . ferrum uero sicut cinis inuentum est : et factus est clamor magnus : hominem non inuenimus . Nam et ipsum ferrum cinis nobis uidetur esse : quod cum audisset Imperator : alapam sibi ipse in fronte percussit dicens : Væ mihi delusum est regnum meum . quid dicturus ero populo ? Venerunt enim quasi quadraginta millia uirorum mulierum ad spectaculum militis Christi . Turbabatur tota ciuitas in timore grandi posita . christiani christianum requirebant . Viduæ et orphani episcopum quærebant dicentes : Quid fecisti ? hominem iustum redde ciuitati . Tunc Imperator timore perterritus dixit : quia dii eum in cælum leuauerunt : et præmio magno se redemit . Et cum beatus Erasmus in lucem uenisset : et multos in Christi nomine baptizasset : omnia uirtutibus operabatur . Nam infirmos et cæcos orationibus curabat . Nobilis quidam erat : et primarius ciuitatis nomine Anastasius : cuius filius mortuus fuerat : et corpus eius ad sepulchrum deducebatur . Iussum enim fuerat beato Erasmo a domino : ut eum resuscitaret : et redderet parentibus suis : Et appræhendens beatus Erasmus feretrum eius dixit : Anastasi si credis in dominum Iesum Christum qui natus est de spiritusancto ex maria uirgine : recipies filium tuum saluum . Multa enim turba populi mirabantur .† hæc uerba Anastasius dixit : Et tu potes filium meum resuscitare ? Beatus Erasmus dixit : Non ego sed dominus Iesus Christus : cui ego seruio . Anastasius dixit : Si mihi filium meum redideris saluum : credo ego et domus mea et hic populus uniuersus . Tunc beatus Erasmus iussit corpus eius deponi : et secretius patrem et matrem eius iussit stare : et flexit genua iuxta corpus eius : et dixit : Puer exurge : Cumque sur || rexisset : exclamauit uoce magna : dicens uere quia magnus est deus christianorum pater : a quo nunc usque errauimus . Dii enim quos collebamus nihil sunt . Vidi enim eos in inferno non habere requiem a tortoribus . Dominus autem huius famuli Erasmi magnus est : et credidit Anastasius et tota domus eius et populus uniuersus : qui in illa hora fuerunt baptizati : Erant quasi centumtriginta animæ promiscui sexus . Tunc beatus Erasmus exclamauit uoce magna : Gratias tibi ago domine Iesu Christe : qui congregasti tibi populum in uiam ueritatis . Tu enim dixisti in euangelica uoce : petite et accipietis . quærite : et inuenietis . pulsate : et aperietur uobis . Benedic populum tuum hunc : quem acquisisti tibi : et facta est uox ad eum de cælo dicens : Erasme serue bone qui pro me laboras in terris omnia quæcumque petieris dabuntur tibi : et benedixit dominus populum hunc : qui crediderunt in illa hora : et omnia idola quæ colebant euerterunt . Per septem dies beatus Erasmus docens populum confirmans in Christi doctrina dicebat : custodite mandata eius : quæ audistis : et magnalia eius quæ fecit in uobis . Induite loricam fidei : et iam fideles estote . Audiens hæc Maximianus imperator quæ facta fuerant in Lucrido ciuitate a Probo iniquissimo homine et sacrilego : qui dixit : Audi pie Imperator : quæ facta sunt in ciuitate tua : et

regnum tuum delusum est : et dii uestri nescio a quó homine Antiocheno subuersi sunt : qui confitetur illum Iesum Christum : qui crucifixus est ab hominibus in Iudæa : deum esse : quo audito Imperator iussit beatum Erasmum teneri : et præsentato eo præparatum tribunal ascendit : Et ingressus est beatus Erasmus : ad quem Imperator dicit : scelerate homo quæ est tibi relligio ? Tunc beatus Erasmus tacuit : et oculis suis in cælum respexit . Imperator autem dixit ei : Nihil loqueris ? et iussit maxillas eius contundi . Tunc beatus Erasmus dixit : Lupe rapax plene iniquitate malefice quid persequeris seruum dei ? Imperator dixit : quem confiteris ? Beatus Erasmus dixit : Iesum Christum filium dei . Imperator dixit : Non ne hic ipse est : qui crucifixus est ab hominibus in Iudæa ? Tunc beatus Erasmus dixit : ipsius | ego seruus sum . Imperator dixit : Talis sis qualis ipse est : et sic moriaris . Tunc beatus Erasmus surridens ait illi : Optime Imperator bene dixisti mihi : ut illius ego merear uestigia sequi : quia effusio sanguinis illius nostra illuminatio est : quem si uolueris cognoscere : et in illum credere : saluus eris . Imperator dixit : tu in illum credas et genus tuum . Beatus Erasmus dixit : Optime dixisti mihi : plane quia sic credimus : et hostias laudis et iubilationis munera offerimus ei : qui saluauit populum suum a peccatis eorum . Imperator dixit : Consule tibi : et acquiesce : et sacrifica diis meis. Tunc beatus Erasmus respondit . Quos deos iubes me adorare ? cui Imperator : Si tibi dixero : consentis ? ad hoc beatus Erasmus respondit : Si uidero : forte facio . Tunc gaudio repletus Imperator cum uniuerso populo usque ad templum Iouis currens iussit hominem dei deduci ad ciuitatem Sirmitanam : et præcepit organa et omne genus musicorum in templo parari . Hoc uidens beatus Erasmus ingemuit corde et oculis suis ad cælum respexit dicens : Christe fili dei uiui esto præsens in ista hora : et mitte angelum tuum : qui mihi auxilietur : et confirmet me in ista pugna diaboli : quam mihi præparauit : Cumque peruenisset in templum beatus Erasmus dixit . Vbi est deus : quem me iubes adorare ? Imperator autem apprehendens manum eius ingressus est in templum : et ostendit ei statuam auream magnitudinis cubitorum duodecim : Et dixit : ecce deus meus : cui seruio . Statimque ut diabolus aspexit faciem martyris et athletæ Christi : cecidit statua : et in cinerem euersa est : et exiuit draco magnus ex illa : et occidit pene tertiam partem populi . Imperator autem uidens se esse delusum : ascendit equum : et ad palatium pergebat : percutiens pectus suum : et dicens : Væ mihi . Delusum est regnum meum a nescio quo homine Antiocheno : Media autem pars populi clamabat : Sancte serue dei ora pro nobis : ut non pereamus ab isto dracone . Tunc beatus Erasmus dixit : Credite in deum : in quem ego credo : et salui eritis : et nolite seduci . Tunc beatus Erasmus imperauit draconi : ut ultra quemquam hominum non contaminaret : Videns autem uniuersus populus christianorum uoce || magna clamabtt† dicens : quia magnus : est deus christianorum . qui tantas uirtutes operatur per seruum suum : Beatus Erasmus dixit : ecce quales uirtutes operatur Christus per seruos suos : qui credunt in illum : Et baptizati sunt a beato Erasmo quasi mille homines . Erat enim certamen in cælo et spectacula angelorum et pars diaboli quæ non pugnabat . Tunc beatus Erasmus exclamauit uoce magna : Gloria in excelsis deo et in terra pax homiuibus† bonæ uoluntatis : Et omnis populus qui conuersus fuerat ad deum . responderunt : Amen . Conturbata est autem omnis ciuitas Sirmitana . Conterritus uero Imperator misit armatos milites : et iussit omnes qui ad dominum conuersi fuerant gladio puniri . trucidauerunt autem trecentos triginta homines commendantes se orationibus sancti Erasmi martyris : quibus ait : Ite in nomine domini feliciter ad ciuitatem sanctam quam uobis deus præparauit : et ego post modicum tempus uenio ad uos . Erant autem angeli currentes per nubes cæli suscipientes animas eorum et triumphantes martyres usque ad cælum gloriosam passionem : Et audita est uox psallentium in cælo : Via iustorum recta facta est : et iter sanctorum præparatum est : Quod uidens beatus Erasmus gratulabatur ut bonus pastor super oues : quas tradidit Christo . Tunc Imperator furore repletus iussit teneri beatum Erasmum : et diuersis suppliciis torqueri : Et iussit ministris tunicam æream fieri aduersus staturam eius et igneam . fortiterque eum uestiri dicens : Nunc uidero : si deus tuus erripiet te de manibus meis . Tunc beatus Erasmus dixit : Carnifex plene iniquitate fili diaboli uerecundiam tuam laudo : quia deterior es cane . Dixi tibi : et nunc dico : non timeo minas tuas : et si ampliora facias : cor meum non trepidabit : Et signans se signo crucis : uestiuit

se tunica ignea psallens propheticum psalmum : Transiuimus per ignem et aquam : et duxisti nos in refrigerium : Et item tanquam aurum in fornace probasti omnes : qui in te credunt : Et sicut holocausti hostiam dignam suscepisti eos . Statim tunica ignea qua indutus fuerat facta est frigida sicut nix ita : ut nulla macula super eum inuenta fuisset : Tunc beatus Erasmus dixit : Ecce Imperator confusus es cum patre tuo diabolo : cum quo eris in | igne æterno arsurus . Nam dominus meus Iesus Christus liberauit me . Populus autem clamabat : uere quia magnus est deus christianorum : qui tantas uirtutes operatur in illo . Imperator dixit : Artes sunt maleficiorum : ut igni imperet : et deos nostros deludat . Tuuc† beatus Erasmus dixit : Stultissime Imperator quæ putas maleficia mea? Mecum est Christus filius dei uiui . ipse qui imperat : et deos tuos deludit : lapides : et æramenta surda ab hominibus conflata : quibus te ipse similis es : Nam dominus meus Iesus Christus uiuus est : et uirtutibus uincit : Imperator dicit : Quam diu iniurias tuas tollerare possum? Tunc beatus Erasmus dixit etiam : et Ego miror uerecundiam frontis tuæ : quia non erubescis . Tunc Imperator iussit ministris suis : ollam parari urnarum uiginti . et plumbum picemque simul cum cera et resina et oleo solui : et repleri ac succendi : Et fecerunt ministri : sicut eis præceptum fuerat : et ferue facta est olla : et fluctuabat sicut mare . Tunc beatus Erasmus dixit Imperatori : Ista olla est refrigerium meum : quare facto signaculo Christi descendit in eam : Statimque ait : Vox domini super aquas multas . deus maiestatis intonuit : Et effudit unam undam ex olla . et instillauit Imperatorem : qui exclamauit : Ardeo homo dei . ora pro me : Tunc beatus Erasmus dixit : Væ tibi lupe rapax et gehennæ ignis : quam tibi parauit simul et patri tuo diabolo et ministris eius deus . Scio : quia cor tuum obduratum est : sed propter populum hunc circumstantem tibi bene erit : et quieuit illi dolor . Multi autem in illa hora crediderunt . Imperator autem uidit iam se fatigatum esse : et iussit martyrem dei recipi in arctam custodiam : et eum ingenti ferri pondere colligari : Cumque orasset : apparuit ei angelus dei iuuenis similis : et uocans eum dixit illi . Erasme surge . ego sum Michael angelus : missus sum ad te : ut te ducam in Campaniam prouinciam : quæ uocatur Formias ad docendum populum . et appræhendens eum de ciuitate Sirmitana . ueniensque ad quendam locum nauiculam a domino paratam inuenit . et transmigrauit eum in prouinciam Campaniam . Alia uero die turbatus est Imperator : quod eum non inuenisset dicens : quia deus eripuit eum . Seruus autem dei et martyr Christi uenit || et sedit in ciuitate Formiana cum militia angelorum et orauit ad dominum : et requiescebat . Angelus autem domini panem ei quottidie ministrabat : Et facta est ad eum uox de cælo dicens : Erasme ueni : et requiesce in ciuitatem : quam parauit dominus fratribus tuis martyribus et prophetis : et recipe laborem tuum . Per te enim honorificatus sum in cælo et in terra : Et respexit beatus Erasmus in cælum : et uidit coronam inenarrabilem in occursum sibi decore uenientem et choros apostolorum et prophetarum et inclinauit caput suum : et adorauit dominum : et dixit : Domine Iesu Christe suscipe animam serui tui : Et cum complesset orationem : emisit spiritum : Et uisa est anima eius plus candida : quam nix et quomodo ab angelis deducebatur cum gloria magna et cum illis cælum penetrabat . Tunc beatus Erasmus pro uiduis et orphanis deprecabatur dicens : Domine Iesu Christe unigenite fili dei patris : qui me fecisti requiescere : in loco meo : qui est locus habitationis tuæ : concede : ut qui me petierit in nomine tuo : recipiat mercedem suam sabbato et dominica : Ego Erasmus de hoc loco non recedam . Triumphauit autem martyr Christi in cælo : et facta est ad eum uox de cælo clarissima dicens : Erasme serue bone quæcumque petisti accipies . Intra in gaudium domini tui : et epulare cum iustis et electis dei in sæcula sæculorum : Amen . passus est autem beatissimus martyr Erasmus quarto nonarum iuliarum temporibus Dioclitiani et Maximiani imperatorum : Regnante domino nostro Iesu Christo : cui est honor et gloria in sæcula sæculorum . Amen .

DE SANCTIS FLAVIANO ET FAVSTO ET SANCTA DAFROSA AC BIBIANA EIVS FILIA VIRGINE ET MARTYRE .

Temporibus Iuliani Imperatoris erat quidam uir illustris præfectus urbis nomine Flauianus cum uxore Dafrosa filiabusque Bibiana et Dimitria : qui omnes occulte christiani erant . Cumque Imperatori nunciatum esset : ab ipso Flauiano sanctorum corpora nocte sepeliri : ipsum in exilium deportari fecit : Qui triduo post in | oratione permanens dormitionem accepit in domino . xi . calendas ianuarii . Eodem tempore Dafrosa cum duabus filiis in domo sua nudata remansit : quam Iulianus fame cruciari iussit : si diis non sacrificauerit et maritum non acceperit . At illa permanens in fide Christi Imperatori obedire renuit . Tradidit autem Iulianus ipsam cuidam Fausto propinquo suo ut illam a sancto proposito reuocaret . quid multa Faustus ipse ex ore ipsius Dafrose de fide Christi euidentissima documenta audiens illico credidit : et a Iohanne presbytero baptizatus est : posteaque a Iuliano requisitus christianum se esse confitetur . Cui Iulianus . seductus es Fauste . respondit Faustus ut ueritatem cognoscas Iuliane : orabo deum meum et tu inuoca deos tuos : et uideamus quis exaudiatur . Iulianus ait : insanis Fauste . sanctus autem Faustus flexis genibus in oratione domino spiritum reddidit sexto idus iunii : cuius corpus Dafrosa in domo sua sepeliuit . mox in somnis uidit uirum suum sibi dicentem : ueni Dafrosa et accipe coronam tuam : et post dies quinque orando ad dominum emisit spiritum : ibique sepulta est idibus iunii : quod ægre ferens Iulianus iussit duas eius filias ad se adduci : quæ cum adductæ fuissent : protinus Dimitria timore perterrita spiritum exhalauit : hoc audiens Imperator confusus dixit : requiratur mulier quæ possit uel istam docere doctrinam deorum . data est ergo Bibiana cuidam sacrilege mulieri Rufine nomine : a qua licet menses sex suasa satis impelleretur : idolis immolaret et matrimonio se coniungeret : Bibiana tamen uirgo sanctissima in fide Christi perseuerans ipsam Rufinam deridebat . Proinde Rufina uidens maximam puellæ constantiam Imperatori renunciauit . Eodem itaque die iussit Imperator ipsam Bibianam ætatis annorum quattuordeci† plumbatis durissime cædi : quod cum factum fuisset : quarto die post Iuliani iussum sanguinem per os eius emanans emisit spiritum : cuius corpus iacuit duos dies in foro tauri . Iubente Iuliano imperatore : Tandem raptum a Iohanne præsbytero nocte sepultum est . in domo ubi mater et soror sepulte fuerant iuxta palatium litumanum romæ quarto nonas decembris . Regnante domino nostro Iesu Christo : cui est honor et gloria in sæcula sæculorum . Amen . ||

PROLOGVS IN VITAM BEATI FRANCISCI CONFESSORIS .

Apparuit gratia dei saluatoris nostri diebus istis omnibus uere nouissimis in seruo suo Francisco omnibus uere humilibus et sanctæ paupertatis amicis : qui superaffluentem in eo dei misericordiam uenerantes : ipsius erudiuntur exemplo : impietatem et sæcularia desyderia funditus abnegare : Christo conformiter uiuere : et beatam spem cum desyderio indefesso sitire . In ipsum namque ut uere pauperculum et contritum tanta deus excelsus benignitatis dignatione respexit : ut non solum de sæcularis conuersationis puluere suscitauerit egenum : uerum etiam euangelicæ perfectionis professorem ducem atque præconem effectum in lucem dederit credentium : ut testimonium perhibendo de lumine : uiam lucis et pacis ad corda fidelium domino præpararet . Hic et enim quasi stella matutina in medio nebulæ claris uitæ micans et doctrine fulgoribus sedentes in tenebris et umbra mortis irradiatione præflugida† direxit in lucem : et tanquam arcus refulgens inter nebulas gloriæ signum in se dominici fœderis repræsentans : pacem et salutem euangelizauit hominibus : existens et ipse angelus uere pacis . Secundum imitatoriam quoque similitudinem præcursoris destinatus a deo : ut uiam parans in deserto altissimæ paupertatis tam exemplo quam uerbo

pœnitentiam prædicaret . Primum supernæ gratiæ præuentus donis : dehinc uirtutis inuictæ adauctus meritis prophetali quoque repletus spiritu : nec non et angelico deputatus officio incendioque seraphico totus ignitus : et uir hierarchicus curru igneo sursum uectus : sicut ex ipsius uitæ decursu luculenter apparet : rationabiliter comprobatur uenisse in spiritu et uirtute Helyæ : Ideoque alterius amici sponsi apostoli et euangelistæ Iohannis uaticinatione ueridica sub similitudine angeli ascendentis ab ortu solis signumque dei uiui habentis astruitur non immerito designatus . Sub apparitione namque sexti sigilli uidi ait Iohannes in apocalipsi alterum angelum ascendentem ab ortu solis habentem signum dei uiui . Hunc dei nuncium amabilem Christo imitabilem nobis et ad mirabilem | mundo seruum dei fuisse Franciscum indubitabili fide colligimus : si culmen in eo eximiæ sanctitatis aduertimus : qua inter homines uiuens imitator fuit puritatis angelicæ : qui et positus est perfectis Christi sectatoribus in exemplum : Ad quod quidem fideliter sentiendum et pie non solum inducit officium quod habuit uocandi ad flætum et planctum : Caluitium et Cingulum saccri signumque thau super frontes uirorum gementium et dolentium signo pœnitentialis crucis et habitus Christi conformis . uerum etiam et irrefragabili ueritatis testificatione confirmat signaculum similitudinis dei uiuentis Christi uidelicet crucifixi : quod in corpore ipsius fuit impressum non per naturæ uirtutem uel ingenium artis sed potius per admirandam potentiam spiritus dei uiui . Ad huius tam uenerabilis uiri uitam omni imitatione dignissimam describendam indignum et insufficientem me sentiens id nullatenus attemptassem : nisi me fratrum feruens incitasset affectus : generalis quoque capituli concors indixisset instantia : et ea quam ad sanctum patrem habere teneor deuotio compulisset : ut pote qui per ipsius inuocationem et merita in puerili ætate sicut recenti memoria teneo a mortis faucibus erutus : si præconia laudis eius tacuero : timeo sceleris argui ut ingratus : Et hæc penes me causa præcipua hunc assumendi laborem : ut ego qui uitam corporis et animæ a deo mihi conseruatam recognosco per ipsum : et uirtutem eius in me ipsum expertus agnoui : uitæ illius uirtutes actus et uerba : quasi fragmenta quædam partim neglecta partimque dispersa quanquam plene non possem utcumque colligere : ne morientibus his qui cum famulo dei conuixerant : deperirent . Vt igitur uitæ ipsius ueritas ad posteros transmittenda certius mihi constaret et clarius : audiens locum originis conuersationis et transitus uiri sancti cum sociis familiaribus eius adhuc superuiuentibus collationem de hiis habui diligentem : et maxime cum quibusdam qui sanctitatis eius conscii fuerunt et sectatores præcipui : quibus propter agnitam ueritatem probatamque uirtutem fides est indubitabilis adhibenda . In descriptione autem eorum quæ per seruum suum deus dignanter effecit : curiosum stili ornatum negligendum esse putaui : cum legentes deuotio plus simplici ser || mone quam phalerato proficiat . Nec semper historiam secundum ordinem temporis texui propter confusionem uitandam : sed potius ordinem aptioris uincturæ seruare curaui : secundum quod eodem peracta tempore diuersis materiis uel diuersis patrata temporibus eidem materiæ congruere uidebantur . Initium autem uitæ ipsius progressus et consumatio quindecim distincta capitulis describuntur inferius annotatis .

De conuersione ipsius in habitu sæculari .

Vir erat in ciuitate Assisii Franciscus nomine : cuius memoria in benedictione est pro eo : quod deus ipsum in benedictionibus dulcedinis benignæ præueniens : et de præsentis uitæ periculis clæmenter eripuit : et cælestis gratiæ donis affluenter impleuit . Et enim cum inter uanos fuerit hominum filios iuuenili ætate nutritus in uanis : et post aliqualem litterarum noticiam lucratiuis mercaturæ deputatus negociis : superno sibi assistente præsidio nec inter lasciuos iuuenes quamuis effusus ad gaudia post carnis petulantiam abiit : nec inter cupidos : quanquam intentus ad lucra sperauit in pecuniæ thesauris . Inerat namque iuuenis Francisci præcordiis diuinitus indita quædam ad pauperes miseratio liberalis : quæ secum ab infantia crescens tanta cor ipsius benignitate repleuerat : ut iam euangelii non surdus auditor omni proponeret se petenti tribuere : maxime si diuinum allegaret amorem . Cum autem aliquando negotiationis intentus tumultibus pauperem quendam pro amore dei petentem eleimosynam præter solitum morem uacuum repulisset : statim ad cor reuersus cucurrit post

ipsum : et eleimosyna illi clæmenter impensa : promisit domino deo nunquam extunc dum adesset possibilitas petentibus pro amore dei se negare : Quod usque ad mortem indefessa pietate obseruans copiosa in deum dilectionis et gratiæ incrementa promeruit . Aiebat enim post cum iam perfecte Christum induerat : quod etiam existens in habitu sæculari uocem diuini expræsiuam amoris audire uix unquam sine cordis immutatione ualebat . Porro mansuetudinis leuitas cum elegantia morum : patientia et tractabilitas super humanum modum : munificentiæ largitas ultra suppetentiam facultatum : quibus bonæ indolis adolescens certis florere conspiciebatur indiciis : quædam uidebantur esse præludia : quod copiosior super foret | in posterum diuinæ benedictionis habundantia diffundenda . Quidam sane uir de Assisio ualde simplex ut creditur eruditus a deo : cum aliquando per ciuitatem eunti obuiaret Francisco : deponebat palium : sternebat ipsius pedibus uestimentum : asserens omnium fore Franciscum reuerentia dignum : ut pote qui esset in proximo magna facturus : et ob hoc ab uniuersitate fidelium magnifice honorandus . Ignorabat autem adhuc Franciscus circa se concilium dei pro eo : quod tam iussione patris ad exteriora distractus quam coruptione naturalis originis ad inferiora depræssus nondum didicerat contemplari cælestia : nec assueuerat degustare diuina . Et quia spirituali auditui dat intellectum inflicta uexatio : facta est super eum manus et immutatio dextere excelsi : diutinis languoribus ipsius corpus affligens : ut coaptaret animam ad sancti spiritus unctionem : Cumque resumptis corporis uiribus sibi uestimenta decentia more solito præparasset : obuium habuit militem quændam generosum quidem : sed pauperem et male indutum : Cuius pauperiem pio miseratus affectu : illum protinus se exuto uestiuit : ut simul in uno geminum impleret pietatis officium : quo et nobilis militis uerecondiam tegeret : et pauperis hominis penuriam releuaret . Nocte uero sequenti cum se sopori dedisset : palatium speciosum et magnum cum militaribus armis crucis Christi signaculo insignitis clæmentia sibi diuina monstrauit : ut misericordiam pro summi regis amore pauperi exhibitam militi præostenderet incomparabili compensandam esse mercede : Vude† et cum quæreret : cuius essent illa omnia : sua fore militumque suorum superna fuit assertione responsum . Euigilans itaque mane cum nondum haberet exercitatum ad diuina animum perscrutanda mysteria : nesciretque per uisibilium species transire ad contuendam inuisibilium ueritatem : magne fore prosperitatis inditium extimabat insolitam uisionem . Disposuit itaque diuinæ adhuc dispositionis ignarus in Apuliam ad quendam liberalem comitem se conferre : in ipsius sperans obsequio decus adipisci militiæ : ut ostensa sibi uisio prætendebat : Cumque paulo post iter aggressus usque ad proximam ciuitatem audiuit in nocte dominum familiari sibi allocutione dicentem : Francisce quis potest tibi melius facere : dominus || aut seruus : diues aut pauper ? Cui cum Franciscus respondisset : quod tam dominus quam diues melius facere posset : intulit statim : Cur ergo relinquis pro seruo dominum : et pro paupere homine diuitem deum ? Et Franciscus : Quid me uis domine facere ? Et dominus ad eum : Reuertere in terram tuam : quia uisio quam uidisti spiritualem præfigurat effectum : non humana sed diuina in te dispositione complendum . Mane itaque facto cum festinatione reuertitur uersus Assisium securus et gaudens : et iam exemplar obedientiæ factus expectabat domini uoluntatem . Ex tunc a publicæ negotiationis tumultu se subtrahens supernam deuote precabatur clæmentiam : ut quid sibi foret agendum : ostendere dignaretur . Cum autem ex frequenti orationis usu flama desyderii cælestis in eo uæhementer succresceret : et iam pro amore supernæ patriæ terrena omnia despiceret quasi nihil : thesaurum sentiebat se reperisse absconditum : ac uelut prudens negotiator : margaritam inuentam excogitabat uenditis omnibus comparare . Adhuc tamen qualiter illud ignorabat ageret : nisi quia ipsius suggerebatur spiritui : quod spiritualis mercatio a mundi contemptu sumat initium : Christique militia sit a sui ipsius uictoria inchoanda . Quadam itaque die dum equitaret per planitiem : quæ subiacet ciuitati Assisii : leprosum quendam habuit obuium : cuius inopinatus occursus ei non paruum incussit horrorem . Recurrens autem ad perfectionis mente iam conceptæ propositum : et recolens : quod se ipsum oporteret primum deuincere : si uellet effici Christi miles : ad deosculandum eum equo lapsus occurrit : Cui cum manum quasi aliquid accepturus leprosus protenderet : peccuniam cum osculo deportauit . Statim autem equum ascendens et se circumquaque uertens cum campus pateret undique liber

leprosum illum minime uidit . Admiratione itaque repletus et gaudio laudes cœpit domino decantare devotæ : proponens ex hoc semper ad maiora conscendere : solitaria proinde loca quærebat amica mæroribus : in quibus gemitibus dum inenarrabilibus incessanter intenderet : post loāng† precum instantiam a domino meruit exaudiri . Dum enim una dierum sic sequestratus oraret : et præ nimietate feruoris totus esset absortus in deum : apparuit ei Christus Iesus ueluti cruci confi | xus : ad cuius conspectum liquæfacta est anima eius : et memoria passionis Christi uisceribus cordis ipsius adeo impressa medulitus : ut ab illa hora cum Christi crucifixio ueniret in mentem : uix posset a lachrymis et gemitibus continere exterius : sicut ipse familiariter post modum retulit : cum appropinquaret ad finem . Intellexit nempe illud euangelicum sibi dici : Si uis uenire post me : abnega temetipsum : et tolle crucem tuam : et sequere me . Induit ex tunc spiritum paupertatis : humilitatis sensum et affectum intimæ . Nam cum prius leprosorum non solum consortium uerum etiam longinquum contuitum uæhementer horreret : iam propter Christum crucifixum qui iuxta uerbum propheticum contemptibilis ut leprosus apparuit : ut semetipsum plene contempneret humilitatis et humanitatis obsequia leprosis benefica pietate præstabat . Visitabat enim frequentius domos ipsorum : liberaliter eis elæimosynas erogabat : et cum multæ compassionis affectu manus eorum osculabatur et ora . Pauperibus etiam mendicantibus non solum sua uerum etiam se ipsum cupiebat impendere aliquando uestimenta dissuens : Aliquando ut ea eis largiretur scindens : cum præ manibus alia non haberet . Sacerdotibus etiam pauperibus reuerenter et pie subueniebat præcipue in ornamentis altaris : quo et cultus diuini particeps fieret : et cultorum inopiæ supplementa præberet . Cum autem religiosa deuotione tunc temporis limina uisitaret apostoli Petri : conspecta multitudine pauperum ante fores ecclesiæ partim pietatis ductus dulcedine partim paupertatis allectus amore : uni ex eis magis egenti proprias largitus est uestes : et semicintiis contectus illius : diem illum in medio pauperum cum insolita spiritus iucunditate transegit : ut et sæcularem gloriam sperneret : et ad perfectionem euangelicam perueniret . Mortificationi carnis inuigilabat attentius : ut christi crucem quam ferebat in corde exterius etiam circumferret in corpore . Agebat autem hæc omnia uir dei Franciscus nondum habitu uel conuictu sequestratus a mundo .

De perfecta conuersione eius ad deum et de reparatione ecclesiarum .

Quoniam autem seruus altissimi doctorem non habebat aliquem in huiusmodi nisi || Christum : addidit adhuc ipsius clæmentia eum uisitare in gratiæ dulcedine . Dum enim die quadam egressus ad meditandum : in agro de ambularet iuxta ecclesiam sancti Damiani : quæ minabatur præ nimia uestutare† ruinam : et in eam instigante spiritu causa orationis intrasset : prostratus ante imaginem crucifixi non modica fuit in orando spiritus consolatione repletus : Cumque lachrymosis oculis intenderet in dominicam crucem : uocem de ipsa cruce delapsam ad eum corporeis audiuit auribus ter dicentem : Francisce uade : et repara domum meam : quæ ut cernis tota destruitur . Tremefactus Franciscus cum esset in ecclesia solus : stupet ad tam mirande uocis auditum : cordeque percipiens diuini uirtutem eloquii mentis alienatur excessu . In se tandem reuersus : ad obediendum se parat : totumque se recolligit ad mandatum de materiali ecclesia reparanda : licet principalior intentio uerbi ad eam ferretur : quam Christus suo sanguine acquisiuit : sicut eum spiritus sanctus edocuit : ut ipse post modum fratribus reuelauit . Surrexit proinde signo crucis se muniens : et assumptis pannis uenalibus ad ciuitatem quæ Fulgineum dicitur festinus accessit : ibique uenditis quæ portauerat : equum cui tunc insedebat felix mercator assumpto pretio dereliquit : Benedicensque Assisium : ecclesiam de cuius reparatione mandatum acceperat reuerenter intrauit : et inuento illic sacerdoti pauperculo reuerentiam exhibuit : decentem ad reparationem ecclesiæ et pauperum usum pecuuiam† obtulit : et ut secum se morari pateretur ad tempus humiliter requisiuit . Acquieuit sacerdos de mora ipsius : sed timore pecuniam recusauit . Quam uerus pecuniarum contemptor in quandam fenestram proiiciens : abiectam uelut puluerem uillipendit . Moram autem faciente seruo dei cum sacerdote prædicto : cum hoc intellexisset pater ipsius perturbatus animo cucurrit ad locum . At ipse quia nouus Christi erat athleta : cum

audiret persequentium minas : et eorum præsentiret aduentum : dare locum iræ uolens in quadam occulta fouea se abscondit : in qua diebus aliquibus latitando rogabat dominum incessanter lachrymarum imbre perfusus : ut liberaret de manibus persequentium animam suam : et pia quæ inspirauerat uota benigno fauore compleret . Igitur exces || siua quadam completus læticia cœpit de pusillanimitatis ignauia semetipsum arguere : relictaque fouea et abiecto pauore uersus ciuitatem Assisii uiam aggressus est : quem cum ciues cernerent facie squalidum et mente mutatum : ac per hoc alienatum putarent a sensu : luto platearum et lapidibus impetebant : et tanquam insano et dementi clamosis ei uocibus insultabant . Famulus autem domini nulla fractus aut mutatus iniuria : ut surdus in omnibus pertransibat : Cumque clamorem huiusmodi pater audisset : statim accurrens non ad liberandum eum sed potius ad perdendum omni miseratione subtracta per tractum domi : primo uerbis : deinde uerberibus et uinculis anxit . Ipse autem ad exequendum quod cœperat promptior ex hoc et ualidior reddebatur : recollens illud euangelii uerbum : beati qui persecutionem patiuntur propter iusticiam : quoniam ipsorum est regnum cælorum . Post paruum autem tempus patre a patria descedente : mater eius factum mariti non approbans et inflexibilem filii constantiam emoliri posse non sperans a uinculis absolutum abire permisit . At ipse gratias omnipotenti domino referens ad locum in quo prius fuerat est reuersus . Rediens autem pater : et eum non inueniens domi conuiciis illatis uxori fremens cucurrit ad locum : ut si eum reuocare non posset : saltem de prouincia effugaret . Franciscus uero confortatus a deo obuium ultro se obtulit patri furenti libera uoce clamans illum pro nihilo ducere uincula et uerbera : insuper et contestans se pro Christi nomine gaudenter mala omnia subiturum . Videns itaque pater : quod eum reuocare non posset : ad extorquendam pecuniam se conuertit : qua tandem inuenta in fenestrella quadam : aliquantulum ipsius mitigatus est furor : auariciæ siti utcumque per haustum pecuniæ temperata . Temptabat deinde pater carnis filium gratiæ pecunia iam nudatum ducere coram episcopo ciuitatis : ut in ipsius manibus facultatibus renunciaret paternis : et omnia redderet : quæ habebat : ad quod faciendum se promptum exhibuit uerus paupertatis amator : Perueniensque coram episcopo nec moras patitur nec cunctatur de aliquo nec uerba expectat nec facit : sed continuo depositis omnibus uestimentis : restituit ea patri . Inuentus est autem uir dei tunc cylicium sub uestibus delicatis super carnem habere . Insuper ex admiran || do feruore spiritu ebrius reiectis etiam femoralibus totus coram omnibus denudatur dicens ad patrem : usque nunc uocaui te patrem in terris : a modo autem secure possum dicere pater noster qui es in cælis : apud quem omnem thesaurum reposui : et omnem spei fiduciam collocaui . Hoc cernens episcopus et admirans tam ingentem in uiro dei feruorem : protinus exurrexit et inter brachia sua illum cum flætu recolligens : uti erat uir pius et bonus pallio quo erat amictus operuit : præcipiens suis : ut aliquid sibi darent ad membra corporis contegenda . Oblatum est autem ei palliolum tenue et uillæ agricolæ cuiusdam seruientis episcopi : quem ipse gratanter suscipiens : cum cœmento quod sibi occurrit ad modum crucis manu propria consignauit : operimentum formans ex eo crucifixi hominis et pauperis semiundi† . Sic igitur seruus regis altissimi nudus relictus est : ut nudum sequeretur crucifixum dominum : quem amabat : sic utique cruce munitus : ut animam signo salutis comitteret : per quod de mundi naufragio saluus exiret . Solutus exinde mundi contemptor a uinculis mundanarum cupidinum : ciuitate relicta securus et liber secretum solitudinis petiit : ut solus et silens supernæ audiret allocutionis arcanum : Dumque per syluam quandam iter faciens laudes domino lingua Francorum uir dei Franciscus cum iubilo decantaret : latrones super eum ex abditis irruerunt : quibus ferali animo interrogantibus : quis nam esset : uir dei confidentia plenus prophetica uoce respondit : præco sum magni regis . At illi percutientes eum in defossum locum plenum niuibus proiecerunt dicentes : Iace isthic præco dei . Ipse uero illis recedentibus exiliuit de fouea : et magno exhilaratus gaudio altiore cœpit uoce per nemora laudes creatori omnium decantare preiucunde . Et ueniens ad quoddam uicinum cœnobium elæimosynam petit ut mendicus : et recepit ut incognitus et despectus . Ille uero progrediens deuenit Eugubium ubi ab amico quodam pristino cognitus et susceptus : paupere tunicula ut Christi pauperculus contectus est . Deinde totius humilitatis amator se transtulit ad leprosos . eratque cum eis : diligentissime seruiens omnibus propter deum . Laua-

bat ipsorum pedes . Ligabat ulcera : educebat plagarum putredinem et sani | em abstergebat . Osculabatur etiam ex miranda deuotione hulcerosas plagas ipsorum euangelicus medicus mox futurus . Propter quod tantam a domino est consecutus uirtutem : ut in spiritualibus et corporalibus morbis mirabiliter expurgandis mirabilem efficaciam obtineret . Referam de multis unum : Viri dei fama post latius clarescente : cum cuiusdam de comitatu spoletaneo os pariter et maxilam morbus horribilis depascendo corroderet : nec subueniri posset aliquo medicinæ remedio : contigit : ut propter sanctorum exposcenda merita apostolorum uisitatis liminibus rediens de peregrinatione Francisco occurreret : cumque præ deuotione uellet ipsius osculari uestigia : uir humilis hoc non ferens osculari uolenti pedes osculum oris dedit . Dum autem leprosorum seruus Franciscus mirabili pietate illam plagam horribilem ore sacro contingeret : subito æger ille omni morbo fugato sanitatem recuperauit optatam . Nescio quod horum magis sit merito admirandum : an humilitatis profunditas in tam benigno osculo : an uirtutis præclaritas in miraculo tam stupendo . Fundatus iam in Christi humilitate Franciscus ad memoriam reducit obedientiam sibi e cruce iniunctam de sancti Damiani ecclesia reparanda : et tanquam uerus obediens Assisium rediit : ut saltem mendicando uoci diuinæ pareret . Depositaque omni uerecondia propter amorem pauperis crucifixi mendicabat apud eos inter quos abundare solebat : debile corpus attritum ieiuniis oneribus lapidum supponendo . Prædicta igitur ecclesia iuuante eum domino et deuotione assistente reffecta : ne post laborem corpus torperet ignauia transtulit se ad reparandam ecclesiam quandam sancti Petri longius a ciuitate distantem ob deuotionem specialem : quam ad apostolorum principem sinceræ fidei puritate gerebat . Hac tandem ecclesia consumata peruenit ad locum : qui porciuncula dicitur : in quo ecclesia beatissime uirginis genitricis dei antiquitus fabricata extabat : sed deserta tunc a nemine curabatur : quam cum uir dei sic derelictam conspiceret : ob deuotionem in dominam mundi feruentem cœpit illic assidue pro ipsius reparatione morari . Sentiens autem iuxta nomen ipsius ecclesiæ quod ab antiquo sancta Maria de angelis uocabatur : angelicarum ibi uisitatio || num frequentiam : pedem fixit ibidem propter reuerentiam angelorum : amoreque præcipuo matris Christi hunc locum præ ceteris mundi locis amauit . Hic et enim humiliter cœpit . Hic ad uirtutem profecit : hic feliciter se conseruauit . Hunc moriens fratribus tanquam uirgini carissimum commendauit . De hoc frater quidam deo deuotus ante conuersionem suam uisionem uiderat relatione condignam . Innumeros cernebat homines cæcitate percussos : facie in cælum directa et genibus flexis in huius ecclesiæ stare circuitu : qui omnes protensis manibus in altum lachrimabiliter a deo misericordiam et lumen petebant . Et ecce ingens de cælo splendor aduenit sese per omnes diffundens : qui unicuique tribuit lumen : et salutem desyderatam concessit . Hic est locus : in quo fratrum minorum ordo a sancto Francisco per diuinæ reuelationis instinctum inchoatus est . Diuinæ namque prouidentiæ nutu qua Christi seruus dirrigebatur in omnibus : tres materiales erexit ecclesias antequam ordinem inchoans euangelium prædicaret : ut non solum a sensibilibus ad intelligibilia : a minoribus ad maiora ordinatio progressu conscenderet : uerum etiam ut quid esset facturus in posterum sensibili foris opere mysteriis præsignaret . Nam instar reparatæ triplicis fabricæ ipsius sancti uiri ducatu secundum datam ab eo formam regulam et doctrinam Christi triformiter renouanda erat ecclesia : trinaque triumphatura militia saluandorum : sicut et nunc cernimus esse completum .

De institutione relligionis et aprobatione regulæ .

In ecclesia igitur uirginis matris dei moram faciente ipsius seruo Francisco et apud eam quæ concepit uerbum plenum gratiæ et ueritatis continuis existente gemitibus ut fieri dignaretur sibi aduocata : meritis matris misericordiæ concepit ipse : ac peperit spiritum euangelicæ ueritatis . Quare cum die quadam missam de apostolis deuotus audiret : perlectum est euangelium illud : in quo Christus discipulis ad prædicandum mittendis formam tribuit euangelicam in uiuendo : ne uidelicet possideant aurum uel argentum : nec in zonis pecuniam nec peram in uia : nec duas tunicas habeant : nec calciamenta deferant nec uirgam : quod audiens et intelligens : ac memo | riæ commendans apostolicæ paupertatis amicus : indicibili mox perfusus læticia . Hoc inquit est :

quod cupio : hoc est quod totis præcordiis concupisco . Soluit proinde calciamenta de pedibus . deponit baculum . peram et pecuniam execratur : unaque tunicula contentus reiecta corigia pro cingulo funem sumit : omnemque sollicitudinem cordis apponit : quo pacto perficiat audita : et apostolicæ rectitudinis regulæ per omnia se coaptet . Cœpit ex hoc uir dei diuino instinctu euangelicæ perfectionis æmulator fieri : et ad pœnitentiam cæteros inuitare . Erant ipsius eloquia non inania nec risu digna sed uirtute spiritus sancti plena . erant medulas cordis penetrantia : ut in uæhementem stuporem audientes conuerterent . In omni prædicatione sua pacem annuncians : dicendo : dominus det uobis pacem : populum in sermonis exordio salutabat . Hanc quippe salutationem domino reuelante didicerat : sicut ipse postmodum testabatur . Vnde factum est : ut iuxta sermonem propheticum et ipse spiritu prophetarum afflatus anunciaret pacem : prædicaret salutem : ac salutaribus monitis plurimos uere paci fæderaret : qui discordes a Christo prius fuerant extiterantque a salute longinqui . Innotescente itaque apud multos uiri dei tam de doctrinæ simpliciis ueritate quam uitæ : cœperunt ipsius exemplo uiri quidam ad pœnitentiam animari : et eidem reiectis omnibus habitu uitaque coniungi : quorum primus uenerabilis uir Bernardus fuit : qui uocationis diuinæ particeps factus : patris primogenitus tam prioritate temporis quam priuilegio sanctitatis esse promeruit . Hic enim serui Christi sanctitate comperta : ipsius exemplo disponens perfecte contempnere mundum : ab eodem qualiter id perficeret requisiuit : quo audito dei famulus pro primæ prolis conceptu sancti spiritus consolatione repletus : a deo inquit est hoc consilium requirendum . Intrauerunt proinde ecclesiam sancti Nicolai mane iam facto : et iam oratione præmissa cultor trinitatis Franciscus euangeliorum librum aperuit trino poscens a deo testimonio sanctum Bernardi propositum confirmari . In libri apertione illud occurrit : Si uis perfectus esse : uade : et uende omnia quæ habes : et da pauperibus . In secunda : nihil tuleritis in uia . In ter || tia uero : qui uult uenire post me abneget semetipsum et tollat crucem suam : et sequatur me . Hæc est ait uir sanctus uita et regula nostra : omniumque qui nostræ uoluerint societati coniungi . Vade igitur : si uis esse perfectus : et perfice : quæ audisti : Non multo post uocatis eodem spiritu quinque uiris : filiorum Francisci senarius numerus completus est : inter quos tertium sortitus est locum sanctus pater Aegidius uir utique deo plenus et celebri memoria dignus . Hic et enim postmodum uirtutum sublimium exercitatione præclarus : sicut famulus domini de ipso prædixit : quanquam esset idiota et simplex : ad excelse contemplationis sublimatus est uerticem . Nám per multa temporum curricula sursum actionibus incessanter intentus adeo crébris in deum excessibus rapiebatur : quemadmodum et ego ipse occulta fide conspexi : ut magis cerneretur inter homines uitam angelicam agere quam humanam . Illo quoque tempore cuidam sacerdoti ciuitatis Assisii nomine Syluestro honestæ conuersationis uiro quædam a domino ostensa fuit uisio non sane tacenda . Cumque modum et uiam Francisci fratrumque suorum humano spiritu abhorreret : ne periclitaretur pro temeritate iudicii : respectu fuit supernæ gratiæ uisitatus . uidebat namque in somnis totam Assisii ciuitatem a dracone magno circundari : præ cuius magnitudine nimia tota uidebatur regio exterminio subiacere . Contuebatur post hæc crucem quandam auream Francisci ex ore procedentem : cuius sublimitas tangebat cælos : cuiusque brachia protensa in latum usque ad mundi fines uidebantur extendi : Ad cuius etiam aspectum præfulgidum draco ille teter et horridus fugabatur . Hoc dum sibi tertio monstraretur : diuinum existimans esse oraculum : uiro dei et fratribus suis per ordinem enarrauit : ac non multo post mundum relinquens uestigiis Christi sic perseueranter adhæsit : ut uita ipsius in ordine autenticam redderet eam : quam habuerat in sæculo uisionem . Ex huius uisionis auditu uir dei non in gloriam est elatus humanam : sed bonitatem dei in sui beneficiis recognoscens ; fortius animatus est ad hostis antiqui fugandam uersutiam : et crucis Christi prædicandam gloriam . Quadam enim die dum in solitario loco annos suos in amaritudine recogitans deploraret : sancti spiritus in eum superueniente lætitia de plena | ria remissione omnium delictorum certificatus est . Raptus deinde supra se : ac in quoddam mirandum lumen totus absortus dilatato mentis sinu quæ circa se et filios suos futura erant luculenter aspexit . Post hæc reuersus ad fratres confortamini ait carissimi : et gaudete in domino : nec quia pauci estis : efficiamini tristes : nec uos terreat mea uel uestra simplicitas : quoniam sicut mihi a domino ostensum est : in

ueritate in magnam multitudinem faciet nos deus crescere : suæque benedictionis gratia multipliciter dilatabit . Eodem quoque tempore quodam alio bono uiro religionem intrante ad septenarium numerum uiri dei soboles benedicta peruenit . Tunc pius pater omnes ad se filios conuocauit : et plura eis de regno dei : de contemptu mundi : de abnegatione propriæ uoluntatis corporisque castigatione pronuncians : propositum suum de mittendo illos in quattuor orbis partes aperuit . Iam enim paupercula simplicitas sancti patris pepererat septem : et desyderabat uniuersitatem fidelium ad pœnitentiæ lamenta uocatam Christo domino parturire : Ite inquit dulcis pater ad filios : annunciantes hominibus pacem : prædicate pœnitentiam in remissionem peccatorum . Estote in tribulationibus patientes : in orationibus uigiles : in laboribus strenui : in sermonibus modesti : in moribus graues et in beneficiis grati : quia pro his omnibus regnum uobis præparatur æternum . At illi coram seruo dei humiliter se prosternentes cum gaudio spiritus suscipiebant obedientiæ sanctæ mandatum . Ipse uero dicebat unicuique singilatim : Iacta cogitatum tuum in domino : et ipse te enutriet . Hoc uerbum dicere solitus erat : quotienscumque fratrem aliquem ad obedientiam dirigebat . Tunc et ipse sciens se datum aliis in exemplum : ut prius faceret : quam doceret : cum uno e sociis uersus quandam orbis perrexit partem reliquis sex ad modum crucis aliis partibus mundi destinatis . Modico autem elapso post tempore benignus pater caræ prolis exoptans præsentiam : cum in unum eos per se conuocare non posset . per eum orabat hoc fieri : qui dispersiones congregat Israelis : et ita factum est : ut absque humana uocatione omnes ex insperato post modicum tempus iuxta eius desyderium diuina operante clæmentia non sine ipsorum admiratione pariter conuenirent . Illis quoque diebus quat || tuor ei adhærentibus uiris honestis ad duodenarium numerum exercuerunt†. Cernens autem famulus Christi paulatim accrescere numerum fratrum scripsit sibi et fratribus suis simplicibus uerbis formulam uitæ in qua sancti euangelii obseruantia pro fundamento indissolubili collocata pauca quædam alia inseruit : quæ ad uniformem uiuendi modum necessaria uidebantur . Desyderans autem per summum pontificem approbari : quæ scripserat : disposuit cum illo simplici cœtu apostolicæ sædis de sola confisus directione diuina adire præsentiam : Cuius desyderium deus ex alto respiciens : sociorum animos simplicitatis suæ consyderatione perterritos ostensa uiro dei uisione huiusmodi confortauit . Videbatur si quidem ei : per quandam uiam incedere : iuxta quam stabat arbor magnæ celsitudinis : Ad quam cum appropinquasset : et substans ipsius altutudinem† miraretur : subito usque adeo diuina uirtute in altum tollebatur : ut cacumen arboris contingeret eiusque summam facillime curuaret ad ima . huius uisionis præsagium uir deo plenus intelligens referri ad condescensionem apostolicæ dignitatis exhilaratus est spiritu : fratribusque suis in domino confortatis iter cum eis aggressus est . Dum autem ad romanam curiam peruenisset : et ad summi pontificis conspectum adduceretur : essetque Christi uicarius in palatio lateranensi in loco : qui speculum dicitur : et deambulans altis meditationibus occupatus : Christi famulum tanquam ignotum repulit indignanter : quo humiliter foras egresso sequenti nocte huiusmodi reuelatio facta est a deo Christi summo pontifici . Videbat namque inter pedes suos palmam paulatim crescere : et in pulcherrimam eleuari : eoque mirante : quid hæc uisio uellet : diuina lux impressit menti ipsius Christi uicarii : quod hæc palma illum pauperem quem in præcedenti die repulerat designabat : Quare mane sequenti mandauit per urbem dictum pauperem quæri : quem inuentum iuxta lateranum in hospitali beati Antonii ante conspectum suum celeriter iussit adduci . Et cum introductus esset : exposuit propositum suum . Petens humiliter et instanter supradictam sibi uiuendi regulam approbari . Videns autem Christi uicarius dominus Innocentius tertius : uir utique sapientia clarus admirandam in uiro dei | simplicis animi paupertatem : propositi constantiam : ignitumque uoluntatis sanctæ feruorem : Christi pauperem mentis amore complectens : inclinatus est animo : ut pium supplicanti præberet assensum . Distulit tamen perficere : quod Christi postulabat pauperculus : quod hoc quibusdam cardinalium nouum quid et supra uires humanas arduum uideretur . Aderat autem inter cardinales uir uenerandus dominus Iohannes de Sanctopaulo episcopus sabinensis omnis sanctitatis amator et adiutor pauperum Christi : qui diuino spiritu inflamatus summo pontifici et fratribus suis ita dixit : Si petitionem pauperis huius tanquam nimis arduam nouamque refellimus : cum petat confirmari sibi for-

mam euangelicæ uitæ : cauendum est nobis : ne in euangelium Christi offendamus . Nam si quis intra euengelicæ† perfectionis obseruantiam et uotum ipsius dicāt† contineri aliquid nouum aut irrationabile uel impossibile ad seruandum : contra Christum euangelii auctorem blasphemare conuincitur : quibus propositis successor apostoli Petri conuersus ad pauperem Christi : dixit : Ora fili ad Christum : ut suam nobis pro te uoluntatem ostendat : qua citius cognita tuis piis desyderiis securius annuamus . Omnipotentis dei famulus totum se conferens ad orandum : precibus deuotis obtinuit : et quid exterius ipse proferet : et quid interius papa sentiret . Nam cum parabolam de diuite rege cum muliere formosa et paupere contrahente gratanter et de prole suscepta præferente generantis regis ymaginem : ac per hæc educanda de mensa ipsius sicut a deo receperat retulisset : ex illius interprætatione subiunxit : Non est formidandum : quod fame pereant æterni regis filii et hæredes : qui ad ymaginem regis Christi per spiritus sancti uirtutem de matre paupere nati : et ipsi per spiritum paupertatis sunt in relligione paupercula generandi . Si enim rex cælorum imitatoribus suis regnum promittit cælorum : quanto magis illa sumministrabit quæ communiter largitur bonis et malis ? hanc itaque parabolam et intellectum ipsius . Christi uicarius cum diligenter audisset : miratus est ualde : et indubitanter Christum locutum in homine recognouit . Sed et uisionem quam tunc temporis e cælo perceperat : in hoc uiro fore complendam spiritu diuino suggerente firmauit || Videbat namque in somnis ut retulit lateranensem basilicam fore proximam iam ruinæ : quam quidam homo pauperculus modicus et despectus proprio dorso submisso ne caderet substentabat . Vere inquit : hic est ille : qui opere et doctrina Christi sustentabit ecclesiam . Inde præcipua deuotione repletus petitioni eius se per omnia inclinauit : ac Christi famulum semper amore dilexit : proinde postulata concessit : et adhuc concedere plura promisit . Approbauit regulam : dedit de pœnitentia prædicanda mandatum : et laicis fratribus omnibus : qui seruum dei comitati fuerant coronas iussit paruulas fieri : ut uerbum libere prædicarent .

De profectu ordinis sub manu ipsius et de confirmatione regulæ prius approbatæ .

Frætus exinde Franciscus superna gratia et auctoritate papali : cum fiducia multa uersus uallem spoletanam iter arripuit : ut euangelium Christi faceret : et doceret . Dum autem in uia conferret cum sociis : quonam modo regulam quam susceperant sincere seruarent : et in omni sanctitate ac iusticia coram deo incenderent† : in seque ipsis proficerent : et essent aliis in exemplum : diutius collatione protracta hora pertransiit : Et cum lassati essent ex diuturnitate laboris exurientes in loco solitudinis substiterunt . Sane cum omnis uia deesset : qua possent sibi de uictu necessario prouidere : statim prouidentia dei affuit . Nam subito apparuit homo afferens panem in manu : quem pauperculis Christi dedit : subitoque disparuit : unde uenerit uel quo iret incognitus . Cognoscentes autem per pauperes fratres supernum sibi in comitatu uiri dei adesse præsidium : magis dono liberalitatis diuinæ quam cibo carnis propriæ sunt refecti . Insuper diuina consolatione repleti statuerunt firmiter et irreuocabiliter confirmauerunt nullius inediæ aut tribulationi impulsu a sanctæ paupertatis resilire promisso . exinde in uallem spoletanam cum sancto proposito residentes tractare cœperunt : utrum inter homines conuersari : an ad loca solitaria se conferre deberent : at Christi seruus Franciscus non de sua uel suorum confidens industria per orationis instantiam diuinæ super hoc uoluntatis beneplacitum requisiuit . Super | næ igitur reuelationis illustratus oraculo intellexit se ad hoc missum a domino : ut Christo lucraretur animas : quas diabolus conabatur auferre . Ideoque magis omnibus quam sibi soli uiuere præelegit : illius prouocatus exemplo : qui unus pro omnibus mori dignatus est . Recolegit itaque se uir dei cum cæteris sociis in quodam tugurio derelicto iuxta ciuitatem Assisii : in quo secundum sanctæ paupertatis formam labore multo et in opia uictitabant : magis lachrymarum quam deliciarum panibus refici satagentes . Vacabant enim ibidem diuinis precibus incessanter : mentaliter potius quam uocaliter studio intendentes orationis : pro eo quod nondum ecclesiasticos libros habebant : in quibus horas canonicas decantare possent . Loco tamen illorum librum

crucis Christi continuatis aspectibus diebus ac noctibus reuoluebant exemplo patris et eloquio eruditi : qui iugiter faciebat eis de Christi cruce sermonem . Rogantibus autem fratribus : ut eos doceret orare : dixit : cum orabitis dicite : pater noster : et adoramus te Christe ad omnes ecclesias tuas : quæ sunt in toto mundo : et benedicimus tibi : quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum . Docuit insuper eos : deum laudare in omnibus : et ex omnibus creaturis : honorare præcipua reuerentia sacerdotes fidei quoque ueritatem ut sancta Romana tenet et docet ecclesia et firmiter credere : et simpliciter confiteri . Seruabant illi patris documenta per omnia : et ad omnes ecclesias et cruces quas e longinquo uidere poterant iuxta datam sibi formam orantes : se humiliter prosternebant . Contrahentibus autem fratribus moram in loco præfato uir sanctus die quadam sabbati ciuitatem intrauit Assisii prædicaturus mane diei dominicæ ut moris erat in ecclesia catedrali : Cumque in quodam tugurio sito in horto canonicorum uir deo deuotus in oratione dei more solito pernoctaret corporaliter absentatus a filiis : ecce fere media noctis hora quibusdam e fratribus quiescentibus : quibusdam perseuerantibus in orando : currus igneus mirandi splendoris per hostium domus intrans : huc tquea† illuc per domicilium tertio se conuertit : supra quem globus lucidus residebat : qui solis habens aspectum noctem clarere fecit . Obstupefacti sunt ui || gilantes : excitati simul et exterriti dormientes : et non minus senserunt cordis claritatem quam corporis : dum ex uirtute mirandi luminis alterius alteri conscientia nuda fuit . Intellexerunt nanque concorditer omnes uidentibus inuicem uniuersis in cordibus singulorum sanctum patrem absentem corpore : præsentem spiritu tali transfiguratum effigiæ supernis irradiatum fulgoribus : et ardoribus inflamatum : supernaturali uirtute in curru splendente simul et igneo sibi a domino demonstrari : ut tanquam ueri Israelitæ post illum incederent : qui uirorum spiritualium ut alter Helias factus fuerat a deo currus et auriga . Credendum sane : quod ille horum simplicium apperuit oculos ad preces Francisci : ut uiderent magnalia dei : qui oculos condam apperuerat pueri ad uidendum montem plenum equorum et igneorum currum† in circuitu Helisei . Regressus autem uir sanctus ad fratres cœpit conscientiarum ipsorum secreta rimari . consolari ipsos de uisione illa mirabili : et de profectu ordinis multa futura prædicere . Cumque patefaceret plurima . quæ sensum transcendebant humanum : uere cognouerunt fratres super seruum Franciscum spiritum domini in tanta plenitudine quieuisse : quod post ipsius doctrinam et uitam erat eis tutissimum proficisci . Post hæc gregis pastor Franciscus ad sanctam Mariam de portiuncula duodenarium illum fratrum superna gratia præeunte deduxit : ut ubi meritis matris dei minorum sumpserat ordo initium : ipsius illic susciperet auxiliis incrementum . Ibi quoque factus euangelicus præco ciuitates circuibat et castra : non in doctis humanæ sapientiæ uerbis : sed in uirtute spiritus annuncians regnum dei . uidebatur intuentibus homo alterius sæculi : quippe qui mente et facie in cælum semper intentus : omnes sursum trahere conaretur . Cœpit ex hoc Christi uinea germinare germen odoris domini : et productis ex se floribus suauitatis honoris et honestatis huberes fructus afferre . Nam prædicationis in feruore succensi quamplurimi : secundum formam a dei uiro acceptam nouis se pœnitentiæ legibus uinciebant : quorum uiuendi modum idem Christi famulus ordinem fratrum de pœnitentia nominari decreuit . Nimirum sicut in cælum tendetibus† pœnitentiæ uiam omnibus constat esse com | munem : sic et hic status clericos et laicos uirgines et coniugatos in utroque sexu admittens : quanti sit apud deum meriti ex pluribus per aliquos ipsorum patratis miraculis innotescit . Conuertebantur etiam uirgines ad perpetuum cælibatum : inter quas uirgo deo carissima Clara ipsarum plantula prima tanquam flos uernans et candidus odorem dedit : et tanquam stella præfulgida radiauit . Hæc nunc glorificata in cælis : ab ecclesia digne ueneratur in terris : quæ filia fuit in Christo sancti patris Francisci pauperculi : et mater pauperum dominarum . Multi etiam non solum deuotione compuncti : sed et perfectionis Christi desyderio inflamati : omni mundanorum uanitate contempta Francisci uestigia sequebantur : qui cottidianis succrescentes profectibus usque ad fratres orbis terræ celeriter peruenerunt . Faciebat namque sancta paupertas quam solam deferebant pro sumptibus : ipsos ad omnem obedientiam promptos robustos ad labores : et ad itinera expeditos . Et quia nihil terrenum habebant : nihilque timebant amittere : securi erant ubique : nullo pauore suspensi : nulla cura distracti : tanquam qui absque mentis turbatione

uiuebant : et sine solicitudine diem crastinum et serotinum hospitium expectabant . Multa quidem eis in diuersis partibus orbis inferebantur conuicia tanquam personis despicabilibus et ignotis : Verum amor euangelii Christi adeo ipsos patientes effecerat : ut quærerent potius ibi esse : ubi persecutionem paterentur in corpore : quam ubi cognita sanctitate ipsorum mundano possent gloriari fauore . Ipsa quoque rerum penuria superhabundans eis uidebatur hubertas : dum iuxta consilium sapientis : pro magno ipsis minimum complacebat . Sane cum ad infidelium partes aliqui ex fratribus peruenissent : contigit : ut quidam sarracenus pietate commotus pecuniam eis pro necessario offerret uictu . Illis autem recusantibus accipere : admiratus est homo cernens : quod inopes essent . Intellecto tandem quod amore dei pauperes effecti pecuniam possidere nolebant : tanta est eis affectione coniunctus : ut offerret se ad ministrandum necessaria omnia quandiu facultatum sibi aliquid superesset . Oh inextimalem paupertatis pretiositatem : Cuius miranda uirtuet† mens feritatis barbaricæ in tantam miserationis dulcedinem || est mutata . Horrendum proinde ac nefarium scælus : ut hanc margaritam nobilem uir christianus conculcet : quam tanta ueneratione extulit sarracenus . Eo tempore quidam de ordine cruciferorum Moricus nomine in hospitali quodam prope Assisium langore tam graui tamque prolyxo laborans : ut iam morti foret adiudicatus a medicis : uiro dei supplex factus per nuncium postulabat instanter : ut pro se ad dominum intercedere dignaretur : Cui beatus pater benigne assentiens oratione præmissa panis micas accepit : et cum oleo accepto de lampade quæ coram uirginis ardebat altari commiscens : quasi quoddam electuarium per manus fratrum infirmanti transmisit dicens : Medicinam hanc fratri nostro deferte Morico : qua ipsum Christi uirtus non solum plenæ sanitati restituet : uerum etiam robustum bellatorem effectum aciei nostræ perseueranter adiunget . Statim autem ut antidotum illud sanctispiritus adinuentione confectum æger homo gustauit . sanus exurgens tantum mentis et corporis a deo uigorem obtinuit : ut paulo post uiri sancti religionem ingressus : et unica tantum operiretur tunicula : sub qua longo tempore loricam portabat ad carnem : et crudis dumtaxat cibariis hærbis uidelicet leguminibus frugibusque contentus per plura temporum lustra nec panem gustaret nec uinum : fortis tamen et incolumis perseuerans : crescentibus quoque uirtutum meritis in paruulis Christi : odor opinionis bonæ circumquaque diffusus ad pœnitentiam sancti patris uidendam plurimos e diuersis mundi partibus attrahebat : inter quos quidam sæcularium cantionum curiosus inuentor : qui ab imperatore propter hoc fuerat coronatus : et inde rex uersuum dictus : uirum dei contemptorem mundialium adire proposuit : Cumque apud castellum Sanctiseuerini eum in monasterio quodam prædicantem repperisset : facta manu domini super illum uidit eundem crucis Christi prædicatorem Franciscum duobus ensibus transuersis ualde fulgentibus in modum crucis signatum : quorum unus a capite :† ad pedes alius a manu in manum per pectus transuersaliter tendebatur . Non nouerat facie seruum Christi : sed tanto miraculo monstratum mox agnouit . Subito stupefactus ad uisum incipit meliora proponere : Tandemque | uerborum ipsius compunctus uirtute : tanquam si esset gladio acutissimo spiritus ex eius ore procedente transfixus : sæcularibus pompis omnino contemptis beato patri professione cohæsit : propter quod uidens uir sanctus ab inquietudine sæculi ad Christi pacem perfecte conuersum fratrem Pacificum appellauit . Hic postmodum in omni sanctitate proficiens : antequam fieret minister in Francia : si quidem prius ibidem ministerii gessit officium : meruit iterato signum thau in fronte Francisci uidere : quod colorum uarietate distinctum faciem ipsius miro uenustabat ornatu . Hoc quippe signum uir sanctus magno uenerabatur affectu . frequenti commendabat eloquio : et in eis quas dirrigebat litterulas manu propria subscribebat : tanquam si omne ipsius studium foret signare thau iuxta dictum propheticum : super frontes uirorum gementium et dolentium ad Christum iesum ueraciter conuersorum . Processu quoque temporis multiplicatis iam fratribus cœpit eos pastor sollicitus in loco sanctæ Mariæ de portiuncula ad generale capitulum conuocare ut in funiculo distributionis diuinæ in terra paupertatis eorum unicuique tribueret obedientiæ mandatum : Vbi licet omnium necessariorum penuria esset : fratrumque multitudo ultra quinque millia conueniret aliquando : diuina tamen opitulante clæmentia et uictus sufficientia suberat : et salus comitabatur corporea et spiritualis iucunditas affluebat . Capitulis uero prouincialibus quia corporalem præsentiam exhibere non poterat :

per sollicitam curam regiminis instantiam precis et efficaciam benedictionis spiritu præsens erat : quamuis aliquando misericordia dei faciente uirtutem uisibiliter appareret . Dum enim egregius prædicator : qui et nunc Christi præclarus confessor Antonius de titulo crucis Iesus nazarenus rex Iudeorum in arelatensi capitulo fratribus prædicaret : quidam frater probatæ uirtutis Monaldus nomine ad hostium capituli diuina commonitione respiciens uidit corporeis oculis beatum Franciscum in aere subleuatum extensis uelut in cruce manibus benedicentem fratres . Tanta uero et tam insolita fratres omnes consolatione spiritus repletos se fuisse senserunt : ut de uera sancti patris præsentia certum eis intra se spiritus testimonium perhiberet : licet post || modum id non solum per euidentia signa : Verum etiam per eiusdem sancti patris uerba exteriori fuerit attestatione compertum . Credendum sane : quod dei omnipotentis uirtus quæ Ambrosium sacrum antistitem tumulationi gloriosi concessit interesse Martini : ut pium pontificem pio ueneraretur officio : etiam seruum suum Franciscum prædicationi præsentauit ueracis sui præconis Antonii : ut approbaret ueritatis eloquia de præcipua cruce Christi : cuius erat et baiulus et minister . Cum autem dilatato iam ordine uiuendi formam per dominum Innocentium approbatam disponeret per successorem ipsius Honorium perpetuum facere roborari : huiusmodi fuit a deo commonitus . uidebatur siquidem sibi de terra micas panum subtilissimas collegisse : multisque famelicis fratribus ipsum circumstantibus debere tribuere : cumque micas tam tenues distribuere formidaret : ne forte inter manus exciderent : uox ei desuper ait : Francisce unam de micis omnibus hostiam facito : et manducare uolentibus tribue : quo id agente : qnicumque† illud non deuote recipiebant : aut receptum contempnebant donum : mox lepra infecti notabiles apparebant . Recitat mane sanctus hæc omnia sociis : dolens se non percipere mysterium uisionis : Sequenti uero die cum uigil in oratione persisteret : huiusmodi uocem de cælo delapsam audiuit : Francisce micæ præteritæ noctis uerba euangelica sunt . hostia regula . lepra iniquitas . Volens igitur confirmandam regulam ex uerborum euangelii aggregatione profusius traditam ad compendiosiorem formam iuxta quod dictabat uisio monstrata redigere : in montem quendam cum duobus sociis spiritusancto ducente conscendit : ubi pane tantum contentus et aqua ieiunans : conscribi eam fecit : secundum quod oranti sibi diuinus spiritus suggerebat : quam cum de monte descendens seruandam suo uicario commisisset : et ille paucis elapsis diebus assereret per incuriam perditam : iterato sanctus uir ad locum solitudinis rediit : eamque instar prioris : ac si ex ore dei uerba susciperet : illico reparauit : et per supradictum dominum Honorium papam octauo pontificatus illius anno sicut optauerat obtinuit confirmari . Ad cuius obseruantiam fratres feruenter inducens : dicebat se nihil ibi posuisse secundum industriam propriam : sed omnia sic scribi fecisse : sicut sibi fuerant diuinitus re | uelata : quod ut certius constaret testimonio dei : paucis admodum euolutis diebus impressa sunt ei stigmata domini Iesu digito dei uiui tanquam bulla summi pontificis Christi ad confirmationem omnimodam regulæ et commendationem auctoris : sicut post suarum enarrationem uirtutum suo loco inferius describetur .

De austeritate uitæ : et quomodo creaturæ præbebant ei solatium .

Cum igitur cerneret uir dei Franciscus suo exemplo ad crucem Christi : baiulandam feruenti spiritu plurimos animari animabatur et ipse tanquam bonus dux exercitus Christi ad palmam uictoriæ per culmen inuictæ peruenire uirtutis . Attendens enim illud apostoli uerbum : qui autem sunt Christi carnem suam crucifixerunt cum uitiis et concupiscentiis : ut crucis armaturam suo ferret in corpore : tanta disciplinæ rigiditate sensuales appetitus arcebat : ut uix necessaria sumeret sustentationi naturæ . Difficille namque fore dicebat : necessitati corporis satisfacere : et pronitati sensuum non parcre† : propter quod cocta cibaria sanitatis tempore uix admittebat et raro : admissa uero aut conficiebat cinere : aut condimenti saporem admixtione aquæ ut plurimum reddebat insipidum : De potu uini quid dicam : cum de aqua dum sitis æstuaret ardore : uix ad sufficientiam biberet ? Modos adinueniebat abstinentiæ potioris : et quottidie exercitatione crescebat . quod iam perfectionis culmen attingeret : tanquam semper incipiens aliquid innouabat afflictionibus carnis puniendo libidinem . Egrediens tamen exterius propter uerbum euangelii conforma-

bat se suscipientibus ipsum in qualitate ciborum : cum tamen ad interiora regressus districte seruaret rigidam abstinetiæ† parcitatem : sicque se ipsum austerum sibi : humanum proximo : subiectum euangelio Christi per omnia reddens : non solum abstinendo uerum etiam manducando præbebat ædificationis exemplum . Nuda humus ut frequentius lectus erat lassato corpusculo : et sæpius sedens ligno uel lapide ad caput posito dormiebat . unica paupere contectus tunicula : in nuditate domino seruiebat et frigore . Interrogatus aliquando quomodo uestitu tam tenui se posset ab hyemalis algoris asperitate tueri : in spiritus feruore respondit : Si supernæ patriæ flamma per || desyderium contegeremur interius : frigus istud exterius facile portaremus . Vestis horrebat mollitiem : asperitatem amabat : asserens propter hoc Iohannem baptistam ore diuino fuisse laudatum . Si quando uero data sibi tunica lenitatem sentiret : cordulis eam contexebat interius : quia non in casulis pauperum sed in palatiis principum iuxta ueritatis uerbum uestimentorum dicebat requirendam esse mollitiem . Experientia enim certa didicerat dæmones asperitate terreri : in deliciosis autem et molibus ad temptandum fortius animari . Vnde cum nocte quadam propter infirmitatem capitis et oculorum præter solitum morem ceruical de pluma positum haberet ad caput : dæmon in illud ingressus : ipsum usque ad horam matutinalem inquietatum multimode a sanctæ orationis studio perturbauit : donec uocato socio pluuinar† cum dæmonio fecit extra cellulam longius exportari . Egressus autem cum pluinari† frater de cella membrorum omnium uires amisit et usum : quousque ad uocem sancti patris hoc cognoscentis in spiritu uigor pristinus cordis et corporis ei fuit plenarie restitutus . Rigidus in disciplina super custodiam suam stabat : curam permaximam gerens de utriusque hominis puritate seruanda : qua propter circa conuersionis suæ primordia tempore hyemali in foueam glacie plenam se ipsum plerumque mergebat : ut et domesticum sibi hostem perfecte subigeret : et candidum uestimentum pudoris a uoluptatis incendio præseruaret . Tolerabilius uiro spirituali fore incomparabiliter asserebat : magnum sustinere frigus in carne : quam ardorem libidinis carnalis uel modicum in mente sentire . Cum autem apud heremum de Sarchiano nocte quadam orationi uacaret in cellula : uocauit eum hostis antiquus tertio dicens : Francisce . Francisce . Francisce . Cui cum quid respondisset : fallaciter ille subiunxerat : Nullus est in mundo peccator : qui si fuerit conuersus non indulgeat deus . Sed quicumque semetipsum pœnitentia dura necauerit : misericordiam non inueniet in æternum : Statim uir dei per reuelationem cognouit hostis fallaciam : quomodo ausus fuerit eum ad tepida reuocare . Nam hæc sequens indicauit euentus . Continuo post hoc ad insufflationem illius cuius alius† prunas ardere facit : grauis ipsum carnis | tempatio† appræhendit : quam ut præsensit castitatis amator : deposita ueste corda cœpit se uerberare fortissime : eia inquiens frater asine : sic te decet manere : sic subire flagellum . Tunica religioni deseruit sanctitatis signaculum præfert : furari eam a libidinoso non licet . Si quo uis pergere : perge : Insuper et mirando feruore spiritus animatus aperta cella foras exiuit in hortum : et in magnam demergens niuem corpusculum iam nudatum septem ex ea plenis manibus confixit massas : quas sibi proponens suo sic exteriori homini loquebatur : Ecce inquit hæc maior uxor est : quattuor isti duo filii et duæ filiæ : reliquæ duæ seruus et ancilla : quos ad seruiendum habere oportet . Festina igitur omnes induere : quoniam frigore moriuntur : Si uero eorum multiplex sollicitudo molestat : uni domino sollicite serui . Illico temptator uictus abscessit : et uir sanctus in cellam cum uictoria rediit : quia dum bene pœnaliter foris arsit : ardorem interius sic extinxit libidinis : ut deinceps tale aliquid minime sentiret : Quidam autem frater qui tunc orationi uacabat : hæc omnia luna clarius incedente prospexit . Post ubi uir dei se a fratre noctu conspectum fuisse nouit reserans ei temptationis processum præcepit : ut quandiu ipse uiueret nulli uiuenti rem quam uiderat propalaret . Nam non tantum mortificari debere docebat uitia carnis : et eius incendia frenari : uerum etiam exteriores sensus : per quos mors intrat :† animam summa ardori uigilantia . Mulierum familiaritates colloquia et aspectus : quæ multis occasio sunt ruinæ : sollicitius euitari iubebat : asserens per huiusmodi debilem frangi : et fortem sepe spiritum infirmari . Harum contagionem euadere conuersantem cum eis nisi probatissimum uirum tam facile dixit : quam iuxta scripturam in igne ambulare et non comburere plantas . Si quidem ipse adeo auertebat oculos suos : ne huiusmodi uanitatem uideret : ut sicut

aliquando socio dixit quasi nullam facie cognoscebat . Non enim securum esse putabat earum formarum introrsus haurire imagines : quæ possunt aut edomite carnis resuscitare igniculum : aut pudicæ mentis maculare nitorem . Asserebat etiam friuolum esse mulieris colloquium : excepta sola confessione uel instructione breuissima : iuxta || quod et saluti expedit : et congruit honestati . Que sunt inquit religioso cum muliere tractanda negotia : nisi cum sanctam pœnitentiam uel melioris uitæ consilium religiosa petitione deposcitur . Ex nimia securitate minus cauetur hostis : et diabolus si de suo capillum potest habere in homine : cito excrescere facit in trabem . Otium autem omnium malarum cogitationum sentinam docebat summoopere fugiendum exemplo demonstrans : rebellem carnem et pigram disciplinis continuis et fructuosis laboribus esse domandam . Vnde corpus suum fratrem asinum apellabat tanquam laboriosis supponendum oneribus : crebris cædendum flagellis : et uili pabulo sustentandum . Si quem uero cernebat otiosum et uagum aliorum uelle manducare labores : fratrem muscam nominandum censebat : eo quod talis nihl† boni faciens sed benefacta inficiens : uilem et abominabilem se omnibus reddat : Propter quod dixit aliquando : Volo fratres meos laborare : et exercitari : ne otio dediti per illicita corde aut lingua uagentur . Euangelicum siquidem uolebat a fratribus obseruari silentium : ut uidelicet ab omni otioso uerbo omni tempore abstinerent sollicite : tanquam reddituri in die iudicii de huiusmodi rationem . Sed et si quem inuenisset fratrem uerbis assuetum inanibus : acriter arguebat : taciturnitatem modestam et puri cordis affirmans custodiam et non modicam esse uirtutem : pro eo quod mors et uita in manibus linguæ non tam ratione gustus quam ratione loquellæ esse dicuntur . Licet autem pro uiribus ad uitam austeram fratres induceret : non tamen placebat ei districtionis seueritas : quæ pietatis non induit uiscera : nec est discretionis sale condita . Cum enim quadam nocte unus ex fratribus præ nimietate abstinentiæ admodum fame cruciatus nullam posset habere quietem : intelligeretque pius pastor eius imminere periculum : uocauit fratrem : apposuit panem : et ut ruborem illi tolleret : cœpit ipse prior comedere : eumque ad manducandum dulciter inuitare . Deposuit frater uerecondiam : sumpsit cibum : gauisusque quamplurimum : quod per circunspctam† condescensionem pastoris et corporis euasisset dispendium : et non modicum accepisset ædificationis exemplum . Mane facto fratribus conuocatis in unum uir dei referens : quod acciderat . nocte : prouida commoni | tione subiunxit : Sit uobis fratres non cibus sed caritas in exemplum . Docuit insuper eos discretionem sequi : ut aurigam uirtutum non eam quam caro suadet : sed quam edocuit Christus : cuius sacratissimam uitam expræssam constat esse perfectionis exemplar . Et quoniam agnum sine macula crucifixum possibile non est homini carnis infirmitate circumdato sic perfecte sectari : quin aliquas contrahat sordes : ideo documento certo firmabat eos : qui perfectioni uitæ inuigilant quottidianis debere se lachrymarum emundare fluentis . Licet enim adeptus iam esset cordis et corporis puritatem mirabilem : non cessabat tamen lachrymarum imbribus iugiter oculos expiare mentales corporeorum luminum non ponderando iacturam . Cum enim ex continuo flætu infirmitatem oculorum incurrisset grauissimam : suadente ei medico : ut abstineret a lachrymis : si corporei uisus cæcitatem uellet effugere : uir sanctus respondit : Non frater medice ob amorem luminis quod habemus commune cum muscis uisitatio lucis æterne repellenda uel modicum : quia non spiritus propter carnem sed caro propter spiritum beneficium lucis accepit . Malebat siquidem corporalis uisus lumen amittere : quam lachrymas quibus oculus mundatur interior ut deum uidere ualeat repressa deuotione spiritus impedire Cum autem semel daretur consilium a medicis : et instanter suaderetur a fratribus : ut pateretur sibi per remedium subueniri cocturæ . humiliter uir dei annuit quia salutiferum hoc simul et asperum esse cernebat . Vocatus itaque uenit chirugicus† . instrumentum igitur ferreum sumittens ad cocturam faciendam sumit . At Christi seruus corpus iam horrore concussum confortans : sicut amicum cœpit ignem a loqui† dicens : Mi frater ignis cæteris rebus æmulandi decoris uirtuosum pulchrum : et utilem te creauit altissimus . Esto mihi in hac hora propicius : esto innocuus . Præcor magnum deum qui te creauit : ut tuum mihi calorem temperet : quo suauiter urentem ualeam sustinere . Oratione finita contra igne candescens ferreum instrumentum signum crucis edidit : ac deinceps intrepidus persistebat . Profundatum est crepitans ferrum in tenera carne : et ab aure usque ad

supercilium coctura protracta . Quantum irrogauit ignis ille dolorem : uir ipse sanctus expressit : Laudate inquit ad fratres || deum altissimum : quia uere dico uobis : nec ignis ardorem sensi nec ullum carnis dolorem . Et conuersus ad medicum si non est inquit caro bene decocta : imprime iterum . expertus medicus in ualida carne uirtutem spiritus tam potentem miratus est : et diuinum hoc miraculum extulit dicens : Dico uobis fratres : uidi mirabilia hodie : Quia enim ad tantam peruenit puritatem : ut caro spiritui et spiritus deo armonia mirabili concordarent : diuina ordinatione fiebat : ut creatura factori suo deseruiens uoluntati et imperio eius mirabiliter subiaceret . Alio enim tempore apud heremum sancti Vrbani seruo dei ægritudine grauissima laborante : cum ipse naturæ defectum sentiens uini poculum postulasset : nihilque de uino quod sibi dari posset responderunt adesse : iussit aquam afferri : et allatam signo crucis edito benedixit . Mox uinum efficitur optimum : quæ aqua pura fuerat : et quod deserti loci paupertas non potuit : uiri sancti puritas impetrauit . ad eius gustum tanta protinus facilitate conualuit : ut saporis nouitas et innouatio sanctitatis gustabile ac gustantem supernaturaliter innouantes perfectam in ipso expoliationem ueteris hominis et induitionem noui duplici attestatione firmarent . Non solum creatura seruo dei seruiebat ad nutum : sed et ipsa creatoris ubique prouidentia condescendebat ad placitum . Cum enim aliquando ob multarum infirmitatum concursum aggrauato corpore ad iucunditatem spiritus excitandam alicuius audiendi harmonici soni desyderium habuisset : nec id honestatis decentia per ministerium fieri pateretur humanum : affuit angelorum obsequium ad uiri sancti placitum adimplendum . Nocte et enim quadam uigilante ipso et meditante de domino : repente in sonuit cithara quædam harmoniæ mirabilis et suauissime melodiæ . Non uidebatur aliquis sed transitum et reditum citharedi ipsa hinc inde auditus uolubilitas innuebat . Spiritu in deum directo tanta fuit in illo dulcisono carmine suauitate perfruitus : ut aliud se putaret sæculum commutasse . Hoc et fratres sibi familiares non latuit : qui per certa frequenter conspiciebant indicia eum tam excessiuis et crebris consolationibus diuinis a domino uisitari : ut nec ipsas occultare ualeret . Alio tem | pore uiro dei prædicationis causa inter Lombardiam et Marchiam triuisinam iter agente cum fratre socio iuxta flumen padum tenebrosa noctis uenit obscuritas : Cumque uia esset exposita periculis magnis et multis propter tenebras fluuii et paludes dixit socius ad uirum sanctum : Ora pater : ut de instantibus liberemur : Cui uir dei cum fiducia multa respondit : Potens est deus si placet suæ dulcedini tenebrarum effugata caligine lucis beneficium nobis impendere . Vix sermonem compleuerat : et ecce tanta lux illico cœpit circa eos superna radiare uirtute : ut nocte aliis existente obscura : ipsi luce clara non solum uiam uerum etiam plurima circumquaque uiderent : Cuius lucis ducatu corporaliter directi et spiritualiter confortati usque ad locum hospitii per non modicum uiæ spatium cum diuinis laudibus incolumes peruenerunt . Perpende quam mirandæ fuerit uir iste mundiciæ . quantæ uirtutis : ad cuius nutum suum ignis temperat ardorem : aqua saporem commutat : angelica præbet melodia solatium : et lux diuina ducatum : ut sic sanctitatis uiri sensibus omnis probetur mundi machina deseruire .

De humilitate et obedientia : et de condescensionibus diuinis sibi factis ad nutum .

Omnium uirtutum decor et custos humilitas : copiosa uirum dei hubertate repleuerat . In propria quidem reputatione nihil erat nisi peccator : cum in ueritate speculum esset omnimodæ sanctitatis . Super hanc studuit ædificare se ipsum : ut sapiens architectus fundamentum præiaciens : quod a Christo didicerat . Dicebat propter hoc filium dei de altitudine sinus paterni ad nostra despicabilia descendisse : ut tam exemplo quam uerbo dominus et magister humilitatem doceret : propter quod studebat tanquam Christi discipulus in oculis eius et aliorum uilescere : a summo dictum esse magistro commemorans : Quod altum est apud homines : abhominatio est apud deum . Sed et uerbum hoc dicere solitus erat : Quantum homo est in oculis dei : tantum est et non plus . Stultum proinde iudicans mundanis extolli fauoribus : gaudebat de obprobriis : et de laudibus tristabatur . Malebat quidem de se uituperium audire : quam laudem . sciens quod hoc ad se emendandum induceret illa impelleret

ad cadendum . Et ideo sæpe cum populi merita in eo sanctitatis extol || lerent : præcipiebat fratri alicui : ut in contrarium uerba eum ipsum uillificantia suis auribus inculcando proferret : Cumque frater licet inuitus eum rusticum et mercenarium imperitum et inutilem diceret : exhilaratus tam mente quam facie respondebat : Benedicat tibi dominus fili carissime : quia tu uerissima loqueris : et talia filium Petri Bernardonis decet audire . Vt autem se cæteris despicabilem redderet : non parcebat rubori : quin in prædicatione coram omni populo proprios manifestaret defectus . Accidit aliquando ut infirmitate grauatus rigorem abstinentiæ pro recuperanda sanitate modicum relaxasset : uiribus autem corporis utcumque resumptis : uerus sui contemptor ad propriæ carnis animatus obprobrium : non est inquit conueniens : ut populus abstinentem me credat : et ego e contrario carnaliter reficiar in oculto . Surrexit propterea sanctæ humilitatis spiritu inflammatus : et in platea ciuitatis Assisii populo conuocato solemniter cum fratribus multis quos secum adduxerat maiorem introiuit ecclesiam : funeque ad collum ligato nudum cum femoralibus solis in oculis omnium se trahi præcepit usque ad lapidem : in quo malefactores puniendi consueuerant collocari . Super quem conscendens : licet quartanarius esset et debilis : acerbo frigoris tempore cum multo uigore animi prædicauit : audientibusque cunctis asseruit se non tanquam spiritualem honorandum esse : quinimo tanquam carnalem et glutonem ab omnibus contemnendum . Igitur qui conuenerant tam ingenti uiso spectaculo admirati sunt : et quia ipsius austeritatem iam nouerant : deuoto corde compuncti humilitatem huiusmodi magis admirabilem quam imitabilem proclamabant . Licet autem id magis uidebatur portentum fuisse instar prophetalis uaticinii quam exemplum : tamen uere documentum extitit humilitatis perfectæ : quo Christi sectator instruitur transitorie præconium laudis contemnere : fomentis quoque iactantiæ comprimere fastum et fraudolente simulationis mendacium confutare . Multa quidem sæpius in hunc modum faciebat : ut exterius tanquam uas perditum fieret : et sanctificationis spiritum interius possideret . Studebat bona domini sui arcano pectoris condere : nolens patere gloriæ : quod posset occasio esse ruinæ . Nam cum sæpe a multis beatifi | caretur : uerbum huiuscemodi proferre solebat : Filios et filias adhuc habere possem . nolite non tutum laudare . Nemo enim laudandus : cuius incertus est exitus . Ista quidem laudantibus : ad se autem sic : latroni si tanta contulisset altissimus : gratior te foret Francisce : Dicebat fratribus sæpe : de omni eo quod peccator potest : nemo sibi debet iniquo applausu blandiri . Peccator ieiunare potest orare . plangere : carnemque propriam macerare . Hoc solum non potest domino suo esse fidelis . In hoc itaque gloriandum : si suam domino gloriam reddimus . si fideliter seruientes ipsi quidquid domino ascribimus . Vt aut pluribus modis negotiator hic euangelicus lucraretur : ac totum præsens tempus conflaret in meritum : non tam præesse uoluit quam subesse : nec tam præcipere : quam parere . Id circo generali cedens officio guardianum petiit : cuius uoluntati per omnia subiaceret : Tam enim huberem asserebat sanctæ obedientiæ fructum : ut eis qui iugo ipsius colla submitterent : nil temporis sine lucro transiret . Vnde et fratri cum quo erat solitus ire semper obedientiam promittere consueuerat et obseruare . Dixit aliquando sociis : Inter quæ dignanter pietas mihi diuina concessit : Hanc gratiam contulit : quod ita diligenter nouitio unius horæ obedirem : si mihi guardianus daretur : sicut antiquissimo et discretissimo fratri . Subditus inquit prælatum suum non hominem consyderare debet : sed illum pro cuius est amore subiectus . Quanto autem contemptibilior præsidet : tanto magis obedientis humilitas† placet : Cum uero aliquando ab eo quæreretur quis esset uere obediens iudicandus : corporis mortui similitudinem pro exemplo proposuit . Tolle inquit corpus exanimæ : et ubi placuerit pone . Videbis non repugnare motum non murmurare situm non reclamare dimissum . Quod si statuatur in cathedra : non alta sed ima respiciet . Si collocetur in purpura : duplo palescet . Hic ait uerus obediens est : qui cur moueatur non diiudicat : ubi locetur non curat : ut transmutetur non instat : euectus ad officium solitam tenet humilitatem : plus honoratus : plus reputat se indignum . Dixit aliquando socio suo : Non mihi uideor frater minor nisi fuero in statu : quem tibi descripsero . Ecce prælatus existens fratrum uado ad capitulum || prædico : et commoneo fratres : et in fine dicitur contra me . Non conuenis nobis : quia illitteratus es elinguis . idiota et simplex . Tandem eiicior cum obprobrio : uilipensus ab omnibus . Dico tibi nisi eodem uultu

eadem mentis læticia et eodem sanctitatis proposito hæc uerba audiero : frater minor nequaquam sum : Et addebat : in prælatione casus : in ludo præcipitium : in humilitate subditi animæ lucrum est . Cur ergo periculis plus quam lucris attendimus : cum acceperimus tempus ad lucrum ? Hac igitur de causa humilitatis forma Franciscus fratres suos uoluit uocari minores : et prælatos sui ordinis dici ministros : ut et uerbis uteretur euangelii : quod obseruare promiserat : et ex ipso nomine discerent discipuli eius : quod ad discendam humilitatem ad scholas humilis Christi uenissent . Magister siquidem humilitatis Christus Iesus ut informaret discipulos ad humilitatem perfectam dixit : Quicumque uoluerit inter uos maior fieri : sit uester minister : Et quicumque uoluerit inter uos primus esse : erit uester seruus . Cum autem requireret ab eo dominus Hostiensis ordinis minorum fratrum protector et promotor præcipuus : qui postmodum iuxta quod idem uir sanctus prædixerat ad summi pontificatus sublimatus honorem . Gregorius nonus est dictus : utrum sibi placeret : quod fratres sui promouerentur ad ecclesiasticas dignitates : respondit : Domine minores ideo uocati sunt fratres mei : ut maiores fieri non præsumant . Si uultis ait ut fructum faciant in ecclesia dei : tenete illos : et obseruate in statu uocationis eorum : et ad prælationes ecclesiasticas nullatenus ascendere permittatis . Et quoniam humilitatem tam in se quam in subditis cunctis præferebat honoribus : amator humilium deus altioribus ipsum dignum iudicabat fastigiis : secundum quod cuidam fratri uiro uirtutis et deuotionis præcipue uisio cælitus ostensa monstrauit : Cum enim esset in comitatu uiri dei : et una cum ipso in quadam ecclesia deserta feruenti oraret affectu : in extesi factus uidit inter multas in cælo sedes unam præ cæteris digniorem præciosis ornatam lapidibus : et omni gloria refulgentem . Miratus intra se præcelsi refulgentiam throni anxia cœpit cogitatione perquirere : quis ad illum deberet assummi . Audiuit inter hæc uocem | dicentem ei : sedes ista unius de ruentibus fuit : et nunc humili seruatur Francisco . Reuersus demum frater ad se ab orationis excessu : uirum beatum extrerius† prodeuntem solito fuit more secutus : Cumque incedentes per uiam de deo loquerentur : frater ille uisionis suæ non immemor solerter ab eo quæsiuit quid ille de seipso sentiret . Ad quem humilis Christi seruus : uideor ait mihi maximus peccator : Cui cum frater diceret ex aduerso : quod hoc nec posset sana conscientia dicere : nec sentire : subiunxit ille : Si quantuncumque hominem sceleratum tanta fuisset Christus misericordia consecutus : arbitror sane : quod multo quam ego deo gratiores† esset . Confirmatus fuit frater ex tam admirabilis humilitatis auditu. De ueritate uisionis ostensæ euangelio sacro testante cognoscens† : quod ad excellentia gloriæ de qua superbus eiicitur : uere humilis exaltetur . Alio quoque tempore cum in deserta quadam oraret ecclesia in prouincia Demasse apud montem casalem : intellexit per spiritum : sacras ibidem remansisse relliquias : quas cum longo iam tempore defraudatus honorificentia debita non sine mærore conspiceret : præcepit fratribus : ut eas cum reuerentia deferrent ad locum . Sed cum poscente causa discesisset ab eis : mandati patris immemores filii obedientiæ meritum neglexerunt . Die uero quadam cum sacra celebrare uellent :† mysteria superiori altaris operimento submoto : ossa pulcherrima et redolentia nimis non sine admiratione reperiunt : intuentes relliquias quas non hominis manus sed dei uirtus attulerat . Reuersus paulo post uir deo deuotus : diligenter cœpit exquirere : si quod de reliquiis mandauerat esset impletum . Verum neglectæ obedientiæ culpam fratres humiliter confitentes : cum pœna ueniam meruerunt : Et ait uir sanctus : Benedictus dominus deus meus : qui per se ipsum impleuit : quod uos facere debuistis . Consydera diligenter diuinæ prouidentiæ curam circa puluerem nostrum : et humilis Francisci excellentem in oculis dei percipende uirtutem . Nam cuius iussis homo non paruit : uotis obediuit deus . Quodam tempore deueniens Immolam : ciuitatis episcopum adiit : humiliterque postulauit : ut cum ipsius beneplacito posset prædicare et populum ad || prædicationem uocare : Cui episcopus dure respondens : sufficit inquit : frater : quod ego prædicem populo meo . Inclinauit caput uerus humilis et foras egressus : post modicam horam regreditur intro . a quo cum episcopus quasi turbatus requireret : quid iterato petere uellet : humiliter tam .† corde quam uoce respondit : Domine si pater filium uno pepullerit hostio : alio sibi reintrandum est . Humilitate uictus episcopus alacri uultu eum amplexatus est dicens : Tu et omnes fratres tui de cætero in episcopatu meo generali mea licentia prædicetis : quia illud humilitas sancta promeruit . Conti-

git ipsum aliquando Arrhetium deuenire : cum tota ciuitas intestino bello quassata propinquum sui minabatur excidium . Hospitatus uero in suburbio uidit super ciuitatem exultantes dæmones : ac perturbatos ciues ad cædem mutuam succedentes . ut autem sediciosas illas effugaret aereas potestates : fratrem Syluestrum columbinæ simplicitatis uirum quasi præconem præmisit dicens : Vade ante portam ciuitatis : et ex parte dei omnipotentis dæmonibus in uirtute obedientiæ præcipe : ut exeant festinanter . Accelerat uerus obediens patris iussa perficere et præoccupans in laudibus faciem domini : ante portam ciuitatis cœpit clamare ualenter : Ex parte omnipotentis dei et iussu serui eius Francisci : procul hinc discedite dæmones uniuersi . Redit ad pacem continuo ciuitas : et ciuilitatis in se iura ciues omnes cum magna tranquilitate reformant . expulsa quippe dæmonum furibunda superbia : quæ ciuitatem illam uelut obsidione uallauerat : superueniens sapientia pauperis uidelicet humilitas Francisci pacem reddidit : urbemque saluauit . Humilis enim obedientiæ seruus ardua promerente uirtute : super spiritus illos rebelles et proteruos tantæ potestatis assecutus fuerat imperium : ut et ipsorum feroces proteruias præmeret : et importunas uiolentias propulsaret . Fugiunt quidem superbi dæmones excelsas uirtutes humilium : nisi cum interdum ad humilitatis custodiam diuina eos clæmentia colaphizari permittit : sicnt† et Paulus appostolus de se ipso scribit : et Franciscus experimento probauit . Rogatus autem a domino Leone cardinali sanctæ crucis : ut secum aliquantulum moraretur in urbe : acquieuit humiliter ob ipsius reueren | tiam et amorem . Prima igitur nocte cum post orationem uellet quiescere : superuenerunt dæmones in Christi militem atrociter insurgentes : quem cum diu uerberassent ac dure ad ultimum quasi seminecem reliquerunt . Discedentibus illis : socius uocatus aduenit : Cui cum uir dei rei narrasset euentum : subiungens ait : Credo frater quod dæmones nihil possunt nisi quantum prouidentia superna disposuit : ideo in me nunc tam ferociter irruerunt : quia non bonam spem præfert mansio mea : in curia magnatorum . Fratres mei qui in locis pauperculis commorantur audientes me cum cardinalibus esse : suspicabuntur forsitan implicari mondanis efferri honoribus : et deliciis abundare . Ideo melius iudico eum : qui ponitur in exemplum fugere curias : et humiliter inter humiles in locis conuersari humilibus : ut sustinentes penuriam fortes efficiat similia sustinendo Veniunt ergo mane : et humili excusatione proposita uale faciunt cardinali . Abhorrebat nempe uir sanctus superbiam omnium malorum originem : et inobedientiam ipsius pessimam prolem non minus humilitatem pœnitentiæ acceptabat . Accidit semel : ut eidem præsentaretur quidam frater : qui contra legem obedientiæ aliquid fecerat : disciplina iusticiæ corrigendus . Videns autem uir dei fratrem illum per signa euidentia ueraciter esse conpunctum : ad indulgendum ei amore fuit humilitatis inductus . Ne tamen facilitas ueniæ incentiuum esset aliis delinquendi : iussit ablatum fratri caputium in medium flammarum proiici : ut omnes aduerterent quanta qualique uindicta offensa sit inobedientiæ præcellenda : Cumque per moram caputium fuisset in medio ignis : præcepit ipsum flammis detrahi : reddique fratri humiliter pœnitenti . Mirabile dictu Extrahitur caputium de medio flammarum nullum habens adustionis uestigium : Sicque factum est : ut hoc uno deus miraculo et sancti uiri uirtutem et humilitatem pœnitentiæ commendaret . Digne itaque sectanda est Francisci humilitas : quæ tam miram in terris etiam dignitatem obtinuit : ut deum inclinaret ad uotum : et hominis immutaret affectum . dæmonum proteruitatem suo iussu propelleret : et flammarum uoracitatem solo nutu refrænaret . Re uera hæc est : quæ possessores suos exaltans : dum omnibus reue || rentiam exhibet : ab omnibus promeretur honorem .

De amore paupertatis et mira suppletione defectuum .

Inter cætera chrismatum dona quæ a largo datore Franciscus obtinuit : prærogatiuam quandam spiritualem promeruit in diuitias simplicitatis excrescere : per altissimæ paupertatis amorem . Hanc filio dei uir sanctus familiarem attendens : et iam quasi toto orbe repulsam : caritate sic studuit desponsare : ut non solum pro ea patrem matremque reliquerit : uerum etiam quæ habere potuit disperserit uniuersa . Nemo tam auri : quam fuit ipse paupertatis cupidus . Nec thesauri custodiendi sollicitior ullus quam iste huius euangelicæ margaritæ . In hoc præcipue suus offendeba-

tur aspectus : si quicquam uideret in fratribus : quod paupertati non per omnia consonaret . Re uera ipse a principio relligionis usque ad mortem tunica cordula et femoralibus diues : hiis contentus fuit . Christi iesu paupertatem et matris frequenter cum lachrymis reuocabat ad mentem : inde hanc uirtutum asserens esse reginam ; quia in rege regum et in regina matre ipsius præstanter effulsit . Nam et fratribus in conclaui quærentibus : quæ uirtus magis amicum redderet Christo : quasi secretum sui cordis aperiens respondebat : Paupertatem noueritis specialem uiam salutis tanquam humilitatis fomentum perfectionisque radicem : cuius est fructus multiplex sed occultus . Hæc enim est euangelici agri thesaurus absconditus : pro quo emendo uændenda sunt omnia : quæ uendi non possunt illius comparatione spernenda : ad cuius inquit culmen qui cupit attingere : non solum mundanæ prudentiæ uerum etiam litterarum peritiæ renunciare quodammodo debet : ut tali expropriatus possessione introeat in potentias domini : et nudum se offerat brachiis crucifixi . Nequaquam enim sæculo perfecte renunciat : qui proprii sensus loculos intra cordis arcana reseruat . Sæpe uero de paupertate sermonem faciens ingerebat fratribus euangelicum illud : Vulpes foueas habent et uolucres cæli nidos : filius autem hominis non habet : ubi caput suum reclinet . Propter quod docebat fratres : ut pauperum more pauperculas casas erigerent : quas non inhabitarent ut proprias sed ut peregrini et aduenæ alienas : Leges namque peregrinorum esse dicebat : sub | alieno colligi tecto : sitire ad patriam pacifice pertransire . Mandabat dirui aliquando domos erectas : aut fratres exinde ammoueri : si aliquid in eis perciperet : quod ratione appropriationis uel sumptuositatis contrarium esset euangelicæ paupertati . Hanc dicebat sui ordinis fundamentum : cui subtracto primario sic omnis structura relligionis innittitur : ut ipsius firmitate firmetur : et euersione funditus euertatur . Docebat proinde sicut reuelatione didicerat : sacræ relligionis ingressum : ab illo fore inchoandum euangelico uerbo . Si uis perfectus esse : uade et uende omnia : quæ habes : et da pauperibus : Ideoque nonnisi expropriatos et nihil penitus retinentes admittebat ad ordinem : tum propter uerbum sancti euangelii : tum etiam ne forent in schandalum loculi reseruati . Vnde in Marchia anchonitana cuidam petenti ad ordinem recipi ; uerus pauperum patriarcha respondit : Si uis Christi pauperibus iungi : mundi pauperibus tua distribue : quo audito perrexit homo ; et ductus amore carnali sua suis reliquit nilque pauperibus . Verum cum hoc illo referente uir sanctus audisset : dura enim increpatione feriens dixit : Vade uiam tuam frater musca : quoniam nondum existi de domo et cognatione tua . Consanguineis tuis tua dedisti : et defraudasti pauperes . dignus non es pauperibus sanctis . incœpisti a carne et ruinosum fundamentum spirituali fabrice collocasti . Rediit animalis homo ad suos : et repetiit sua ; quæ pauperibus relinquere nolens uirtutis propositum citius dereliquit . Alio tempore cum in loco sanctæ Mariæ de porciuncula tanta esset inopia : ut non posset hospitibus fratribus superuenientibus secundum necessitatis exigentiam prouideri : adiit uirum dei uicarius eius allegans penuriam fratrum : et petens : ut intrantium nouitiorum res aliquas reseruare liceret : ad quas expendendas recurrere possent fratres tempore opportuno non ad quem uir superni consilii :† ignarus : Absit inquit a nobis frater carissime : ut pro quouis homine impie agamus in regulam . Magis te altare uirginis gloriosæ mundare licet : cum necessitas id requirit quam contra paupertatis uotum et obseruantiam euangelii aliquid uel modicum attemptare . Gratius enim habebit uirgo beata sancti euangelii per || fecte seruato consilio suum altare detegi : quam altari uestito filii sui promissum consilium prætermitti . Transiens autem aliquando uir dei cum socio per Apuliam iuxta Barrhum inuenit in uia bursam magnam : quasi plena esset denariis tumescentem : quam uulgo fundam appellant . Monetur a socio pauper Christi : et instanter inducitur : ut bursa tollatur e terra : et pecunia pauperibus errogetur . Renuit homo dei : conuentum affirmans fore diaboli in bursa inuenta : et fratrem non suadere rem meriti sed peccati : aliena scilicet surripere ac donare . recedunt de loco . festinant iter perficere cœptum . Sed nondum quiescit frater uacua pietate delusus : uirum dei molestans quasi qui de releuanda pauperum penuria non curaret . Acquieuit tandem uir mitis redire ad locum : non ut fratris uoluntatem perficeret : sed ut detegeret diabolicam fraudem . Reuersus ergo ad fundam cum fratre et iuuene quodam qui erat in uia : oratione præmissa iubet socio illam leuare . Tremefactus frater obstupuit : diabolicum iam monstrum præsentiens .

Propter obedientiæ tamen sanctæ mandatum dubietatem abigens cordis : manum extendit ad bursam : et Ecce serpens non modicus de bursa exiliens : simulque cum ipsa subito enanescens† : diabolicam fraudem fratri demonstrauit . Hostilis itaque uersutiæ depræhensa falacia dixit uir sanctus ad socium : Pecunia seruis dei O frater : nihil aliud est : quam diabolus et coluber uenenosus . Accidit post hoc quiddam mirabile uiro sancto : dum se ad ciuitatem Senensem causa exigente transferret : Tres quidem pauperculæ mulieres statura : ætate ac facie per omnia similes : in quadam ei magna planitie inter Campilium et Sanctumquiricum occurrerunt nouum salutationis munusculum offerrentes . Bene ueniat inquiunt domina paupertas : quo audito uerus paupertatis amator indicibili repletus est gaudio : ut pote qui nihil in se salutandum hominibus tam libenter haberet : quam quod ille decreuerant . Subito disparentibus illis consyderantes fratres socii tam ad mirabilem in eis similitudinis salutationis occursum : et disparentiæ nouitatem mysticum aliquid designari circa uirum sanctum non irrationabiliter perpenderunt . Sane per illas tres ut uidebatur pauperculas mulieres sic uniformi facie occurrentes sic salutantes in | solite sic subito disparentes : euangelicæ perfectionis formositas quantum ad castitatem scilicet obedientiam : et paupertatem satis conuenienter ostenditur in uiro dei pari forma perfecte fulsisse : licet gloriari præelegrit† in priuilegio paupertatis : quam modo matrem modo sponsam modo dominam nominare solebat . In hac cæteros cupiebat excedere : qui ex ipsa didicerat inferiorem se omnibus reputare . Si quando igitur pauperiorem se quempiam secundum exteriorem habitum cerneret : semetipsum protinus arguens excitabat ad simile : tanquam si æmula concertans uinci se timeret ab illo . Accidit enim : ut pauperculum quendam obuium haberet in uia : Cuius cum nuditatem aspiceret : conpunctus corde lamentabili uoce : dixit ad socium : Magnam uerecondiam intulit nobis huius inopia : quia nos pro magnis diuitiis paupertatem elegimus : et ecce magis relucet in isto . Propter sanctæ paupertatis amorem omnipotentis dei famnlus† eleimosynis hostiatim quæsitis utebatur multo libentius quam oblatis . Si quando enim inuitatus a magnis personis mensis esset profusioribus honorandus : prius per propinquas uicinarum domorum panum fragmenta petebat : ac deinde sic ditatus inopia discumbebat . Et cum aliquando id fecisset : inuitatus a domino Hostiensi qui pauperem Christi præcipuo amplexabatur affectu : conquerenti episcopo quod suo derogasset honori : ut qui in eius commesturus hospitio pro eleimosynis isset : seruus dei respondit : Magnum mi domine uobis honorem exhibui : dum maiorem dominum honoraui . Si quidem beneplacitum est domino in paupertate et ea maxime : quæ uoluntaria pro Christo mendicitas est . Hanc dignitatem regalem quam pro nobis dominus Iesus egenus factus assumpsit : ut sua nos ditaret inopia : ac uere pauperes spiritu regni cælorum reges institueret et hæredes : nolo relinquere pro feudo diuitiarum falsarum uobis ad horam concesso . Non nunquam fratres ad petendum eleimosynam hortans : uerbis utebatur huiuscemodi : ite Iinquit† : quoniam hac nouissima hora fratres minores commodati sunt mundo : ut electi in eis impleant : unde a iudice commendentur : illud audientes suauissimum uerbum : Quam diu fecistis uni ex fratribus meis minimis : mihi fecistis . Iucondum proinde dicebat : sub fratrum minorum ti || tulo mendicare : quam in retributione iustorum euangelicæ ueritatis magister ore suo tam signanter expræssit . In festis quoque præcipuis ubi oportunitas aderat : mendicare solitus erat : dicens : in sanctis pauperibus propheticum illud impleri : Panem angelorum manducauit homo . Illum sane panem angelicum esse dicebat : quem pro dei petitum amore et beatis suggerentibus angelis pro ipsius caritate largitum sancta paupertas colligit hostiatim . Cum aliquando die sancto pasce moram faceret in heremitorio quodam adeo ab hominum habitatione remoto : quod commode mendicare non posset : memor illius qui discipulis euntibus in Emaus ipso die in speciem peregrini apparuit : ab ipsis fratribus eleimosynam petiit ut peregrinus et pauper : quam cum accepisset humiliter : sacris eos informat eloquiis : quod transeuntes per mundi desertum tanquam peregrini et aduenæ uerique hebrei pasca domini hoc est transitum ex hoc mundo ad patrem in paupertate spiritus continue celebrarent . Et quoniam in petendis eleimosynis non quæstus agebatur cupidine sed spiritus libertate : pater pauperum deus spetialem de ipso curam gerere uidebatur . Accidit enim aliquando : ut infirmitate grauatus in loco Nuceriæ reduceretur Assisium per solemnes nuncios ad hoc assisinatis populi deuotione transmissos : Qui

Christi famulum deducentes ad uillam quandam deuenerunt pauperculam nomine Sathariánum : ubi cum fames et hora cibum expeterent : euntes et nihil inuenientes uænale : uacui redierunt : Ad quos uir sanctus : Ideo nihil inuenistis : quia plus in muscis uestris quam in deo confiditis . Muscas nempe denarios uocauit . Sed reuertimini ait per domos : quas circuistis : et amorem dei offerentes pro pretio humiliter eleimosynam postulate . Nec falsa id extimatione uerecondum putetis aut uille : quoniam uniuersa in eleimosynam post peccatum dignis et indignis eleimosynarius ille magnus largiflua pietate concessit . Deponunt erubescentiam milites : et eleimosynam sponte petentes : plura pro dei amore quam denariis emunt . Si quidem diuino nutu corde conpuncti pauperes incollæ non solum sua sed et se ipsos liberaliter obtulerunt . Sicque factum est : ut inopia quam pecunia releuare non poterat : Francisci pau || peries oppulenta suppleret . Tempore quo infirmus iacebat in heremitorio prope Rheate : medicus quidam opportuno eum frequentabat officio . Cum autem Christi pauper impotens esset ad repetendam mercedem labori condignam : liberalissimus deus : ne ipsum sine præsenti remuneratione dimitteret : pium eius obsequium hoc uno beneficio uice pauperis compensauit . Huius enim medici domus quam tunc temporis ex omni lucro suo de nouo construxerat : parietum patula scisione a summo usque dehorsum adeo de promixīo† minabatur ruinam : ut non uideretur per humanæ artis industriam possibile ipsius casui obuiari . Ipe uero dei sancti uiri meritis plene confidens : cum magnæ fidei deuotione petiuit a sociis eius aliquid sibi concedi : quod idem uir dei manibus contrectasset . Cum igitur modicum de capillis ipsius multa precum obtentum instantia posuisset uesperi intra muri scissuram . mane consurgens tanta inuenit aperturam illam soliditate conclusam : ut nec relliquias ibi positas posset extrahere : nec scissuræ prioris uestigium aliquod inuenire . Factumque est : ut qui ruinoso corpusculo serui dei sedule ministraueret : ruituræ domus proprie periculo præcaueret . Alio etiam tempore uir dei ad quandam heremum transferre se uolens : ut ibi liberius contemplationi uacaret : cuiusdam uiri pauperis uectabatur assello . Cumque diebus æstiuis famulum Christi sequendo uir ille montana conscenderet : asperioris et longioris uiæ itinere fatigatus nimioque sitis ardore deficiens : instanter cœpit clamare post sanctum : En morior inquit siti : nisi poculi alicuius beneficio statim refociler : Absque mora uir dei prosiliit de asino : et fixis in terra genibus palmas tetendit in cælum : orare non cessans : donec se intellxit† auditum . Oratione tandem finita : festina inquit uiro ad petram : et illic aquam uiuam inuenies : quam tibi hac hora misericorditer Christus de lapide bibendam produxit . Stupenda dei dignatio quæ suis seruis tam facile se inclinat . Bibit sitiens homo aquam de petra orantis uirtute productam : et poculum hauxit de saxo durissimo . Aquæ decursus ibidem non fuerat ante : nec ut est diligenter quæsitum : deinceps potuit inueniri . Qualiter autem per merita sui pauperis Christus multiplicauit cibos in mari : cum suo loco sit infe || rius ad notandum : hoc tantum commemorasse sufficiat : quod de modica eleimosyna sibi collata nautas a famis et mortis periculo per dies plurimos liberauit : ut ex hoc liquido possit aduerti : quod omnipotentis dei famulus sicut in eductione aquæ de petra conformis Moysi : sic in multiplicatione uictualium Heliseo . procul igitur a pauperibus Christi diffidentia discedat omnis . Si enim paupertas Francisci adeo copiosæ sufficientiæ fuit : ut subuenientium sibi defectus tam mira uirtute suppleret : quod nec cibus nec potus nec domus decederet : cum pecuniæ et artis et naturæ facultas defecerat : multo magis illa merebitur quæ usitato diuinæ prouidentiæ ordine communiter conceduntur . Si inquam petræ siccitas ad pauperis uocem abundans poculum sitienti pauperculo : nil iam inter omnia suum denegabit obsequium iis : qui pro auctoritate omnium omnia reliquerunt .

Pietas uero quæ secundum apostolum ad omnia ualet adeo cor ac uiscera Francisci penetrauerat : ut totum uideretur uirum dei in suum dominum uendicasse . Hæc est : quæ ipsum per deuotionem sursum agebat in deum : per compassionem transformabat in Christum : per condescensionem inclinabat ad proximum : per uniuersalem conciliationem ad singula refigurabat ad innocentiæ statum : Cumque per hanc pie moueretur ad omnia : spiritualiter tamen ad animas Christi iesu sanguine pretioso redemptas cum cerneret inquinari aliqua sorde peccati : tanta miserationis teneritudine deplorabat : ut eas tanquam mater in Christo quottidie parturiret . Et hæc penes

ipsum causa præcipua uenerandi uerbi dei ministros : quod semen fratri suo defuncto Christo uidelicet pro peccatoribus crucifixo per ipsos conuersionem et pia sollicitudine suscitent : et sollicita pietate gubernent . Istius modi miserationis officium patri misericordiarum omni sacrificio firmabat acceptius : maxime si studio fuerit perfectæ caritatis impensum : ut ad id laboretur magis lachrymosa prece quam loquaci sermone . Plangendum proinde dicebat prædicatorem tanquam uera pietate priuatum : siue qui in prædicatione non animarum quærit salutem sed propriam laudem : siue qui prauitate destruit uitæ quod ædificat ueritate doctrinæ . præferendum huic dicebat fratrem simplicem et elinguem : qui bono exemplo ali | os prouocaret ad bonum . Illud quoque uerbum donec sterilis peperit plurimos taliter exponebat . Sterilis inquit est frater pauperculus : qui generandi in ecclesia filios non habet officium . Hic pariet in iudicio plurimos : quia quos nunc priuatis orationibus conuertit ad Christum : suæ gloriæ tunc iudex ascribet : quæ multos habet filios : infirmabitur : quia prædicator uanus et loquax qui multis nunc quasi sua uirtute genitis gaudet : cognoscet : tunc se nil proprii habere in eis : Cum igitur animarum salutem cordiali pietate appeteret . et feruida æmulatione zelaret : suauissimis se dicebat repleri odoribus : et quasi unguento liniri pretioso : cum sanctorum fratrum per orbem distantium odorifera fama multos audiret ad uiam ueritatis adduci : ex talium auditu exultabat in spiritu : benedictionibus omni acceptione dignissimis fratres illos accumulans qui uerbo uel opere ad Christi amorem inducerent peccatores . Sic etiam qui religionem sacram iniquis uiolarent operibus : maledictionis eius grauissimam incurrebat sententiam . A te inquit sanctissime domine et a tota cælesti curia et a me paruulo tuo sint maledicti : qni† suo malo exemplo confundunt et destruunt : quod per sanctos fratres ordinis huius ædificasti : et ædificare non cessas . Tanta frequenter afficiebatur mæsticia super scandalo pusillorum : ut deficere se putaret : nisi diuinæ gratiæ fuisset clæmentiæ consolatione suffultus . Cum aliquando malis turbatus exemplis anxio spiritu misericordem patrem precaretur pro filiis : responsum huiusmodi reportauit a domino : Cur tu pauper homoncio conturbaris. An ego te super religionem meam sic pastorem institui : ut me principalem nescias esse patronum? Hominem simplicem ad hæc te constitui : ut quæ in te fecero : non humanæ industriæ sed superne gratiæ ascribantur ego uocaui seruabo : et pascam : et aliis excedentibus alios subrogabo : ita ut si nati non fuerint faciam illos nasci : et quantiscumque fuerit impulsibus paupercula hæc concussa religio : salua semper meo munere permanebit : Detractionis quoque uitium inimicum fonte pietatis et gratiæ tanquam serpentinum abhorrebat morsum et atrocissimam pestem : et piissimo deo abhominabilem fore firmabat pro eo : quod detractor animarum || sanguine pascitur : quas gladio linguæ necat . Audiens aliquando fratrem quendam denigrare famam alterius : conuersus ad uicarium suum dixit : Surge : surge . discute diligenter : et si accusatum fratrem innocentem reperis : accusantem dura correctione cunctis redde notabilem . nonnunquam uero eum qui fratrem suum famæ gloria spoliaret : iudicabat habitu expoliandum : nec ad deum occulos posse leuare : nisi prius quod abstulerat reddere pro posse curaret . Tanto maior est aiebat detractorum impietas quam latronum : quanto lex Christi quæ in obseruantia pietatis impletur magis animarum quam corporum nos astringit optare salutem . Afflictis quoque qualicumque corporali mæsticia mira conpassionis teneritudine condescendens : si quid penuriæ : si quid defectus in aliquo cerneret : paterni cordis dulcedine referebat in Christum . Sane clæmentiam habebat ingenitam : quam super infusa Christi pietas duplicabat : Itaque liquescebat animus eius ad pauperes et infirmos : et quibus non poterat manum exhibebat affectum . Contigit aliquando ut pauperi cuidam eleimosynam importune petenti : ut unus e fratribus durius responderet : quod audiens pauperum pius amator : fratri præcepit : ut ad illius pauperis pedes se nudatum prosterneret : proclamaret culpabilem : orationis suffragium postularet et ueniam : quod cum ille fecisset humiliter dulcius pater adiecit : Dum pauperem uides o frater : speculum tibi præponitur domini et pauperis matris eius : In infirmis similiter infirmitates quas assumpsit consydera : Cumque in pauperibns† cunctis et ipse christianissimus pauper effigiem Christi perspiceret : si qua etiam necessaria uitæ sibi collata fuissent : eis occurentibus non solum liberaliter conferebat : uerum etiam ac si illorum propria essent iudicabat esse reddenda . Accidit aliquando : ut eidem de Senis redeunti pauper occurreret : et cum

ocasione infirmitatis super habitum ipse palliolo quodam esset amictus : pauperis ipsius miseria oculo clæmenti conspecta : oportet inquit ad socium : ut reddamus pallium pauperculo isti . Mutuo est . Mutuo enim ipsum accepimus : donec pauperiorem inuenire contingeret . Socius autem pii patris necessitatem consyderans : pertinaciter obsistebat : ne alii prouideret se | neglecto . At Ile[†] pro furto mihi ait reputo a magno eleimosynario imputandum : si hoc quod fero non dedero magis egenti . Propterea de omnibus quæ sibi dabantur ad necessitatem corporis releuandam : solitus erat a dantibus licentiam petere : ut licite posset si magis egenus occurreret errogare . Nulli prorsus rei parcebat nec palliis nec habitibus nec tunicis nec libris nec etiam altaris apparatibus : quin omnia hæc dum posset ut pietatis impleret officium indigentibus largiretur . Sæpe cum oneratis obuiaret in uia pauperibus : imbecilles humeros illorum honeribus supponebat . Consyderat Ione[†] quoque primæ orriginis omnium abundantiori pietate repletus creaturas quantumlibet paruas fratris uel sororis appellabat nominibus pro eo : quod sciebat eas unum secum habere principium . Illas tamen ardentius complexabatur et dulcius : quæ Christi mansuetudinem similitudine naturali prætendunt : et scripturæ significatione figurant . redemit frequenter agnos qui ducebantur ad mortem : illius memor agni mitissimi : qui ad occisionem duci uoluit pro peccatoribus redimendis . Hospitato quadam uice seruo dei apud monasterium Sanctiuerecondi de episcopatu Eugubii ouicula quædam agniculum peperit illa nocte . Aderat sus ferocissima : quæ uitæ innocentis non parcens rapaci eum morsu necauit . Hoc audito pius pater mira compassione motus : et agni sine macula recordatus : lamentabatur pro morte agniculi coram omnibus dicens : heu me frater agnicule animal innocens . Christum hominibus repræsentans . Maledicta sit impia : quæ te interfecit . nullus de ea comedat homo uel bestia . mirabile dictu : Statim infirmari cœpit porca malefica : et tribus diebus corpoream pœnam exoluens ultricem tandem pertulit necem . proiecta est autem in ualle monasterii : ibique longo tempore iacens in modum tabulæ desiccata . nulli fuit esca famelico . Aduertat igitur humana impietas : quali pœna sit ferienda finaliter : si tam horrenda morte percussa est ferocitas bestialis . Perpendat et fidelis deuotio quanta in seruo dei pietas fuerit admiratione uirtutis et copiosæ dulcedinis : ut ei applauderet suo modo etiam natura brutorum . Iter enim faciens iuxta ciuitatem senensem : inuenit in pascuis magnum ouium gregem . Quas cum benigne ut || erat solitus salutasset : relicto pastu cucurrerunt omnes ad illum : leuantesque capita sua erectis in eum luminibus intendebant . Tantum quidem ei fecerunt applausum : ut et pastores mirarentur et fratres cernentes circa ipsum tam ouium agnos quam ipsos arietes sic mirabiliter exultantes . Alio quoque tempore apud Sanctammariam de porciuncula : quædam uiro dei fuit ouis oblata : quam propter innocentiæ ac simplicitatis amorem quas ouis natura prætendit gratanter suscepit . Monebat uir pius ouiculam : ut et laudibus diuinis intenderet : et ab omni fratrum offensa caueret . Ouis autem quasi uiri dei pietatem aduerteret : informationem ipsius sollicite obseruabat : Nam audiens fratres in choro cantare : et ipsa ecclesiam ingrediens sine alicuius informatione flectebat genua uocem ballatus emittens ante altare uirginis matris agni : ac si eam salutare gestiret . Insuper et cum eleuaretur sacratissimum Christi corpus inter missarum sollemnia flexis curuabatur poplitibus : tanquam si reuerens pecus de irreuerentia indeuotos argueret : Christoque deuotos ad sacramenti reuerentiam inuitaret . Tempore quodam agniculum in urbe habuerat ob reuerentiam illius mittissimi agni : quem nobili matronæ domine scilicet Iacobæ de septem soliis in suo recessu conseruandum commisit . Agnus uero quasi in spiritualibus eruditus a sancto : domine ad ecclesiam eunti stanti et reuertenti societate inseperabili cohærebat . Si matutinali hora tardaret exurgere agnus consurgens impellebat eam cornulis et ballatibus excitabat : gestibus adhortans et nutibus : ut ad ecclesiam properaret . Propter quod agnus Francisci discipulus deuotionis iam magister effectus : ut mirabilis et amabilis a domina seruabatur . Alio quoque tempore apud Grecium uiuus uiro dei oblatus fuit lepusculus : qui licet in terra positus cum posset quo uellet effugere : uocante se benigno patre in sinum illius propero cursu saltauit : quem ipse pro cordis affectu circumfouens : uidebatur eidem compati quasi mater : dulcique allocutione commonitum ne iterum se capi permitteret : liberum abire permisit : cumque sæpe in terra positus ut abscederet semper in sinum patris rediret : tanquam si sensu occulto cor-

dis ipsius perciperet pietatem : tandem iussu patris a fra | tribus delatus est ad loca solitudinis tutiora . Modo quoque consimili in sylua lacus perusini auicula quædam capta et uiro dei oblata cum cæteros fugeret : manibus eius et sinus domestica securitate residebat . Per lacum rheatinum eidem ad heremum de Græcio properanti piscator unam e deuotione fluuialem obtulit auem : quam cum libenter suceptam† apertis inuitaret manibus ad recessum : nec illa uellet abire : erectis in cælum oculis diu in oratione permansit : et quasi aliunde post longam horam ad se reuersus : dulciter iterato mandauit auicule : ut dominum laudatura recederet : Suscepta itaque cum benedictione uenia gestu corporis quoddam prætendens gaudium euolauit . In eodem lacu similiter oblatus fuit ei piscis magnus et uiuus quem more solito fraterno nomine uocans in aqua posuit iuxta nauem . Piscis uero coram uiro dei in aqua ludebat : et quasi amore ipsius allocutus nullatenus recessit a naui : nisi prius ab eodem cum benedictione uenia ei data . Alio tempore ambulans cum quodam fratre per paludes uenetiarum : inuenit maximam auium multitndinem† residentium et cantantium in uirgulitis† : quibus uisis dixit ad socium : sorores aues laudant creatorem suum . Nos itaque in medio ipsarum euntes : laudes et horas domino decantemus : Cumque in medium earum intrassent : non sunt aues motæ de loco : et quia propter garritum ipsarum in dicendis horis se mutuo audire non poterant : conuersus uir sanctus dixit auibus : Sorores aues a cantu cessate : donec laudes deo debitas persoluamus . At illæ continuo tacuerunt tandiu in silentio persistentes : quandiu dictis horis et laudibus persolutis a sancto dei cantandi ueniam receperunt . ueniam uero dante eis uiro dei statim cantum suum more solito resumpserunt . Apud Sanctam mariam de porciuncula iuxta cellam uiri dei super ficum cicada residens et decantans cum seruum domini : qui etiam imparuis† rebus magnificentiam creatoris admirari didicerat : ad diuinas laudes cantu suo frequentius excitaret : ab eodem quadam die uocata uelut edocta cælitus super manum uolauit ipsius : Cui cum dixisset : canta soror mea Cicada : et dominum creatorem tuo iubilo lauda : sine mora obediens canere cœpit : nec destitit : donec iussu || patris ad locum proprium reuolauit . Mansit autem per octo dies ibidem quolibet die ueniendo cantando et recedendo et eius iussa perficiendo . Tandem uir dei ait ad socios : Demus iam sorori nostræ cicadæ ut abeat facultatem : satis enim nos . suo cantu lætificans : ad laudes dei octo dierum spatio excitauit : et statim ab eo uenia data recessit : nec ultra ibidem apparuit : ac si mandatum ipsius non auderet aliqnatenus† præterire . Eidem Senis infirmo phasianus quidem nuper captus a nobili quodam transmissus est uiuus : qui continuo ut uirum sanctum audiuit et uidit : tanto illi amore cohæsit : ut nullo modo pateretur ab ipso seiungi . Nam sæpenumero extra locellum fratrum in uinea positus ut abiret si uellet : rapido semper cursu redibat ad patrem : tanquam si omni fuisset ab eodem tempore educatus . Deinde cuidam obllatus† uiro qui ex deuotione seruum dei uisitare sollebat : uelut ei molestum foret a pii patris abesse conspectu : escam recusauit omnino . Reportatus tandem ad famulum dei fuit : ut statim conspexit eum : quibusdam hilaritatis prætensis gestibus auide manducauit . Cum ad heremum peruenisset Aluernæ propter quadragessimam celebrandam in honore archangeli Michaelis diuersi generis aues circa ipsius cellulam uolitantes concentu sonoro et leticiæ gestibus quasi de eius aduentu gaudentes patrem pium inuitare ac allicere uidebantur ad moram : quo uiso dixit ad socium : Cerno frater uoluntatis esse diuinæ : quod hic aliquandiu commoremur : adeo sorores auiculæ de nostra uidentur præsentia consolari . Cum igitur contraheret ibi moram falco ibidem nidificans magno se illi amicitiæ fœdere copulauit . Nam semper horam nocturno tempore in qua uir sanctus ad diuina surgere solitus erat cantu suo præueniebat et sono : quod famulo dei gratissimum erat : eo quod tanta sollicitudo : quam circa eum gerebat : omnem ab ipso desidiæ torporem excuteret . Cum uero seruus Christi infirmitate plus solito grauaretur : parcebat falco : nec tam tempestiuas indicebat uigilias : si quidem uelut instructus a deo circa diluculum suæ uocis campanam leui tactu pulsabat . Diuinum certe uidetur fuisse præsagium : tam enim exultatione multimodi generis auium quam in cantu falconis : cum dei laudator et cul | tor pennis contemplationis subiectus : tunc foret illic apparitione seraphica sublimandus . Moram illo faciente tempore quodam in heremitorio : loci illius Græcii indigene malis multiplicibus uexabantur . Nam et luporum rapacium multitudo non solum bruta sed et homines consumebat : et grando annua

tempestate blada et uineas deuastabat . dum igitur sic aflictis præco sancti euangelii prædicaret dixit ad eos : Ad honorem et laudem omnipotentis dei fide iubeo uobis : quod pestilentia hæc omnis abscedet : et respiciens uos dominus multiplicabit in temporalibus bonis : si mihi credentes misereamini : ut uera confessione præmissa dignos faciatis pœnitentiæ fructus . Iterum hoc anuncio uobis : quod si beneficiis ingrati ad uomitum rediritis† innouabitur plaga . duplicabitur pœna : et maior in uos ira desæuiet . Ab illa itaque hora pœnitentiam ad exhortationem ipsius agentibus illis cessauerunt clades . periere pericula . nec molestiæ quicquam lupi intulere uel grandines . Imo quod maius est : si quando uicinorum arua grando peruaderet : istorum terminis apropinquans terminabatur ibidem : aut per partem aliam diuertebat . Seruauit grando : seruauerunt et lupi pactionem serui dei : nec contra pietatis legem in homines ad pietatem conuersos attemptauerunt amplius desæuire . quandiu iuxta condictum contra piissimas dei leges impie non egerunt . Pie igitur sentiendum est de pietate uiri beati : quæ tam miræ dulcedinis et uirtutis fuit : ut domaret ferocia : domestica redderet syluestria : mansueta doceret : et brutorum naturam homini iam lapso rebellem ad sui obedeentiam† inclinaret . Vere hæc est quæ conctas sibi creaturas confæderans ualet ad omnia : promissionem habens uitæ quæ nunc est et futuræ .

De feruore caritatis et desyderio martyrii .

Caritatem feruentem qua sponsi amicus Franciscus ardebat quis enarrare sufficiat? Totus nanque ueluti quidam carbo ignitus diuini amoris flamma uidebatur absortus . Subito enim ad auditum amoris domini excitabatur : afficiebatur : inflammabatur : quasi plectro uocis extrinsecæ chorda cordis interior tangeretur . Talem pro eleimosynis censum offerre nobilem prodigalitatem dicebat : et eos qui minus ipsum || quam denarios reputarent esse stultissimos : pro eo quod solus diuini amoris impreciabile precium ad regnum cælorum sufficiat comparandum : et eius qui nos multum amauit multum sit amor amandus . Vt autem ex omnibus excitaretur ad amorem diuinum : exultabat in cunctis operibus manuum domini et per iucunditatis spectacula . in uiuificam consurgebat rationem et causam . Contuebatur in pulchris pulcherrimum : et per impressa rebus uestigia prosequebatur ubique dilectum : de omnibus sibi scalam faciens : per quam conscenderet ad apræhendendum eum : qui est desyderabilis totus . Inauditæ namque deuotionis affectu fontalem illam bonitatem in creaturis singulis tanquam in riuulis degustabat : et quasi cælestem concentum perciperet in consonantiam uirtutum et actuum eis datorum a deo ipsas ad laudem domini more prophetæ Dauid dulciter hortabatur . Christus Iesus crucifixus intra suæ mentis hubera ut myrrhæ fasciculus morabatur : in quem optabat per excellentis amoris incendium totaliter transformari . Prerogatiua quoque peculiaris deuotionis ad ipsum ab epiphania usque ad continuos quadraginta dies eo silicet tempore quo Christus latuit in deserto : ad solitudinis loca declinans : cellaque reclusus : quanta poterat abstinentia cibi et potus ieiuniis : orationibus et laudibus dei sine intermissione uacabat . Tam feruido quidem in Christum ardebat affectu : sed et dilectus illi tam familiarem rependebat amorem : ut uideretur ipsi famulo dei quasi iugem præ oculis ipsius saluatoris sentire præsentiam : sicut aliquando sociis familiariter reuelauit . Flagrabat erga sacramentum dominici corporis feruore omnium medullarum stupore admirans permaximo illam carissimam dignationem et dignantissimam caritatem . Sæpe communicabat et tam deuote : ut alios deuotos efficeret : dum ad immaculati agni degustationem suauem quasi spiritu ebrius in mentis ut plurimum rapiebatur excessum . Matrem domini indicibili complectabatur amore eo quod dominum maiestatis fratrem nobis effecerit : et per eam simus misericordiam consecuti . In ipsa post Christum præcipue fidens eam sui ac suorum aduocatam constituit : et ad honorem ipsius a festo apostolorum Petri et Pauli usque ad festum assumptionis deuotissime ieiunabat . Angelicis spiritibus ardentibus igne mirifico ad ex | cedendum in deum et electorum animas inflamandas uinculo copulatus : et ob deuotionem ipsorum ab assumptione uirginis gloriosæ quadraginta diebus ieiunans orationi iugiter insistebat . Beato autem Machaeli† archangelo eo quod animarum representandarum haberet officium speciali erat amore deuotior : propter feruidum quem habebat zelum ad salutem

omnium saluandorum . Ex recordatione sanctorum omnium tanquam lapidum ignitorum in diuinum recalescebat incendium . Apostolos omnes præcipue autem Petrum et Paulum propter feruidam caritatem quam habuerunt ad Christum summa deuotione complexans : ob quorum reuerentiam et amorem quadragesimæ speciale ieiunium domino dedicabat . Non habebat Christi pauper aliud nisi duo minuta corpus silicet et animam : et quæ posset liberali caritate largiri . Sed hæc per amorem Christi sic offerebat continue : ut quasi omni tempore per rigorem ieiunii corpus et per ardorem desyderii spiritum immolaret : exterius in atrio sacrificans holocaustum : et in templo interius thymiama . Sic autem eum caritatis excessiua deuotio sursum in diuina ferebat : ut eiusdem affectuosa benignitas ad naturæ consortes et gratiæ dilataret : quem enim creatoris germanum pietas effecerat cordis : mirum non est : si creaturis insignitis imagine et sanguine redemptis auctoris : germaniorem Christi caritas faciebat . Non se Christi reputabat amicum : nisi animas foueret : quas ille redemit . Saluti animarum nihil dicebat esse præferendum : eo maxime probans : quod unigenitus dei pro animabus dignatus fuerit in cruce pendere . Hinc ei in oratione luctamen : in prædicatione discursus : et in exemplis dandis excessus . Vnde quotiens austeritas nimia reprehenderetur in ipso : respondebat se datum aliis in exemplum . Licet enim innocens eius caro quæ iam sponte se subdebat spiritui nullo propter offensas egeret flagello : tamen exempli causa renouabat illi pœnas et onera : custodiens propter alios uias duras . Dicebat enim : Si linguis hominum loquar et angelorum : caritatem autem in me ipso non habeam : et proximis uirtutum exempla non monstrem : parum prosum aliis : mihi nihil . Feruenti quoque caritatis incendio gloriosum sanctorum martyrum æmulabatur triumphum : in quibus nec amoris flamma extingui : nec fortitudo potuit infirmari . Desyderabat propterea et ipse illa perfecta caritate suc || census quæ foras mittit timorem per martyrii flammam . Hostiam domino se offerre uiuentem : ut et uicem Christo pro nobis morieti^{t} : et ad diuinum amorem cæteros prouocaret . Sexto nanque suæ conuersionis anno desyderio matyrii^{t} flagrans : ad prædicandam fidem christianam et pœnitentiam sarracenis aliisque infidelibus in partibus Syriæ transfretare disposuit : Cumque nauem quandam ut illuc tenderet conscendisset : uentis contrariis flantibus compulsus est Illyricis oris applicare . Cum igitur moram aliquandiu contraxisset ibidem : nec inuenire posset nauem tunc temporis transfretantem : fraudatum se a suo desyderio sentiens : nautas quosdam Anchonam tendentes ut amore dei eum secum ducerent orauit . Verum illis propter expensarum defectum pertinaciter recusantibus : uir dei plurimum de domini bonitate confisus : nauem cum socio latenter conscendit . Affuit quidam a deo ut creditur missus : qui secum ferens necessaria uictus quendam timentem deum de naui ad se uocatum sic allocutus est : hæc omnia pro pauperibus fratribus in naui latitantibus conserua fideliter : ac necessitatis tempore amicabiliter subministra : Sicque factum est : ut nautis propter uim uentorum per dies plurimos nusquam applicare ualentibus omnia ipsorum consumerentur cibaria : et sola pauperi Francisco collata desuper eleimosyna superesset : quæ cum esset permodica : tantum diuina uirtute suscepit augumentum : ut diebus pluribus in mari propter tempestatem continuam contrahentibus moram usque ad portum Anchonæ omnium necessitatibus plenariæ subueniret . Videntes itaque nautæ per seruum dei multa se mortis euasisse discrimina tanquam qui maris horrenda pericula senserant : et miranda opera domini uiderant in profundo : gratias egerunt omnipotenti deo : qui semper in suis amicis et seruis mirabilem et amabilem se ostendit . Cum autem relicto mari terram perambulare cœpisset : iactato in eam salutis sæmine reportabat manipulos fructuosos . Verum quia martyrii fructus adeo cor eius allexerat : ut preciosam pro Christo mortem super omnia uirtutum merita peroptaret : uersus Marrochium iter arripuit : ut Miramamolino et genti eius Christi euangelium prædicaret : si | quomodo ad concupitam palmam ualeret attingere . Tanto namque desyderio ferebatur : ut quamuis imbecillus corpore peregrinationis suæ præcurreret comitem : et ad exequendum propositum festinus tanquam spiritu ebrius aduolaret : Sed cum iam usque Hispaniam perrexisset diuina dispositione quæ ipsum reseruabat ad alia grauissima ei superuenit infirmitas : qua præpeditus quod cupiebat ad implere nequiuit . Sentiens igitur uir dei : quod necessaria adhuc erat proli quam genuerat ipsius uita in carne : uquamis^{t} mortem sibi lucrum esse putaret : rediit ap^{t} pascendum oues suæ sollicitudini commendatas .

Verum caritatis ardore spiritum ipsius ad martyrium perurgente : tertio adhuc pro fide trinitatis effusione sui sanguinis dillatanda ad infidelium oras proficisci temptauit . Tertiodecimo namque suæ conuersionis anno Syriam uersus pergens multis se periculis constanter exposuit . ut Soldani babyloniæ posset adire præsentiam . Inter christianos enim ac sarracenos tunc bellum adeo erat implacabile : exercituum castris hinc inde comminus ex aduerso locatis : ut uia mutui transitus sine mortis discrimine non pateret . Exierat siquidem a Soldano edictum crudele : ut quicumque caput alicuius christiani afferret : bizantium aureum pro mercede reciperet . At intrepidus Christi miles Franciscus sperans in proximo suum adipisci posse porpositum[†] constituit iter arripere : mortis pauore non territus : sed desyderio prouocatus . Oratione nanque præmissa confortatus a domino confidenter illud propheticum decantabat : Nam et si ambulem in medio umbræ mortis : non timebo mala : quoniam tu mecum es . Assumpto igitur socio fratre Illuminato nomine uiro utique luminis et uirtutis : cum iter cœpisset obuias habuit duas ouiculas : quibus uisis exhilaratus uir sanctus dixit ad socium : Confide frater in domino : nam in nobis euangelicum illud completur : Ecce ego mitto uos sicut oues in medio luporum . cum autem processissent ulterius : occurerunt ei satellites sarraceni : qui tanquam lupi cellerius accurrentes ad oues seruos dei feraliter compræhensos crudeliter et contemptibiliter pertractauerunt : afficientes conuiciis affligentes uerberibus et uinculis alligantes : Tandem afflictos mul || tipliciter et atritos : ad Soldanum diuina disponente prouidentia iuxta uiri dei desyderium perduxerunt . cum igitur princeps ille perquireret : a quibus et ad quid et qualiter missi essent et quomodo aduenissent : intrepido corde respondit Christi seruus Franciscus : non ab homine sed a deo altissimo se fuisse transmissum : ut ei et populo suo uiam salutis ostenderet : et annunciaret euangelium ueritatis . Tanta uero mentis constantia tanta uirtute tantoque feruore spiritus prædicauit deum trinum et unum saluatorem omnium Iesum Christum : ut euangelicum illud in ipso claresceret ueraciter esse completum : Ego dabo uobis os et sapientiam : cui non poterunt resistere et contradicere omnes aduersarii uestri . Nam et Soldanus admirandum in uiro dei feruorem spiritus conspiciens et uirtutem : libenter ipsum audiebat : et ad moram contrahendam eum[†] eo instantius inuitabat . Christi uero seruns[†] superno illustratus oraculo : si uis inquit conuerti tu cum populo tuo ad Christum : ob ipsius amorem uobiscum libentissime commorabor : quod si hæsitas propter fidem Christi legem Mahumeti dimittere iube ignem accendi permaximum et ego cum saecrdotibus[†] tuis ignem ingrediar : ut uel sic cognoscas : quæ fides certior et sanctior non immerito sit tenenda : Ad quem Soldanus : Non credo : quod aliquis de sacerdotibus meis se uellet igni propter fidem suam defensandam exponere : uel genus aliquod subire tormenti . Viderat enim statim quendam de præsbyteris suis uirum autenticum et longeuum hoc audito uerbo de suis conspectibus aufugisse : Ad quem uir sanctus : Si mihi uelis promittere pro te et populo tuo : quod ad Christi cultum : si ignem illæsus exiero : ueniatis : ignem solus intrabo . Et si combustus fuero : imputetur peccatis meis . Si autem diuina me protexerit uirtus : Christum dei uirtutem et sapientiam uerum deum et dominum saluatorem omnium agnoscatis . Soldanus autem optionem hanc accipere se non audere respondit : quia sedicionem populi formidabat . Obtulit tamen ei multa munera preciosa : quæ uir dei non mundanarum rerum sed salutis animarum auidus spreuit omnia quasi lutum . Soldanus uidens uirum sanctum tam perfectum rerum mundanarum contemptorem : admiratione permotus : ma | iorem erga ipsum deuotionem concepit . Et quamuis ad fidem christianam transire nollet : uel forsitan non auderet : rogauit tamen deuote famulum Christi : ut prædicta susciperet pro salute ipsius : christianis pauperibus uel ecclesiis erroganda . Ipse uero quia pondus fugiebat pecuniæ et in animo Soldani ueræ pietatis non uidebat radicem : nullatenus acquieuit . Videns etiam non proficere in conuersione gentis illius nec assequi posse propositum : ad partes fidelium diuina reuelatione præmonitus remeauit . Sic itaque dei ordinante clæmentia et sancti uiri promerente uirtute : misericorditer et mirabiliter factum est : quod Christi amicus mortem pro ipso uiribus totis exquireret : et tamen nullo pacto inueniret : ut et merito non careret optati martyrii : et insigniendus seruaretur imposterum priuilegio singulari . Sic utique factum est : ut ignis ille diuinus adhuc perfectis illius æstuaret in corde : ut post patentius euaporaret in carne . Oh uere beatum uirum : cuius caro etsi tyramnico ferro non cæditur occisi

tamen agni similitudine non priuatur . Oh inquam uere ac plene beatum : cuius animam et si gladius persecutoris non abstulit palmam tamen martyrii non amisit .

De studio et uirtute orationis .

Sentiens Christi seruus Franciscus corpore se peregrinum a domino cum iam ad terrena foris desyderia per Christi caritatem totus esset insensibilis factus ne foret absque consolatione dilecti : sine intermissione orans spiritum deo contendebat exhibere præsentem . erat quidem oratio contemplanti solatium dum supernarum circuitu mansionum angelorum conciuis iam factus feruenti desyderio dilectum quæritaret : a quo solus eum carnis paries disiungebat . Erat et operanti præsidium : dum in omnibus quæ agebat de sua diffidens industria et de superna pietate confidens : per ipsius instantiam totum in domino cogitatum iactabat . Orationis gratiam uiro religioso desyderandam super omnia firmiter asserebat : nullumque credens sine ipsa in dei prosperari seruitio : modis quibus poterat fratres suos ad eius studium excitabat . Nam ambulans et sedens intus et foris laborans et uacans orationi adeo erat intentus : ut illi uideretur non solum quidquid erat in eo cordis et corporis uerum etiam ope || ris et temporis dicasse . Solitus erat : nullam uisitationem spiritus cum negligentia præterire . Si quidem cum offerebatur : sequebatur eam : et quandiu dominus concedebat dulcedine perfruebatur oblata . Cum autem intentus itineri diuini spiritus aliquos sentiret afflatus : sociis præcedentibus gradum figebat : nouamque inspirationem ad fruitionem conuertens : gratiam non recipiebat in uacuum . Suspendebatur multotiens tanto contemplationis excessu : ut supra semetipsum raptus et ultra humanum sensum aliquid sentiens quid ageretur circa se exterius ignoraret . Transiens namque aliquando per burgum Sanctisepulcri castellum utique populosum pro debilitate corporis subuectus assello : obuias habuit turbas in eum præ deuotione ruentes . Tractus autem et detentus ab eis : compressus quoque ac multipliciter attrectatus insensibilis uidebatur ad omnia : et uelut exanime corpus : De hiis quæ fiebant circa ipsum nihil penitus aduertebat : Vnde cum iam diu prædicto castello turbisque relictis peruenisset ad quoddam domicilium leprosorum : quasi aliunde rediens cælestium contemplator sollicite requisiuit : quando propinquaret ad burgum . Mens quidem ipsius in cælestibus fixa splendoribus : uarietates non senserat locorum nec temporum nec occurrentium personarum . Quod ipsi accidisse frequentius : sociorum eius experientia multiplex comprobauit : Et quia in oratione perceperat : sancti spiritus desyderatam præsentiam tanto familiarius se offerre precantibus : quanto plus inuenit elongatos a strepitu mundanorum : ideo loca solitaria quærens : ad solitudines et ecclesias derelictas oraturus nocte pergebat : Vbi dæmonum pugnas horribiles frequenter sustinuit : qui secum sensibiliter confligentes : nitebantur ipsum ab orationis studio perturbare . Ipse uero armis cælestibus munitus quanto uæhementius impetebatur ab hostibus : tanto fortior in uirtute et freuentior[†] reddebatur in prece : fidenter dicens ad Christum : Sub umbra alarum tuarum protege me : a facie impiorum qui me afflixerunt . Ad dæmones autem : Facite quidquid in me ualetis maligni spiritus et falaces . Non enim potestis nisi quantum uobis manus superna relaxat : et ego ad perferendum omnia quæ illa infligenda decreuerit : cum omni iucunditate paratus assi | sto : quam mentis constantiam superbi dæmones non ferentes : abscedebant confusi . Vir autem dei solitarius remanens et placatus : nemora replebat gemitibus : loca spargebat lachrymis : pectora manu tundebat : et quasi occultum secretarium nactus confabulabatur cum domino suo . Ibi respondebat iudici . Ibi supplicabat patri . Ibi colloquebatur amico . Ibi quoque a fratribus ipsum pie obseruantibus aliquotiens auditus est clamorosis gemitibus apud diuinam pro peccatoribus interpellare clæmentiam : deplorare etiam alta uoce quasi coram positam dominicam passionem . Ibi uisus est nocte orans manibus ad modum crucis protensis toto corpore subleuatus a terra : et nubecula quadam fulgente circundatus : ut illustrationis mirabilis intra mentem mira quoque circa corpus illustratio testis esset . Ibi etiam sicut certis comprobatum est indiciis : incerta sibi et occulta diuinæ sapientiæ pandebantur : quamuis illa non uulgaret exterius : nisi quantum Christus urgebat . Dicebat enim : Leui mercede rem impretiabilem contingit amitti : et illum qui dedit : ad non dandum iterum facile prouocari . Quando a priuatis redibat orationibus : quibus pene in uirum alterum mutabatur : summo

opere studebat conformare se cæteris : ne forte quod foris ostenderet aura fauoris intus a mercede uacuaret . Cum in publico subito affliceretur† uisitatus a domino : semper aliquid obiiciebat astantibus : ne sponsi familiares attractus forinsecus uulgarentur . Excreationes : gemitus : duros hanelitus : extrinsecos nutiis† : orans inter fratres deuitabat omnino : siue quia diligebat secretum : siue quia ad interiora reintrans totus ferebatur in deum : Sæpe talia familiaribus dixit : Quando seruus dei orat : et uisitatur diuinitus : dicere debet : hanc consolationem mihi peccatori et indigno de cælo misisti domine : et ego illam tuæ committo custodiæ : quia thesauri tui me sentio esse latronem . Et cum ab oratione reuertitur : sic debet se pauperculum et peccatorem ostendere : ac si nullam sit nouam gratiam consecutus . Orante autem uiro dei in loco de portiuncula : contigit assisinatem episcopum uenire ad eum : ut erat solitus : uisitandum : qui mox ut locum fuit ingressus : ad cellam in qua Christi seruus orabat plus debito fidenter accessit : pulsoque hostiolo intratu || rum se ingerens : dum caput immisit : sanctumque orantem conspexit : repentino tremore concussus obrigitate diuina per uim foras propulsus : retrogrado pede procul abductus est . Stupefactus episcopus ad fratres festinauit : ut potuit : deoque sibi restituente loquellam primo uerbo confessus est culpam . Contigit tempore quodam abbatem monasterii sancti Iustini episcopatus Perusii obuiare famulo Christi : quo uiso abbas deuotus celeriter ab equo descendit : ut et uiro reuerentiam faceret : et de salute animæ aliqua cum ipso conferret . Tandem habita collatione suaui abbas abscedens : orari pro se humiliter petiit : Cui uir deo carus respoudit† : Orabo libenter . Parum itaque discedente ab abbate dixit fidelis Franciscus ad socium : Expecta frater modicum : quia debitum uolo soluere : quod promisi . Orante autem illo subito abbas insolitum calorem et dulcedinem hactenus incompertam sensit in spiritu . Itaque in excessu mentis effectus a se ipso totus in deum defecit . Parua morula substitit : et in se reuersus uirtutem orationis sancti Francisci cognouit . Maiore proinde circa ordinem semper amore flagrauit : multisque factum pro miraculo rettulit . Solitus erat uir sanctus horas canonicas non minus timore deo persoluere quam deuotione . Nam licet oculorum : stomachi : splenis et epatis ægritudine laboraret : nolebat tamen muro uel parieti inhærere : dum psaleret : sed horas semper erectus et sine caputio non circumuagis oculis : non cum aliqua syncopa persoluebat . Si quando esset in itinere constitutus : figebat tunc temporis gressum : huiusmodi consuetudinem reuerens et sacram propter pluuiarum inundantiam non omittens . Dicebat enim : si quiete comedit corpus cibum suum futurum cum ipsa uermium esca : cum quanta pace ac tranquillitate accipere debet anima cibum uitæ ? Grauius etiam se putabat offendere : si quando orationi deditus uanis phantasmatis interius uagaretur . Cum aliquid tale accideret : non parcebat confessioni : quin illud protinus expiaret . Hoc studium sic in usum conuerterat : ut rarissime muscas huiuscemodi pateretur . Fecerat in quadragessima quadam uasculum unum : ut minutas temporis : ne omnino exciderent : occuparet : quod cum dicenti tertiam in memoriam ueniens paululum ipsius animum distraxisset : | motus feruore spiritus uasculum igne consumpsit dicens : sacrificabo illud domino : cuius sacrificium impediuit . psalmos in tanta mentis et spiritus attentione dicebat : quasi deum præsentem haberet . Et cum nomen domini in ipsis occurreret : præ suauitatis dulcedine labia sua lingere uidebatur . Ipsum quoque domini nomen non solum cogitatum uerum etam† prolatum et scriptum reuerentia uolens honorificare præcipua : fratribus persuasit : ut omnes scedulas scriptas ubicumque repertas colligerent : mundoque loco reponerent ne forte sacrum illud nomen ibi scriptum contigeret conculcari . Nomen autem Iesu cum exprimeret uel audiret : iubilo quodam repletus interius totus uidebatur exterius alterari : ac si melifluus sapor gustum uel hirmonicus† sonus ipsius immutasset auditum . Contigit autem anno tertio ante eius obitum : ut memoriam natiuitatis pueri Iesu ad deuotionem excitandam apud castellum Græcii disponeret agere cum quanto maiore solemnitate ualeret . Ne uero hoc nouitati posset ascribi : a summo pontifice petita et obtenta uenia fecit præparari præsepium : apportari fœnum : bouem et asinum ad locum adduci . Aduocantur fratres . adueniunt populi . personat sylua uoces : et uenerabilis illa nox luminibus copiosis et claris laudibusque sonoris et consonis : splendensque efficitur et solemnis . Stabat uir dei coram præsepio pietate repletus : respersus lachrymis et gaudio superfusus . Celebrantur missarum solemnia super

presepe leuita Christi Francisco euangelium decantante . Prædicat deinde populo circunstante de natiuitate pauperis regis : quem cum nominare uellet : puerum de Bethleem præ amoris teneritudine nuncupabat . Miles autem quidam uirtute plenus et uerax : qui propter Christi amorem sæculari relicta militia uiro dei magna fuit familiaritate coniunctus Iohannes de Græcio : se uidisse asseruit puerulum quendam ualde formosum in illo præsepio dormientem : quem beatus pater Franciscus ambobus complexans brachiis excitare uidebatur a somno : Hanc quidem deuoti militis uisionem non solum uidentis sanctitatis credibile facit : sed et de† designata ueritas conprobat et miracula consecuta confirmant . Nam exemplum Francisci consyderatum a mundo excitatiuum est cor || dium in fide Christi torpentium et fœnum præsepii reseruatum a populo mirabiliter sanatiuum brutorum languentium et aliarum repulsiuum pestium diuersarum : glorificante deo per omnia seruum suum : sanctæque orationis efficaciam euidentibus miraculorum prodigiis demonstrante .

De intelligentia scripturarum et spiritu prophetiæ .

Ad tantam autem mentis serenitatem in defessum orationis studium cum continua exercitatione uirtutum uirum dei perduxerat : ut quamuis non habuerit sacrarum litterarum peritiam per doctrinam : æterne tamen lucis irradiatus fulgoribus scripturarum profuuda† miro intellectus scrutaretur acumine . Penetrabat enim ab omni labe purum ingenium mysteriorum abscondita : et ubi magistralis scientia foris stabat : affectus introibat amantis . Legebat quandoque in libris sacris : et quod animo semel iniecerat : tenaciter imprimebat memoriæ : quia non frustra mentalis attentionis percipiebat auditu : quod continuæ deuotionis ruminabat affectu . Quærentibus aliquando fratribus utrum sibi placeret : quod litterati iam recepti ad ordinem intenderent studio sacræ scripturæ : respondit : Mihi quidem placet : dum tamen exemplo Christi : qui magis orasse legitur : quam legisse : orationis studium non omitant : nec tantum studeant : ut sciant qualiter debeant loqui : sed ut audita faciant : et cum fecerint : aliis facienda proponant . Volo inquit fratres meos discipulos euangelicos esse : sicque in noticia ueritatis proficere : quod in simplicitatis puritate concrescant : ut simplicitatem columbinam a prudentia serpentina non seperent : quas magister eximius ore suo benedicto coniunxit . Interrogatus Senis a quodam religioso uiro theologiæ sacræ doctore de quibusdam quæstionibus difficilibus intellectu : tanta claritate diuinæ doctrinæ archana sapientiæ patefaciebat : ut uæhementer stuperet uir ille peritus : et cum admiratione refferret : Vere theoligia† sancti istius patris puritate ac contemplatione tanquam in altum subuecta : est aquila uolans : nostra uero scientia uentre graditur super terram . Licet enim sermone imperitus : scientia tamen plenus enodabat dubia quæstionum : et abscondita producebat in lucem . Nec absonum : si uir sanctus scripturarum a deo intellctum† acceperat : cum per imitationem Christi perfectam ueritatem ipsarum descriptam gestaret in opere : et | per sancti spiritus unctionem plenariam doctorem earum apud se haberet in corde . Adeo etiam in ipso claruit spiritus prophetiæ : ut et præuideret futura : et cordium contueretur :† occulta absentia quoque uelut præsentia cerneret . Atque etiam se præsentem absentibus mirabiliter exhiberet . Tempore namque quo damiatam christianorum obsidebat exercitus infidelium : aderat uir dei non armis sed fide munitus . Igitur cum die belli christiani pararentur ad pugnam : Hoc audito Christi seruus uæhementer ingemuit ; dixitque socio suo : Si belli fuerit attemptatus congressus : ostendit mihi dominus : non prospere cedere christianis : Verum si hoc dixero : fatuus reputabor . Si tacuero : conscientiam non euadam . Quid ergo tibi uidetur ? respondit socius eius : Frater pro minimo tibi sit : ut ab hominibus iudiceris : quia non modo incipis fatuus reputari . Exonera conscientiam tuam : et deum magis time quam homines . Quo audito : exiliens Christi præco salutaribus monitis christianos aggreditur : prohibet bellum : denunciat casum : fit ueritas in fabulam : indurauerunt cor suum : et noluerunt reuerti . Itur . committitur : et bellatur : totaque in fugam uertitur militia christiana : finem belli opprobrium referens non triumphum . Tanta uero strage christianorum imminutus est numerus : ut ad sex millia fuerint aut mortui aut captiui : In quo euidenter innotuit : quod spernenda non erat pauperis sapientia : cum anima uiri iusti enuntiet aliquando uera : quam septem circumspectores sedentes in excelso ad

speculandam . Alio quoque tempore cum post ultramarinam ipsius reuersionem Celanum prædicaturus accederet : miles quidam simplici eum deuotione cum instautia† magna inuitauit ad prandium . Venit itaque militis domum : omnisque familia pauperum hospitum exultauit ingressu . Ante uero quam cibum sumeret : iuxta solitum morem uir mente deuotus offerens deo preces et laudes : oculis stabat eleuatis in cælum . Oratione completa : beniguum† hospitem familiariter clam aduocatum : sic allocutus est : Ecce frater hospes tuis uictus precibus ut manducarem domum tuam intraui . Meis nunc cito monitis acquiesce ; quoniam non hic sed alibi manducabis : Confitere nunc peccata tua ueræ penitentiæ dolore contritus : nec in te remaneat quicquam : quod ueridica confessione non pandas. || Reddet tibi dominus hodie uicem : quoniam tanta deuotione suos pauperes suscepisti . Acquieuit continuo uir ille sermonibus sancti : socioque ipsius omnia peccata in confessione detegens : domum suam et ad mortem suscipiendam se quantum ualuit præparauit . discubuerunt tandem mensæ . et incipientibus aliis manducare : hospes subito spiritum exhallauit : iuxta uerbum hominis repentina morte sublatus . Sicque factum est hospitalitatis misericordia promerente : ut iuxta uerbum ueritatis prophetam recipiens mercedem prophetæ acciperet : dum per sancti uiri prænuntiationem propheticam miles ille deuotus sibi contra repentinum mortis casum præuidit : quatenus armis pœnitentiæ præmunitus perpetuam damnationem euaderet : et in æterna tabernacula introiret . Tempore quo uir sanctus Rheate iacebat infirmus præbendarius quidam nomine Gedeon lubricus et sæcularibus deditus illecebris graui infirmitate correptus cum ad eum delatus esset lachrymis rogabat cum simul astantibus : ut ab ipso crucis signaculo signaretur : Ad quem ille : Cum uixeris olim sæcundum carnis desyderia non ueritus iudicia dei : quomodo te cruce signabo ? Verum propter deuotas intercedentium preces signo te crucis signabo in nomine domini. Tu tamen scito te grauiora passurum : si ad uomitum redieris liberatus . Propter peccatum enim ingratitudinis semper peiora peioribus inferuntur . Signo itaque crucis super eum facto : statim qui contractus iacuerat surrexit sanus : et in laudem dei prorumpens : ego inquit sum liberatus . Insonuerunt : ueluti cum manu ligna sicca franguntur . Paucis interlapsis temporibus dei oblitus corpus impudicitiæ reddidit : Cumque uespere quodam cænasset in cuiusdam canonici domo : nocteque illa dormiret ibidem : subito super eos corruit tectum domus . Cæteris autem euadentibus mortem : solus miser ille interceptus atque interemptus est . Iusto igitur dei iudicio facta sunt nouissima hominis illius peiora prioribus propter ingratitudinis uitium deique contemptum : cum de accepta uenia gratum esse opporteat : et duplo displiceat flagitum† iteratum . Alio quoque tempore mulier nobilis deo deuota ad uirum sanctum uenit : ut suum ei explicaret dolorem : ac remedium postularet . Habebat qui | dem uirum ualde crudelem : quem aduersarium patiebatur in seruitio Christi : petebatque a sancto : quatinus oraret pro illo : ut sua deus cor ipsius dignaretur emolire clæmentia . Ipse uero hoc audiens ait illi : Vade cum pace : indubitanter expectans de uiro tuo consolationem tibi protinus affuturam : et adiecit : ex parte dei et mea nunc est tempus clæmentiæ : postmodum æquitatis . Beneictione† accepta reuertitur mulier : Inuenit uirum : denunciat uerbum . Cecidit super eum spiritus sanctus : et nouum factum de ueteri sic facit cum omni mansuetudine respondere : Domina seruiamus deo : et saluemus animas nostras . Suadente igitur sancta uxore pluribus annis cælibem uitam agentes eodem die ambo ad dominum migrauerunt . Miranda certe in uiro dei spiritus prophetici uirtus : qua in membris iam arentibus restituebat uigorem : et duris imprimebat cordibus pietatem : quanquam non minus eiusdem spiritus sit stupenda claritas : qua sic futurorum præcognoscebat euentum : ut etiam conscientiarum scrutaretur arcanum : quasi alter Heliseus duplicem Heliæ spiritum assecutus . Nam cum senis uiro sibi familiari quædam superuentura prædixisset : et ille uir peritus : de quo supra mentio facta est : quod de scripturis cum eo conferebat aliquando : hiis auditis ab eodem sancto patre dubitando perquireret : an hæc ipse dixisset quæ illius uiri reuelatione cognouerat : non solum se illa dixisse asseruit : uerum etiam quærenti alienum euentum proprium exitum prophetando prædixit . Quod ut certius cordi eius imprimeret quendam secretum conscientie illius scrupulum quem nulli uiuenti uir expresserat : et mirabiliter reuelando explicuit : et salubriter consulendo reserauit : Ad quorum omnium firmitatem accidit : quod uir ille religiosus sicut Christi famulus

ei prædixit : sic tandem consumauit . Eo etiam tempore quo transmarinis partibus reuertebatur : socium habens fratrem Leornardum† de Assisio : contigit eum fatigatum et lassum parumper asellum conscendere . Subsequens autem socius et ipse non modicum fessus cœpit intra se humanum aliquid passus dicere : Nam de pari ludebant parentes huius et mei . En ipse equitat : et ego pedester asinum eius duco . Hæc illo cogitante protinus de asino descendit uir sanctus : et || ait : Non frater conuenit : ut ego equitem : tu uenias pedes : quia nobilior et potentior in sæculo me fuisti . Obstupuit illico frater : et rubore suffusus deprehensum se intellexit : prociditque ad ipsius pedes : et lachrymis irrigatus nudum exposuit cogitatum : ueniamque poposcit . Frater quidam deo deuotus et famulo Christi : frequenti cogitatione uersabat in pectore : superna fore gratia dignum : quem uir sanctus familiari complecteretur affectu : quem uero tanquam extraneum reputaret : extra numerum electorum reputandum a deo . Cum igitur cogitationis huiusmodi crebrius uexatus impulsu uir† dei familiaritatem uæhementer optaret : nec tamen cordis sui secretum reuelaret alicui : aduocans eum ad se dulciter pater pius sic allocutus est : Nulla te turbet cogitatio fili : quoniam te carissimum habens inter præcipue mihi caros libenter tibi munus meæ familiaritatis et dilectionis impendo . Miratus exinde frater : factusque ex deuoto deuotior . non solum in amorem creuit hominis sancti : uerum etiam per sancti spiritus gratiæ munus donis est maioribus cumulatus . Cum autem in monte maneret Aluernæ cella reclusus unus ex sociis magno desyderio cupiebat de uerbis domini aliquod habere scriptum manu ipsius breuiter annotatum . Grauem enim qua uexabatur temptationem non carnis sed spiritus ex hoc credebat euadere : uel certe leuius ferre . Tali desyderio languens erat interius : quia uerecundia uictus reuerendo patri rem pandere non audebat . Sed cui homo non dixit : spiritus reuelauit . Portari namque sibi iussit a fratre prædicto attramentum carthamque : laudesque domini iuxta fratris desyderium propria manu scripsit : et ultimo benedictionem ipsius dicens : Accipe tibi chartulam hanc : et usque ad diem mortis tuæ custodias diligenter . Accepit frater donum illud optatum : et statim omnis illa temptatio effugatur . Seruatur littera : et cum in posterum miranda effecerit : uirtutum Francisci testimonium fuit . Frater quidam erat : quantum extra uidebatur : sanctitate præclarus : conuersatione insignis tamen ad modum singularis . omni tempore orationi uacans tanta districtione silentium obseruabat : ut consuesceret non uerbis sed nutibus confiteri . Accidit autem sanctum patrem ad locum uenire : uidere fratrem : | et de ipso cum aliis fratribus habere sermonem . Commendantibus autem omnibus et magnificantibus illum : respondit uir dei : Sinite fratres : ne mihi in eo diabolica figmenta laudetis . In ueritate sciatis : quod diabolica temptatio est et deceptio fraudolenta . Dure acceperunt hoc fratres tanquam impossibile : quod tot perfectionis indiciis fraudis se commenta fuccarent . Verum non post multos dies eo religionem egresso euidenter apparuit : quanta lutulenta interioris contuitus uir dei cordis eius secreta perspexerit . Multorum quoque per hunc modum qui stare uidebantur : ruinam sed et plurimorum peruersorum conuersionem ad Christum immobili ueritate prænuncians apropinquasse uidebatur ad æternæ lucis speculum contemplandum : cuius fulgore mirabili absentia corporaliter tanquam præsentia mentis eius cernebat obtutus . Aliquando namque uicarius eius tenebat capitulum : ipse uero in cella orans sequester erat et medius inter fratres et deum . Cum igitur unus ex ipsis defensionis quodam contectus palliolo non se subderet disciplinæ : uidens hoc uir sanctus in spiritu : uocauit quendam e fratribus : dixitque ad eum : uidi frater diabolum super illius fratris inobedientis dorsum collum eius tenentem astrictum : qui tali sessore subactus obedientiæ fræno spreto : instinctus eius sequebatur habenas . Et cum rogarem deum pro fratre : subito dæmon confusus abiit . Vade igitur : et dic fratri : ut obedientiæ sanctæ iugo collum sine mora submittat . Monitus per internuncium frater : statimque ad dominum conuersus ad pedes uicarii humiliter se proiecit . Alio quoque tempore contigit duos fratres ad heremitorium Græcii a longe uenire : ut uirum dei cernerent : et benedictionem multo desyderatam tempore reportareut† . Venientes autem et non inuenientes : quia e multorum iam conspectu ad cellam redierat : desolati abibant . Et ecce recedentibus illis : cum de ipsorum aduentu uel recessu nihil secundum humanum sensum percipere potuisset : præter solitum morem egressus e cella clamauit post eos : et ipsos iuxta quod optauerant signo crucis facto in Christi nomine bene-

dixit . Duo fratres uenerunt aliquando e Campania uulgo Terralaboris : quorum antiquior nonnulla iuniori scandala intulit . Cum autem peruenissent ad patrem : quæsiuit ille a iunio || re : qualiter erga ipsum se socius frater habuisset in uia . eo respondente : utique satis bene . Subiunxit : Caue frater ne sub humilitatis specie mentiaris . Scio enim . scio : sed expecta modicum : et uidebis : Miratus est admodum frater : quomodo tam absentia per spiritum cognouisset . Igitur non post multos dies contempta relligione foras egreditur : qui scandalum fecerat fratri : et a patre non petiuerat ueniam : nec correctionis debitam receperat disciplinam . Simulque duo in una illius claruere ruina : equitas diuinæ iusticiæ : et perspicacitas spiritus prophetiæ . Qualiter autem absentibus se præsentem exhibuit diuina faciente uirtute euidenter ex superioribus innotescit : si reuocetur ad mentem : qualiter absens in curru igneo fratribus transfiguratus apparuit : et quomodo se relatensi† capitulo in crucis effigie præsentauit : quod factum esse diuina dispositione credendum est : ut ex præsentia corporali apparitio mirabilis patenter claresceret : præsens et peruius spiritus eius luci sapientiæ foret æternæ : quæ omnibus mobilibus mobilior est : et ubique attingens propter sui mundiciam per nationes in animas sanctas se transfert : et dei amicos et prophetas constituit : Simplicibus enim et paruulis sua pandere solet mysteria doctor excelsus : sicut prius apparuit in Dauid prophetarum eximio : et post in apostolorum principe Petro : et tandem in pauperculo Christi Francisco . hii enim cum essent litterarum imperitia simplices : facti sunt sancti spiritus eruditione illustres . Is quidem pastor ut gregem pasceret synagogæ de Aegipto eductum . Iste piscator ut sagenam repleret ecclesiæ multiformitate credentium . Hic autem negotiator ut euangelicæ uitæ uenditis et dispersis omnibus propter Christum margaritam emeret .

De efficacia prædicandi et gratia sanitatum .

Fidelis re uera famulus et minister Christi Franciscus ut cuncta fideliter et perfecte perageret : illis potissime uirtutum exercitiis intendebat : quæ sacro dictante spiritu deo suo magis placere cognouerat : qua de re contigit illum in magnam dubitationis cuiusdam agoniam incidere : quam multis diebus ab oratione rediens terminandam fratribus sibi familiaribus proponebat : Quid inquit fratres | consulitis ? quid laudatis : an quod orationi uacem : an quod prædicando discurram ? Si quidem ego paruulus simplex et imperitus sermone maiorem orandi accepi gratiam quam loquendi . Videtur etiam in oratione lucrum et cumulatio gratiarum : in prædicatione distributio quædam donorum cælitus acceptorum . In oratione etiam purificatio interiorum affectuum : et unitio ad unum uerum et summum bonum cum uigoratione uirtutis : In prædicatione spiritualium puluerizatio pedum : distractio circa multa et relaxatio disciplinæ . Tandem in oratione deum alloquimur : et audimus : et quasi angelicam uitam agentes inter angelos conuersamur : in prædicatione multa oportet condescensione uti ad homines et humanæ inter eos uiuendo humana cogitare : uidere : dicere : et audire : Sed unum est contrarium : quod uidetur præponderari hiis omnibus ante deum : quod uidelicet unigenitus dei filius qui est sapientia summa propter animarum salutem de sinu patris descendit : ut suo mundum informans exemplo uerbum salutis hominibus loqueretur : quos sacri sanguinis etiam pretio redimeret : et emundaret lauacro : et poculo sustentaret : nil sibi omnino reseruans : quod non in salutem nostram liberaliter errogaret . Et quia nos debemus omnia facere secundum exemplar eorum : quæ in ipso uidemus tanquam in monte sublimi : uidetur magis deo placitum : quod intermissa quiete foras egrediar ad laborem : Cumque per multos dies uerba huiuscemodi ruminaret cum fratribus : certius nequibat percipere : quid horum sibi foret Christo uere acceptius eligendum . Cum enim miranda nosset per spiritum prophetiæ : hanc per seipsum quæstionem disoluere non ualebat ad liquidum deo melius prouidente : ut prædicationis meritum per supernum manifestaretur oraculum : et serui Christi humilitas seruaretur . Non erubescebat a minoribus parua quærere uerus minor : qui magna didicerat a magistro supremo . Studio nanque præcipuo solitus erat exquirere : quali uia qualique modo deo posset secundum ipsius beneplacitum perfectius deseruire . Hæc summa eius philosophia . hoc summum eius desyderium : quo ad uixit : fuit ut quæreret a sapientibus et simplicibus perfectis et imperfectis paruulis et grandibus quonam pacto ad perfectionis culmen maiore posset per || uenire uirtute .

Quomodo responso facto a fratre Syluestro : et a sancta Clara cum magno feruore ibat ad prædicandum .

Assumens itaque duos ex fratribus : misit ad fratrem Syluestrum qui Crucem de ipsius ore egredientem uiderat : et tunc in monte supra Assisium iugiter orationi uacabat : ut diuinum super dubitatione huiusmodi responsum perquireret : quod sibi ex parte domini demandaret . Hoc ipsum mandauit sacræ uirgini Claræ : ut per aliquem puriorem et simpliciorem de uirginibus sub ipsius disciplina degentibus et ipsa cum sororibus aliis orans super hoc exquireret domini uoluntatem . Concordauerunt autem mirabiliter in id ipsum superno eis reuelante spiritu uenerabilis sacerdos et uirgo deo dicata : beneplaciti esse diuini : quod Christi præco ad prædicandum exiret . Reuertentibus itaque fratribus et dei iuxta quod acceperant indicantibus uoluntatem : exurgens continuo se succinxit : nullaque prorsus contracta mora iter aggressus est . Ibat autem cum tanto feruore : ut diuinum exequeretur imperium . Adeoque celeriter præcurrebat ac si facta manu domini super eum nouam induisset e cælo uirtutem .

Quomodo prædicauit auiculis prope Beuanium .

Cum igitur appropinquaret . Beuanio : ad quendam locum deuenit : in quo diuersi generis auium maxima conuenerat multitudo : quas cum uidisset : alacriter cucurrit ad locum : et eas uelut rationis participes salutauit : omnibus uero expectantibus et conuertentibus se ad deum† : Ita ut quæ in arbustis erant inclinatis capitibus cum appropinquaret ad eas insolito modo in ipsum intenderent : ut ad eas accessit : et omnes ut uerbum dei audirent : sollicite ammonuit dicens : Fratres mei uolucres multum laudare debetis creatorem uestrum : qui plumis uos induit : et penas tribuit ad uolandum : puritatem concessit aeris : et sine uestra sollicitudine uos gubernat . Cum autem eis hæc et his similia loqueretur : auiculæ modo mirabili gestientes cœperunt extendere colla : protendere alas : aperire rostra : et in illum attente respicere . Ipse uero miro spiritus feruore per medium ipsarum transiens : tunica contingebat eas : nec tamen | de loco liqua† mota est : donec signo crucis facto et uenia data cum benedictione uiri dei omnes simul auolarunt . Hæc omnia contuebantur socii expectantes in uia : Ad quos reuersus uir simplex et purus : pro eo quod non hactenus auibus prædicauerat : cœpit se de negligentia damnare .

Quomodo irundinibus præcepit : ut tacerent : et ipsum permitterent prædicare .

Exinde prædicando per loca uicina procedens uenit ad castellum quoddam nomine Aluianum : ubi congregato populo et indicto silentio propter irundines nidificantes in eodem loco magnisque garritibus perstrepentes audiri uix poterat : quas uir dei audientibus multis allocutus est : dicens : Sorores meæ irundines iam tempus est : ut loquar et ego : quia uos usque modo satis dixistis : Audite uerbum dei tenentes silentium : donec uerbum dei compleatur . At illæ tanquam intellectus capaces subito tacuerunt : nec sese mouerunt : donec omnis prædicatio fuit consumata . omnes igitur qui uiderunt stupore repleti glorificauerunt deum . Istius miraculi fama circumquaque diffusa multos ad sancti reuerentiam et fidei deuotionem accendit .

Quomodo scholaris quidam uirtute Francisci præcepit irundini : quæ subito super eius manum uenit .

In ciuitate namque Parmensi scholaris bone indolis cum sociis aliis studio diligenter intentus dum importuna garrulitate cuiusdam infestaretur irundinis : dicere cœpit ad socios : Hæc irundo una de illis est : quæ uirum dei Franciscum prædicantem aliquando : donec silentium eis imponeret : molestabant . Et conuersus ad irundinem fiducialiter ait : In nomine serui dei Francisci præcipio tibi : ut ad me ueniens continuo conticescas . At illa Francisci audito nomine : quasi uiri dei disciplinis

edocta : statim conticuit : et ipsius manibus tanquam tutæ custodiæ se commisit . Stupefactus scholaris statim eam liberam restituit : et eius garritum amplius non audiuit .

Quomodo existens in mari in nauicula turb† prædicauit .

Alio quoque tempore com† famulus dei caute in maris littore prædicaret turbis præ deuotione irruentibus ut eum contingerent : Horrens Christi seruus tantum populorum applausum : in unam hærentem littori nauiculum prosiliit solus . Illa uero tanquam si rationis particeps motore moueretur intrinseco : sine aliquo remige cer || nentibus et mirantibus cunctis se longius a terra protraxit . Cum autem aliquanto spatio in maris altitudinem seccessisset : stetit inter fluctus immobilis quandiu uir sanctus turbis expectantibus in littore prædicauit : Cumque audito sermone et uiso miraculo : ac benedictione accepta multitudo cederet : ne amplius ipsum molestarent : nauicula proprio ductu ad terram reuersa est . Quis igitur tam obstinatæ mentis esset et impie : qui prædicationem Francisci contempneret : cuius miranda fiebat uirtute : ut non solum carentia ratione disciplinam susciperent : uerum etiam inanimata corpora tanquam animata prædicanti seruirent . Aderat quidem seruo suo Francisco ad quemcumque pergeret is : qui eum unxerat et miserat spiritus domini : et ipse dei uirtus et sapientia Christus : ut sanæ doctrinæ uerbis affluueret : et magnæ potentiæ miraculis coruscaret . Erat enim uerbum eius uelut ignis ardens ac penetrans intima cordis : omniumque mentes admiratione replebat : Cum non humanæ inuentionis ornatum prætenderet : sed diuinæ reuelationis afflatum redoleret . Contigit etiam ut Franciscus aliquando prædicaturus coram papa et cardinalibus ad suggestionem domini Hostiensis sermonem quendam studiose compositum commendasset memoriæ : stetissetque in medio ut ædificationis uerba proponeret : sic obliuioni tradidit omnia : ut effari aliquid omnino nesciret . Verum cum hoc ueredica humilitate narrasset : conferens se ad sancti spiritus gratiam inuocandam : eficacioribus cibis subito cœpit uerbis affluere : tamque potenti uirtute illorum mentes uirorum sublimium ad compunctionem inflecteret : ut aperte clareret : quod non ipse sed spiritus diuinus loquebatur . Et quoniam opere ueritatem fidentissime prædicabat repræhensorem non timens : Nesciebat aliquorum culpas palpare sed pungere : nec uitam fouere peccantium : sed aspera increpatione ferire . Eadem mentis constantia magnis loquæbatur et paruis : eademque spiritus iucunditate paucis loquebatur et multis . Omnis ætas omnisque sexus properabat uirum nouum mundo cælitus datum et cernere et audire . Ipse uero per diuersas ragiones† progrediens euangelizabat ardenter domino cohoperante et sermonem confirmante sequentibus signis . In uirtute | namque nominis eius ueritatis præco Franciscus eiiciebat dæmonia : sanabat infirmos : et quod maius est : sui sermonis efficacia obstinatorum mentes ad pœnitenttiam† molliebat : simulque sanitatem corporibus reddebat et cordibus : sicut aliqua comprobant operum eius quorum aliqua apponenda duximus . In ciuitate Tuscanela a milite quodam hospitio deuote susceptus filium eius unicum a natiuitate contractum ad multam ipsius instantiam manu alleuans : sic subito incolumem reddidit : ut uidentibus cunctis protinus consolidarentur omnia corporis membra : et puer sanus effectus et fortis confestim exurgeret ambulans et exiliens laudansque deum . In ciuitate Narniensi cum paralyticum quendam membrorum omnium destitutum officio signo crucis a capite usque ad pedes instante signasset episcopo : perfecte restituit sanitati . In episcopatu Rheatino puer adeo turgidus quattuor annis erat ut nullo modo propria crura cernere posset : a matre cum lachrymis præsentatus eidem : statim ut uir sanctus tetigit eum manibus sacris in columis est effectus . Apud ciuitatem hortensem puer ita conglomeratus stabat ut caput pedibus portaret applicitum : et haberet ossa non nulla confracta : signo crucis ad parentum lachrymabiles preces subito extensus fuit et illico liberatus . Mulier ciuitatis Cugubii† ambas contractas et aridas habens manus adeo : ut nihil per illas operari ualeret : signo crucis ab eodem in nomine domini : tam perfectam obtinuit sospitate† : quod statim rediens domum cibos in ministerium eius et pauperum quasi altera socrus symonis propriis manibus præpararet . Puellæ cuidam Castlleo† Meuanii oculorum priuatæ luminibus cum in trinitatis nomine sputo suo per ipsius oculos linisset . Lumen concupitum restituit . Mulier ciuitatis Narnii oculorum cæci-

tate percussa : signum ab eodem suscipiens lucem recuperauit optatam . Bononiæ puer unum oculorum macula adeo habens obtectum : ut non prorsus uidere posset : nec aliquo adiuuari remedio : post signum crucis a capite usque ad pedes per seruum domini sibi factum : uisum recuperauit tam limpidum : ut postmodum ordinem fratrum minorum ingressus se longe clarius uidere assereret oculo prius infirmo : quam altero . In castello sancti Gemini seruus dei semper a quodam deuoto || uiro susceptus hospitio : cuius uxor a dæmonio uexabatur : post orationem factam in uirtute obedientiæ imperauit dæmoni : ut exiret : eumque potestate diuina tam subito effugauit : ut uere claresceret : quod obedientiæ sanctæ uirtuti pernicacia† dæmonum non obsistat . In Ciuitatecastello quidam furibundus et nequam spiritus mulierem obsidens : a uiro sancto obedientiæ accepto mandato indignabundus discessit : mente simul et corpore : liberam obscessam prius fœminam derelinquens . Frater quidam infirmitate tam horribili grauabatur : ut magis esse uexatio dæmonis quam natuarlis† infirmitas a pluribus firmaretur . Nam totus sæpe allidebatur et uolutabatur spumans : membris corporis nunc contractis : nunc extensis : nunc plicatis : nunc tortis : nunc rigidis effectis et duris . Quandoque totus extensus et rigidus pedibus æquatis capiti tollebatur in altum : horribiliter illico relapsurus . Hunc sic miserabiliter et irremediabiliter ægrotantem plenus misericordia Christi seruus commiserans : buccellam panis sibi de quo edebat transmisit . Tantam uero . gustatus panis contulit ægroto uirtutem : ut deinceps huius infirmitatis molestiam non sentiret . In comitatu Arrhetii cum diebus pluribus mulier partu laborasset : essetque iam morti proxima : nullum omnino desperanti de uita præter dei supererat remedium . Cum autem equo uectus propter corporis infirmitatem Christi famulus per partes illas transisset : contigit reduci animal per uillam : in qua mulier torquebatur . Homines uero loci uiso equo : cui uir sanctus insederat : extraxerunt frenum : ut superponerent mulieri : ad cuius contactum : omni remoto periculo : mulier illico peperit cum salute . Vir quidam de castello plebis religiosus ac timens deum chordam apud se qua cinctus fuerat sanctus pater habebat : Cumque multitudo uirorum ac mulierum in castello illo uariis infirmitatibus laborarent : ibat per infirmantium domos et intincta corda in aqua dabat bibere patientibus : Itaque plurimi sanabtanur†. Sed et de panibus a uiro dei contactis gustantes ægroti diuina operante uirtute consequebantur celeriter remedia sanitatum . Cum hiis et aliis multis miraculorum prodigiis præco Christi prædicans coruscaret : attendebatur | iis quæ dicebantur ab eo : ac si angelus domini loqueretur . Excellens namque in ipso prærogatiua uirtutum : prophetiæ spiritus : efficacia miraculorum : oraculum prædicandi cælitus datum : obedientia creaturarum ratione carentium : uæhemens immutatio cordium ad uerborum ipsius auditum : eruditio eius a spiritu sancto præter humanam doctrinam : prædicandi auctoritas a summo pontifice non sine reuelatione concessa : insuper et regula : in qua forma prædicandi exprimitur ab eodem Christi uicario confirmata : summi quoque regis signacula per modum sigilli corpori eius impræssa tanquam testimonia decem toti sæculo indubitanter affirmant Christi præconem Franciscum et uenerandum officio et doctrina autenticum : et admirabilem sanctitate : ac per hæc tanquam uere dei nuncium Christi euangelium prædicasse .

De stigmatibus sacris .

Mos erat angelico uiro Francisco nunquam per otium a bono uacare : quin potius instar spirituum supernorum in scala Iacob : aut ascendebat in deum : aut descendebat ad proximum . Nam tempus sibi concessum ad meritum diuidere sic prudenter didicerat : ut aliud proximorum lucris laboriosis impenderet : aliud contemplationis tranquillis excessibus dedicaret . unde cū̄l† secundum exigentiam locorum et temporum aliorum condescendisset procurandæ saluti inquietationibus derelictis turbarum : solitudinis secreta petebat locumque quietis : quo liberius domino uacans extergeret si quid pulueris sibi ex conuersatione hominum adhæsisset . Biennio itaque antequam spiritum redderet cælo diuina prouidentia duce post labores multimodos perductus est in montem excelsum seorsum : cui nomen Aluernæ . Cum igitur iuxta solitum morem quadragessimam ibidem ad honorem archangeli Michaelis ieiunare cœpisset : supernæ contemplationis dulcedine abundantius solito superfusus : ac

cælestium desyderiorum ardentiori flamma succensus supernarum cœpit immissionum cumulatius dona sentire . Ferebatur siquidem in altum non ut curiosus maiestatis perscrutator opprimendus a gloria : sed tanquam seruus fidelis et prudens : inuestigans beneplacitum dei : cui se conformare omnimode summo peroptabat ardore .

Quomodo in apertione libri cognouit se esse consimilem Christo in passionibus . ‖

Immissum est igitur menti eius per diuinum oraculum quod in apertione libri euangelici reuelaretur ei a Christo : quid deo in ipso et de ipso maxime foret acceptum . Oratione itaque cum multa deuotione præmissa : sacrum euangeliorum librum de altari sumptum in sanctæ trinitatis nomine aperiri per socium uirum utique deo deuotum et sanctum fecit . Sane cum in trina libri apertione domini passio semper ocurreret : intellexit uir deo dlenus† : quod sicut Christum fuerat īmitatus in actibus uitæ : ita conformis ei esse deberet in afflictionibus et doloribus passionis : antequam ex hoc mundo transiret . Et licet propter multam præteritæ uitæ austeritatem crucisque dominice baiulationem continuam imbecillis iam corpore esset : nequaquam est territus : sed ad martyrium usque subeundum longe animatus est . Excreuerat quidem in eo insuperabile amoris boni Iesu : in lampades ignis atque flammarum incendium : ut aquæ multæ caritatem eius ualida† extinguere non ualerent : quo stygmata Christi in manibus pedibusque ac latere recepit . Cum igitur seraphicis desyderiorum ardoribus ageretur in deum : et compassiua dulcedine in eum transformaretur : qui ex caritate nimia uoluit crucifigi : mane quodam circiter festum exaltationis sanctæ crucis dum oraret in latere montis : uidit seraph unum sex alas habentem : tam ignitas quam splendidas de cælorum sublimitate descendere . Cumque uolatu celerrimo peruenisset ad aeris locum uiro dei propinquum : aparuit inter alas effigies hominis crucifixi in modum crucis manus et pedes extensos habentis et cruci affixos . Duæ alæ super caput ipsius elleuabantur : duæ ad uolandum extendebantur : duæ uero totum uelabant corpus . Hoc uidens uæhementer obstupuit : mixtumque mærore gaudium cor eius suscepit . Lætabatur quidem in gratioso admodum aspectu : quo Christum sub specie seraph cernebat se conspicere : sed crucis affixio compassiui doloris gladio ipsius animam pertransibat . Et enim longe admirabatur tam inscrutabilis uisionis aspectu : sciens quod passionis infirmitas cum immortalitate spiritus seraphici nulla ratione conueniret . Intellexit tandem ex hoc domino reuelante : quod huiusmodi esset diuina prouidentia suis præsentata conspectibus : ut amicus Christi præ | nosceret se non per martyrium carnis : sed per incendium mentis totum in Christi crucifixi similitudinem transformandum . Igitur non ultra apparens uisio mirabilem in corde ipsius reliquit ardorem : sed et in carne non minus mirabilem signorum impræssit effigiem . Statim namque in manibus eius et pedibus apparere cœperunt signa clauorum : quemadmodum paulo ante in effigie illa uiri crucifixi conspexerat . Manus enim et pedes in ipso medio clauis confixæ uidebantur : capitibus in interiore parte manuum et superiore pedum apparentibus et eorum acuminibus ex aduerso existentibus . Erant namque clauorum capita in manibus et pedibus rotunda et nigra : ipsa uero acumina oblonga retorta : et quasi repercussa : quæ de ipsa carne surgentia carnem reliquam excedebant . Dextrum quoque latus quasi lancea transfixum rubra cicatrice obductum erat : quo sæpe sanguinem sacrum effundens : tunicam et femoralia respergebat : post uero magno timore seriem uisionis fratri illuminato retulit . Cernens autem Christi seruus stygmata carni tam luculenter impressa socios familiares latere non posse : timensque nihilominus publicare domini sacramentum : in magno dubitationis agone constitutum se uidebat : an quod uiderat diceret : an taceret . quosdam proinde uocauit ex fratribus : quibus generalibus uerbis loquens rem dubie consilium requirendo proposuit . Quidam uero ex fratribus et gratia illumīnatus et nomine eum intelligens miranda uidisset : uti uidebatur admodum stupefactus : his sanctum uirum allocutus est : Frater non solum propter te uerum etiam propter alios scias tibi ostendi aliquando diuina sacramenta . Timendum propterea iure uidetur : ne si quod pluribus profuturum accepisti cellaueris : et pro abscundito talento repræhendendus iudiceris . Ad cuius uerbum motus

uir sanctus : licet alias dicere solitus esset secretum meum mihi : tunc tamen rei seriem multo timore retulit addens : quod is qui sibi apparuerat quædam dixerit : quæ dum uiueret nunquam hominum cuipiam aperiret . Credendum sane tam arcana illa fuisse sacri illius seraph in cruce mirabiliter apparentis eloquia : ut hominibus ea loqui neutiquam liceret . Postquam igitur uerus Christi amor in eandem imaginem animantem transformauit : || quadraginta dierum iuxta quod decreuerat . consumato numero : quo tempore archangeli Michaelis superueniebat sollemnitas : uir angelicus Franciscus de monte descendit : crucifixi secum ferens effigiem non in tabulis lapideis uel ligneis manu figuratam artificis : sed in carneis membris dei uiui digito descriptam . Et quoniam sacramentum regis abscondere bonum est : ideo secreti regalis uir conscius signacula illa sacra pro uiribus occultabat . Verum quia ad dei gloriam facit : magna quæ facit : reuelare : dominus ipse qui signa illa secrete impresserat : miracula quædam aperte per ipsa monstrauit : ut illorum occulta et mira uis stygmatum manifesta pateret claritate signorum .

Quomodo infirma animalia sancti uiri manuum aspersa lo ura† sanata surgebant .

In prouincia reatina pestis admodum grauis inualuerat : qua et boues omnes et oues ita consumebantur : ut nullum posset adhiberi remedium . Vir autem quidam deum timens noctu per uisionem commonitus fuit : ut ad heremitorium fratrum festinanter accederet : et loturam manuum et pedum famulii† dei Francisci qui tunc ibidem morabatur acceptam super animalia cuncta respergeret . Mane itaque surgens uenit ad locum : loturaque huiusmodi per socios uiri sancti latenter obtenta oues et boues languentes ex ea respersit . Mirabile dictu : Satim† ut aspersio languida animalia et in terra iacentia quantuncumque paululum attingebat : pristino statim recuperato uigore surgebant : et tanquam nil mali sensissent ad pascua festinabant : atque ita factum est : ut per uirtutem mirandam aquæ illius quæ sacras plagas contigerat omnis prorsus plaga cessaret : pestilensque morbus a gregibus fugaretur . Circa ipsum Aluernæ montem antequam uir sanctus ibi contraheret moram : nube ex ipso monte surgente : grandinis uiolenta tempestas fructus terræ de more deuastabat . Sed post illam felicem apparitionem non sine incolarūt† admiratione grando cessauit : ut illius uisionis excellentiam : et stygmatum ibidem impræssorum uirtutem serenata præter morem ipsa cæli facies doceretret† .

Quomodo quidam pauperculus qui nimio frigore dormire nequibat per manus sancti uiri tactus ad diem usque dormiuit .

Contigit quoque eum tempore hyemali propter debilitatem corporis et asperitatem uiarum hominis pauperis subuectum asello sub prominentis rupis pernoctare crepidine : ut niuis et noctis superuenientium quoquo modo declinaret incommoda : quibus præpeditus ad hospitii locum non ualuerat peruenire . Cum autem uir sanctus hominem illum querulosis submurmurantem gemitibus : atque hinc inde se ipsum iactare sensisset : tanquam qui tenui operimento contectus quiescere præ frigoris acerbitate nequibat : diuini amoris feruore succensus manu illum protensa palpauit . Mirabile certe . Repente ad eius sacræ manus contactum tantus in uirum intus et extra calor inualuit : ac si quædam in eum uis flammea ex fornace processisset . Nam illico et mente confortatus et corpore : suauius inter saxa et niues usque mane dormiuit quam in proprio lecto eius assertione unquam quieuerat : Certis itaque constat indiciis sacra illa signacula illius impressa fuisse uirtute : qui operatione seraphica purgat : illuminat : et inflamat . Cum ipsa forinsecus expurgando a peste salutem : serenitatem : et calorem corporibus mira efficacia conferrent : sicut post mortem euidentioribus demonstratum prodigiis suo loco posterius annotabimus . Ipse uero licet thesaurum inuentum in agro multa diligentia studeret abscondere : latere tamen non potuit : quin aliqui manuum stygmata ac pedum uiderent : quanquam manus quasi semper portaret contectas : et pedibus ex tunc calciatis incederet . Viderunt enim dum uiueret e fratribus multi : qui licet essent propter .† sanctitatem præcipuam uiri per omnia

fide digni : tamen ad omne dubium ammouendum sic esse ac se uidisse tactis sacrosanctis stygmatis iuramento firmauerunt : et ex familiaritate quam cum uiro : quidam cardinalium habebant : laudes sacrorum stygmatum prosis hymnis ac antiphonis ad ipsius ediderunt honorem : et tam uerbo quam scripto testimonium ueritati perhibuerunt .

Quomodo summus pontifex dominus Alexander coram populo cardinalibusque asseruit sacra illa stygmata propriis oculis uidisse .

Summus etiam pontifex dominus Alexander cum populo prædicaret coram multis fratribus : et ego aderam : affirmauit se dum sanctus uiueret stygmata illa sacra suis oculis conspe || xisse . Viderunt etiam in morte plus quam quinquaginta fratres : uirgoque deo deuotissima Clara cum cæteris suis sororibus : et multi sæculares : ex quibus : aliqui sicuti suo loco dicetur : et ea osculati sunt deuotionis affectu : et manibus ad testimonii firmitatem contrectauerunt . uulnus autem lateris tam sollicite occultauit : ut illud nemo posset nisi furtim intueri : dum uiueret .

Quomodo tres fratres sacra illa stygmata oculis conspexerunt et manibus tetigerunt .

Quidam enim frater qui sedule ei ministrare solitus erat : cum pia eum cautela ut ad excutiendum extraheret tunicam induxisset : attente respiciens uidit plagam : cui etiam ueloci cursu digitos applicans tam uisu quam tactu uulneris illius quantitatem agnouit . Consimili cautela uidit etiam frater ille : qui tunc eius erat uicarius . Frater uero socius mirandæ simplicitatis dum infirmitatis causa languentes scapulas manu per capucium missa et forte uulneri sacro illapsa magnum ei dolorem inflixit . Proinde portabat ex tunc femoralia ita facta : ut usque ad ascellas pertingerent : ad uulnus lateris contegendum . Fratres quoque qui illa lauabant : uel tunicam excutiebant pro tempore : quia inueniebant ea sanguine rubricata : indubitanter per euidens signum in cognitionem sacri uulneris peruenerunt : quod post modum in morte reuelata facie et ipsi cum multis aliis contemplati simul et uenerati sunt . Eia nunc strenuissime miles Christi ipsius fer arma inuictissimi ducis : quibus munitus insigniter omnes aduersarios superabis . Fer uexilum regis altissimi : ad cuius intuitum omnes pugnatores diuini exercitus animentur . Fer nihlominus† sigillum summi pontificis Christi : quo uerba et facta tua tanquam irrepræhensibilia et autentica merito ab omnibus habeantur . Iam enim propter domini Iesu stygmata quæ in tuo corpore portas : nemo tibi debet esse molestus : quin potius quilibet Christi seruus omni esse tenetur affectione deuotus . Iam per hæc signa certissima non duobus aut tribus testibus ad sufficientiam sed pluribus ad superabundantiam comprobata testimonia dei in te et per te credibilia facta nimis : omne tollunt infidelibus excusationis uelamen : dum credentes in fide stabiliunt : spei fiducia sursum agunt : igneque ca | ritatis accendunt . Iam uere impleta est prima uisio : quam uidisti : uidelicet quod dux in militia Christi futurus armis deberes cælestibus signoque crucis insignibus decorari . Iam in principio tuæ conuersionis crucifixi uisio compassiui doloris gladio mentaliter te transfigens : sed et auditus uocis de cruce tanquam de throno Christi sublimi et secreto propiciatorio procedentis : iuxta quod tuo sacro firmasti eloquio : uera indubitanter fuisse creduntur . Iam in tuæ conuersationis progressum et crucem : quam frater Syluester uidit ex ore tuo mirabiliter procedentem : et gladios in crucis modum tua uiscera transfigentes : quos sacer uidit pacificus : teque secundum crucis figuram in aere subleuatum : cum de crucis titulo prædicabat Antonius : iuxta quod prospexit angelicus uir Monaldus : non phantastica uisione sed cælesti reuelatione fuisse conspecta uere creditur et firmatur . Iam denique circa finem quod simul tibi ostenditur et sublimis similitudo seraph : et humiliter effigies crucifixi interius te incendens et exterius te consignans tanquam alterum angelum ascendentem ab ortu solis : qui signum uitæ habeas dei uiui : et prædictis dat firmitatem fidei : et ab eis accipit testimonium ueritatis . Ecce iam septem apparitionibus crucis Christi in te et circa te secundum ordinem temporum mirabiliter exhibitis et monstratis : quasi sex gradibus

ad istam septimam in qua finaliter requiesceres peruenisti . Christi namque crux in tue conuersionis primordio tam proposita quam assumpta : et dehinc in conuersationis progressu per uitam probatissimam delata in te ipso continue et in exemplum aliis demonstrata : tanta certitudinis claritate ostendit euangelicæ perfectionis apicem te finaliter conclusisse : ut demonstrationem hanc christianæ sapientiæ in tuæ carnis puluere exaratam nullus uere deuotus abiciiat† : nullus uere fidelis impugnet nullus uere humilis paruipendat : cum sit uere diuinitus expressa : et omni acceptione condigna .

De patientia ipsius : et transitu mortis .

Christo igitur tam carne quam spiritu confixus Franciscus : non solum seraphico amore ardebat in deum : uerum etiam sitiebat cum christo crucifixo multitudinem saluandorum . Faciebat proinde : quoniam propter execrescentes† in pedi || bus clauos ambulare non poterat corpus emortuum per ciuitates et castella circumuehi : et ad crucem Christi ferendam cæteros animabat . Fratribus quoque dicebat : Incipiamus fratres seruire domino deo nostro : quia usque nunc parum profecimus . Flagrabat etiam desyderio magno ad humilitatis redire primordia : ut leprosis sicut a principio ministraret : corpusque iam præ labore collapsum reuocare ad pristinam seruitutem . Proponebat Christo duce se facturum ingentia : et fatiscentibus membris spiritu fortis et feruidus nouo sperabat de certamine triumphum . Neque enim languor uel desidia locum habet : ubi amoris stimulus semper ad maiora perurget . Tanta autem in eo carnis ad spiritum erat concordia : tanta obedientiæ promptitudo : ut cum ille ad omnem niteretur sanctitatem pertingere : illa non sollum non repugnaret sed et præcurrere conaretur . Vt autem uiro dei cumulus meritorium† accresceret : quæ omnia uere in patientia consumantur : cœpit infirmitatibus multimodis laborare tam grauiter : ut uix in eo membrum aliquod absque ingenti passionis dolore remaneret . Ad hoc tandem per uarias et diuturnas ac continuas ægritudines deductus est : ut consumptis iam carnibus quasi sola cutis ossibus cohæreret : Cumque duris corporis angeretur doloribus : illas suas angustias non pœnarum censebat nomine sed sororum .

Quomodo quemdam fratrem arguit quod sibi dixit : ut deum rogaret : cum illo mitius agere .

Cum autem aliquando grauius solito dolorum urgeretur aculeis : quidam frater simplex dixit ad eum : Frater ora deum : ut mitius tecum agat : manum enim suam plus solito super te grauare uidetur . Quo audito uir sanctus in eum exclamans ait : Nisi noscerem in te simplicem puritatem : tuum exnunc abhorrerem consortium : qui ausus fueris circa me diuina iudicia repræhensibilia iudicare .

Quomodo infirmus in terra se proiecit : terramque deosculans deo orationem pulchram fecit : et obitum suum ante prædixit .

Et licet totus esset attritus : grauis prolyxitate languoris proiiciens se in terram ossa debilia duro casu collisit . Et deosculans humum gratias inquit tibi ago domine deus de omnibus hiis doloribus meis : teque mi domine rogo : ut centu | plum : si tibi placuerit addas : quia hoc erit mihi acceptissimum : ut affligens me : dolori non parcas : cum tuæ sanctæ uoluntatis adimpletio sit mihi consolatio superplena . Videbatur propterea fratribus : quasi alterum Iob uidere : cui cum languor cresceret carnis : crescebat simul et uigor mentis . Ipse autem obitum suum longe ante presciuit : diē namque transitus imminente dixit fratribus sui corporis tabernaculum deponendum in proximo sicuti sibi fuerat reuelatum a Christo . Cum itaque per biennium ab impressione sacrorum stygmatum anno uidelicet a sua conuersione uigessimo secundo multis fuisset acerbarum infirmitatum probatiuis tonsionibus conquadratus : tanquam lapis in supernæ Hyerusalem ædificio collocandus : et tanquam ductile opus sub multiplicis tribulationis maleo ad perfectionem adductus : ad Sanctammariam de portiuncula se portari poposcit : quatenus ubi acceperat spiritum gratiæ : ibi redderet uitæ : quo cum perductus esset : ut ueritatis exemplo monstraret : quod nihil erat

illi commune cum mundo in illa tam graui infirmitate : quæ omni eum languore conclusit : super nudam humum se totum nudatum in spiritus feruore prostrauit : quatenus illa hora extrema in qua poterat adhuc hostis irasci nudus luctaretur cum nudo . Decubans sic in terra saccina ueste deposita : faciem solito more leuauit in cælum : et intendens omnino illi glorie manus sinistra destri lateris uulnus : ne uideretur : obtexit : Et ait ad fratres : Ego quod meum est feci : quod uestrum est Christus edoceat . Illachrymantibus autem sociis qui miro fuerant compassionis tello percussi : unus ex eis quem uir dei guardianum esse dicebat : uotum ipsius diuina inspiratione cognoscens festinus surrexit : et acceptam cum chorda et femoralibus tunicam pauperculo Christi obtulit dicens : Hæc tibi tanquam pauperi commodo : Gaudet ex hoc uir sanctus et iubilat præ læticia cordis : quoniam fidem dominæ paupertati usque ad finem se uidit tenuisse . palmasque leuans ad cælum Christum suum magnificat pro eo : quod exoneratus ab omnibus liber uadit ad ipsum . Fecerat enim hæc omnia paupertatis zelo : ut nec habitum quidem uellet habere : nisi ab alio commodatum . uoluit certe per omnia Christo crucifixo esse conformis : qui pauper et dolens et nudus in cruce || pendit : propter quod et in principio conuersionis suæ nudus remansit coram antistite : et in consumatione uitæ nudus uoluit de mundo exire : fratribusque sibi assistentibus in obedientia caritatis immersit : ut cum uiderent eum iam esse defunctum per tam longum spatium nudum super humo iacere permitterent : quod unius milliarii tractum suauiter quis perficere posset . Oh uere christianissimum uirum : qui et uiuens Christo uiuenti et moriens morienti et mortuus mortuo perfecta esse studuit imitatione conformis : et expræssa promeruit similitudine decorari . Hora denique sui transitus propinquante fecit omnes fratres ibi commorantes ad se uocari : et eos consolatoriis uerbis pro sua morte demulcens paterno affatu ad diuinum est hortatus amorem . De patientia et paupertate et sanctæ romanæ ecclesiæ fide seruandis sermonem protraxit : cæteris institutis sanctum euangelium anteponens . Circumsedentibus uero omnibus fratribus extendit super eos manus in modum crucis brachiis cancellatis : pro eo quod hoc signum semper amabat et omnibus fratribus tam præsentibus quam absentibus in crucifixi uirtute ac nomine benedixit : et adiecit : ualete filii omnes in timore domini : et permanete in eo semper : et quoniam futura temptatio et tribulatio apropinquat : felices qui perseuerabunt in iis : quæ cœperunt . Ego uero ad deum propero : cuius gratiæ uos omnes commendo . Suaui huiusmodi ammonitione completa : iussit uir deo carissimus euangeliorum sibi codicem apportari : et secundum Iohannem quod incipit ab eo loco : Ante diem festum pascæ : sibi legi poposcit . Ipse uero prout potuit in huius psalmi uocem erupit . Voce mea ad dominum clamaui : uoce mea ad dominum deprecatus sum : et ad finem usque compleuit . Me inquit expectant iusti : donec retribuas mihi . Tandem cunctis in eum completis mysteriis anima illa sanctissima carne soluta et in abyssum diuinæ claritatis absorta beatus uir obdormiuit in domino . Vnus autem ex fratribus et discipulis eius uidit animam illam beatam sub speciæ stellæ præfulgidæ a candida subuectam nubecula super aquas multas in cælum recto tramite sursum ferri tanquam sublimis sanctitatis candore prænitidam et cælestis sapientiæ simul et gratiæ hubertate repletam : quibus | uir sanctus promeruit locum introire lucis et pacis : ubi cum Christo sine fine quiescit . Minister quoque fratrum in Campania prouincia uulgo Terralaboris nuncupata tunc erat frater Augustinus uir utique sanctus et iustus : in hora ultima situs cum iam pridem loquelam amisisset audientibus qui astabant subito clamauit : et dixit : Expecta me pater . expecta : ecce iam uenio tecum . Quærentibus fratribus et longe ammirantibus cui sic loqueretur : audacter respondit : Nonne uidetis patrem nostrum Franciscum : qui uadit ad cælum ? Et statim sancta ipsius anima migrans a carne patrem est secuta sanctissimum . Episcopus assisinas ad oratorium sancti Michaelis in monte Gargano tunc temporis peregrinationis causa perrexerat : cui beatus Franciscus apparens nocte transitus sui dixit : ecce relinquo mundum : et uado ad cælum . Mane igitur surgens episcopus sociis narrauit : quæ uidit : et Assisium rediens cum sollicite requisisset : pro comperto habuit : quod ea hora qua sibi per uisionem innotuit beatus pater ex hoc mundo migrauit . Alaudæ aues lucis amicæ et crepuscolorum tenebras horrescentes hora transitus sancti uiri cum iam esset noctis secuture crepusculum uenerunt in multitudine magna super tectum domus : et diu cum insolita quadam iubilatione rotantes :

gloriæ sancti : qui eas ad diuinam laudem inuitare solitus erat : tam iucundum quam euidens testimonium perhibebant . Franciscus igitur seruus et amicus altissimi ordinis minorum fratrum institutor : dux et paupertatis professor ; pœnitentiæ forma ; ueritatis præco : Sanctitatis speculum : et totius euangelicæ professionis exemplar : superna præuentus gratia ordinato progressu ab infimis peruenit ad summa . Hunc uirum mirabilem utpote paupertate prædiuitem : humilitate sublimem : mortificatione uiuidum : simplicitate prudentem ; omnique morum honestate conspicuum quem in uita dominus effecerat clarum : in morte fecit incomparabiliter clariorem . Beato namque uiro migrante a sæculo spiritus ille sacer domum æternitatis ingrediens fontisque uitæ haustu plenario gloriosus effectus : expressa quædam in corpore futuræ gloriæ signa reliquit : ut caro illa sanctissima quæ crucifixa cum uitiis in nouam iam creaturam transierat et passionis Chri || sti effigiem priuilegii singularitate præferret : et nouitate miraculi resurrectionis speciem præmonstraret . Cernebantur quidem in membris illis felicibus clā† ex eius carne uirtute diuina mirifice fabrefacti : sicque carni eidem innati : quod dum a parte qualibet premerentur protinus quasi nerui continui et duri ad partem oppositam resultabant . Inuenta quoque fuit patentius in ipsius corpore non inflicta humanitus neque facta plaga uulneris lateralis instar uulnerati lateris saluatoris : quod redemptionis et regenerationis humanæ in Christo redeptore† nostro protulit sacramentum . Erat autem similitudo clauorum nigra quasi ferrum : uulnus autem lateris rubeum et ad orbicularitatem quandam carnis contractione reductum rosa quædam pulcherrima uidebatur . Caro nero† ipsius reliqua quæ prius tam ex infirmitate quam ex natura ad nigredinem declinabat : candore nimio renitescens illius sanctæ pulchritudinem prætendebat . Membra quoque ipsius adeo mollia et tractabilia se præbebant palpantibus : ut conuersa uiderentur in teneritudinem . puerilis ætatis : et quibusdam cernerentur euidentibus signis innocentiæ decorata . Cum igitur in candidissima carne claui nigrescerent : plaga uero lateris ut uernans roseus flos ruberet : mirandum non est ; si tam formosa et miraculosa uarietas iucunditatem et ammirationem contuentibus ingerebat . Lachrymabantur filii pro subtractione tam ammirabilis patris : sed et non modica perfundebantur læticia : dum in eo summi regis signa deosculabantur . Miraculi nouitas planctum uertebat in gaudium ; et intellectus rapiebat indaginem in stuporem . Erat quippe tam insolitum tamque insigne spectaculum contuentibus omnibus et firmamentum amoris : audientibus uero ammirationis materia et desyderii ad uidendum . Audito si quidem transitu beati patris et fama diffusa miraculi : accelerat populus et ad locum confluit : ut id cerneret oculus carnis : quod a ratione dubium omne repelleret et affectioni gaudium cumularet . Admissi sunt itaque assisinates ciues ad stygmata illa sacra contemplanda osculis et labiis osculando . Vnus ex eis miles litteratus et prudens Hieronymus nomine uir utique clarus fama et celebris : cum de huiusmodi sacris signis dubitasset : essetque incredulus quasi Thomas : feruentius et audacius co | ram fratribus aliisque ciuibus mouebat clauos : sanctique manus pedes et latus manibus propriis contrectabat : ut dum uulnerum Christi ueracia illa signa palpando contingeret ; de sui et omnium cordibus omne dubietatis uulnus amputaret . propter quod et ipse inter alios huius ueritatis tam certitudine testis postmodum constans effectus est ; ut tactis sacrosanctis iurando firmaret . Fratres autem et filii qui uocati fuerant ad transitum patris cum omni multitudine populorum : noctem illam in qua Christi confessor decessit sic diuinis laudibus dedicarunt : ut non defunctorum exequiæ sed angelorum excubiæ uiderentur . Mane facto turbe quæ conuenerant : acceptis arborum ramis et cereorum multiplicatis luminibus ; cum hymnis et canticis sacrum corpus ad ciuitatem Assisii retulerunt . Transeuntes uero per ecclesiam sancti Damiani in qua uirgo illa nobilis et clara nunc gloriosa in cælis tunc inclusa cum uirginibus morabatur ; ubi aliquantulum subsistentes sacrum corpus margaritis cælestibus insignitum : uidendum et osculandum sacris illis uirginibus obtulerunt . Peruenientes denique ad ciuitatem cum iubilo : pretiosum thesaurum quem portabant in ecclesia sancti Georgii cum omni reuerentia condiderunt . In eo si quidem loco puerulus litteras didicit : ibique deinde primum prædicauit . Postremo ibidem locum primum quietis accepit . Transiuit autem uenerabilis pater huius mundi naufragio anno dominicæ incarnationis . MCCXXVI . III . nonas octobres sabbato dieque occidente sepultus in die dominico . Cœpit autem uir beatus continuo diuinæ faciei superirradiante respectus magnis

et multis corruscare miraculis : ut sublimitas sanctitatis eius quæ ipso uiuente in carne ad mortem per exempla perfectæ iusticiæ innotuerat mundo : illo iam regnante cum Christo ad omnem fidei firmitatem per miracula dininæ† potentie comprobaretur e celo : Cumque in diuersis orbis partibus gloriosa eius miracula largaque per ipsum impetrata beneficia plurimos ad Christi deuotionem accenderent : et ad ipsius sancti reuerentiam inuitarent et clamantibus tam linguis sermonum quam operum : ad aures summi pontificis domini Gregorii noni quæ per seruum suum Franciscum deus operabatur magnalia peruenerunt . ||

De ipsius canonizatione .

Sane cum idem pastor ecclesiæ non solum ex miraculis auditis post mortem uerum etiam experimentis in uita ipsius oculis uisis et manibus contrectatis sanctitatem eius mirabilem plena fide certificatus agnosceret : ac per hoc in cælis glorificatum a domino nullatenus dubitaret : ut Christo cuius erat uicarius concorditer ageret : hunc in terris reddere celebriter tanquam omni ueneratione dignissimum : pia consyderatione disposuit . Ad omnem quoque certitudinem faciendam orbi terrarum de glorificatione uiri sanctissimi inuenta miracula et conscripta et testibus idoneis approbata examinari fecit per illos : lqui† minus inter cardinales fauorabiles negotio uidebantur : quibus diligenter discussis ab omnibusque approbatis : de fratrum suorum et omnium prælatorum : qui tunc in curia moram trahebant concordi consilio et assensu canonizandum decreuit . Veniens itaque ipse ad ciuitatem Assisii anno dominicæ incarnationis MCCXXviii . xvii calendas augustas dominico die cum maximis quæ longum foret ennarare sollemnibus beatum patrem cathalogo sanctorum ascripsit .

De translatione eiusdem.

Anno uero domini . MCCXXX conuenientibus fratribus ad capitulum generale Assisii celebratum ad basilicam in honorem ipsius constructam corpus illud domino dedicatum octauo calendas Iunias est translatum : Dum autem ille sanctus transportaretur : thesaurus bulla regis altissimi consignatus : miracula plurima ille cuius effigiem præferebat operari dignatus est : ut per odorem ipsius saluificum affectus traheretur fidelium ad currendum post ipsum . Erat re uera condignum : ut quem deus in uita sibi placentem et dilectum effectum in paradisum per contemplationis gratiam transtulerat ut Enoch : et ad cælum curru igneo per caritatis zelum rapuerat ut ad† Heliam eius iam uernantis inter flores illos cælicos plantationis eternæ ossa illa felicia de loco suo pullulatione mirifica reddolerent . porro sicut uir iste beatus mirandis uirtutum signis in uita claruerat : sic et a transitu suo usque in præsentem diem per diuersas mundi partes præclaris miraculis diuina eum potentia glorificante celebratus est . Nam cæcis et surdis mutis et claudis hydropicis et paralyticis dæmoniacis leprosis naufragis et captiuis ipsius meritis remedia conferuntur : omnibus | que morbis necessitatibus et periculis subuenitur . Sed et multis per ipsum mirifice snscitatis† innotescere fecit fidelibus mirificans sanctum suum magnificentia uirtutis altissimi : Cui est honor gloria per infinita sæcula sæculorum amen .

De stygmatibus beati Francisci .

Ad huius stupendi miraculi irrefragabilem firmitatem non solum uidentium et palpantium testimonia per omnem mundum credibilia : uerum etiam apparitiones mirabiles et uirtutes post ipsius obitum ad mentis effugandum nubilium suffragantur . Felicis namque recordationis dominus Gregorius papa nonus de quo uir sanctus prophetando prædixerat quod ad dignitatem foret apostolicam sublimandus : antequam crucis signiferum cathalogo sanctorum ascriberet : scrupulum quendam dubitationis de uulnere laterali mente gerebat . Nocte uero quadam : sicut antistes ipse cum lachrymis referebat : beatus Franciscus quadam faciei prætensa duricia in somnis apparuit hæsitationem ipsius redarguens : eleuansque brachium dextrum detexit uulnus : phialamque poposcit ab ipso : ut scaturientem reciperet sanguinem : qui ex latere defluebat . Obtulit per uisum summus pontifex postulatam phialam : quæ usque ad

summum sanguine de latere profluente uidebatur impleri . Extunc ad illud sacrum miraculum tanta deuotione affectus :† est ne quempiam pati posset præfulgentia illa signa superba impugnatione fuscare : quin eum seuera increpatione afficeret . Hæc et huiusmodi et longe plura minus ideo censui recensenda miracula : quandoquidem ea iam beati Bonauenturæ diui Francisci uitæ et post eius dormitionem scripturis non uulgarem auctoritatem excedant . Neque uero is uetustorum indiget relatione miraculorum : qui recentioribus in dies : quæ non numerari nedum scribi posse quis putet : multifariam supra fidem credentium elucescat .

FINIS . ‖

DE VITA SANCTI FABIANI PAPAE ET MARTYRIS .

Romanorum uigessimus quintus regnare cœpit Decius . anno domini . CC . LIII . Hic ex Pannonia inferioribus Dalmatiis natus fuit : qui cum Philippum patrem et filium interfecisset : ob odium eorum in christianos persecutionem mouet . In historia ecclesiastica libro sexto : Fabianus urbe Roma martyrio coronatus sedem episcopatus sui Cornelio reliquit . Ex libro pontificum . Hic Fabianus natione romanus ex patre Fabio sedit annis tresdecim et passus est quartodecimo calendas februarias . Hic regiones diuisit diaconibus et fecit septem subdiacones qui septem notariis immine-rent ut gesta martyrum in integro fideliter colligerent multasque fabricas per cymi-teria fieri præcepit . Et post passionem eius Moyses et Maximus et Proximus præ-sbyteri : Nicostratusque diaconus compræhensi sunt : et in carcerem missi . Eodem tempore uenit Nouatus ex Aphrica : et seperauit de ecclesia Nouatianum et quosdam confessores . Postquam autem Moyses defunctus est in carcere : qui fuit ibi per menses undecim : et sic multi Christiani fugerunt per diuersa loca : legitur quod Fabianus iste cum de quodam loco cum amicis reuerteretur : et papa defuncto de eligendo papa omnis populus loqueretur : Venit inter eos rei exitum scire uolens : Et subito sicut deus præuiderat candida columba super caput eius de cælo descendit . Qui tandem anno pontificatus sui tertiodecimo iussu Decii decollatus est . Eusebius ubi supra : Eadem persecutione Hierosolymis Alexander episcopus rursum pro con-fessione Christi iudidiciis† sistitur : et uinculis carceris traditur . Quique cum longæue ætatis ueneranda canicie præfulgeret : posteaquam frequenter passionibus suis et cruciatibus glorificauerat dominum : dum de uinculis ad tribunal et a tribunalibus ad uincula reuocaretur : inter ipsa uicisim sibi succedentia tormenta defecit .

PASSIO SANCTAE FAVSTAE MARTYRIS .

Sub Maximiano imperatore in Cyzico sanctorum metus peruenit ad aures eiusdem Imperatoris : quoniam quædam uirgo nomine Fausta filia Gemelli prorectoris dere-licta orphana a patre et matre nutrita est in Christi iustifieationibus†. Erat autem sancta puella annorum tredecim et menssium sex : Quo audito Maximianus Euilasium primum palatii sui hoc est autem magistrum militum adesse præcepit : Et misit eum in ciuitate : cui nomen erat Cyzico : exquirere Christi sponsam : et compellere eam sacrificare idolis suis : Quod si minime fecisset : ipsum Euilasium in profundo maris cum ipsa dimergi faceret . Cum uenisset ergo Euilasius Cyzicum : iussit eam suo præsentari aspectui : Cum uero fuisset exquisita beata Fausta inuenerunt eam tene-ram ualde et satis paruulam esse . Blando itaque sermone cœpit eam hortari : ut sacri-ficaret diis eorum . Cui beata Fausta respondit O Euilasi talibus diis ego non sacri-fico : qui surdi et muti et cæci sunt opera manum† hominum . Ego enim habeo deum meum : quem adorem : et cui sacrificem sacrificium laudis saluatorem meum Christum Iesum : qui est in cælis : et sedet ad dexteram patris : Et non possum eum derelinquere : ne perdam mercedem uirginitatis meæ : quam habeo apud deum et dominum meum : cui seruio . Dii autem uestri lapides muti sunt . Euilasius dixit ad

eam : Audi me Fausta uelut patrem tuum : et credens mihi disces a me ueritatem . Respondit Fausta et dixit ei : Euilasi ne putes me unam de insipientibus esse : ut me circumuenias mollibus istis sermonibus tuis : quia Christi ancilla sum ego : Et si ætate parula[†] sum : cor tamen meum promptum est et firmiter in deum ligata sum : Quo audito Euilasius repletus est ira : iussitque eam pro deformatione ad nouaculam decaluari : Cumque decaluaretur sancta puella : nihil dixit : sed solum in cælum aspexit Christum dominum quem dsyderabat[†] sedentem a dextris dei . Euilasius uero iussit militibus suis : ut carpentariorum omnia ferramenta deferrent : et ante ipsam proiicerent : ut præ timore ipsorum territa || sacrificaret diis eorum . Milites autem iuxta præceptum fecerunt : et detulerunt omnia ferramenta : Cumque fuissent allata : Euilasius dixit : Fausta uides hæc ferramenta : quibus digna es pro contemptu consumi ? Cui beata Fausta respondit : uideo : sed anima mea minas tuas non pertimescit : quia in domino confido : Ipse enim me eripiet de manibus tuis miser crudelis et impie . Euilasius uero iussit eam suspendi et torqueri : ungulisque radi : Cumque torqueretur : leuauit oculos suos ad cælum : et dixit : Deus pater domini mei Iesu christi : qui affuisti tribus pueris in camino ignis et non permisisti noceri eos : qui liberasti Teclam de igne et amphitheatro : et Danielem de lacu leonum : qui eduxisti Petrum sine iniuria de carcere soluens uincula quibus tenebatur adstrictus : qui eduxisti Moysen per mare quasi per siccum : qui respicis super terram : et facis eam tremere : propitius esto mihi peccatrici ancillæ tuæ . Et subito fulgur de cælo factum est : ita ut multi mirarentur . Videns autem hæc Euilasius terribilia quæ fiebant : expauit dicens : Forte malefica est et perdet me sicut omnes ministros : et uocans eam ad se dixit : Fausta dic mihi quæ sunt opera tua : conspicio enim te maleficiorum opera exercere . Cui Fausta respondit : Euilasi uade et fac fieri imaginem habentem uultum meum : Et affer omnia suppliciorum genera et depinge eam . Tunc gaudere cœpit Euilasius sperans se uicisse eam : Et iussit fieri sine aliqua mora imaginem : et dixit ei : Ecce imago facta est : iam nunc mihi dic : quæ sit uoluntas tua : Cui beata Fausta respondit : Tam cordatus et prudens es Euilasi : ut sensum meum nec dum intelligas ? Euilasius dixit : per deos et salutem principum nec dum intellexi cogitationem tuam . Iam mihi dic : quare hoc fieri uoluisti ? Fausta respondit : Tales sunt illi : qui te tam stultum miserunt . Numquid imaginem istam si quis uellet torquere sentit aliquid : nisi hoc solum : quod sibimetipsi concutit laborem ut torqueat lignum : sicut tu ipse ligneus es : qui non intellexisti cogitationem meam ? Quo audito Euilasius blasphemauit deos suos dicens : Oh dii immortales quoniam ab hac puella derisus sum : Et iratus est ualde . Fausta respondit : Non te deridebo Euilasi : sed uolo tibi ostendere : quoniam nihil pro | ficis torrquendo[†] me . Quomodo enim imago si torqueatur non sentit : quia lignum est putridum : ita et me nocere nequaquam potes . Nunc uero disce : quia non me fatigas . Quid amplius : Quemadmodum uis torque . subiacet tibi corpus meum in quo habes potestatem : cuius ancilla sum : ipse mihi dabit tollerandi uirtutem . Audiens autem Euilasius ingenti ira commotus iussit loculum ligneum deferri : et includi eam in medio : et configi intus et serra secari . Carnifices uero ubi fecerunt iuxta præceptum et secuerunt eam tanquam lignum . Sancta autem fausta psallebat dicens : non timebo mala : quoniam tu mecum es domine . Defecerunt ergo secando carnifices sanguinem pro sudore fundentes . Sancta uero Fausta confortabatur spiritus sancti uirtute : et exclamans uoce magna dixit : Fili dei Christe Iesu adiuua me ancillam tuam : qui te diligo deus meus et dominus meus . Audientes uerba hæc carnifices recesserunt defecti et sine uiribus : et euntes nunciauerunt Euilasio dicentes : Oh ante hanc puellam quam dedisti nobis secandam interfecti sumus . Iam ab hora prima usque ad horam hanc secantes nihil præualemus . Mutauimus sex serras secantes : et non eam tetigerunt sed magis confortatæ sunt : et ignem supposuimus in loculo ipso : Et difundentibus flammis nos magis exusti sumus : ut ipse uides : et illa psallebat dicens : Transiuimus per ignem et aquam et induxisti nos in refrigerium : Quos uis alios pone tortores . nos cedimus . Audiens hæc Euilasius ualde conturbatus est : propter pœnam quæ ipsi Euilasio imminebat : Et posteaquam resumpsit spiritum . dixit ad Faustam : Interfecisti iam me Fausta . Propter te enim me habet punire Imperator : tu malefica es : et uincere te non possum . Sum enim ego amplius octoaginta annorum : et nunquam expertus sum talia . Et nunc iuro tibi per salutem Imperatoris et per omnes deos nihil te

amplius iudicari a me tantum crede mihi : et sacrifica diis . Scio enim quia propter te in rheuma mitti habeo . Vincere te non possum : et frustra laboro : et contra deum repugno . Tunc dixit ei Fausta : Audi Euilasi etiam si dixero ueritatem tu irasceris : Et si irasceris : non mihi potes nocere . Iube ergo loqui . Euila || sius iussit : ut dicet : quæ uellet : Et dixit ei Fausta : Euilasi uide et intentius uerbis meis præbe auditum : quæ enim dicenda sunt ueritas magna est sicut tu ipse iam peruides . Celerius enim te ego faciam ad fidem meam conuerti quam tu me ad errorem tuum deducas . Audiens autem Euilasius hæc tanta magnalia a sancta Fausta in cogitationes est arreptus : Et conturbatur spiritu maxime sciens semetipsum esse gentilem et sacrificantem diis : si christianus fieri posset : cur tantis malis eos nosceret se irretitum : Et cum hæc audisset Fausta Euilasium dicentem : Sic dixit : deus christianorum immortalis est Euilasi : et immortalia eius In Agone uincentes : et diabolum occidentes . ostendentes idola gentium dæmonia terrena aspernentes et amantes cælestia : et uirginitatem seruantes et custodientes mandata eius : cognouerunt quia non est deus alter nisi pater domini nostri Iesu Christi : qui fecit cælum et terram mare et omnia : quæ in eis sunt : hic quidem morimur illic uiuificamur . Audiens Euilasius magnam dei uirtutem reuelatam per spiritum sanctum cor eius adapertum est in bono : et ultra non est secutus Imperatoris sententiam . Quinimmo contempsit præcepta eius et iussit eam esse in refrigerium : et cessari ab iniuria eius : et curam ei adhiberi præcepit . Currens unus ex pueris Euilasii nunciauit ad palatium dicens : Tradidit se Euilasius : et uult christianus fieri : si celerius eum pietas tua non iusserit compræhendi : Et nunciatum est Imperatori a præfecto suo Euilasium factum esse christianum . Vocans Maximianus Imperator præfectum dixit : Iura mihi per deos non te tradere eis : qui confitentur Christum crucifixum : Et iurauit ei præfectus : et data ei imperiali auctoritate aduenit Cyzicum et iussit exhiberi Euilasium : et cum uenisset ait ad eum : Mala caperina cur ausus es deridere deos : et tradere deludendos ab insipientibus christianis ? Euilasius dixit : Quia et si tu audias Faustam cito cognosces deum uiuum et manentem in sæcula . Et beatus eris . Nam dii uestri dæmonia sunt . Præfectus uero audiens ab Euilasio tremendum sacramentum exarsit . ipse enim erat procurans sacrificia omnibus diis : Et iratus iussit eum suspendi : et torqueri for | titer . Euilasius uero exclamauit dicens : Fausta columba domini mei Iesu christi speciosa et immaculata inuoca sponsum tuum pro me : quia te multis pœnis affeci . Per te enim cognoui filium dei . Facta enim mihi es lux huius luminis liberans me de tenebris : et eruens me a diabolo . Suscipe me nunc in sinu tuo : et da mihi lac sicut mater filio . Ne trepides : quia senex sum : desuper uolo regenerari : ne mihi inuideas reminiscens suppliciorum meorum : quæ tibi intuli : cum adhuc a diabolico essem errore cæcatus . Roga pro me sponsum tuum : ut mihi det tolerandi uirtutem . Audiens hæc Fausta a familiare Euilasi repleta est gaudio super eum : obliuiscens priorum tormentorum pœnam : et cœpit dicere : Deus meus exaudi me : et integram gratiam da mihi : et suscipe Euilasium in græge ouium tuarum : et adnumera eum numero iustorum tuorum . Præfectus audiens de sancta Fausta : quæ supplicabat deo pro Euilasio : iussit eam adduci Euntes uero carnifices inuenerunt eam orantem . Multa enim signa faciebat in carcere et tollentes eam traxerunt sine mauorte per publicum putantes eam confundi . Ipsa uero currebat gaudens tanquam sponsa Christi : dixit autem ad eam præfectus : Mala et uilis nata cur ausa es sacerdotem deorum rapere : et tradere deo tuo ? Fausta respondit : Credo in deum qui uocauit Euilasium quondam patrem dæmoniorum nunc uero filium ueritatis : quoniam et te uocabit cito ad se . Præfectus dixit : ne putes me esse stultum ut illum . Modo enim carnes tuas soli ostendam : quem non uis confiteri . Fausta uero dixit : Subiacet tibi corpus meum : quod uis fac Præfectus autem commotus aduersus eam iussit pertundi talos eius : et acutis configi : Quo facto sancta Fausta non sentiebat : et confortabatur pro sermone . Videns autem præfectus tales pœnas eam non sentire : uocans officium dixit : Si quis uestrum potest mihi inuenire acriorem pœnam : promoueri eum facio : Respondit Claudius : inueni : quomodo debeat immolare diis : Et præfectus dixit : Quid inuenisti aduersus eam . Claudius respondit : feris subiiciatur : Et iussit præparari agrestes feras : et ascendit in amphitheatrum : et sanctam Faustam exhibuerunt || carnifices expoliantes nudam : et statim dimiserunt ei leenam : quæ currens adorauit eam . Videns autem præfectus iussit dimitti super

eam omnes feras : et currentes ante pedes eius accubuerunt . Præfectus autem uidens nouum spectaculum iussit ut circunduceretur . Illa uero exclamauit ad deum dicens : Domine Iesu Christe cohoperi plasma tuum : Et sine mora descendit nubes de cælo : et cohoperuit eam tanquam sponsam Christi† . Præfectus autem dixit officio suo : Quicumque uestrum adinuenerit uehementiorem pœnam : promoueo eum : et superaddo illi anonam . Quidam nomine Eusebius dixit præfecto : Da mihi in eam potestatem : et ego eam faciam sacrificare . Præfectus dedit potestatem in eam : et detulit mille acutos : confixitque eius frontem et faciem et stomachum et inferiores partes usque ad tibias : et confixa est sicut crepido : Et hoc facto orabat sancta Fausta dicens : Domine Iesu christe qui uiuis in æternum sol iustitiæ in terra non sculptus sed corona iustorum qui me paccatricem† uocasti : da mihi et præfectum in ista hora : ut cognoscant hii : qui adorant idola : quia non est deus alius præter te . Videns autem Eusebius quia nihil profecit : uictus a puella iussit sartaginem afferri : et mitti eam nec non Euilasium in sartaginem : Cumque missi fuissent et psallerent : statim sartago refrixit . Tunc præfectus uidens fidem christianorum dixit : Deus quomodo enumerasti Euilasium cum Fausta columba tua et me annumera cum duobus : et ego trinitatem impleam : et iam ostende quia immemor es malorum omnium . Fac in eum celerius signum tuum in bono . Hæc illo dicente sine mora aperti sunt cæli : et apparuit filius dei et omnis milicia angelorum : et iusti refulserunt ut sol . Et uidens præfectus mysterium magnum clamauit ad dominum uoce magna dicens : Suscipe Euilasium sponsa Christi : et currens uenit Fausta a sartagine et eleuatis oculis ad cælum dixit : In nomine patris et filii et spiritus sancti uobiscum sum : Fausta uero plena gaudio pro eo quod exaudierat eam deus extendens manum suam constringit eum sicut Euilasium et non tetigit eum dolor : Et exclamauit dicens : Ecce in medio eorum sum . Triplex enim funiculus non disrumpetur : Et | cum hæc locuta fuisset : uenit uox de cælo dicens : uenite iam expectat uos pater in cælo uobiscum lætari . Hæc audientes et exultantes reddideruut† suos spiritus domino . Tunc Maximianus imperator audiens quæ euenissent de Euilasio et de præfecto blasphemauit deos suos dicens : Quoniam non potuerunt homines saluare a christianis maxime Appollo et Aesculapius : Et cognoscens nihil eos esse : iussit cessare persecutionem . Populi autem circumstantes omnes pariter exclamauerunt : Magnus est deus christianorum qui suscepit Euilasium et præfectum : Et hæc audientes unusquisque cum magno gaudio abierunt in domos suas . glorificantesque et benedicentes patrem et filium et spiritumsanctum Cui est gloria imperium et potestas in sæcula sæculorum Amen .

PASSIO SANCTAE FEBRONIE VIRGINIS .

Factum est in diebus Dioclitiani imperatoris Antimus Epharcus infirmitate corporis compræhensus uocauit clam Sylenum fratrem suum : et dixit ad eum : Ego frater mi hominum causas transiui Lysymachum filium meum tibi trado . Et sic sponsauimus ei filiam Prosfori senatoris . Festina post obitum meum nuptias de eo facere esto ei in patrem . Hæc dicens Epharcus post tres dies compleuit . Vocauit ergo Imperator Dioclitianus Lysymachum filium Antimi : et Sylenum ipsius auunculum secreto et dixit ad eos : Ego iuuenis memor sum caritatis Antimi patris tui : uolo te post obitum illius super thronum eius sedere ut regas Epharciam . Ergo quia fama est quod christianorum perfidia insurrexit ideo hoc facere nolui Nunc autem uolo te transmittere in orientales partes ut elationes christianorum reprimas : et quando reuersus fueris : tunc super thronum eius ponam ut regas Epharciam . Hæc audiens Lysymachus non est ausus respondere Imperatori . Erat enim iuuenis annorum uiginti . Sylenus autem auunculus ipsius cadens ad pedes eius dixit : præcor immortale tuum caput : remitte eum paucos || dies : ut compleam nuptias eius : Tunc uado et ego cum illo : et omnia facio secundum uoluntatem tuam et iussionem et sapientiam . Imperator dixit : Quid est in orientales partes perfidia christianorum ?† soluite : et quando hic reuertimini omnia recte agentes : tunc et ego ipse cum omni festinatione ero in nuptias Lyssymacho . Hæc audientes non sunt ausi respondere regi uerbum . Accipientes autem præceptum et multitudinem militum abierunt in orientem . Lyssymachus autem accipiens pro-

prium suum consobrinum de matre statuit eum super milites . Veniens autem in prouinciam Almeris et Mesopotamiæ eos qui incedebant et confitebantur christianos esse : alios igni tradebant alios in gladio capitali sententia perimebant : Et corpora eorum iussit Sylenus ut canes deuorarent . Multus timor et tremor in toto oriente erat propter amarissimum Sylenum : nocte autem quadam uocauit occulte comitem primum et dixit ei : Tu cognouisti quia pater meus gentilis fuit idolis et dæmoniis seruiens et mater mea christiana defuncta est : et multa ei festinatio fuit : ut me christianum faceret : sed propter timorem patris mei uel Imperatoris hoc facere non potuit : et habeo præceptum de ea neminem christianum interficere . Ergo magis amicum dei me cogebat fieri : Et nunc uideo christianos qui incedunt sic sine misericotdia† finiendos sub amarissimo Syleno auunculo meo : et patitur anima mea pro eis . Volo autem christianos quos inueneris ut absconse dimittas eos : priusquam incedant ad interficiendum . Hæc audiens primus neminem christianum apprændi† iussit : et nunciauit ubique per monasteria ut fugerent : et liberarent se de manibus amarissimi Syleni adhuc eos conuersantes in locis illis uoluerunt Nossibam ciuitatem compræhendere . Erat enim in ciuitate illa monasterium monacharum habens nonaginta sorores : hæ erant habitantes sub conuersatione Brucimis : Quæ fuit discipula platomatæ diaconissæ : quæ traditionem canonis usque in finem bene custodiuit . Talis erat canon in die ueneris : non erat alicui sorori operari uacantes in oratorio usque dum canon psalmos compleuit . Deinde libros legebat ipsa sanctarum scripturarum so | roribus usque in horam tertiam . Post tertiam autem horam in manus Brucimis dabat libros ipsa iubebat legere sororibus usque ad noctem sic :† Brucimis fecit suscepta diaconia . Suscepit enim Brucimis duas iuuenculas : quæ nutritæ sunt ab ea in bona conuersatione nomen unius Febronia : altera Procla . Procla autem erat annorum uiginti et quinque . Eebronia† autem erat annorum uiginti . Et quidem Febronia perfecta statura erat et uultu præclara et angustia erat Brucimi : quomodo eam saluam faceret . Videns eam in tali specie uultus . Omnes ad uesperum cibum accipiebant et sanctam Febroniam iussit Brucimis in duobus diebus accipere . Videns se Febronia in tali præparatione corporis neque panem neque aquam accipiebat in saturitatem : et lectulum modicum iussit fieri sibi habentem in longo cubitos tres . in latum uero palmum et semissem : et in ipso ad pausandum iacebat : ut haberet quietem ipsius corporis sui . Erat autem qnando† in nuda terra iacebat : quando fiebat : ut temptaretur a diabolo nocturnis phantasiis . Exurgebat cum lachrymis precabatur deum : ut fugeret ab ea diabolus : qui temptabat eam : et continuo accipiebat libros et sanctas scripturas cum compugnatione legebat . diligebat docere : et facta est multum docta : ita ut miraretur Brucimis de tanta doctrina Febroniæ . In die ergo ueneris uenientibus omnibus in oratorio Febroniam iubebat Brucimis sanctas scripturas sororibus legere . multæ enim mulieres honestæ ueniebant in die ueneris in oratorium : et de spiritalibus doctrinis epulabantur : Iussit enim Brucimis ut sub uelo legeret Febronia . Neque enim aliquando cognouit : qualis esset sæcularis conuersatio Febronia . Diffamata est ubique doctrina Febroniæ : non solum doctrina sed et pulchritudo eius et humilitas et sapientia . Hæc audiens senatorissa desyderio conpuncta est : ut loqueretur cum Febronia . Erat enim Hieria gentilis nondum ad baptismum uenerat . Hæc Hieria habitauerat cum uiro suo menses septem et uidua conuersa est in propria ciuitate ad parentes suos . Erant et ipsi gentiles . Veniens autem ad monasterium illud pulsauit ad hostium . Audiunt† enim Brucimis . ‖ exiuit ad eam et continuo cecidit ad pedes eius Hiera† : ne me derelinquas gentilem et immundam usque nunc ad idolorum uisiones factam : ne segreges me de doctrina tua : et colloquio sororis meæ Febroniæ in sancta apud uos uia salutis : ut ambulem in eam : et inueniam quod præparatum est christianis . Eripite me de uanitate sæculi istius et de immundicia idolorum . Hæc dicens Hieria . lachrymansque cecidit ad pedes Brucimis dicit ergo ad eam Brucimis : uiuit deus domina Hieria uno annorum spatio suscepi eam in manus meas : et habet hodie decem et octo annos in monasterio neque uiros neque sæcularem imaginem usque nunc uidit . Cum multis lachrymis multoque tempore precata est mater eius ut uideret eam : et dixi non permisi neque permitto eam cum sæcularibus colloqui . Ergo propter desyderium quod habes : introduco te ad eam spirituali indutam scemate . Leuauit ergo Brucimis Hieriam et eam duxit ad Febroniam . Videns enim Febroniæ conuersationem cecidit ad pedes

eius : putauit enim extraneam abstinentem uidere : salutauerunt inuicem et discesserunt . Post hæc iussit Brucimis Febroniam legere ad eam de sanctis scripturis . in tantum enim conpuncta est Hieria de doctrina Febroniæ ut unam noctem ambæ sine somno transirent . Neque Febronia dicendo defecit neque Hieria audiendo . Tantas enim lachrymas fudit Hieria : ut locum ubi steterant rorauerit . cum enim dies illuxisset Brucimis fecit Hieriam redire in domum suam . Salutauerunt enim inuicem et discesserunt de oratorio . Febronia uero interrogauit Thomaidam secundariam Brucimis dicens : Domina mater quæ fuit ista soror : quæ sic lachrimata est ut quasi nunquam aure sanctas scripturas audisset : Tunc Thomais dixit ad Febroniam : Non cognouisti eam ? Febronia dixit : Vnde potui cognoscere ? extraneam sororem uidi . Thomais mouens caput dixit ad eam : ista est Hieria senatorissa quæ modo abiit hinc . Febronia dixit : Et quare suasistis mihi : et non mihi manifestastis ? qnia† quasi cum sorore sic locuta snm† cum ea . Thomais dixit : Domina maior iussit : ipsa te seduxit . Factum est enim in dies illos : ut infirmaretur Febronia usque ad mortem . Hieria autem non discessit ab ea | omne tempus infirmitatis eius usquequo leuaretur de infirmitate . Factum est enim in diebus illis Sylenus et Lysymachus intrauerunt in ipsam ciuitatem : ut christianos compræhenderent . Omnes qui fuerant in ciuitate christiani fugerunt . Clerici et monachi dereliquerunt propria sua : ut et ipse episcopus ciuitatis absconderet se ipsum pro timore qui aduenerat eis . Audientes sorores in monasterio illo habitantes accesserunt ad diaconissam Brucimis dicentes : Quid facimus domina mater : quia feræ illæ appropinquauerunt : et omnes fugerunt propter propositas pœnas ? Brucimis dixit : Quid uultis : ut faciam uobis ? respondentes dixerunt : ut iubeas nos abscondere ad tempus : et saluare animas nostras . Brucimis dixit : dum adhuc pugnam non uidistis : fugam petitis ? Nec adhuc luctastis : iam succumbitis ? Nolite natæ meæ nolite facere . Sed peto uos : stemus et certemus : et moriamur propter eum : qui mortuus est pro nobis : ut simus : et uiuamus cum eo . hæc audientes sorores tacuerunt . Et quidem in crastino una de sororibus nomine Hieria dixit sororibus : Si ergo quia propter Febroniam non dimittit nos domina maior ut fugiamus hinc : puto propter eam uult nos perdere . Ecce dico uobis accedamus ad eam : et ego loquar pro omnibus : quod oportet . Audientes sorores quædam crediderunt Hieriæ . aliæ uero non crediderunt cognoscentes consilia eius . Multa enim concertatio per multas horas : nouissime consenserunt omnes : et simul accesserunt ad diaconissam : Cum uenissent omnes : cognoscens diaconissa consilium Hieriæ respexit in eam et dixit : Quid uultis sorores ? Hieria respondit : ut iubeas nos fugere et abscedere ante propositionem ire . non enim super episcopum et clerum intelligimus : et hoc debes cogitare : quia sunt aliquæ in nobis nouellæ : ne forte rapiamur a militibus et cadamus in corruptionem corporis : et castitatis mercedem perdamus : ne forte tormenta sustinere non poterimus : fiamus idolis et dæmonibus seruientes : perdamusque animas nostras . Si autem iubes saluare : nos accipimus . Febronia dixit ad eas : uiuit Christus meus : Cui me desponsaui : et cui animam meam tradidi : quia || non eo de loco isto . ego hic morior : et hic sepelior . Brucimis dixit : Hieria tu uideas quod mercata es . munda ego sum . de sororibus unaquæque quod oportet faciet : et omnes propter timorem subdiderunt se Brucimi et Febroniæ : et condemnauerunt se cum multo planctu et clamore : percutientesque pectus suum exierunt de monasterio . Procla uero quæ nutrita fuit cum Febronia cecidit super collum Febroniæ dicens : ora pro me domina Febronia : dixit ad eam ora deum domina Procla uel tu ne derelinquas nos . Non uides quia infirma sum : nequando subueniat mihi mori : et non poterit me sepelire domina maior . Permane nobiscum : ut si contigerit me mori : obruas me . Procla dixit : iussisti domina soror non te derelinquo . Febronia dixit : Ecce in conspectu dei disposuisti mihi . ne derelinquas . Vespere autem facto exiuit et Procla et in paruulis facta est . Brucimis autem uidens nuditatem monasterii propter quod aduenerat intrauit in oratorium et iactauit se in terram : et clamauit amarissime : Et quidem Thomais secundaria Brucimi sedebat ad consolandum eam dicens : Pausa carissima mater potens est deus in temptatione ista auxilium dare : ut possimus sufficere : quis credidit deo aliquando et confusus est : aut quis permansit in furore eius et despexit eum ? Brucimis dixit etiam domina Thomais hæc si se habent . Quid autem facio de Febronia ? Vbi eam abcondam et saluem ? quales oculos respicies . Vide eam sub barbaro prædatam . Thomais dixit : oblita es

quæ per me tibi dicta sunt : qui potens est ex mortuis suscitare : ipse et Febroniam . continuo Brucimis clamauit amarissime : et posuit faciem suam super genua sua suspirans : respexit in eam Febronia : et dixit ad Thomaidam : precor te mater : ut quid est clamor talis dominæ maioris : dicas : audiui eam ante horam in oratorio dimissa grande uoce . Tunc Thomais dixit : propter te suspirat domina maior : propter uenturam iram : quæ aduenit nobis sub tyramno . Et propter quod adhuc infirma es : et es nouella et speciosa : propterea afficitur . Febronia dixit : precor uos orate pro ancilla uestra . potens est deus respicere humilitatem meam et induere me gratiam : et dare patientiam sicut in omnibus seruis su | is qui diligunt eum . Thomais dixit : Nata mea Febronia ecce tempus concertationis est : si rapimur a militibus : nos enim quasi seniores celerius interficiunt : Te uero circumueniunt ad seducendum propter pulchritudinem tuam . Si uero applauserint tibi uerbis collaudationis : ne consenseris eis : si uero in auro aut in argento aut uestimento aut aliis pretiosis ne credas eis filia mea : et primo labore te perdas et fias idolorum risui . nihil pretiosius uirginitate . multam mercedem et retributionem et sponsus immortalis immortalia donat : qui desyderant eum . Festina ergo Febronia ipsum uidere : cui animam tuam tradidisti : uide filia ne abneges arrabones eius et quidem ab eo promissas . Hæc audiens Febronia confortauit se : et uiriliter aduersus diabolum spiritum suum præparabat : respondensque dixit ad Thomaidam : Bene facis domina in confirmando ancillam tuam . uiriliter informasti animam meam . uerumtamen si uoluntatem habuissem fugere agonem : cum omnibus sororibus fugissem : et ipsa me abscondissem . Ergo quia illum desydero : cui animam meam tradidi : festino ad eum ire : et pro eo certare : et mori : si enim dignam habeat me propter nomen suum . hæc audiens Brucimis cœpit et ipsa dicere Febroniæ : filia mea recordare quomodo secuta es conuetsationem† meam : recordare quia duorum annorum spatio suscepi te in manus meas de genitore tuo : et usque nunc non permisi uidere sæcularem quempiam faciem tuam : aut cum sæcularibus confabulari . Cum ecce nunc usque custodiui te nata mea : sicut tu cognonisti† . quid uero facio tibi nata . ne iniurieris senectæ Brucimis matris tuæ spiritualis . recordare : transit tempus : qui per patientiam uicerunt : et gloriosæ martyrium passi sunt : et coronam uictoriæ de cælesti agone cito acceperunt : non solum uiri sed et mulieres et infantuli et Leonidæ duo fratres qui gloriosi martyrium passi sunt : recordare Eutropiæ infantulæ quæ duodecim annorum cum esset cum matre sua martyrium passa est . Nunc tu mirabaris semper Eutropiæ patientiam : eo quod iussisset tyramnus sagittari eam non ligatam ut timeat : et fugiat : audiuit matrem suam dicentem : nata mea ne fugias . Ligauit manus retro : et non fugit . Percussa ergo arcu cecidit in terra : et continuo expira || uit : et matris præcepta non præteriuit . non ne eam perseuerantem mirabaris semper tu . et ipsa quidem infans indocta . Tu aliis magistra es . Hæc ea dicente et alia multa transiuit nox . Mane facto oriente sole turbatio et clamor factus est in ciuitate habitantibus : quia Sylenus et Lysymachus intrauerunt in ciuitatem . multitudo christianorum compræhensi sunt a militibus : et reclusi in custodia . Quidam uero de gentilibus nunciauerunt de monasterio illo Syleno : et continuo milites misit in monasterium : qui circundantes eum percutientesque hostia et comminuentes ea intrauerunt et compræhenderunt Brucmin quam milites euaginantes gladios uoluerunt interficere . Febronia iactabat se in terram ad pedes militum clamans et dicens : adiuro adiuro uos per dominum qui est in cælis : me prius interficite : ut non uideam mortem dominæ meæ . Primus comes dixit Brucmi : ubi sunt qui : hic habitant . Brucmis dixit : propter timorem uestrum omnes fugerunt . Primus dixit : utinam et uos fugissetis . ecce habetis inducias exite : et saluate uos : et accipiens milites de monasterio abiit . Cum uenisset in prætorium ad Lysymachum : ait illi Lysymachus : Veritatem num ne doces nos ipsos de monasterio illo ? Primus respondit ueritatem : Et accipiens illum secreto dixit ad eum : omnes de monasterio fugerunt : et non inuenimus ibi nisi duas aniculas : et unam iuuenculam qualem nunquam uidi usque modo : non uidi in mulieribus talem personam : uiuunt dii : et nisi quia multum infirma est : digna erat in coniugio domino meo : Lysymachus dixit : sic præceptum abeo : ne effundam sanguinem christianorum . Ergo magis uolo esse amicus Christi : et quomodo quæ Christi sunt diripiam ? Nunc ergo peto te domine Prime tolle eas : et educ de monasterio : et salua eas : ut non incedant in manus Syleni auunculi mei sine misericordia . Tunc unus miles qui

astabat ibi uunciauit† Syleno dicens : inuenimus iuuenculam in monasterio illo : de ea loquitur Primus comes domino Lysymacho in coniugio illi . hæc audiens Sylenus repletus ira et indignatione misit custodes in monasterium illud ne fugerent : et continuo iussit præconem clamare . | crastino pro deo publico Febronia : audientes habitatores ciuitatis occurrerunt multitudo uirorum et mulierum uidere agonem Febroniæ . Mane facto uenerunt milites in monasterium : et trahæbant Febroniam ligatam cathenis . Brucmis uero et Thomais præcabantur : ut et ipse irent in auditorium : ut non derelinquerent solam Febroniam : milites uero dixerunt : non sumus ausi uos deducere modo sed Febroniam solam . Tunc cœperunt Thomais et Brucmis corroborare Febroniam : et dicebat ei Brucmis : Filia ecce exis in agonem . Vide quia cælestis sponsus prospicit agonem tuum : et angelorum uirtutes respiciunt uictoriam tuam . uide ne abiicias pœnas : et fias risus diaboli non miserearis corpori tuo : quod peribit sub pœnis . Hoc uero et si nolumus post modicum sepultura accepto conuertitur . Ecce ego remaneo hic in tribulatione . expecto audire de te bonum aut malum . Sed precor : ut bonum nuncium audiam de te : Quis annuntiabit mihi : quia Febronia compleuit certamen : et cum martyribus annumerata est ? Beata Febronia dixit : Credo in deum domina mater : Quia quomodo nunquam præteriui præcepta tua neque modo ab eo prætéream . Thomais dixit ad eam : uiuit deus nata inscenia sæculare . uenio in auditorium uidere agonem certaminis tui . accipientes eam milites duxerunt : et cum duceretur dixit ad Brucmin et Thomaidam precor uos orate pro me : et date mihi benedictionem : Brucimis uero extendens manus ad cælos exclamauit uoce magna dicens : Domine Iesu christe qui apparuisti Teclæ ancillæ tuæ inscenia pauli : appare et huic in hora certaminis sui . Hæc dicens Brucmis complexa est Febroniam . salutauitque eam et dimisit abire . Thomais induta ueste sæculari uenit in adiutorium . Omnes enim mulieres quæ uenerant ad eam prius in oratorium et sciebant Febroniam : et de doctrina eius gloriabantur percutientes pectora sua cum lachrymis currebant ad auditorium . Audiens Hieria senatorissa quia Febronia monacha datur in publicum : surrexit et clamauit uoce magna ita ut commoueret parentes suos : et omnes qui uenerant in domum : Cumque inquirerent quid hoc esset : Hieria respondit : Soror et magistra mea Febronia iudicio patet sicut || pueros et puellas cum clamore et lachrymis currebant ad auditorium uidere agonem Febroniæ . Venerunt et iudices : et sedentes iusserunt adduci Febroniam : et adducta est ligata et cathena erat in collo eius : Cumque stetisset in medio : iussit Sylenus silere populo : et dixit Sylenus Lysymacho : da præceptum et accipe responsum . Lysymachus dixit : dic mihi puella an sis ancilla an libera . Febronia dixit : ancilla : Si autem nomen meum discere uis : Febronia sub domina mea uocata sum . Tunc Lysymachus quieuit : et Sylenus per se interrogare cœpit : et dicere ad eam : uiuunt dii : Febronia nolui te inierrogatione† dignam esse humilitas tua una cum pulchritudine uicerunt furorem meum . nam nunquam te interrogo : sed ut filiam precor . audi uerbum filia . uiuunt dii : quia multa pecunia et multas possessiones tibi dabimus : et sponsabimus te in uxorem Lysymacho ego et Antimus frater meus : quia et speciosus est sicut et tu . Febronia dixit : Ego iudex thalamum in cælis habeo non manu factum et sponsum immortalem : domum uero cælestis gloriæ : Hominem mortalem uel corruptum habere nec nominare audeo . Vnde iudex noli laborare quasi suadens me : quia nec suadendo nec timorem incutiendo potes me capere . Hæe† audiens Sylenus iussit militibus dicens : Exuite eam uestimentis : et statuite in conspectu omnium : ut uideat se in confusione : et lugeat se : quia de magna cecidit gloria : et nouissimas inuenit pœnas : Cumque factum fuisset : Sylenus dixit ad eam : Quid dicis Febronia ? uides quanta amisisti bona : et quanta acquisisti tormenta ? Febronia dixit : Audi iudex et si omne uestimentum exuta sum : ego hoc confusione non imputo : unus est enim creator omnium : uirorum et mulierum nec solum de corporis nuditate non cogito : sed per gladium et ignem transire parata sum propter nomen domini : si tamen fuero digna . Sylenus dixit : impudens et omni execratione digna scio quia sine rubore inuenta es : ideo non erubescis . Beata Febronia dixit : Audi iudex . Scit Christus meus : quia uidi : usque nunc sine rubore tibi uideor esse : Tamen stulte et insensate quis luctatur constitutus in agone ueste indutus ? aut coniun | gens se bello non ne nudus incipit pugnare : quousque uincat aduersarios ? ego quidem tormenta et ignem expecto : ideo nuda pugnabo : quousque uincam patrem tuum diabolum . Sylenus

dixit : tendite eam : in quattuor fustibus cædite eam : usque appareant ossa eius . Cumque factum fuisset : ita cæsa est : ut riui currerent de sanguine eius in terra : et ignis ardebat subtus eam : et incendebantur uiscera eius : cumque hæc per multas fierent horas : omnis multitudo populi clamant ad iudicem dicentes : amator hominum iudex parce parce puellæ . Illæ uero non sensit sed amplius crudeliter iussit cædere eam : quando uero uidit corpus eius nudatum sanguine et resolutum illud : in terra† iussit reponi : putans eam mortuam esse : iactauerunt ergo eam in terram . Videns Thomais quæ aduenerat quia Febronia iacebat in terra : credidit eam mortuam esse . Hieria uero clamauit uoce magna dicens : Væ Febronia soror mea Væ domina et magistra quia hodie segregor a tua doctrina . Audiens Febronia uocem Hierie cum iaceret in terra : petiuit milites : ut aquam afferrent ei in frontem : quæ ueniens in† se præcabatur : ut uideret Hieriam . Tunc iudex iussit eam surgere : et respondere sibi : et ait ad eam : Quid dicis Febronia ? cognouisti qualis est prima iussio tormentorum ? Beata Febronia dixit : animo tuo docuisti de prima : quia non timeo tormenta tua . Sylenus dixit : In ecnleo† suspendite eam : et latera eius radite : et ignem supponite : dum usque ossa eius appareant . Accipientes milites rasorios gladios raserunt latera eius et eam posuerunt in ignem . Febronia uero eleuans oculos suos in celum dicebat : ueni domine in adiutorium mihi et ne despicias me in hora ista . Et hæc dicens tacuit : quia incendebatur ab igne nimis . multi uero uidentes surrexerunt propter amarissimum Sylenum : alii clamabant præcantes iudicem pro ea : Et dum penderet in ligno interrogabant eam : ipsa uero non poterat respondere : et iussit uenire medicum : et dixit ad eum : Ista meledicta et inutilis blasphemat deos : abscidatur lingua eius et in ignem mittatur . Febronia uero porrigebat linguam suam et manu sua aduocabat petendo : Abscide . abscide . Medicus uero accessit : ut abscideret . populus ue || ro adiurabat iudicem pro salute deorum : ne abscideretur lingua eius . Iussit ergo ut dentes ipsius Febroniæ erueret et continuo medicus accipiens ferrum cœpit excutere dentes sanctæ puellæ et iactare in terram . septem uero dentes excussit . sanguis uero incessanter currebat . tunc iussit Sylenus medico pausare cœpit iterum Sylenus interrogare Febroniam et ait : Vel nunc credes in deos . Febronia dixit : Anathema† tibi ter maledicte qui impedis uiam meam : et non dimittis me ire ad sponsum meum . festina eiicere me de corpore isto : quia expectat me sponsus meus . Tunc Sylenus ira commotus iussit medico excidi mamillas eius . Populus uero precabatur iudicem dicens : Petimus te domine indulge puellæ iudicium istud . et per multas horas clamantibus et precantibus iratus est medico Sylenus : et dixit ad eum abscide maledicte et a deorum conuersatione aliene . Medicus uero accedens ad dexteram eius mamillam eam :† cœpit incidere . Febronia uero clamauit uoce magna dicens : Domine deus meus uide uias meas : et ueniat in manus tuas anima mea . Excisæ sunt uero mamillæ eius et proiectæ in terram . Tunc iniquissimus Sylenus in loco unde mamillas exciderat medicus : iussit poni ignem : ut incederentur† uiscera eius : Multi uero qui uenerant ad spectaculum abierunt clamantes : et dicentes : anathema Dioclitiano et Syleno et diis eorum . Thomais uero et Hieria miserunt in monasterium ad Brucmin dicentes : quod factum est . hæc audiens Brucmis clamabat ad dominum dicens : Domine Iesu christe ueni in adiutorium ancillæ tuæ Febroniæ : et clamabat dicens : Febronia ubi es : et iterum clamabat dicens : Domine uide humilitatem ancillæ tuæ Febroniæ : et ueni in adiutorium eius : ut uideant oculi mei quod Febronia in numero martyrum sit annumerata . Tunc iudex iussit eam solui de ligno : et cum dissoluissent eam : cecidit in terram . Tunc Primus dixit Lysymacho ut quid perditio huius puellæ . Lysymachus dixit : Dimitte eam domine Prime in multorum salutem laborauit . Nunquid non est in mea potestate dimittere ? ergo dimitte eam certare in salutem multorum . Hæc audiens Hieria clamabat ad iudicem dicens : O hominum conuersationis extraneæ et | iniquæ num tibi sufficit tanta tormenta in inifantulam† puellam dedisse ? num memoras matrem tuam quia ipsa hanc carnem induta fuit . Hæc audiens iudex ualde iratus est aduersus Hieriam : et iussit eam educi : et pœnis tradi : audiens Hieria cum multa festinatione currebat clamans et dicens : Deus Febroniæ suscipe me gentillem et humilem cum domina mea Febronia : Cumque duceretur Hieria : omnes clamauerunt ad Sylenum dicentes : noli eam adducere in publicum : et si hæc facere uis : omnes simul martyrio confice cum ea : et peribit omnis ciuitas . hæc audientes amici Syleni consilium ei dederunt : ut dimitteret eam : qui furore accensus ait ad

Hieriam : Viuunt dii : quia ampliora tormenta parasti Febroniæ . continuo ambas manus Febroniæ et destrum pedem iussit ei excidi . Accelerauerunt ministri iniqui : et absciderunt manus et pedes eius Febronia uero uolebat alium pedem ponere super lignum : et non ualebat . Videns uero iudex ait astantibus : uidetis duriciam impudicæ huius . Abscidite et alium eius pedem . Tunc surrexit Lysymachus et dixit Syleno : quid amplius habes facere infantullæ isti ? eamus iam hora est prandii . Sylenus dixit : uiuunt dii : non eam dimittam : cum spiritum tradat . per multas horas trahebat animam . ait Sylenus ministris : adhuc uiuit ista maledicta : Et ait illa ministris : adhuc anima mea est . Tunc iussit Sylenus decollari eam . Accipiens miles gladium tenuit comam eius : et percutiens eam iugulauit ut agnum . Continuo iudex abiit ad prandium . Lysymachus iussit militibus custodiri corpus Febroniæ et in multa tribulatione euenit Lysymacho de morte Febroniæ : et reculsitse† in trichliuio† non manducans neque bibens : Hæc uidens Sylenus auunculus eius nec ipse gustauit propter Lysymachum : et erat in tribulatione maxima propter eum : et surgens iniquissimus Sylenus ambulabat in porticu prætorii : qui subito attendit in cælum : et per multas horas amens factus est : Tunc grandem educens uocem sicut taurus et cursu rapido percussit caput in una columna : quæ ibi erat et cadens in terram expirauit . Tunc conturbatio et clamor factus est magnus et currens Lysymachus stetit supra corpus eius et inter || rogabat milites : quid esset factum et annunciauerunt ei omnia . Tunc Lysymachus per multas horas agitauit super eum caput suum : et dixit : Magnus est deus christianorum . benedictus deus Febroniæ . Vindicauit deus sanguinem Febroniæ : qui effusus est . Tunc Lysymachus ussit corpus Syleni : et uocauit Lysymachus Primum comitem : et dixit ei : Adiuro te per deum christianorum : ut non prætereas præceptum meum : fac celerius fieri glosocomon de ligno imputribile mundo : et mitte ubique præcones : ut qui uelint christiani ueniant et sepelliant corpus Febroniæ . Si timent : auunculus meus transiit : tu autem domine Prime accipe milites quos uolueris . ipsos fac portare corpus in monasterium ad Brucmin . omnia membra quæ abcissa sunt collige : et sanguinem qui in terra fusus est adde : ut nihil inhumatum relinquatur . Hæc audiens Primus fecit omnia : sicut disposuit Lysymachus . corpus quidem Febroniæ fecit portari . milites ipsi acceperunt caput et pedes et manus et omnia quæ fuerant excisa . multitudo populi uolebant singuli aliquid rapere de reliquiis sanctæ Febroniæ . Milites uero euaginato gladio uix potuerunt se de populo liberare . Cum uenissent in monasterium et deposuissent corpus : reuersi sunt in prætorium milites . tunc surrexit Brucmis de terra et complexa est corpus Febroniæ : et clamabat : Væ nata mea Febronia : quia hodie ablata es oculis meis : Quæ de sororibus spiritualibus sanctas scripturas legat ? quales manus mouebunt libros tuos ? Hæc Brucmi dicente uenerunt omnes sorores monasterii simul in unum : et cadentes supra corpus Febroniæ clamabant : Adoremus sanctos pedes tuos : qui clacauerunt† caput serpentis . Hieria dicebat : Quo operiemus florem translationum quæ cohoperuit genus nostrum per orationem suam . facta hora nona clamauit Brucmis dicens : Febronia orandi hora est . Veni . sta filia in oratorio . Incipit surgens uocare Febroniam dicens : brobia bracha : quod est nata mea ubi es . Exurge : et ueni . Thomais dixit : Febronia nunquam præteristi præceptum dominæ nostræ modo quare non audis uocem eius . hæc et alia multa dicentibus appropinquauit nox : illæ uero lauantes corpus sanctæ Febroniæ posuerunt | super scamnum : et ordinabant membrum ad membrum ubique in loco suo . Tunc iussit Brucmis aperiri hostium : et introeuntes turbæ hominum glorificabant dominum : clamabantque sæculares mulieres seperationes magis lugentes . Hæc in circuitu uidentes aduenerunt sancti patres et multitudo monachorum et perseuerantes hymnis et canticis absque somno duxerunt noctem . Lysymachus uero uocauit comitem Primum et dixit : Ego domine Prime omnes paternas consuetudines et omnes diuitias contemno : et accedo ad Christum . Primus comes dixit : Ego domine mi anathenabo† Dioclitiano et regno eius et contemno omnia : et accedo ad Christum . Hæc audientes in prætorio uenerunt ad monasterium cum multitudine populi : mane facto qui glosochomon fecerunt cum multis orationibus et lachrymis posuerunt ibidem reliquias sanctæ Febroniæ : singulas quasque incisuras posuerunt in loco suo : dentes uero posuerunt super eius pectus . populus uero qui aduenerat impleuerunt glosochomon myrro musco et thimiamate : ita ut non pateret corpus ob multitudinem odoramentorum . Populo uero clamante non

permittebatur claudi locellus ita et episcpus† ciuitatis cum reliquis episcopis qui undique aduenerant certantes ut clauderetur non permitteretur claudere locellum . Tunc ascendit Brucmis in excelso loco : et ait ad populum : domini precor uos domini mei dimittite me : ut sepeliam eam in proprio loco : Brucmis uero cum multis lachrymis et reliquæ cum ea clauserunt locellum : et posuerunt in monasterium in loco perfecto : et omnes glorificauerunt deum : et multitudo gentilium baptizati sunt : et crediderunt in domino . Baptizatus est Lysymachus et Primus : et conuersi sunt : et abierunt cum domino Marcello heremita : et bonam conuersationem usque in finem tenuerunt . multi milites baptizati sunt . Hieria uero et parentes eius crediderunt† in domino : et baptizati sunt . reliquit Heria† parentes suos : et conuersa est in monasterio : et precabatur Brucmin dicens : precor te domina mea et mater habe me ancillam tuam in loco dominæ Feroniæ† : et ego seruio tibi sicut ipsa . omne ornamentum suum dissoluit Hieria aurum et margaritas : et ornauit sepulchrum sanctæ Febroniæ : In die pas || sionis eius conueniebat multitudo populi ad monasterium propter signa quæ fiebant . Media autem nocte qua hora in oratione stabant apparebat Febronia : et stabat in loco suo usque in tertia oratione : ita ut grandis timor fieret in omnes in hora illa : nemo tamen audebat tangere eam : aut dicere aliquid . In primo anno cum apparebat omnes sorores timebant . Brucmis uero clamabat dicens : Ecce nata mea : et currens uolebat amplexari eam : continuo imparibilis fiebat Febronia . Nunquam uero aliquis ausus est appropinquare aut tangere eam nisi Brucmis . sola lachrymabat : et gaudebat quod demonstrabat se . Interea episcopus ciuitatis ædificauit templum Febroniæ in omni decore per annos sex : et uocauit episcopos de circuitu : et fecit congregationem magnam : ut faceret ensenia mense Iunio in die quinto : et conuenit multitudo : ita ut non caperet templum . mane facto uenerunt in monasterium episcopi : qui orantes sederunt : et uocauerunt Brucmin et cœperunt dicere ad eam : Super terram enim conuersationem tuam inextimabilem dolorem duxerunt laudes dicimus . Nemo uero condigne potest dicere : hoc omnibus monasteriis nominatum est primitias et tales fructus exhuberasti . Ergo quia : ut dignum est : dicere certamen sanctæ martyris : nec lingua sufficit enarrare . Nunc petitionem nostram ut sorori loquimur rogantes te petimus . ut ipsa digneris rogare nobiscum sanctam dei martyrem : et dones eam nobis : ut in habitet in templo quod ædificatum est in nomine eius . Audientes omnes sorores ceciderunt ad pedes sanctorum episcoporum clamantes et dicentes : precamur sanctum uestigium uestrum ut misericordiam habeatis in nobis : nec nos separetis de margarita nostra . Plangentibus et petentibus illis per multas horas dixit episcopus ad Brucmin . Scis soror quanta festinatio fuit mihi in honore et gloria huius martyris sanctæ erigere templum . Ecce hodie sex anni sunt : noli ergo sine fructu facere laborem nostrum . Hæc audiens Brucmis dixit : precor uos sancti patres : si hæc placent in oculis uestris et placitum est in oculis martyris : quæ sum ego ut uetem : intrate : et accipite eam et ite . Surrexerunt ergo episcopi : et intrantes orauerunt . Hie | ria uero clamabat : Væ nobis : quia gloria magna hoc monasterio separatur . Væ nobis : quia hodie tribulatio et orphanitas ueniet nobis . Væ nobis : quia tradimus margaritum nostrum : et iterum dicebat Brucmis : quid facis mater : quia segregas me de sorore mea? Propterea omnia contempsi : sub manus uestras ueni ? Brucmis uidens Hieriam sic lugentem et conuersa ad eam dixit : Quid plangis nata mea Hieria si placibile est ei ire : uadet . si non : non uadit : compleuerunt orationem episcopi et omnes respondentes : amen Accesserunt ad glosochomon : statim facta sunt tonitrua magna : ita ut omnes caderent timore in terram . iterum post modicum orantes accesserunt . et ecce terræmotus factus est magnus : ita ut putarent : quod consumatio fieret . Tunc cognouerunt episcopi omnes quia non permittebat se exire monasterium : qui tristes facti dixerunt Brucmi : non permittit se martyr exire monasterium : uel unum membrum quod abscissum est accipiamus et discedimus . Brucmis uero accipiens de glosochomo aperuit : et ecce sicut radium solis sic uidit corpus : et ut stella matutina radians sic splendebat corpus eius : cum multo timore : Brucmis tendit manum suam : et tenuit manum eius ut daret episcopo : et tenuit ibi uirtus diuina manum Brucmis : ne eam reduceret foras . Tunc Brucmis cœpit clamare : et dicere : precor te nata mea Febronia noli irasci matri tuæ : memorare lachrymas : quas fudi propter te : non ignominiæ habeas senectutem meam . hæc dicens Brucmis reuersa est manus eius : et iterum extendit manum et clamauit

dicens : Da nobis domina mea benedictionem : et noli me tribulare : et cœpit unum dentem : et dedit episcopo : et continuo clausit locellum . episcopi uero miserunt reliquias in capsam auream et abierunt . antecedebat populus cum cereis et psallentes uenerunt ad templum . Ascenderuntque episcopi in excelsum et monstrauerunt reliquias populo : quot manebant cæci : claudi et a spiritibus immundis uexati : tot sanabantur . Nouum factum est in circuitu : ita ut ab hominibus portarentur infirmi : Alii in lecto alii super iumentum et omnes sani fiebant qualemcumque infirmitatem haberent : quousque non cessarunt infirmos adducere non || non† permiserunt includere reliquias : quia uenerunt : dum usque omnes infirmi sanarentur dominum glorificantes : reposueruntque reliquias mense Iunio indicione quinta : et abierunt singuli ad propria laudantes et glorificantes deum . Brucmis uero aliquot annis uixit post beatam Febroniam : et in omnibus bene conuersata requieuit in pace : Thomais post obitum dominæ Brucmis suscepit diaconatum : et omnem traditionem bene tenuit usque in finem . Nos uero qualiter a domino Lysymacho didicimus omnem uitam et conuersationem sanctæ Febroniæ scripsimus in laudem et gloriam sanctorum . Regnante domino nostro Iesu Christo : qui cum patre et spiritusancto uiuit et regnat in sæcula sæculorum Amen .

VITA SANCTI FELICIS PRAESBYTERI NOLANI .

Factum est : ut post completionem beatissimi Felicis præsbyteri Alius Felix Germanus eius iunior animo et actione : et ipse præsbyter cum adductus fuisset ad iniquissimum Dracum urbis præfectum cœpit eum compellere : ut immolaret : Quibus beatus Felix præsbyter ait : puto : quod inimici estis deorum uestrorum effecti ad quæcumque me eduxeritis deorum templa : hoc eis eueniet : quod illis euenit : ad quæ meum fratrem duxisse uos pœnitet . Sed si uultis probare uirtutem domini mei Iesu Christi : ad capitolium ire me iubete : ut ipsum Iouem principem dæmoniorum uestrorum ruere faciam . Audiens hoc Dracus præfectus clausit aures suas : et iubet eum fustibus cædi : atque exilio deportari in montem : qui uocatur Circeius : ubi lapides quadrati excidebantur et ibidem esse omnibus diebus uitæ suæ . Adueniens igitur in prædictum locum inuenit ibidem cuiusdam Probi Tribuni qui præerat locis filiam a dæmonio uexari : Qui inuocato nomine domini Iesu Christi : statim filia eius saluata est . Tunc Probus tribunus cum uidisset miraculum factum in eius filiam : misit se ad pedes eius clamans et dicens : uere tu uerus es homo dei sanctus : Et exiuit iam non cum præmissit penitus : Vnde ibi iniuriæ subiaceret : Erat autem iste Tribunus et nomine et | opere Probus ciuis Nolanus : Cui et nunciatum est : quod uxor eius morbum hydropicum incurrisset : Cui sanctus Felix ait : noli tristari . tantum modo crede : quia Iesus meus deus uerus est : et salua erit uxor tua : Qui cum diceret credo : benedicens oculum† misit ad eam : ex quo peruenta post triduum saluata est . Tunc collega Probi perrexit ad consularem : et ita coegit : ut eum uinctum ducerent : quod eum Christum confitentem audiuit . Venientes autem ex officio ut eum tenerent : manus eorum in dolorem conuersæ sunt : ut hululatum diræ uocis emitterent : Quibus beatus Felix dixit : Dicite quia Christus uerus est deus et dimittet uos dolor : Qui cum clamarent : uerus est Christus deus : statim a dolore liberati sunt . uniuersi autem qui aderant crediderunt in domino : et baptizati sunt . Expleto autem Tribnnus† sui tempore Probus una cum sancto Felice reuersus est Nolam . Erat autem ibi pontifex dæmonum : qui quasi diuinabat miseris et gentilibus hominibus . Hic uidens sanctum Felicem cecidit ad pedes eius dicens : Domine uidit te deus meus uenientem et fugit : Cui cum dicerem : quare fugis ? Respondit mihi : uirtutem huius Felicis qui cum probo Tribuno uenit ferre nullatenus possum . Si ergo deus meus sic te timet : quanto magis ego te timere et uenerari debeo . Dicit ei beatus Felix : Ego seruus Christi sum . Ipsum tunc et uenerare : Qui audiens credidit Christo . Cum autem ibi esset sanctus Felix : et hortum sibi excoleret : uenerunt nocte qui olera raperent : et inuenientes ibi sarcula nocte tota luna lucente laborauerunt . Videbantur autem eis : quod furtum facerent . Illi autem mane inuenti sunt laborantes : Quos cum uidisset sanctus Felix dicit eis : Adiuuet uos dominus filioli . Illi autem se mittentes ad pedes

eius confessi sunt : quid uoti eorum fuisset : et quid dominus procurasset . factum est autem deinceps : ut ueniret sanctus Felix ad templum : quod in uicino erat : in quo diuinus esse dicebatur Appollo dæmon paganorum : Et uidens populum Intrantem : dixit eis : si uere diuinus est Appollo : dicat mihi : quid ego manu clausa retineo . Erat autem in manu eius euangelium breue : in quo erat scriptura orationis dominicæ : et cum non posset ullus indicare nec sacerdos nec uates || eorum minister Apollinis : dixit ad eos sanctus Felix : Miseri quid erratis . Dicite mihi quid uobis præstat Apollo iste : ut eum collatis : Qui dixerunt furta detegit : et diuinat : si quis alicuius læsionis quærit articulum . Quibus sanctus Felix dixit : Hæc a domino Iesu christo melius consequemini : Sed in huius Apollinis deiectione non tristemini . Ego enim ei impero : ut ultra non audeat dare uobis responsa . Videntes autem pagani : quod nullum eis daret responsum : sed magis a sancto Felice in omnibus mirabilia fieri : Cæcos illuminari : dæmonia efugari : uariis langoribus detentos curari : atque uicinos morti per eius orationes ad uitam restitui . proicerunt simulacrum Apollinis in pauimento : et in eodem loco oratorium fabricantes : uniuersi crediderunt domino nostro Iesu christo . Superuixit autem beatissimus Felix præsbyter in eadem ciuitate per annos duodecim . Quicumque uero ibidem ueniebat ex paganis aut Christum exinde rapere conaretur : et in iudicium efferret statim a dæmonio replebatur : Cumque Christo credidisset : a sancto Felice mundatus deo gratias referens : christianus abscedebat : qui paganus aduenerat . post duodecim uero dies : ipsa die dominica confectis mysteriis : dansque pacem uniuerso populo : proiiciensque se in pauimento et orans perrexit ad dominum Iesum christum : qui uiuit et regnat cum deo patre in unitate spiritus sancti per immortalia sæcula sæculorum amen .

PASSIO SANCTORVM MARTYRVM FIRMI ET RVSTICI .

Regnante impiisimo Maximiano imperatore in ciuitate mediolanensi : facta est persecutio ingens christianorum . Erat quidam uir nomine Firmus bergomas et hic erat nobili genere natus notissimus imperatori . Substantia autem eius erat copiosa ualde : In orationibus et ieiunus† die noctuque Christum precabatur et distrubuebat† quottidie substantiam suam pauperibus : et hospitio recipiebat eos : qui persecutionem patiebantur . Tunc nunciauerunt imperatori dicentes : Piissime imperator Firmus christianus effectus est : et blasphemat deos nostros : et | dicit eos dæmonia esse . Audiens hæc imperator : misit Questorem suum cum militibus : ut conpræhenderent eum . Cum autem peruenissent ad locum : qui misi fuerant : inuenerunt eum sedentem in uiridiario suo : legebatque ubi dicit dominus in sancto euangelio : Si quis dereliquerit domum aut agros aut uxorem aut filios uel filias propter nomen meum : centuplum accipiet : et uitam æternam possidebit . Tunc milites qui uenerant ad eum : audientes eum legentem intrauerunt in uiridiarium eius : et tenuerunt : iniuriisque eum afficientes eduxerunt foras : et uinculis alligatum ducebant ad mediolanensium ciuitatem . Cum autem abissent non longe a uila sua : uenit obuiam eis quidam uir nomine Rusticus : qui erat ex parentella et ipse christianissimus : Et cum uidisset uincula in manibus et in collo eius : cœpit flære dicens : Libenti animo tecum moriar : et sequebatur eum . Tunc dixerunt milites ad eum : Nunquid et tu in hac magia perseueras : qui sic ploras post nos ? Cui respondit : Non sicut dicitis in magia sed christianus sum ego : et paratus sum in his uinculis alligari : et omnia pati propter eum : qui pro nobis passus est . Quæstor dixit : Et quis pro uobis passus est ? responderunt ambo : et dixerunt dominus noster Iesus Christus filius dei uiui : cui nos seruimus . Quæstor dixit : modo uidebimus : si christus uester liberabit uos de manibus imperatoris : Et alligauerunt eos : et imposuerunt sarcinas super eos . Tunc dixit beatus Firmus : confirma hoc deus : quod operaris in nobis . Et ibant ambo psallentes et dicentes : deduc nos domine in uiam tuam : et ambulabimus in ueritate tua . Et iterum : Ecce quam bonum et quam iucundum habitare fratres in unum . Alia uero die ingressi sunt in urbem mediolanensem : et nunciauerunt Imperatori : quod adessent : et quomodo obuiasset eis Rusticus : uel qualiter se christianum profiteretur dicens : dulce sibi pro christo mori : et quomodo eum uinctum perduxerunt . Tunc Maximianus iussit eos in custo-

diam mitti apud Anolinum consiliarium suum . Alia uero die præcepit sibi tribunal in hippodromo circi præparari : et iussit sanctos Firmum et Rusticum in conspectu suo adduci : Qui cum adducti fuissent : interrogauit eos di || cens : Quos deos habetis ? Responderunt sancti martyres : et dixerunt : Nos plures deos non habemus : sed est unus et uerus : qui fecit cælum et terram mare et omnia quæ in eis sunt . huic nos Christo seruimus . Imperator dixit : uere dico uobis : conuertimini ad me : et sacrificate deo Saturno et Apollini : et liberi eritis nobiles sicut et parentes uestri . Nam per deos et salutem meam et statum rei publicæ romanæ faciam uos ad experimentum omnibus hominibus deuenire : si sacrificare nolueritis . Sancti martyres una uoce responderunt : fac quod facturus es : quia scias nos non adorare simulacra manu facta surda et muta sine sensu absque uisu absque gressu nec minas tuas pertimescimus : quia terrena sunt sicut et regnum tuum terrenum et corruptibile et perditum est : Sed habemus saluatorem dominnm† nostrum Iesum christum in cælis . Ipsum timemus . Ipsum adoramus . Ipsi nos metipsos sacrificium laudis offerimus . Tunc indignatus Imperator eo quod sic ei respondissent : iussit fustes adduci et nudos eos extendi : et quinque terniones super eos transire : et dicere eis : Sacrificate diis : quos Imperator adorat . cum autem essent in pœnis positi una uoce dixerunt : Adiuua nos deus salutaris : et propter honorem nominis tui domine libera nos : ne quando dicant gentes : ubi est deus eorum : Cumque fuissent cæsi : iussit erigi et dixit ad eos : Ecce dabo uobis quodcumque a me postulaueritis : et primi in regno meo eritis . tantum recedite ab hac uana superstitione : et sacrificate diis immortalibus : quos adorauerunt patres nostri ab initio . Tunc beatissimi martyres responderunt : Nos præmia a uobis non accipimus sed a domino nostro Iesu Christo quottidie accipimus fortitudinem . Nam si scires O Imperator : qui esset Christus : non tu ex tuo ore talia proferres : sed crederes ei . Nam dii quibus credis dæmonia sunt : Et omnes qui sacrificant illis cum eis ibunt in ignem æternum . Tunc indignatus Imperator iussit eos in custodia recludi : et pedes eorum in cippo extendi . Anolinus uero profecturus erat de mediolanensium ciuitate in partes uenetiarum . Misit itaque ad eos in carcere dicens : Homines insanissimi et crudelissimi cum sitis nobiles excogitastis de ui | ta uestra : et non uultis sacrificare diis . Per deos et per slautem† Imperatoris quia multa genera tormentorum uobis præparantur : quibus subiacebitis : si sacrificare nolueritis . Tunc beatissimi martyres responderunt ad eos : qui missi fuerant ad cercerem† dicentes : ite dicite Anolino : tormenta quæ nobis præparatis terrena sunt . maiora uobis præparantur a domino nostro Iesu christo in die iusti iudicii . Tunc indignatus Anolinus dixit Imperatori : Iube eos mihi tradi in potestatem : et ego faciam sacrificare diis immortalibus . Tunc iussit Imperator educi eos de carcere : et dixit ad eos : Quid tractastis circa salutem uestram : si fortasse cogitastis de uita uestra? Beati uero martyres responderunt : Salus et uita nostra Christus est : cuius spiritu nutrimur . Tunc tradidit eos Anolino consiliario suo dicens : Nisi sacrificauerint diis meis : diuersis pœnis eos interfice . Profecturus igitur erat Anolinus de mediolanensium ciuitate in partes uenetiarum : et iussit ministris suis : ut alligarent sanctum Firmum et sanctum Rusticum : perducerentque eos in ueronensium ciuitatem : et præcepit : ut neque panem neque aquam gustarent . Tertia uero die ingressi sunt in ciuitatem Veronæ . Tradiderunt eos milites Cancario qui erat uicarius ciuitatis ueronensis : et dixerunt ei secundum præceptum Anolini : ut neque panem neque aquam daret eis : donec ipse ueniret . Cancarius uero suscepit eos intra domum suam : et misit eos in cellulam secretarii . Circa mediam uero noctem audiuit terræ motum et uoces psallentium in cellula dicentium : Fac nobiscum domine signum in bonum : ut uideant qui nos oderunt : et confundantur . Statim cucurrit Cancarius ad fenestram : et lumen magnum in cellula uidit : et mensam ante eos positam omnium deliciarum plenam . Ab odore autem uel splendore factus est uelut mortuus . Tunc accessit ad eum beatus Firmus : et tetigit eum dicens : Surge : et noli timere . Statim surrexit : et interrogauit eos : quæ causa esset eorum . At illi indicauerunt ei omnia : quæ oportebat eos pati pro christo . Tunc Cancarius uicarius credidit cum tota domo sua . Post dies sex uero ingressus est Anolinus ueronensium ciuitatem : Et iussit ut præco clamaret : ut omnes adessent in crastino ad spe || ctaculum . Audiens hæc beatissimus sacerdos dei Proculus episcopus qui propter metum paganorum cum paucis christianis non longe a muro ciuitatis in monasterio suo latitabat : eo quod

Anolinus aduenisset : uel quod sanctos dei cognouisset audiendos : eadem nocte in oratione peruigilans precatur deum : ut mereatur in consortio martyrum coniungi . Et consurgens mane indicans christianis suis : quod ad ciuitatem uelit ambulare : ut uideret sanctos martyres Christi : Cumque uenisset domum Cancarii : ubi erant sanctus Firmus et sanstus† Rusticus : coniungens se eis sanctus osculatus est eos : et dixit : Bene huc uenistis fratres . confortamini ergo in domino deo nostro Iesu Christo : et suscipite me uobiscum in hunc agonem . Desydero enim uobis fieri consors : ut sit nobis una uoluntas et unum certamen pro domino nostro Iesu Christo : ut mereamur in gloria eius intrare : et benedicere nomen ipsius Et dixerunt pariter : amen . Anolinus uero præcepit ministris suis : ut ei sanctos martyres repræsentarent . Illi autem secundum uisionem uenerunt ad domum Cancarii : ubi erant sancti martyres : et inuenerunt cum eis sedentem beatum Proculum episcopum et dicunt ad eum : Quid sibi uult senex cum istis : qui nunc condempnandi sunt ? beatissimus uero Proculus episcopus dixit eis . Non sunt condempnandi sed a domino nostro Iesu Christo coronandi sunt . Atque utinam et ego merear eorum consortio coniungi : quia et ego christianus sum . Et porrigens eis manus suas rogauit eos : ut se cum eis alligarent . Illi uero ligauerunt eum . Sedente autem Anolino pro tribunali : conuenit omnis multitudo ad spectaculum : et iussit sanctos martyres in conspectum suum adduci . Cum autem adducti fuissent : beatus Proculus uinctis retrorsum manibus præcedens stetit ante Anolinum . Requirens itaque Anolinus ministros suos : quis esset : qui cum illis uinctus adductus est . Illi autem dixerunt ei omnia uerba eius : et qualiter se sponte sua cum illis rogauit alligari . Tunc Anolinus dixit : non intelligitis : quia iam præ senectute delirat . Et soluentes eum ministri iniuriis illum affecerunt : ita ut palmas in faciem eius darent : et sic extra ciuitatem eum : eiecerunt . Illæ autem tristis regressus est pro eo quod a sanctis martyribus fuisset seperatus | Et uenit ad suos indicans eis : quæ acta fuerant . Anolinus uero sedens pro tribunali dixit ad sanctos martyres . Sacrificate nunc diis immortalibus Ioui . Iunoni . Saturno : et Apollini : quos omnes adorant : et quibus Imperator ceruicem suam flectit . Beati autem martyres responderunt : Non sacrificamus dæmoniis : quia scriptum est : similes illis fiant : qui faciunt ea : et omnes qui confidunt in eis . Tunc iussit Anolinus sterni testas in lapidibus et ibidem uolutari sanctos martyres . Cum autem uolutarentur : statim fumus factus est sicut nebula super eos : ita ut uiderentur testæ ab hominibus quasi fauilla de fornace . Et tremor appræhendit omnes : qui aderant ibi . Sancti uero martyres dei stabant illæsi : et in nulla parte contaminati sunt . Tunc expanderunt manus suas ad cælum : et dixerunt : Gratias tibi agimus domine Iesu Christe fili dei uiui : qui misisti angelum tuum sanctum : et eripuisti nos de pœnis istis et plagis : quas exercuit in nos impiissimus Maximianus et Anolinus minister diaboli : unguento tuæ misericordiæ unxisti nos . Tunc omnes cœperunt in stupore esse . Alii uero qui aduenerant dicebant : quia uere magnus est deus christianorum . Populus uero clamabat : tolle magos tolle maleficos : ne filios nostros seducant aduersum nos . Tunc iussit Anolinus ignem copiosum accendi : et iactari eos in mediam flammam dicens : uidebo si adhuc magia uestra prævalebit : Cumque fuisset factum : iussit eos in mediam flammam mitti . Sancti uero martyres dei facto signaculo christi iactati sunt in medium flamæ . Et statim diuisa est inter eos et qui eam accenderant : Sanctis uero dei non est exustus capillus capitis eorum . Tunc una uoce dixerunt : Benedictus deus Israel : et fecit redemptionem plebis suæ . Tunc omnes populi dixerunt ad Anolinum : Quid hoc fecisti : ut adduceres illos magos hic et ciuitas ueronensis in perditione est . Sed tolle eos a nobis . Tunc iussit : ut ducerentur extra ciuitatem : fustibus mactarentur : et sic eorum capita absciderent : Et ita fecerunt ministri : sicut præcepit eis Anolinus . Tunc decollati sunt sancti martyres dei Firmus et Rusticus extra muros ciuitatis ueronensis super ripa fluminis sub Maximiano Imperatore || et Anolino consiliario eius sub die quinto idus augustas . Iussit itaque Anolinus ut omnia gesta christianorum adducerentur ante eum et fecit ea comburi ante se dicens : Quicumque legerit ea : in errorem ueniet : sicut et illi fuerunt : et uenerabuntur eorum sepulchra magis quam templa deorum : qui ab initio sunt : et iussit ut nemo sepelliret corpora eorum ut bestiæ aut canes deuorarent ea . abiit uero Cancarius cum duobus Cancariis beati Firmi : qui uenerant de bergomensi ciuitate uidere eiectum : ut uigilarent nocte : et custodirent corpora eorum : et posuerunt se

super lectulum : et flæntes dixerunt : Væ populo habitanti in hac ciuitate a peccatis eorum . Et ibant psallentes et dicentes : beatus quem elegisti : et assumpsisti in habitabit in tabernaculis tuis . Tunc abierunt post eos Cancarius uicarius et duo cognati beati Firmi : et uenerunt nauigio : et imposuerunt corpora sanctorum et abierunt : et ultra non comparuerunt eis . Tunc regressi sunt in ciuitatem ueronensem Cancarius et illi duo cognati beati Firmi : Et cognouerunt : quod uere magnus est deus christianorum . Crediderunt enim in domino : et baptizati sunt in nomine patris et fili† et spiritussancti . acta sunt hæc sub Maximiano impiissimo imperatore et Anolino consiliario eius . Regnante domino nostro Iesu Christo : cui est honor et gloria in sæcula sæculorum .

PASSIO BEATISSIMORVM MARTYRVM FELICIS ET FORTVNATI .

Dioclitiano et Maximiano imperatoribus anno duodecimo exiit edictum eorum propositum per uniuersas ciuitates a principibus et magistratibus : ut ubi christiani inuenti fuissent : diuersis pœnis interficerentur . Solicite autem per omnem orbem terrarum christiani requirebantur : et constituerunt : ut si forsitan aliquis compararet aut uænumdaret : primum idolis immolaret . Si quis autem inuentum christianum celasset : ipse primum puniretur . Eodem uero tempore directus est ab imperatoribus in urbem Romam Apollinarius præfectus : et ipse per omnem Italiæ prouinciam præsides uel magistratus et iudices ordinauit . Apud ciuitatem Aquilegiam | contigit : ut præses constitutueretur† Euphemianus impiissimus : qui longe sæuissimus in christianos esse uidebatur : Cumque uenisset apud ciuitatem aquilegensem in templum Iouis ingressus immundas hostias obtulit . præco uero per omnem ciuitatem uoce magna proclamabat ut omnes uenirent cum hostiis ad capitolium Iouis . Cumque edictum per plateas posuissent uniuersi amici christianos amicos tradebant . Quidam autem ex officio præsidis Apamius nomine suggessit præsidi dicens : Deuenerunt huc apud nostram ciuitatem quidam germani fratres : qui se christianos profitentur . Tunc præses ex officio suo mittit : ut dei cultores ferro uinctos per omne corpus ad suum auditorium perducerent . Cum autem uenissent in tabernaculum : ubi commorabantur : inuenerunt eos orantes ad dominum : et dicentes : Domine refugium factus es nobis a generatione et progenie . Ante quam montes fierent aut firmaretur terra a sæculo et usque in sæculum tu es domine . Tunc prior officii qui erat compræhendit eos : et ferro uinctos collo et manibus perduxit in conspectum præsidis . Tunc sanctus Felix facto signaculo Christi in fronte percutiens pectus suum intra se orabat . Præses dixit : Edicite nomina : quibus sanctus Felix dixit : Ego Felix uocor frater uero meus Fortunatus christiani sumus . Præses dixit : de hac ciuitate oriundi estis : aut forte peregre huc uenistis ? Sanctus Felix respondit : Hinc sumus de uicino loco non longe ab hac ciuitate : sed uidentes uos uana et immunda idola colere dimisimus loca nostra uolentes magis cum feris habitare in syluis quam uobiscum : qui inania committitis et sacrificatis dæmoniis . Fuphemius† præses dixit : Non audistis quæ præcepta suut† a piissimis principibus : ut si qui Christum colere inuenti fuerint : diuersis pœnis puniantur . Sanctus Felix dixit : Audiant principum iussa qui sunt similes his : et illis militent : Nos autem qui habemus regem in cælo nihil nobis cum ministris Sathanæ . Hæc audiens præses iussit eos extendi : et a uiris fortissimis fustibus cædi : Cumque cæderentur quasi ex uno ore ita ad dominum orationem proclamabant : Domine Iesu Christe gloria pietatis tuæ quoniam in nobis perfecisti quæ locucus† est spiritus sanctus per os pueri tui Dauid dicens : Ecce quam bonum || et quam iucundum habitare fratres in unum : precamur te domine : ut digneris nos in hac uocatione qua nos uocare iussisti perseuerare ad laudem nominis tui : et ad confirmanda corda in te credentium : ut cognoscant omnes idolis seruientes : quoniam non est alius deus præter te : cui angeli seruiunt . Euphemius dixit : Nescitis : quia domini Imperatores de nomine Christi uestri multum irascuntur ? Sanctus Felix respondit : et si irascuntur : Nunquid Christo seruientibus aliquid possunt præualere ?

quantum uos irascimini in sæuitia tanto magis nos exaltamur in gloria . Hoc audiens præses surrisit dicens : miserrimi modo præcido ceruices uestras : quæ gloria est uobis ? Sanctus Fortunatus respondit : Gloria quam expectamus a domino deo nostro spiritalis est non de hoc mundo : quia iste mundus transit et gloria eius : Nam illa gloria quam præparat credentibus in eum sempiterna est . Nam quid estis uos aut quid principes uestri ? Sic enim est uestra gloria apud nos : ut fumus in nimia tempestate . Audiens hæc præses iratus uæhementer iussit eos in eculeo suspendi : et lampades ardentes ad latera eorum poni . Cum hoc factum fuisset : sanctus Felix et Fortunatus hymnum deo cantabant dicentes : Domine rex sanctorum cælorum dirige archangelum Michaelem ad auxilium nobis : et confundantur omnes : qui adorant sculptilia . Hæc eis orantibus lampades extinctæ sunt : et exclamauerunt dicentes : Laqueus contritus est : et nos saluati sumus . adiutorium nostrum in nomine domini : qui fecit cælum et terram . Euphemius præses dixit : Ecce ista sunt uana uerba : de quibus extollimini . Accedite : et sacrificate deo magno Ioui : per quem potestis salutem promereri . Sanctus Felix respondit : Tu ipsius salutem promerearis : nam salus nostra Christus est : dii enim uestri seipsos saluare non possunt . si comminuti fuerint : quomodo alicui salutem præstare poterunt ? Audiens hæc Euphemius iussit oleum ualde calidum extensis eis in supinum in uentrem eorum perfundi : Cumque hoc factum fuisset : sanctus Felis† et Fortunatus dixerunt : Vere per nomen domini nostri Iesu christi pro quo hoc patimur : quia nihil caloris sentimus : sed potius refrigerium nobis præstitisti . Eleuantibus autem eos cum multa iracundia : præses ini | quitatis iussit plumbatis maxillas eorum contnndi† dicens : iniurias deorum ex ore quo procedunt oportet puniri . Sanctus autem Fortunatus dixit : Impiissime diaboli minister excogita adhuc nequissimam pœnam : quam nobis inferas : nam domino deo auxiliante nobis nihilo tormentorum possumus terreri : quia præsto est angelus domini : qui omnia membra nostra confortat . Quidam autem ex consiliariis præsidi dixit : Domine hæc omnia isti inimici deorum immortalium pro laude sibi habere uidentur : sed iube eis capitalem dictari sententiam . Tunc præses iussit capita eorum amputari : Et ducentes eos ministri foras ciuitatem iuxta fluuium qui est secus ciuitatem aquilegensem : ubi flexis genibus orantes dominum dixerunt : Gratias tibi agimus domine Iesu christe : quia non nos despexisti nec agonem nostrum : sed sicut ex uno utero enixi sumus : ita in uno agone martyrii percurrimus . Oramus : et petimus : ut ita nos permittas ingredi portas paradisi : ubi sunt omnes : qui pro tuo nomine de hoc sæculo cum martyrii palma ad tuam gloriam peruenerunt . hæc eis orantibus porrigentibusque sibi inuicem osculum sanctum et orationem dominicam coram omnibus dicentibus accessit spiculator : et singulorum capita seperauit . Relinquentes eos ministri abierunt . Nocte autem uenerunt uiri religiosi ciuitatis cum linteaminibus : et aromatibus : et condierunt corpora eorum occulte : superuenientibusque eo prouincialibus illorum uolentibus corpora eorum ad suam patriam perducere : ciues aquilegenses non eos permittebant . Et dum diu inter eos esset contentio : metuentes propter paganorum sæuitiam ex dei nutu hoc inter se ordinauerunt : ut unum tenerent apud semetipsos : et alium ciuitati Vicentiæ relaxarent . Passi autem sunt martyrium sancti dei Felix et Fortunatus martyres sub die quarto decimo mensis maii . Regnante domino nostro Iesu christo : cui est honor et gloria in sæcula sæculorum amen .

PASSIO SANCTI FLORIANI MARTYRIS .

Cum præcepta Imperatorum de persecutione christianorum apud Notum ripensem delata essent : Aqui || linus præses cœpit christianos uehementer inquirere . Sancti autem Florentius et Florianus obuiantes quibusdam olim sibi mundanæ militiæ sociis dixerunt : O fratres et commilitones cur alios quæritis ? Euntes nunciate præsidi : quia christiani sumus : et locum etiam designate : in quo commoramur . Crudelitatis ergo ministri appræhendentes eos duxerunt ad præsidem : qui ab eo moniti : ut idolis sacrificarent . Responderunt : iussioni tuæ paruissimæ quantum decet militamus . hoc tamen nemo nobis suadebit : ut dæmonibus sacrificemus . Tunc præses uæhementer iratus iussit eos fustibus cædi : et scapulas eorum acuto ferro constringi .

Illis ergo in confessione Christi et gratiarum actione permanentibus : uidens præses se superatum eos iussit duci ad flumen nomine Aliesum : et de ponte in illud præcipitari quarto calendas Maii : Cumque uincti ducerentur a militibus : uenerunt subtus quandam arborem : ubi ab itinere fatigati residentes pariter dormierunt omnes . Tunc angelus domini per uisum apparuit beato Florentio dicens : Frater Florenti non est tibi data corona martyrii : sed consors eris confessorum . Igitur surge : et perge ad partes Galliarum : et ibi ostendam tibi locum habitationis tuæ , futurum est autem : ut in ciuitate Thuronica a beato Martino accipias ordinationem . Illo expergefacto dissoluta sunt uincula eius . Tunc cautius beatum Florianum uocans narrauit ei uisum : et abiit . Sanctus autem Florianus exultans cum peruenisset ad pontem : unde præcipitari iussus fuerat : ligauerunt lapidem ad collum eius : quo in profundum demergeretur . Tunc deuote cœpit rogare milites : ut orandi spatium aliquantulum sibi concederent : Cumque orasset quasi unius horæ spatio tandem præcipitauerunt eum : et statim crepuerunt oculi eorum . fluuius autem martyrem Christi suscipiens expauit : eleuatisque undis suis in quoddam eminentiore loco super quoddam saxum corpus eius deposuit : diuino quoque annuente fauore aquila adueniens idem corpus cœpit alis suis admodum protegere . Ipse autem sanctus manifestauit se cuidam fœminæ deo deuotæ certis eius locum designans indiciis : ut traderet illud sepulturæ : quod et factum est . ibi cæci illuminantur . dæmones | eiiciuntur et uariis morbis compræhensi sanantur .

PASSIO SANCTAE FELICITATIS CVM SEPTEM EIVS FILIIS .

Temporibus Antonii imperatoris Felicitas illustris fœmina cum septem filiis suis christianissimis tenta est : quæ in uiduitate permanens deo suam nouerat† castitatem : Et die noctuque orationi uacans magnam de se ædificationem castis mentibus dabat . Hanc itaque pontifices templorum accusauerunt apud Augustum dicentes : Contra salutem nostram hæc mulier uidua cum filiis suis diis nostris insultat : Quæ si non uenerata fuerit deos : sciat uestra pietas : eos sic irasci : ut penitus placari non possint . Tunc Imperator iniunxit præfecto urbis Publio : ut eam cum filiis compelleret deorum suorum iras sacrificiis mitigare . Publius itaque iussit eam priuatim adduci : et blando colloquio ad sacrificium prouocans minabatur pœnarum interitum : Cui Felicitas dixit : Nec bladimentis† tuis resolui potero : nec terroribus tuis frangi . Habeo enim spiritum sanctum : qui me non permittet a diabolo uinci : Ideo secura sum : quod te uiua superabo : Et si interfecta fuero : melius te uincam occisa . Publius dixit : Misera si tibi suaue est mori : uel filios tuos fac uiuere . Felicitas respondit : Viuent filii mei : si non sacrificauerint idolis . Si uero tantum scelus admiserint : in æternum ibunt incendium . Alia itaque die sedens in foro Martis iussit eam adduci cum filiis suis : cui et dixit : Misericordia tua impietas est : et exhortatio tua crudelitas . Et conuersa ad filios dixit : Videte filii cælum : et sursum aspicite : Ibi uos expectat Christus cum sanctis suis : Pugnate pro animabus uestris : et fideles uos exhibete in amore Christi . Audiens hæc Publius iussit eam alapis cædi di ens† : Ausa es præsente me ista monita dare : ut dominorum nostrorum statuta contempnant ? Tunc uocat primum filium eius nomine Ianuarium : et infinita illi promittebat bona præsentia : et mala uerberum comminatus est : si sacrificare idolis contempsisset . Ianuarius respondit : Stulta suades . sapientia enim domini me conseruat : ‖ et faciet me omnia hæc superare . Statim iussit eum iudex uirgis cædi : et in carcerem recipi . Secundo uero filium eius Felicem adduci . Tertio quoque tertium nomine Philipum , quarto Syluanum . quinto Alexandrum . sexto Vitalem . septimo Marcialem . Sicque singulis singilatim interrogatis ac singulorum auditis fidelibus responsis : omnia eorum gesta scripta per ordinem Antonino ingessit : Qui misit eos per uarios iudices : ut uariis suppliciis laniarentur : Ex quibus iudex unus fratrem primum plumbatis occidit . Alter secundum et tertium fustibus mactauit . Alius quartum præcipitio interemit . alius quintum et sextum ac septimum capitalem sententiam subire fecit . Matrem quoque earum† capite truncari iussit : et sic eos uariis suppliciis interemit .

PASSIO SANCTI FLOCELLI PVERI MARTYRIS .

Temporibus Antonini passus est sanctus puer Flocellus sub Valeriano præside . Nam cum christianos in fide confortaret dicens : nolite timere : a præside iussus est in eculeo suspendi : et uehementer flagellari . Deinde in carcerem cum leone deuorandus mitti . sed illo orante Leo cecidit et mortuus est . Apparueruntque ibi candelabra septem lucidissima cum odore incensi : et esca domini refectus est . Audiens hoc quidam de ciuitate qui habebat filium cæcum surdum et mutum : intellexit esse apud eum gratiam dei : et ueniens ad hostium carceris rogauit eum cum lachrymis ut pro puero oraret : Qui ait crede in eum in quem christiani credunt et sanabitur . Tunc ille se credere confessus est : et orante Flocello puer sanatus est . Apparitores autem a præside missi ad carcerem ut uiderent si a leone Flocellus deuoratus fuisset : uiderunt luminaria et leonem mortuum : et audierunt sanctum psallentem . Quod cum renuntiassent præsidi : Is ait : O Flocelle quam præualent maleficia tua . Et præcepit rogum magnum extra ciuitatem fieri : Eumque cremandum duci . Qui cum oraret facta est uox de cælo confortans eum . Properantibus ergo eis ad ignem . semper ab | angelo dextro sanctus dei protegebatur . Et cum proiectus in medio ignis iaceret : illico tempestas ualida de cælo ueniens ignem extinxit : ipsumque angelus illæsum ab igne liberauit . Post hæc uocatus maleficus in palmis et lingua eius clauos confixit . Tandem Imperatori præsentatus Antonino uestibus spoliatus et stola linea indutus foras in plateam traditus est quinto decimo calendas octobres .

PASSIO SANCTI FELICIS PONTIFICIS ET MARTYRIS .

Fuit temporibus Constantini magni principis usque ad Constantium Liberius papa urbis Romæ : qui tertio exilio deportatus est a Constantio eo quod minime uoluisset hæresi arrhyane consentire : et fecit in exilio annos tres : Et deinde congregantes se sacerdotes cum uniuerso clero romano : ordinauerunt in loco eius Felicem præsbyterum urbis episcopum uenerabilem uirum : fecitque concilium idem Felix : et inuenit duos præsbyteros romanos consentientes Constantio Augusto arrhyano nomine Vrsacium et Valentem : et damnauit eos in concilio coram quadraginta et octo episcopis : qui congregati fuerunt . Hic declarauit Constantium filium Constantini Augusti hæreticum : et secundo rebaptizatum ab Eusebio nicomediensi : iuxta Nichomediam in aquilonali uilla : Et pro hoc declarato eiicitur sanctissimus Felix de episcopatu suo : a Constantio Augusto filio Constantini Augusti . Hic fecit basilicam uia aurelia cum præsbyterii honore fungeretur : et in eadem basilica emit agrum circa locum quem obtulit ecclesiæ : quam fecit . Post paucos autem dies zelo ducti Vrsacius et ualens præsbyteri rogauerunt Constantium Augustum : ut reuocaret Liberium papam de exilio : ut una tantummodo comunione participaret excepta rebaptizatura . Tunc missa auctoritate per Catulinum agentem in rebus et simul Vrsacium et Valentem : uenerunt ad Liberium papam urbis Romæ . Qui Liberius consensit præceptis Augusti : ut in unam participationem conuenirent communionis . Tunc reuocauerunt Liberum† de exilio . rediens autem papa : habitauit in cimiterio sanctæ Agnetis marty || ris apud Germanam Constantii constantiam augustam : ut quasi per eius interuentionem rogatus : rediret liberius in ciuitatem Romanam . Tunc constantia augusta quæ fidelis erat in domino Iesu christo : noluit rogare Constantium augustum Germanum suum : eo quod senserat consilium eius : Eodem autem tempore Constantius augustus una cum Vrsacio et Valente conuocauerunt aliquos : qui ex fide arrhyana erant : et miserunt et reuocarunt Liberium papam de cimiterio sanctæ Agnetis martyris : et Ingressus est Romam . In ipsa autem hora Constantius augustus fecit concilium cum hæreticis : simul etiam cum Vrsacio et Valente : et eiecit sanctum Felicem urbis episcopum de episcopatu suo : qui erat catholicus et timens deum et iustus homo : et reuocauit Liberium in uicem suam . Ab eodem uero die fuit persecutio magna in clero : ita ut

intra ecclesiam præsbyteri et clerici necarentur : et martyrio coronarentur : Quo depositus est sanctus ac beatissimus papa Felix de episcopatu suo : et habitauit in prædiolo suo : qui est uia portuense : et leuatus exinde et ductus in ciuitatem Corauam : passus est ibi capite truncato : et martyrio coronatus quarto idus nouembris : Ex inde raptum est corpus eius a præsbyteris et clericis et sepultum in basilica : quam ipse construxerat uia aurelia quintodecimo calendas decembres milliario secundo : cuius natalicium celebratur Quarto calendas augustas ad laudem et gloriam nominus[†] dei usque in præsentem diem : cui est honor et gloria in sæcula sæculorum .

PASSIO SANCTORVM FELICIS ET ADAVCTI MARTYRVM .

Romæ uia Ostiensi milliario secundo ab urbe sub Dioclitiano et Maximiano imperatoribus præfecto et iudice Draco fuerunt duo fratres nomine et opere Felices ambo præsbyteri . Horum senior ex iussione Imperatorum cum ad secretarium iudicis esset perductus iuxta templum Serapis dum cogeretur ad sacrificandum exufla | uit in faciem statue æreæ : et statim cecidit . Item ductus ad Mercurii statuam in ædiculam aliam : simili modo illam exuflauit : et corruit . Item ad simulacrum Dianæ : quod pari modo deiecit . Reductus ad præfectum imponitur eculeo : inquisitusque quibus hoc fecisset maleficiis : beatus Felix respondit : Non maleficiis diaboli sed beneficiis omnipotentis dei mei hoc egi . Furore itaque accensus præfectus iussit eum duci extra urbem uia ostiensi : quia illic arbor excellentissima stabat dæmonibus consecrata iuxta quam erat templum : ut ibi ad sacrificandum impelleretur : quo perductus : oratione facta : dixit ad arborem : Præcipio tibi in nomine domini mei Iesu christi : ut radicitus corruas : et templum ac simulacrum uel aram eius funditus comminuas : ut amplius cultu tuo animæ non decipiantur : quæ statim ad uerbum ipsius ita uersa est : ut et templum et simulacrum comminueret : et quod fuerat : non appareret . quod ubi nuntiatum fuisset præfecto : statim iussit eum decollari et c rpus[†] eius in humatum lupis et canibus derelinqui . lata sententia obuius ei fuit quidam uir christianus hominibus quidem absconsus deo autem manifestus : hic cum didicisset : beatum Felicem duci iussum esse : cœpit clamare : et dicere : Et ego ex eadem lege sum : et ipsum : quem hic præsbyter sanctus confitetur : dominum Iesum christum colo . Mox et ipse ab officio præfecti compræhensus pariter dato sibi osculo cum beato Felice decollatus est . Huius nomen : quia non inuenerunt christiani : post modum Adauctum eum appellauerunt : quod sancto martyri Felici auctus sit ad coronam : ipsique pro fidei sue confessione corona martyrii aucta sit Christiani itaque hos inuenientes ibi in eodem loco ubi arbor steterat : quæ cadens nimiam terræ altitudinem aperuerat : eos sepelierunt : Quorum corpora uolentes pagani exinde effodere : cum manus apposuerunt : a diabolo correpti sunt . Vbi postea pacis tempore basilica fabricata est : et martyrum memoria digne exculta . Compleuerunt autem martyrium suum tertio calendas septembres . Ad laudem et gloriam domini nostri Iesu christi : qui cum patre et spiritu sancto uiuit et regnat in sæcula ||

PASSIO SANCTORVM FRVCTVOSI . AVGVRII ET EVGOLII[†] MARTYRVM .

Temporibus Hæmyliani imperatoris Fructuosus episcopus . Augurius : et Eulogius diacones in die dominico compræhensi sunt . Reposito deinde Fructuoso in cubiculo cum suis diaconibus : duxerunt beneficiarii in domum eiusdem uiros nobiles : hi sunt Aurelius : Festucius : Helbius et Pollentius . cumque pedum ipsorum sensissent ingressus : confestim surrexerunt : sed prodidit eos in solium . Tunc milites dixerunt ad sanctum Fructuosum : Veni : præses te accerssiri iussit cum tuis diaconibus : quibus fructuosus episcopus dixit : Eamus : aut si uultis calciabo me : Cui milites dixerunt : Calcia ad animum tuum : Moxque ut peruenerunt : recepti sunt in carcere .

Fructuosus autem gaudens et certus de corona domini : ad quam uocatus fuerat : orabat sine cessatione : Et socii eius ad fraternitatem cum ipso nequaquam refrigerantes rogabant : ut illos in mente haberet . Alia autem die baptizauit in carcere fratrem nostrum Rogatianum : et steterunt in carcere dies sex : et producti sunt duodecimo calendas februarias sexta feria potentiæ Hæmiliani . Tunc Hæmylianus præses dixit ad Fructuosum et ad Augurium Eulogiumque : Nescitis quid imperatores præceperunt ? Cui Fructuosus respondit : Nescimus : Nos enim christiani sumus . Hæmylianus dixit : præceperunt : deos coli : Fructuosus dixit : Ego unum deum colo : qui fecit cælum et teram : mare et omnia : quæ in eis sunt . Hæmilianus dixit : Scis excolere deos ? Fructuosus respondit : nescio . Et ille : Si contempseris sacrificare : grauissimis te puniri tormentis faciam . Tunc Fructuosus respiciens in cælum ad dominum orare cœpit intra se . Eulogius autem diaconus Hæmyliano dixit : hi dii audiuntur : hi timentur : et coluntur ? Absit . Et si dii non coluntur : nec imperatorem tuum adorabimus . Dicit ei Hæmylianus : nunquid et tu Fructuosum colis ? Eulogius diaconus dixit : Ego Fru | ctuosum non colo : sed ipsum collo : quem et Fructuosus . Et iussit eos propter sententiam suam uiuos ardere : Cumque ducerentur ad amphiteatrum : populus de fructuoso episcopo dolere cœpit : eo quod castum ac sanctum amorem habebat non tantum fratribus : sed etiam inimicis habebat : A Paulo enim appostolo hanc doctrinam acceperat : propter quod desyderabant : ut ad tantam gloriam pergeret : gaudebantque potiusquam dolebant . Igitur cum fratres ex caritate ei detulissent necessaria ad comendendum[†] : ait illis : non est hora soluendi refectionem . Ipse enim festinabat cum prophetis et martyribus in paradisum refectionem soluere . Cumque ad amphiteatrum uenisset : accessit ad eum Augustus lector eius cum flætibus rogans : ut dimitteret se discalciari : Cui beatus martyr dixit : Dimitte me fili : ego me discalciabo . qui cum se discalciaret : accessit ad eum frater noster nomine Felix : Appræhenditque dexteram eius : rogans : ut sui memor esset : Cui Fructuosus clara uoce respondit : In mente me habere neccesse est ccclesiam[†] catholicam : ab oriente usque ad occidentem diffusam . In portu amphiteatri constitutus prope ingreditur iam ad coronam immarcessibilem potiusquam ad pœnam : consolatur fratres dicens eis : Iam deerit uobis pastor : nec deficere poterit caritas nec repromissio domini tam hic quam in futuro . Hoc enim quod cernitis : unius horæ uidetur infirmitas Post ammonitionem et consolationem ingressi sunt ad salutem insignes et in ipso martyrio felices : similes Ananiæ . Azariæ : et Misaeli existentes : ut etiam in illis trinitas cerneretur : Si quidem iam in igne sæculi constitutus et pater non defuit : et filius subuenit : et spiritus sanctus in medio ignis ambulauit : Cumque exuste fuissent fasciole : a quibus manus eorum fuerant colligatæ : orationis diuinæ et solitæ consuetudinis memores gaudentes positis genibus deque resurrectione securi : insigni tropheo constituti dominum præcabantur . Post hæc domini non defuerunt magnalia : et apertum cælum uidentibus babyloniis et midonibus fratribus nostris et ex familia Hæmyliani præsidis : qui filii carnales erant : ostenderunt Fructuosum cum diaconibus suis adhuc || stipitibus suis cum quibus ligati fuerant permanentibus ascendentes coronatos : Cumque Hæmylianum uocarent dicentes : Veni et uide : quos hodie damnasti : quem admodum in cælo spei suæ constituti sunt : non fuit dignus eos uidere . Fratres autem tristes uelut derelicti sine pastore sollicitudinem substinebant . Non enim dolebant Fructuosum : sed desyderabat unusquisque fidei et agonis sui uincere certamen : Et super uenientes ad amphiteatrum cum uino festinanter peruenerunt : ut semiusta corpora extinguerent : quo facto eorumdem martyrum cinere collecto : prout quisque sibi potuit uindicauit : Sed in hoc domini et saluatoris nostri non defuerant magnalia : ut credentibus fides augeretur : et paruulis monstraretur exemplum . Oportebat enim Fructuosum martyrem quod in sæculo per misericordiam dei docendo promiserat : etiam saluatorem in sua passione et resurrectione carnis comprobare . Igitur post passionem apparuit fratribus : Et monuit : ut quod unusquisque pro caritate de cineribus usurpasset : sine mora in locum unum suas deportaret reliquias . Dicebat enim : non est digna ciuitas Terrachona nostras habere relliquias . In proximo namque est : ut a barbaris crudeliter destruatur : taliter ut nunquam in futuro reperiatur . Est enim in prouintia Italia in finibus genuensis urbis heremus iuxta mare : ubi Caputmontis dicitur : ibique nostras reliquias ferte : quia opportet ut sepulchrum obtineant . Multa enim signa et prodigia per ea faciet dominus in eo

loco . Postea uero Hæmyliano qui eos damnauerat Fructuosus ostendit se cum diaconibus suis : in stolla promissionis increpans pariter et insultans : nihil profuisse : quod frustra exuta corpora conderet : futuros quos cerneret gloriosos . Oh beatos martyres . igne probati sicut aurum pretiosum : uestiti lorica et galea salutis : qui coronati sunt diademate et corona immarcessibili : eo quod diaboli caput conculcauerunt . Oh beatos martyres qui meruerunt dignam habere habitationem in cælis ad dexteram stantes Christi : benedicentes deum patrem omnipotentem : et dominum nostrum Iesum Christum filium eius cum spiritu | sancto : qui sine fine permanet in sæcula sæculorum . Duo igitur ex fratribus Iustinus et Procopius præbyteri non post multos dies passionis supradictorum martyrum monitis eorum et iussis obtemperantes tulerunt reliquias eorum et assumpserunt secum Pantaleonem et Martialem diacones : perrexeruntque ad littus maris : ingressique in nauim nauigare cœperunt ad locum sicuti sanctus Fructuosus præceperat . Cumque biduo prosperis uentis nauigassent : Procopius et Iustinus sic alloquuntur dicentes : Ecce biduo nauigamus : sed locum ad quem pergere cupimus nescimus : quibus Iustinus præsbyter ait : Forti animo estote fratres : in proximo est : ut ostendatur nobis locus a domino : Cumque per totam illam noctem nauigassent : et incenssanter† preces domino et orationes funderent : circa gallorum cantum Iustinus præsbyter Procopio dixit : esto uigilans frater et sollicitus de nauicula : sopor enim me præmit : Cui ait Procopius dormi in pace : ego enim cum domini adiutorio euigilabo usque mane : Cumque obdormisset Iustinus præsbyter ecce Angelus domini apparuit in sompno ei dicens : Incertus est uobis locus ad quem Fructuosus episcopus uos ire præcepit . Ideo enim missus sum ad uos : ut locum quem quæritis ostendam uobis . Et ait Angelus : Mons magnus qui uobis mane prius apparuerit : ibi est locus : sed draco pestiferus moratur in ipso monte in cauernis : qui multas iam naues perdidit multaque humana corpora marinis fluctibus submersit . Ad hæc euim† missus sum a deo : ut per merita sanctorum martyrum Eructuosi† Augurii et Eugolii† : quorum reliquiæ conditæ sunt : draconem ipsum de cauerna montis eiiciam et relegam abysso : ut nullum iam penitus lædat de cætero . Vos autem cum audieritis tonitrua et fulgura uidebitis : nolite timere . Tunc enim draconem de monte ipso præcipitabo in abyssum . Mane autem cum ad eius littus peruenieritis in uallem : quæ est in medio ipsius montis descendite : Ibique eum inuenietis prope littus maris in aquilonis parte : sub uno saxo fontem uinum† manante . Supra idem namque saxum paruum est spatium : Ibique ecclesiam in ho || norem domini et memoriam martyrum construite : eorumque relliquias ibi cum omni honore et diligentia recondite . Vos autem deo inseruire studete : quousque de hoc corpore penitus exeatis . Si autem in his mandatis perseueraueritis : accipietis immarcessibilem coronam : quemadmodum et fratres uestri acceperunt : semperque cum domino gaudebitis : Cumque hoc dixisset : discessit ab eo . Statimque Iustinus a somno excitatus : omnia quæ ei ab angelo in uisione reuelata fuerunt Procopio præsbytero patefecit : Tunc prostrauerunt se in oratione : et benedixerunt deum : qui per angelum suum eos uisitare dignatus est : et non dereliquit sperantes in se . Et cum tanta esset cæli serenitas : subito coruscare cœperunt fulgura : tonitruaque mugire : et caligo tenebrosa cacumen montis obduxerat . porro coruscationes intuentes uiderunt draconem uirtute Angelica de cauerna ipsius montis eiici : et religari eumque in profundum pelagi præcipitari . Mane autem facto repererunt se in littore loco qui eis ab angelo reuelatus fuerat : et egressi de nauicula benedicentesque deum : qui saluos facit sperantes in se : cœperunt ambulare iuxta mare : inueneruntque fontem sub saxo manantem : iuxta sermonem angelicum : ascendentes uero ad uidendum spatium : tres ibi leones inuenerunt : qui iam in circuitu tanquam ecclesiam ibi construendam fundauerunt . Cumque uidissent leones seruos dei ad locum ueneintes† : Curuatis ceruicibus caudasque agitantibus : cum omni mansuetudine uenientium cœperunt pedes lingere . Tunc prostrauerunt se in oratione : benedicebantque dominum dicentes : benedictus es domine Iesu christe : qui tantam gloriam contulisti propter seruos tuos martyres : et per eos draconem in abyssum demergere præcepisti : etiam leones ferocissimas bestias illis famulari iussisti : et nos de profundo pellagi per eorum merita liberasti : sit nomen tuum deus benedictum in sæcula sæculorum . Cumque ab oratione surrexissent : Leones nusquam comparuerunt : nec amplius in eodem loco uisi sunt : Ibique in memoria domini et sanctorum martyrum ecclesiam | dedicauerunt : eorumque

relliquias ibi cum omni honore et diligentia condiderunt . Eo in loco Iustinus et Procopius præsbyteri seu præfati diacones domino militantes uitam finierunt . Dedicata est autem ecclesia sanctorum martyrum calendis maiis : regnante domino nostro Iesu christo : Cui est honor et gloria in sæcula sæculorum .

PASSIO BEATISSIMORVM FIDELIS EXANTI ET CARPOFORI MARTYRVM .

Cum Maximianus sacrilegus Imperator in urbe Mediolano resideret : iussit exercitum militum suorum a Gallorum prælio remeare in prouinciam . Tunc sanctus Eidelis† una cum commilitonibus suis Exanto et Carpophoro : qui ab ineunte ætate sub terrena militia constituti cælesti palatio refulgebant : uno consilio tulerunt se : et in comensem ciuitatem peruenerunt : dumque uenissent in locum ubi syluula uocabatur non longe ab urbe Como plus minus milliario uno : ibidem Carpophorus et Exantus demorati sunt : abscondentes se in ipsa syluula . Sanctus uero Fidelis usque ad lacum qui uocatur collerii perrexit . Et inueniens ibi nauiculam ingressus est in eam : nauigauitque per lacum . Audiens hoc Maximianus Carpophorum et Fidelem atque Exantum esse christianos fugaque lapsos fuisse : iussit fidelissimos suos post eos sequi : quibus in mandatis dedit : ut ubi eos inuenire potuissent : diuersis pœnis interficerent . Tunc persecutores cum omni festinatione currentes peruenerunt ad syluulam : ubi sanctus Carpophorus et Exantus latitabant : quia ibidem eos Christus dominus suos habebat martyres consecrare . Et dum inuenti ibidem fuissent capitali eos sententia peremerunt . Tunc ipsi persecutores peruenerunt ad ciuitatem comensem : et ingredientes nauiculam perrexerunt post sanctum Fidelem : peruenientesque ad uicum Summolacanum inuenerunt sanctum Fidelem : locutique sunt ad illum dicentes : Aut sacrifica diis : et reuertere nobiscum ad im || peratorem : aut diuersis pœnis interficieris . quibus sanctus Fidelis respondit : hic est locus : ubi iussit me Christus dominus requiescere . Nam pœnas : quas in me conamini exercere ; nihil pertimesco : quia ab infantia mea Christo domino deuota mente seruiui . Nam in militia sæculari degens : non terreno imperio militaui : sed cælesti regi obediui . Et hoc disposui ut gentiles idolis seruientes de errore ad uiam ueritatis reuocarem . Tunc frementes persecutores fustibus eum cæciderunt : et dicebant : nisi hodie sacrificaueris diis : et renuntiaueris superstitioni : quam colis : diuersis pœnis interficieris . Sanctus uero Fidelis locutus est illis dicens : Si credideritis in dominum meum Iesum christum : non solum pœnas quas in me proponitis non excercebitis : sed magis una mecum ad gloriam æternam perueniens† . Tunc unus de persecutoribus tremens dicebat ad alios suos collegas quid facimus ? Si dimiserimus commilitonem nostrum : commune damnamur ab Imperatore patiemur . Et si occidimus : sumus rei sanguinis fratris nostri : et post hæc tulit se secretius ipse : qui allocutus est : et fecit sepulturam : ubi corpus sancti Fidelis deberet recondi : Et ueniens iterum ad sanctum Fidelem condolens dicebat illi : Frater Fidelis cogita de anima tua : et sacrifica diis : ut non inueniamur rei sanguinis tui . Sanctus uero Fidelis respondit : Si mihi uelles consentire : et uera esset dilectio tua : crederes in dominum meum Iesum Christum et eligeres pro Christi nomine mori : quia est pars hæc : quæ ad uitam perducit æternam . Nam non mihi persuades : ut ego recedam ab illo : cui semper deuota mente seruiui . Et dum hoc dixisset : graues pœnæ a persecutoribus illi sunt illatæ . Sanctus uero Fidelis constanter dicebat : pœnæ quas facitis non mihi dolorem infligunt : sed refrigerium præstant . Tunc carnifices deduxerunt sanctum Fidelem uinctum ad locum : qui turriculus uocabatur : ubi arbor pinus profecerat subtus uicum nautarum : et ibidem caput eius amputauerunt : Cumque decollatus fuisset : facta est turbatio et coruscatio magna : ut et iam cognoscerent ipsi persecuto | res . quia uere Christus deus animam martyris susceperat . Post hæc : ut plenius diuinitatis potentia ostenderetur : arreptus unus ex persecutoribus ab spiritu immundo clamare cœpit : Sancte Fidelis libera me : et dum liberatus fuero corpus tuum cum magna reuerentia trado sepulchro . Et dum hoc clamaret ille ad corpus beatissimi martyris : statim ut

corpus eius tetigit : a dæmonio liberatus est . Et dum hoc persecutores uidissent : timentes et trementes ad nauiculam fugerunt : Et ingressi nauem cum omni festinatione ad Maximianum suum principem regressi sunt . Et renunciantibus quod uiderant factum : præcepit Maximianus sacrilegus imperator : ne cui unquam dicerent mirabilia : quæ deus per fidelissimum suum martyrem ostenderat . Decollatus est autem sanctus Fidelis sub Maximiano imperatore quinto calendarum nouembrium Regnante domino nostro Iesu Christo : cui est honor et gloria in sæcula sæculorum Amen .

DE SANCTO FVLGENTIO RVSPENSI EPISCOPO .

Fulgentius natus est de Fulgentio patre et matre Martiana in Tellepte ciuitate genere nobili cartaginensium senatorum : quem prima eius mater litteris grecis et latinis erudiri fecit : adultus factus est procurator . Cum autem legisset expositionem beati Augustini super psalmum xxxvi : cœpit uelle monachum profiteri . Potens est inquit deus uolenti dare facultatem : qui uolenti tribuit uoluntatem : Factus est monachus a beato Fausto episcopo : qui pro fide relegatus ab Honorico arrhyano in loco suo monasterium construxit : Quo audito cucurrit mater clamans ad Faustum : Redde mihi filium meum . Ille autem contumelias eius irrideus† : nec saltem uidendi filium ueniam ei dedit . Post hæc Fulgentius nimia abstinentia obsessus est impetigine : qui propterea culpantibus aiebat . Infirmantur etiam illi : qui quottidie cibis lautiorius† saginantur . Iterum expulso Fausto accepta uenia uicinum mona || sterium petiit : ubi Felix paucis sed simplicibus fratribus præerat : a quo statim coactus est abbatis locum tenere : Et quia se dilexerant ab adolescentia : alter alterius nomen assumpsit . Trahuntur postea hi duo a quodam præsbytero arrhyano Felice nomine facultatibus locuplete : Dumque Fulgentium uerberarent : ait Felix : Parcite quæso fratri Fulgentio : qui non potest tormenta sufferre : conuertatur in me crudelitas uestra . Tandem præsbyter illos decaluatos et uestibus ablatis : nudos et inanes a domo sua proiecit : Cumque multi dicerent Fulgentio : ut querimoniam faceret de præsbytero : qui eos eciderat : respondit : Non licet in hoc sæculo quærere uindictam christiano . Nouit deus : quomodo seruorum suorum defendat iniurias . Post hoc ad monasterium suum reuersus est : et iterum inde fugit ad aliud districtioris regulæ : ubi abbatis nomen posuit . Ibi præsbyteri duo senes abbatis officio fungebantur : quibus se subiiciens Fulgentius scriptoris arte laudabiliter utebatur : et palmarum foliis flabella sæpissime contexebat : cui operi etiam cum abbas fuisset in suo monasterio uacabat : Sed coactus est per Faustum episcopum ad proprium locum redire . Factus autem postea episcopus ruspensis : prius propositum tam in ueste quam in cibo retinuit : tunica una uilissima tam æstate quam in hieme contentus : et nec inter hospites manducans . Orario sicut omnes episcopi non utebatur : in pellicium cingulum gestabat . Caligis hiemis tempore : calliculis æstatis tempore simpliciter utebatur . Intra monasterium soleas interdum accipiebat . Sepæ nudis pedibus ambulabat : Casulam pretiosam uel superbi coloris nec ipse habuit : nec monachos habere permissit . Subtus casulam nigello uel lactino pallio circundatus incessit . Scapulis nudis nunquam a nobis uisus est : nec deposito cingulo somnum petiuit . In tunica dormiebat : in ipsa sacrificabat et in tempore sacrificii mutanda potius corda quam uestimenta dicebat . Carnes cuiuslibet generis nunquam comedit : sed simpliciter olera ptisanas et oua : quamdiu iuuenis fuit sine oleo : postquam senuit superfuso oleo : ne caligo oculorum lectionis impediret officium A uino sanus semper abstinuit : quod | cum propter infirmitatem biberet : sic obruebat aqua : ut uinum uix saperet . Semper ante fratres surgebat ad uigilias . Post hæc missus est in exilium apud Sardiniam . Lx . et amplius episcopi cum eo cathena ligabantur exilii : Quorum omnium ipse lingua et ingenium erat : et sicut beatus Aurelius carthaginensis episcopus inter sua priuilegia meruit : ut litteras in aphricano concilio dandas solus ipse scriberet : ita iste ut litteras ex illo dirrigendas solus ipse dictaret . Inuitatus est Carthaginem a Transemundo rege arrhyano : Cui idem rex quædam plena pro fide scripsit : quibus ille capitulatim respondit : scripsit ad eum et tres libellos : quibus Pinta episcopus arrhyanus respondere uoluit magis : quam ualuit contra quem Fulgentius postea

scripsit librum : quem inscripsit aduersus pintam . Mirabilia facere nunquam delectatus est : hanc gratiam sibi dari nullatenus desyderauit . Cum secundo mitteretur in exilium : prædixit Viliteo uiro religioso nimis de illius recessu dolenti : quod cito reuerteretur . Et addidit : hoc quæso secretum sit apud te : quod me nimia caritas indicare conpellit . Dicebat enim : Mirabilia non conferunt homini iusticiam : sed hominum noticiam : quæ magis fugienda est : quam quærenda . Quisquis enim fuerit hominibus notus : nisi fuerit iustus : ad æterna perueniet supplicia condemnatus . Iustus autem in conspectu dei et si hominibus fuerit incognitus : beata sanctorum gaudia percipiet coronatus . Item dicebat : Vt monachus lautioribus forsitan cibis utatur : interdum corporis cogit infirmitas : Vt autem cupiat in quibuslibet exiguis rebus iuris proprii dominium uindicare : superbe uoluntatis et auaræ cupiditatis euidens testimonium est . Item de substantia consequenti quisquis aliquid plus accipit : omnium fit debitor : quorum est illa substantia . debitorem uero sola iuuat humilitas . Item ueri monachi sunt : qui iustificatis uoluntatibus suis parati sunt nihil uelle : nihil nolle : sed abbatis tantummodo consilia uel præcepta seruare . Si quis autem præsumsisset plus quam acciperet petere : negabat continuo esse : si mereretur accipere : dicere monachum his quæ ac || ceperit debere esse contentum . Sine suo autem consilio nec suum propositum sinebat aliquem agere . laborantes fratres et opera carnalia indeffessis uiribus exercentes : lectionisque studium non habentes minus diligebat : nec honore maximo dignos iudicabat . Amator autem scientiæ spiritualis etiam si uirtute corporis esset destitutus : ab eo peculiariter amabatur . Amabat : quando coram fratribus disputabat : si quis ei quæstiones accerrimas proponeret : in quibus laborabat : licebatque passim omnibus fratribus etiam natura simplicibus unde uellent interrogare : nec priusquam satisfactum sibi confiterentur : rationem reddere uictus tædio uel labore cessabat . Scripsit contra Faustum episcopum Galliarum : qui occulte consentiebat pelagianis : aperte uolens catholicus uideri . Cum autem reuocaretur ab Exilio : tam deuote a populo susceptus est : ut de suis palliis super eum extensis nouum genus tabernaculi facerent . Egresso illi de carthagine obuius occurrebat ubique populus cum lucernis et lampadibus et arborum frondibus . Summam diligentiam præbuit : ne quis clericus ambitiosis uestibus ornaretur : aut negotiis sæcularibus occuparetur . Iussit omnes clericos non longe ab ecclesia domos habere : manibus propriis hortum colere : psallendi suauiter et pronunciandi curam gerere : per singulas septimanas omnes clericos et uiduas et quicumque potuisset ex laicis quarta et sexta feria statuit ieiunare . In concilio uintensi iudicio omnium sacerdotum qui conuenerant prælatus est episcopo cuidam nomine : Quoduultdeo : qui priorem se illius confirmabat . Tunc autem tacuit : ne auctoritatem concilii minuere uideretur . Sentiens autem post concilium dolere episcopum : timensque propter suum honorem generare sancti scandalum : melius iudicans per caritatem se fieri minorem : quam sine caritate maiorem : exegit postea precibus importunis a suphecano concilio : ut nomen suum posterius recitaretur . Bonefacius episcopus carthaginensis apud Buruos ecclesiam dedicans duobus diebus se præsente tractantem expectauit : tantum | delectatus in uerbis eius ut tamdiu lachrymis terram rigaret : donec ille sermonem finiret . Anno uno ante mortem suam ecclesiasticas occupationes reliquit : et a suo monasterio secreto recedens in insulam circinam in quodam scopulo breui cui nomen est Chilmi habitauit : ubi ædificato monasterio deo et sibi uacauit . Infirmatus est accerrime . Lxx . diebus et hoc solum dicebat : Domine da mihi modo hic pœnitentiam : Postea indulgentiam . Suadentibus medicis : ut balneis uteretur : non acquieuit dicens : Nunquid balneæ poterunt facere : ut non moriatur in tempore suo homo mortalis ? Moriens circunstantibus fratribus dixit : Ego fratres animarum uestrarum saluti prospiciens molestus apud uos forsitan et difficilis extiti : ideo obsecro uos : ut ingnoscat† mihi quisquis aliquid dolet . Iussit autem egentibus pecuniam dari : per se ipsum memoriter recolens uiduarum : pupillorum : peregrinorum : contractorumque illic indigentium nomina : quibus : quid : curque singillatim daretur propria deliberatione constituit . Obiit calendis Ianuarii anno episcopatus sui uigessimo quinto : uitæ . lxv . In uita sua scripsit etiam idem Fulgentius opuscula non nulla ad ædificationem ecclesiæ utilia . Si quidem edidit ad Eucimium de remissione peccatorum libros duos : Ad donatum de fide librum unum : De mysterio mediatoris libros tres : Ad Mominum de prædestinatione et quibusdam aliis quæstionibus libr†s tres Responsionum contra

obiectiones Transmundi regis arrhyani librum unum . De continentia coniugatorum seruanda post uotum librum unum : Ad Probam de uirginitate et humilitate librum unum Ad eandem de oratione et conpunctione librum unum . Ad Eugippum de caritate librum unum : Ad Venanciam de pœnitentia et indulgentia librum unum . Scripsit et sermones non nullos : præcipueque de natiuitate domini ac de sollemnitate beati Stephani protho martyris pulcherimos .

PASSIO SANCTORVM FVSCIANI ET VICTORICI .

Tunc cathedra pestilentiæ residens sanctos allocutus est : ut a Christo recedentes diis sacrificarent : quod || cum illi penitus abominantes respuerunt : eum tandem ad inferenda supplicia qualia uellet absque mora inuitarent : ille sudes ferreas in nares et aures cudendo iussit immit i† : et clauis candentibus eorum capita transfigi : oculos quoque eorum a foraminibus suis pelli : isque manu lato crispans hastilia ferro ad sanctorum corpora transforanda ea direxit : eisque adhuc palpantibus capita amputari præcepit : optatoque potius solito lætior : et quasi de quadam plaudens uictoria celeriter Ambranos† regressus est : Mox ultione diuina percussus intestinorum dolore repletus est et per totam ciuitatem clamare cœpit : Heu : heu : heu : quid agam aut quid mihi misero denique restat : qui propter dei sanctos Fuscianum et uictoricum quibus dira intuli .† supplicia intolerabili crucior pœna . Eadem uero die qua decollati sunt : ingens fulgor super eorum corpora apparuit . Extincta quoque cum iacerent truncata capitibus : ipsi super pedes erecti sunt : et manibus propria recipientes capita : firmo rectoque gradu ad hospitium beati Gentiani de quo educti fuerant redierunt : utque eum exhortando comitem habuerant : cum eodem simul in requie dormirent . Passi sunt autem tertio idus decembres .

PASSIO SANCTORVM EPISCOPORVM FELICIS TVBIZACENSIS ET PETRI AVLANI .

Felix tubizacensis episcopus Aulino proconsuli præsentatus Respondit Christianum se esse : libros quoque sacros uel membranas quas habebat nolebat tradere : ex quo iratus ille misit eum Romam ad præfectum prætorii : qui iussit eum in carcerem recipi ac maioribus uinculis ligari . Post dies autem duodecim iussit eum post Imperatores nauigare : qui nauem conscendit cathenarum duris nexibus illigatus : et fuit in Subsamo nauis quattuor diebus et quattuor noctibus : iacens sub pedibus equorum panem uero non comedens nec bibens aquam . Ieiunus autem uenit Nolam : quem cognitor ciuitatis ibidem capitæ plecti fecit XVIII calendas Februarii . Eodem tempore passus est Petrus qui et Balsamus : apud Aulanam ciuitatem : sub Maximiano tertio nonas ianuarias Interrogatus a præside Senoro utrum haberet parentes : negauit dicens : In e | uangelio mihi præceptum est : omnia denegare cum ad Christi uenero confessionem . Postea iussus est appendi : et ungulari : quod dum fieret : nihil aliud dicebat quam hoc unum petii a domino et cætera . Et quid retribuam domino et cætera . Tandem iussus est crucifigi . huius passionem transtulit Anastasius apostolicæ sedis bibliothecarius .

PASSIO SANCTORVM FIDIS VIRGINIS ET CAPRASII MARTYRIS .

Passa est etiam sub Daciano sancta Fidis uirgo genere moribusque nobilis in urbe Agenno ætate adhuc tenera passionis tempore : senex tamen sensu et opere . Nam ab ipsis cunabulis dominum Iesum dilexit : et a Daciano requisita se esse christianam constanter ostendit : Cumque deos gentium dæmonia esse asserens : nec blandimentis

nec minis induci posset : ut eis immolaret : iussu præsidis super cratem æneam diuaricatis membris extensa et substratis carbonibus adipeque flammis iniecto : dum sic coqueretur : multos ad Christum exemplo suo conuertit . Tunc quoque sanctus Caprasius qui præ timore præsidis iuxta urbem sub rupis cuiusdam foramine iacebat : et cuncta quæ intra murorum ambitus gerebantur aperte uidebat : dum uirginem sic torqueri cerneret : orauit deum ut eam uictricem in certamine faceret : Et rursus prostratus a domino petiit : ut ei præmium martyrii illius demonstraret . Et uidit protinus quod columba niuea de cælo descendit : quæ coronam auro gemisque lucentem super caput uirginis ornatæ splendidis uestibus collocauit : et ut circa uirginem dei uirtus clarior appareret : ipsa columba uolitatu alarum et rore cælesti sic ignem extinxit : ut nihil de incendio remaneret . Hoc ergo spiritualibus oculis cernens Caprasius iam de uictoria præsumens rupem sub qua manserat dextera percussit : et fons protinus erumpens meritis sancti Caprasii omnibus infirmis usque nunc remedium salutis impendit : Exiliens igitur Caprasius ad locum certaminis properauit : et Daciano christianum se offerens : dum nec blandiciis nec minis flecteretur : tanta iubentis crudelitate laniatus est : ut inter alios circumflæntes Primus et Felicianus fratres propter eius patientiam conuersi cum ipso Caprasio et fide uirgine plecterentur . Horum passio celebratur pridie nouas† octobres . ‖

INCIPIT VITA SANCTI GALLI .

Cum præclara sanctissimi uiri Columbani : qui et columba : conuersatio per omnem hyberniam celebris haberetur : et ueluti splendidum ignei solis iubar singulari decore omnium in se pro† prouocaret amorem : sicut de eo priusquam nasceretur prouisum esse : liber gestorum ipsius plenius indicat : inter cæteros quos fama uirtutum eius attraxerat : parentes beati Galli secundum deum religiosi : secundum seculum nobiles : filium suum primo ætatis flore nitentem domino offerentes : illius magisterio commendarunt : ut in regularis uitæ proficeret disciplina : et inter plurimos spiritualis militiæ sectatores obedientiæ et arctioris propositi imitaretur exempla : dumque bonæ indolis uir caro nutriretur affectu : magno uirtutum creuit augumento : superna quoque gratia se præueniente : tanto studio diuinas optauit scripturas . ut de thesauro suo noua proferre posset et uetera : gramaticæ enim regulas metrorumque subtilitates capaci consequeretur ingenio . Obscura autem scripturarum tam sapienter scire uolentibus reserauit : ut cuncti qui eius prudentiam et sermones audierant : admiratione eum et laude dignissimum iudicarent : quia sapientiæ maturitate factum est : ut uniuersorum coīum† consilio et iussione Columbani abbatis per singulos sacre promotionis gradus ascendens : sacerdotii susciperet dignitatem . Ergo dum sacris instaret officiis die noctuque precibus dominum placaret et lachrymis : et superni inspectoris oculis placere desyderans : uirtutum et uitæ meritis amabatur ab omnibus : et placebat uniuersis . Dum hæc agerentur : quottidie beatus Columbanus euangelicam cupiens assequi perfectionem : ut uidelicet omnibus quæ habebat relictis crucem suam tolleret : ut et nudus dominum sequeretur : Consilio suo egit cum fratribus : quorum animos idem feruor accenderat : ut spreta propinquorum et prediorum dulcedine mentis ardorem opere compro | baret . Ascendentes igitur nauem uenerunt britanniam : et inde ad gallias transfretarunt . Cumque uir dei ad Sigibertum regem cum suis peruenisset : rogauit eum rex : ut infra Gallias resideret : nec eis relictis ad gentes alias commigraret : se uero spopondit omnia quæ sanctus pater peteret præbiturum . Ad hæc uir dei respondit : Qui nostra reliquimus ut secundum euangelicam iussionem dominum sequeremur : non debemus amplecti diuitias : ne forte præuaricatores simus diuini mandati : cuius obiectioni rex ita occurrens ait : si crucem tollere et Chrystum sequi desyderas : uastæ heremi sectare quiettem tantum ne solo nostre dictionis relicto ad uicinas transeas nationes . Poteris enim hoc consilio et tua præmia cumulare : et nostre saluti prospicere . Itaque regis persuasioni consensit : et accepta optione heremum intrauit . Inuenerunt autem locum muris antiquis septum : calidis aquis irriguum . sed iam uetustate collapsum : quod uulgo luxonium† dicebatur . Ibi oratorium in honorem beati petri apostoli construentes : mansionculas in quibus

commanerent fecerunt : Illisque ibi conuersantibus et ipsum locum excolentibus multi non solum de genere burgundorum : sed etiam francorum amore uitæ laudabilis ad ipsos confluxerunt : et monitis spiritalibus instituti : tantam compunctionis gratiam ex uerbis eorum adepti sunt : ut omnia sua ad ipsum locum nonnulli contraderent : et coma capitis deposita : monasticæ uitæ habitum uoluntaria paupertate susciperent : Cumque hæc tam felix commanentium semper in melius proficeret disciplina singularis : Beati Columbani sanctitas miraculis frequentibus comprobata : per totas cœpit Gallie uel Germaniæ diffamari prouincias . Laudabatur ab omnibus . Colebatur a cunctis : Adeo ut Theodoricus rex filius Hiltiberti nepos Sigiberti : qui eo tempore burgundionibus regnabat : ad eum sæpe ueniret : Et precum eius suffragia summa cum deuotione deposceret . Quem cum pater sanctus increparet : cur concubinarum pollueretur amplexibus : et non potius legitimæ coniugis connubio frue || retur : monitis eius obtemperans : cuncta huiusmodi illicita se uitaturum promisit . Sed Brunichildis auia regis uidens eum uiri dei consiliis obedire : stimulo malitiæ concitata mentem serpentini furoris armauit ueneno . uerebatur enim : ne si abiectis concubinis regina in consortium regni assumeretur : et dignitas sua honore subtracto uillesceret . Quo timore laborans inuidiam contra uirum dei cœpit habere : et post multas iniurias : quas illi machinata est : ut scriptura sancte conuersationis eius testatur : consilio cum rege inito : ut eum regno suo deturbaret : misit legatos suos cum epistola ad sanctum uirum denuntians ei : ne deinceps in illo regno consisteret . Ille autem insidias uitans : iter cum suis aggressus ad Lotharium regem peruenit : apud quema† cum aliquanto tempore moraretur : roguit† : ut illius solatio ad Theodebertum austrasiorum regem peruenire posset : ad quem cum secundum petitionem uoluntatis eius uenerabiliter missus esset : susceptus est ab eo cum omni honore et gaudio magno . Mansit itaque apud illum non multos dies sacras scripturas aperiens : et insinuans ei ueritatem : cumque et ipsum rogaret : ut ad Anginulfum regem longobardorum eius iussu per Allemaniam duceretur : moleste ferens rex tantorum dicessum uirorum : pollicitus est eis infra terminos sui regni se reperturum loca uenusta : que famulis dei et ad incolendum essent commoda : et instruendas uerbo ueritatis circumpositas nationes oportuna : uir dei semen† uerbi in cordibus gentium plantare desyderans aliquantis diebus moraturum se promisit : si regia auctoritas factis dicta firmaret .

Nec multo plus cum iam omnium bonorum auctor et propagator athletam suum de mundi agone sublatum premiorum laureis uellet perennibus adornare : Mullunarius presbiter ueniens ad cellam uiri sancti rogauit eum : ut secum egrederetur ad castellum : Qui ut obtineret quod uoluit huiusmodi uoce flebili querimoniam summissius explicuit : cur inquiens o pater me qui tuis bonis monitis parui quasi despectum dereliquisti : et doctrinæ tuæ saluta | ribus institutis auditorem fraudasti beniuolum ? cui hanc obiectionem ascribere possumus : nisi peccatorum meorum fætoribus ? Nisi enim uita mea tuo displiceret iudicio : amabili me ædificationis tuæ non priuares solatio . Nunc ergo noli nos pro peccatis nostris abiicere : sed domini prouocatus mandatis : uiam ueritatis desiderantibus aperi : et solitæ nobis benignitatis munus impende . Motus ergo hoc supplicantis alloquio pietatis amator descendit cum illo : et uenerunt ad castelum . uocata autem multitudine : dies enim solemnis erat : sanctus predicationis dulcedine auidorum corda refecit : Et tanta quæ dixerat sapientiæ luce uestiuit : ut summa omnium gratulatione auditus : et plena cunctorum ueneratione sit honoratus . Biduo itaque ibidem ducto : tercia die febre correptus : tantum breui eius uiolentia depressus est : ut nec ad cellam redire : nec cibi sustentaculum potuisset suscipere : Cumque hac infirmitate per dies quattuordecim laborasset : die sextodecimo mensis octobris expletis nonagintaquinque annis in senectute bona huius uitæ liberatus ergastulo : animam meritis plenam felicibus reddidit bonis inhæsuram peremnibus . Cum igitur audisset Iohannes constantiensis ecclesiæ præsul beatum Gallum apud Arbonam infirmari : nauiculam potuum et ciborum secum ea genera tulit : quæ infirmitate laboranti nouerat congruere : ut uidelicet sua uisitatione fidissimum refoueret amicum . Cumque portum propinquaret : audiuit in domo presbiteri planctum magnum circa funus uiri dei celebrari : et interrogauit : que tanti esset causa ploratus . Audiens autem Gallum uenerabilem firmissimum suæ familiaritatis custodem de huius sæculi emigrasse periculis : misit se in aquam . Neque enim

poterat propter nimium dolorem sustinere : donec nauicula littus attingeret : descendensque cum his qui secum uenerant : intrauit domum presbiteri lugubri uoce : et corporis gestu mærorem cordis insinuans . Inuenit autem corpus uiri sancti iam inuolutum et in loculo iam repositum : Aperiensque sarcofagum et exanime amici cadauer inspiciens : amariores cum hac uoce lachrymas || dedit . Heu heu pater amate heu doctor egregie cur me de domo patris mei eductum quasi orphanum in his periculis dimisisti : et confidentiam meam quam de tuis consiliis plurimum præsumebam immatura morte rupisti ? Tibi quidem in perceptione præmii quod tam ardenter desyderabas hæc tua mors est fructuosa . Nobis autem in tot sæcularium perturbationum procellis laborantibus multipliciter est luctuosa . Sed qui de uitæ corporalis interruptione dolemus : de animæ immortalis libertate gaudere debemus . certi quia orationibus non desinas adiuuare : quos consilio et exemplis roborare consueueras . Inter hæc uerba presbiter eum ut surgeret monuit : et pro requie defuncti ambitiosius dominum precaretur : Intraueruntque ecclesiam : et episcopus pro carissimo salutares hostias immolauit amico . Finito autem fraternæ commemorationis obsequio respiciens uidit post tergum fossam : in qua sanctum corpus humare decreuerant . Acceptaque cruce et his quæ exequiis exhibentur : intrauerunt domum : uolentes thesaurum preciosi corporis ad locum sepulcri deducere : Cum uero arcam : qua claudebatur cadauer : feretro impositam ad fossam sepulturæ conarentur deferre : nullis uiribus usquam potuit commoueri . Quod noui genus miraculi dum mutuis mirando colloquiis retractarent : Iohannes episcopus dixit : uere dico uobis hanc sepulcri sedem patri meo Gallo non placere . Et iussit presbitero : ut duos equos inueniret indomitos : et faceret introduci : Quod cum factum esset : strauerunt eos magno clamore : et ad locum ubi corpus iacebat : duxerunt . hic episcopus cum clero huiusmodi orationem dedit : deus qui per potentiam maiestatis tuæ ubique totus es : pro cuius amore uir iste reliquit patriam suam : ut præcepta tua conseruaret : fac corpus eius ab his equis indomitis ferri in locum quem tua uoluntas meritis ipsius præuidit . Cumque finita esset oratio : cuncti qui aderant amen responderunt . Congruum uidetur in hoc loco retexere miraculum : quod dominus inter sui confessoris exequias exhibere dignatus est : quo liquido cunctis ostende | ret seruum suum secum ueraciter tunc uiuere : dum carnis huius carcere liberatur . Erat ibi quidam mendicus tanta per omnes menbrorum iuncturas debilitate contractus : ut penitus inter alias suæ infirmitatis molestias incessu pedum careret . huic dum presbiter indumenta uiri dei distribueret pauperibus : caligas eius cum calciamentis dedit . Statimque debilis pro accepto munere summo repletus gaudio : ut sacras cruribus et plantis aptauit exuuias : per omnes artuum compages repente solutus est . exiliensque uoce clamauit ingenti : et gratias egit deo et beato Gallo : per cuius merita redditam sibi salutem non ignorabat . Videns autem episcopus et cuncti qui aderant sanitatis huius miraculum : unanimiter deum glorificauerunt : atque dixerunt : Manifesta uirtute dignatus est deus hodie gloriam serui sui nobis ostendere . Dederunt itaque ei qui sanus fuerat cereum : et cum cetero populo funus prosecutus est : Hoc signum primum post transitum eius dominus ad memoriam illius declarauit . Inter easdem quoque beati pastoris exequias : aliud non mediocre sanctitatis eius indicium apparuit . habuit uir dei capsellam ex corio factam diligenterque seratam : cuius clauem sub tam uigili custodia ipse retinuit : ut nullus discipulorum eius quandiu uixerat in corpore : quid intus seruaretur cognoscere potuisset . hanc autem ex suis humeris pendentem ferre solebat quocumque ambularet . At ubi migrauit de hac uita : sumpta claue aperuerunt capsellam : et Inuenerunt intus cilytium modicum : et cathenam æream sanguine aspersam . deinde corpus inspicientes magistri : Inuenerunt locum cathenæ : ubi sæpius præcingi solebat : carnemque ipsam in locis quattuordecim profundius cathena sulcatam adeo : ut de iisdem uulneribus cruor decurrens cilytium per loca perfuderit . posuerunt autem capsellam cum cilytio ad caput eius in feretrum : et deportauerunt cum corpore ad locum monumenti indicia iuxta tumulum ad caput eius : per quæ deinceps ad ostensionem meritorum ipsius plurimas dominus uirtutes pie quærentibus exhibuit : Qua || ex re intelligere possumus : quia idem uir et si a persecutore sanguinis effusione non est immolatus : semetipsum tamen offerens domino hostiam uiuam in odorem suauitatis : et crucem suam tollens quottidie saluatorem secutus : martyrii laborem et palmam confessor adeptus est . Postquam san-

ctitas uenerandi patris et miraculi magnitudine : et horum manifestatione signorum cunctis : qui funeris eius intererant negotiis : ostensa est : patenter tempus ad feretrum accessit : et ex una parte subleuans : præbitero altrinsecus sustollente : equis superposuit : et astantibus dixit : Auferte frænos de capitibus eorum : ut libertate concessa : quo dominus uoluerit pergant . Accepta ergo cruce et candelis psalmos et melodias concinentes iter agere cœperunt : Illi autem in neutram partem declinantes : recto itinere perrexerunt ad cellam uiri dei : Quo cum peruenissent : depositum est feretrum ante oratorium . discipuli uero eius eleuantes pii doctoris reliquias intulerunt : et ante altare posuerunt . deinde pariter cum ipso orationem pro illo facientes : fecerunt fossam sepulcri inter parietem et altare : Ibique precibus huic rei congruentibus præmissis sepelierunt eum : Omnibusque rite consumatis multitudo : quæ ad tanti uiri concurrit exequias episcopi benedictione commonita : ad propria remeauit . Cum beati corporis thesaurum felix locus ille in pace suscepisset : uolens dominus de morte famuli sui mærentibus consolationis præbere medelam : nouitate miraculi patefecit : qua apud se claritate spiritus fulgeret amici . Nam duo cerei in cascello : dum corpus eius eleuaretur : accensi ita ardentes delati sunt usque ad locum sepulturæ . Positi autem unus ad caput alter ad pedes : per triginta dies deinceps : mirabile dictu : non deficiendo ardebant : et ardendo non deficiebant : Et ut monstraretur has durandi uires ceræ liquendi cælitus attributas : de huius miraculi plurimæ in posterum uirtutes emanarunt . Nam quicumque dentium fatigati doloribus : uel oculorum lipitudine : uel aurium præclusione laborantes : de eisdem quippiam cereis tulerunt : et locis quæ huius | modi tenebantur incommodis aptauerrunt† : optate celeriter dona percepere salutis Post hæc tanta uirtus : ad sanandos uarriis† infirmitatibus depræssos apud sepulchrum beati uiri cunctis illic uenientibus : et orationum eius suffragia postulantibus fideliter apparuit : ut et fama tanti meriti cunctis : quæ circumpositæ erant : regionibus innotesceret : et locus ipse non mediocriter frequentaretur a populis .

DEPOSITIO SANCTI GALDINI EPISCOPI ET CONFESSORIS .

Galdinus uir medioianensis† ciuis egregius ortus e stirpe nobilium ualuasorum de sala ciuitatis Mediolani porte orientalis : ab infantia sacris litteris eruditus : in maiori mediolanensi ecclesia constitutus et ordinatus : eousque peruenit . ut in eadem ecclesia archidiaconatus dignitate et officio cancelariæ fungeretur : qui : cum fideliter ac deuote suo postea prædecessori Huberto de pirouano archiepiscopo adhæreret : scismatis tempore sub Alexandro papa tertio et Federico imperatore facti : cum suo domino ac aliis quibusdam ex urbe sua egrediens : eiusdem scismatis rabiem et sue ciuitatis periculum fugiens : Alexandro papæ eandem scismatis rabiem fugienti cum domino suo Amico gratanter et officiosissime ab eo susceptus est . Exilium igitur beatus Galdinus et non modicos labores cum pontifice suo prædictoque Alexandro papa et aliis quibusdam pariter perpessi : cum circiter quadriennium in gallicana exulassent ecclesia : demum nauigio palermum multis fluminum latronumque periculis ad regem siciliæ peruenerunt . Is uero multo honore eos suscipiens aliquantis diebus studiose curauit : ac deindc† eos a se dimittens multis donauit muneribus : deinde cum iuxta dispositionem præfati apostolici uiri Beneuentum peruenissent : paulo post uir dei Galdinus archidiaconus simul ac præsulis sui scriba ab Alexandro summo pontifice uocatus Romam de concessione eiusdem archipræsulis sui proficiscitur || ibique suis sibi suffragantibus meritis in presbiterum cardinalem sancte Sabinæ ordinatur : Ibique eo aliquantulum morante : cœpit iam dictus Hubertus archipræsul graui detineri infirmitate : iamque sui laboris et certaminis cursu peracto de hac luce in pace migrauit : Omnibus relinquens exemplum : pro fide et unitate ecclesie se morti et periculis dare ac pro domino uitam ponere . Procurata autem digne eius sepultura : dignisque sibi exhibitis funeralibus obsequiis : in ecclesia sanctæ sophiæ quæ in beneuentana est ciuitate uenerabile corpus eius summo cum honore tumulatum est . Beatus itaque Galdinus tanto patre orbatus tantoque destitutus solatio : multas pro carissimo patre et domino lachrymas fudit : compluribus pietatis suæ præbens exem-

plum . Metuens nimirum : ne tanto patre ex hac luce migrante mediolanensis periclitaretur ecclesia : presertim cum eo tempore ciuitas diruta iaceret : et populus sub iugo captiuitatis : et duræ seruitutis detineretur : Sed et sacerdotes et clerici qui fidem et unitatem seruantes summum pontificem Alexandrum inuocare audebant : uariis a scismaticis afficiebantur suppliciis : multique suarum rerum damna perpessi : quasi uitæ metuentes : ad detestabile iuramentum urgebantur : Sed deus omnipotens qui quos diligit castigat : suarum memor misericordiarum neque sustinens tam sanctam et nobilem perire ecclesiam : et dignum sibi prouidit pastorem : et ciuitatem post aliquantum tempus in uirtute brachii sui restaurauit . Memoratus enim Alexander de obitu confratris paterno dolens affectu : et ecclesiæ suæ secundum quod poterat cupiens prouidere : quia mediolanensis ecclesia quæ quasi dispersa fuerat de pastoris electione tractare : nec poterat nec audebat : Argisium cymiliarcam ex pirouanorum familia qui beatum Galdinum aliosque quos in partibus illis de clero mediolanensi potuit habere : mature admodum uocans supradictum Galdinum uirum sanctissimum multisque prædítum uirtutibus ad preces fratrum qui aderant in episcopum consecrauit . hic licet propter exilium et labores quos pertulerat : corporis debilitate laboraret : nec | tantum onus uoluntarie susceperat : animo tamen constans : caritate feruens : assiduis precibus et crebris suspiris† dominum exorabat : ut aliquando ciuitas lapsa surgeret : ecclesia restauraretur : et tam clerus quam populus secum pariter ad proprias remearent sedes . Modico igitur elapso tempore lombardi ob similem casum sibi prouidentes : memores roboris et fortitudinis memoratæ ciuitatis clam inierunt consilium : et eam in munimentum ac aliarum ciuitatum defensionem instaurare statuerunt . porro et si quidam antiquum fouentes odium dissentirent : diuina tamen superabundante gratia : sanctorumque martirum et confessorum suffragantibus meritis factum est . ut plures lombardorum memores pristinæ societatis et amoris : ad ipsam armata manu accederent ciuitatem : Vt ciues qui in quattuor partes dispersi fuerant : ad ciuitatis introitum hortarentur : et confirmarentur . primitoque pergamenses milites decem cum decem uexillis uenerunt . brissiensesque et cremonenses mantuani quoque cum ueronensibus cum iis qui marchiam incolunt triuisianam mediolanenses introduxerunt eos in ciuitatem anno domini Millesimo centesimo sexagesimo septimo quinto calendas Maii . Tunc fuit uidere populum de babilonica captiuitate redeuntem : uiros præ gaudio flæntes prauulos† et mulieres præ læticia clamantes . Ferebantur uoces in cælum . festinabat quisque ad propria . His ita peractis Galdinus ciuitatis suæ restitutionem audiens : proinde suscepta apostolice sedis legatione iter ad patriam arripuit . et præcauens inimicorum insidias : quæ in plærisque locis sibi tendebantur : mare nauigans in peregrini habitu uenetias ingentibus periculis tamen incolumis peruenit . ac deinde lombardiam attingens sucepto episcopali habitu insignibusque pontificalibus Mediolano factus est propinquior . Occurrerunt summa exultatione uniuersi cum toto clero ciues . eumque digna ueneratione ut par erat suscipientes : usque ad beati Ambrosii Basilicam cum hymnis deduxerunt anno natalis dominici Miilesimo† centesimo sexagesimoseptimo qninto† die septembris . Facta est igitur in ciuitate de tanti pasto || ris aduentu ingens lætitia : et exultauerunt omnes uidentes omnia sibi cohoperari in bonum . cesserunt autem uniuersi ecclesie impugnatores : et alii quidem ueniam postulantes : alii uero post abeuntes omnes a persecutione destiterunt . Suscepit itaque uir ille piissimus ecclesiam : et eam intrepidus gubernans : prædia et patrimonium ecclesie quod in prædam et rapinam multorum datum fuerat : de faucibus eorum quantocyus eripuit . Sed et palatium quod inimici funditus diruerant : longe excellentius miroque decore et ornatu reparauit : Cumque in his omnibus crebris et fere assiduis utlaretur† corporis infirmitatibus : in suo amen† ita peruigil existebat officio : ut quicunque circa eum fuerant : clericos psalmodiis et uigiliis atque orationibus fatigaret . Nihil deinde in hoc sæculo sciens tutum uel durabile : de morte semper cogitabat : memor sapientis dicentis : pone ante oculos tuos diem mortis tuæ : et in eternum non peccabis . Sed et loquendi tantam a deo gratiam receperat : ut cum ad populum de diuino cultu loqueretur : non homo sed dei spiritus in eo loqui uideretur . Cura autem pauperum præ cunctis mortalibus ei fuerat : Et licet in aliis impensis et quottidianis oneribus humana eum tangeret cupiditas : circa pauperes tamen ita erat profusus : ut nihil sibi sed omnia eis se possidere extimaret : adeo ut non sibi sed pauperibus Christi uiuere crederetur : Sed et

non minus eorum causa solicitus erat : qui inopia et paupertate laborarent : eleimosynamque petere ernbescebant† . enim uero uocem petituri præueniens omnibus misericorditer compatiebatur et tribuebat : Tantæ quoque fuit humilitatis : ut a quibusdam pro sua humilitate contemptibilis haberetur . uerumtamen superbis et elatis in uirtute spiritus resistens malos in bono uincere studebat . Pro defensione quoque et exaltatione ecclesiæ suæ tantam curam et sollicitudinem gerebat : ut non quorumlibet minis uel blandimentis mouereretur† . Porro ita se mansuetum et benignum omnibus exhibebat ut sua sanctitate et benignitate pietatis : et misericordie formam omnibus præberet et exemplum . Denique omni præ | ditus uirtute tantæ ad domesticos erat iucunditatis : ut cum solus esset cum illis : quasi unum ex eis sese extimaret : cognoscens se tanquam et ipsos mortalem esse . Igitur cum omnes fere suffraganeos suos suis consecrasset temporibus : iamque ciuitas et ecclesia sua domino faciente ad pristinum statum esset restituta : cœpit hæresis catharorum in ciuitate pullulare : distractionis et scismatis præcedentis causa quæ usque adeo peccatis exigentibus creuerat : ut multi ipsam hæresim aliosque errores ausu temerario publice prædicarent : et multæ simplicium animæ laqueis diabolicæ fraudis caperentur . Huic igitur sæuissimæ pesti uir sanctus se opponens : multis sermonibus prædicationibusque populum suum ab ipso stulto errore et uæsania retrahebat atque erudimentis catholicæ fidei qnantum† poterat instruens uerbo proficiebat et exemplo . Cum autem decennium in suo explesset pontificatu : eodem die quo consecrationem accepit . celebrata dominicæ resurrectionis sollemnitate secunda post pasca die dominica : in hæreticos zelo dei accensus sancte Teclæ ecclesiam petit de more diuina in ea officia peracturus . At quia corporis multa debilitate laborabat : missarum sollemnia a supra memorato Cimiliarcha : qui postea successit : missam celebrari præcepit . Ipse uero confessione cum fratribus facta priusquam euangelii lectio populo recitaretur : pulpitum ascendens contra præmemoratos catharos eorumque complices præclarissimam habuit orationem : eorum errorem multis argumentis et rationibus apertissime et quatum† oportebat confutans . fidemque catholicam : multis sanctorum patrum exemplis et euangelicis comprobans scripturis : Posteaquam uero finem dicendi fecit : consumato sui certaminis cursu : eam corporis cœpit sentire molestiam : qua anima separatur a corpore . Mutationem itaque uultus ipsius fratres tenebant consyderantes eum paulatim deficere : eum itaque ibidemque leui motu deposuerunt . perlecto autem euangelio et peractis missarum sollempniis : cum ipse in eodem pulpito iacens : nutibus quibus poterat fratribus qui astabant animam suam || commendasset multo astante clero et populo spiritum deo reddidit : quo factum est ut et fratribus et ecclesie non modicam relinqueret tristiciam : Ipse uero assumptus in cælum pro populo suo ut pie credendum est non cessat ad dominum interpellare . Quod multis ac manifestis signis : et indiciis declaratur . Nam eius ad tumbam ueniunt ægroti . uota promittunt . referunt salutem . curuus erectus redit . et retorti membra sanatis membris mirantur . Dæmon expulsus fugit : et corpus obsessum meritis beati uiri derelinquit : atque tormentum sibi monstrat esse defuncti præsulis honorem . Tanta Galdini meritis clarescunt miracula : ut nunc sæculum Petri apostoli redisse uideatur ac sociorum . Ergo nos sanctum ueneremur pastorem : quem nobis dominus patronum dedit : ne fidem ledant cathari serentes dogma nequam et a catholica ecclesia explosum sequuntur . Curauerunt autem sepulturam eius fratres ipsius ecclesiæ : et corpus eius sub eodem pulpito in lapideo mausoleo multo et cultu sepelierunt . Porro diuina prouidentia factum est : ut post aliquantum temporis consilio fratrum ad altiorem locum ex alia pulpiti parte transferretur : ibique sanctitissimum† corpus eius in pretioso conditum sarcophago usque in præsentem celebretur diem . Obiit autem beatus Galdinus anno natalis dominici M.c.xxvi . Aprilis decimonono .

IN SANCTI GAVDENTII EPISCOPI NOVARIENSIS ET CONFESSORIS DEPOSITIONEM LEONIS EIVSDEM SVCCESSORIS PRAEFATIO .

Cum sanctorum præcedentium uitam uirtutesque impensius considerarem : repente diuino nutu ad beati Gaudentii celeberrima acta sucurrit memoria : Ei licet per quanta et qualia signa eum dominus illustrare decreuerit : tantillus famulus ut pote rudis elloquio prouidere non satis queo : quod ad tantum onus impar : et indignus sum . Tamen diuina fultus auctoritate quæ ait : aperi os tuum : et ego implebo illud . | seu et meritis† prædicti pontificis et patroni circumfusus : opere precium est : ut saltem de pluribus pauxilla narrare quasi secordiam uitans aggredior : Ita dumtaxat : ut et beati Laurentii martyris itemque patroni ex parte non subtrahatur iudicium : ut quos ambrosius uicisim radiatus per collegium fidei gultino† sociauerat : non dispar uideatur resonare triumphus : Huius ergo callibus iam dictus sacer sophistice adhærens : uitando prospera mundi calcauit aduersa : Et ideo poli sede locat : uictor cum angelis tryumphat .

Beatus ergo Gaudentius eboregiensis urbis regionis hesperiæ : quæ menia alpium Europæ finibus proxima est : nobili genere et ciuibus pene primioribus ortus fuit . Sed intra Ausoniam urbis Nouariæ postmodum egregius pastor emicuit : Ibique uiginti annis cathedram sacerdotalem obtinuit : et glorioso excessu patronus effectus immo diuinæ gratiæ cælitus fulgore irradiatus : mentisque nitore addito : quasi refulgens lucifer inter astra processit : hic enim ab ipsis cunnabulis adeo in religionis propositum exarserat : tantæque sapientiæ studiis primitiua lactabatur infantia : ut post iuuenili ætate diuino inspiramine ecclesiasticam regulam toto conamine diligendo insequeretur . Ita semetipsum propria disciplina cohercebat intentus quasi futura specie indicans : qualis in templo dei præpararetur sacerdos : Nam et si iuuenilis quidem et minus perfecte esset ætatis uidebatur :† perfectissime tamen castitatis indicium continens . quasi quoddam primum fundamentum in anima : ipsam cotinentiam† collocauit . Sic deinde ad adoloscentie† reprimendas cupiditates et sapientiæ profectus adipiscendos orationibus sese et abstinetiæ† frænis castigabat . multosque ad se uenientes perfectæ uitæ institutis informabat : Porro euangelica sæmina licet rudi elloquio indigenis serenda committebat . Seu etiam parentes quos adhuc gentilitas detinebat : religiosa sollicitudine ad fidei gratiam prouocabat . Felix tanti meriti tantæque persona uirtutis : cui concessum est primum doctorem esse deinde sacerdotem : Quid || quod docuit uerbis : euidentibus compleuit exemplis . Interea clarescere cœpit signis et uirtutum miraculis adornari : nam et ægros sua oratione curauit et dæmones uerbo imperans fugabat . Sic totis uiribus mittissimus uir desudans : ne sæculi huius aura fauoris delectatus : aures suas arrogantiæ pollutione macularet . Igitur cum hæc a beatissimo uiro gererentur : ille uirulentus persuasor et totius bonitatis æmulus humanique generis inimicus cernens : quottidie per ipsum perfectam plebem Christo domino comparari callida persuasione nititur : plurimorum mentes impugnare et ab optimo proposito reuocare : usque adeo ut dei famulo aperta machinatione resistentes : contumacem illum ac despicabilem attrectarent . Impletum est itaque in illo quod scriptum est : nemo propheta sine honore nisi in patria sua . idcirco non multas ibidem uisus est operari uirtutes : quod ob eorum accidit incredulitatem : uerum dum nonnullos pie credentes splendor lucis attenderat : aliqua uero impie derrogantes tetra calligo suffuderat : sequaces currunt ad gloriam : perfidi meritam trahuntur ad pœnam . Illorum denique pertinaciam beatissimus animaduertens uir grandi admodum mærore afficitur : beati apostoli Pauli optantis se anathema fieri a christo pro fratribus cognatis secundum carnem . Sed tamen alta consyderatione perpendens quam occulto et subtili dei iudicio agitur : quod quorumdam auribus prædicatio sancta subtrahatur quia per gratiam suscitari non merentur : sicut scriptum est : Tollatur impius : ne uideat gloriam dei : Itaque carnalem cognationem pro nihilo ducens : quasi hostes catholicæ religionis abhorruit : adeo ut omnem eorum

conuersationem detestans dauitico suffultus exemplo : ageret intra se : Non sedeam in concilio malignantium : et cum sceleratis amplius non communicabo : sed adhærebo innocentibus : et circundabo altare tuum domine ne cum impiis mensam participando : fiat mihi in scandalum . Moxque cœpit sanctorum patrum priscorum acta ad mentis oculos reducere consyderans quemadmodum sancti patres diuina implendo mandata angelorum | ciuium participes effecti cælorum adipisci regna meruerunt : Qui tamen repperit Habraam dei amicum diuino iussu de terra et cognatione sua exisse : multosque alios dei electos relinquendo terrena : centies multiplicato fœnore in cælestibus accepisse . Protinus omni cum uelocitate diuina iussa implere festinans renuntiansque omnibus : non surdus euangelii auditor factus : abrenuntiauit semetipsum sibi . tulit crucem suam : et secutus est Christum . Ita factum est : ut pro Christi nomine longius a solo discedebat paterno : tantum quottidie mereretur fieri cælo uicinior . Igitur inde progressus non multis euolutis diebus Nouarie se recepit : Ibique Laurentium præsbyterum multo ante ab occiduis partibus pro Christi nomine aduenisse repperit . Quo fidei feruore uestitus contra gentilium malignam perfidiam : quasi signifer et belligerator inter hostiles fremitus per medias acies dimicabat . quin etiam fide cinctus propriis manibus hinc procul ab urbe sacros construxerat fontes : in quos iugiter baptismum in sancte trinitatis nomine celebratur : deum quoque in trinitate perfectum non desinebat gentilibus insinuare quem nouerat : eiusque iudicium et misericordiam anteponens : paulatim studebat sociare deo animas : quas diabolo sua prædicatione auferebat . Miroque modo actum est : ut inermi uiro haud quanquam plebs armata posset resistere . Tantas etiam per illum dominus dignabatur exercere uirtutes : ut rebellium corda non minus miraculis quam prædicationibus obtineret . Sed dum quodam die iuxta morem innumerabilem turbam paruulorum baptismi gratia renatam domino conseerasset† : et inter nefanda mausolei cultorum agmina intrepidus pergeret : ab impiis una cum multitudine paruulorum tunc baptizatorum : martyrio coronatus uitam finiuit præsentem : sed æternam in cælis cum angelis adeptus uictor triumphat : cuius uenerabile corpus hactenus et usque in præsentem diem multis quottidie signis et miraculis sanitatum in ipsa urbe Nouaria coruscat : Sed gratias tibi domine Iesu : qui infestantis inimici tæla : probationem tuorum fidelium permisisti esse || non uulnera . Et talem tuis præstas pro labore mercedem : ut nullum tuorum fuisse gaudeat hostis imbellem : Igitur dum ad peculiaris patroni gesta suscepti officii tendit obsequium : non multa quæ per eundem beatissimum Laurentium martyrem sunt gesta prosequitur . Tamen immemores sui nos non fuisse sufficiat : In talibus enim causis magis conuenit fideli credere : quam possit humana relatio demonstrare . Igitur beatus Gaudentius dum ad ipsum athletam Laurentium peruenisset : gratissime ab eo susceptus est : Cui gradatim adhærendo et diuinos monitus obsequendo iuridicus æmulator factus et plenissime in sanctæ trinitatis norma eruditus : pari collegio diutius gregem pauit regium . Sed post gloriosum ipsius excessum certum est illum beato Martino in Mediolano urbe metropoli propter gloriosam illius doctrinam comitem scribam adhæsisse . Sed dum Constantii imperatoris tempore arryana hæresis toxicatæ radicis uenenato flore pullulasset : et prædicto imperatori a quibusdam hostibus catholicæ fidei Valente et Vrsatio persuasum esset : ut beatissimus Eusebius uercellensis episcopus cum plærisque deo dignis pontificibus exilio condemnaretur : quod . et ita factum est : Eodem iam tempore beatus Gaudentius timore nudus : et fidei feruore uestitus : Christique caritate securus nihil de sua morte formidabat : Sed ut præcipuam ac sublimem caritatem qua Christus pro amicis animam ponere docuerat : in semetipsum formam ostenderet : et ostendendo manifestaret concitus absque omni dilatione adhærens beatissimo uiro sancto Eusebio confessori prompto animo : una cum ipso exilium expetiit : et ultro cum eo pergit quasi minister et comes mori paratus exul etiam diuino amore a sodalibus factus : quia ut scriptum est ualida est ut mors dilectio . O iure perfectissimum uirum : cuius imitatores ipsi esse desyderant sacerdotes : Qui pene ab ipsis rudimentis tanta caritate flagrabat ut in initio beatissimo Laurentio adhærens martyrii eius adiutor effectus : quasi mitissimus lector ordinis sui officium | doctissime præsentaret . Dehinc beatissimi Martini egregii confessoris sectator factus ac peritissimus omnium notariorum inuentus : quasi sæculi ordinis gradus ascendendo scandebat : Nunc autem tanto confessori Eusebio in suo discrimine iunctus magis uult consequi martyrium quam ad pontificalem

gradum ascendere . O uere beatum per omnia uirum : qui secundum apostolum Paulum optat dissolui et esse cum Christo : cui uiuere Christus est : et mori lucrum : Hinc datur intelligi quanto amore Christum dilligebat : quando non formidabat in principatu Constantium : Nam quod se pro Christi caritate sic ingerebat : aperto exitio optabat martyrium : si non defuisset illi percussor : Constat ergo qualis tunc temporis beatissimus uir deuenerat præceptor : qui tales tamque peritos habuerat magistros . Sed nunc ad narrationis nostræ sermonem redeamus : postquam pastoris absentia uercellensem plebem destitutam antiquus hostis perspexerat : malignis quibusdam suasionibus atque interno bello memoratam dei ecclesiam omnemque plebem uisus est impugnare . Sed otyus opitulante deo adæsit† dei clæmentia per aduentum beati Gaudentii : Qui dum ab Eusebio pio pastore propter gregis custodiam in prædictam urbem fuisset destinatus : ultra citraque præcauens dei gregi non sunt cum lupi morsibus laniare : sed omni sollicitudine secundum prophetam ex aduerso ascendens : ac murum opponens pro domo israel : ut staret in prælio in die domini . nimirum uicem egregii pastoris in prædicta ecclesia repræsentans : pernox super gregem omni cum sollertia diutius uigilauit usque dum remeanti pastoris caulas heriles illæsas assignauit . Tribus itaque euolutis annis . cum rediisset Eusebius utpote socius et collega eundem Gaudentium summo honore prosecutus est : Ac pro tanta uicisitudine : utrasque dei ecclesias demum communi regimine utrique plebi quasi prospectores fuerunt : Ac si ex duobus gregibus unum ouilæ effectum : utrumque gregem indiuidua caritate coniunxerunt . ex tunc et nunc : et usque in præsentem diem dei nutu plebs indiuisa permanere uidetur : || Inter hæc adest dei mirabiliter magnificientia† in sanctum suum : ut cœpte opus uirtutis prosperioribus succesibus propagaret : et quasi cælitus lumen ostensum totum orbem claritate superni luminis illustraret . Per idem tempus beatissimus uir intra mœnia urbis non longe ubi nuper sancta dei mater ecclesia sita cognoscitur quoddam hospitiolum ceu cœnobii claustra circumspectum ad habitandum expetierat : Ad quod cum primum fide armatus et constantia accessisset intrepidus : tradidit semetipsum integre abstinentiæ plurimæ : in ieiuniis : in uigiliis : Ita ut si quando parum aliquid somni necessitas naturalis exigeret : hic non supra strati molitiem sicut nunquam consueuerat : sed supra solius matulæ cilitiique dependeret superficiem . Ibidem quandam noctem dum pene uigilando insomnem duceret subito intempeste noctis silentio casu cuiusdam demeantis ignis super mœnia exortus est : ex quo ea circundans ingens excreuerat flamma : quæ usque ad eius hospitium citius deuenerat : ubi parumper sopore tenebatur . Insuetam tandem per discipulum causam repperit : cursuque præpete pergens flammarum focum canticis spiritualibus circumiit immense altitudinis signo crucis flammis resistere parat . quare ex omni parte uicinas adhærentesque domos flammæ dum tangerent in se reuerse cæteras non audent domos contingere . exultans ad hospitium pergit : ibique canens matutinis horis debitas persoluit laudes . Non multo post cum uir beatissimus decus ecclesiarum Ambrosius sancte mediolanensis ecclesiæ pontifex pro quadam plebium dissensione : ad uercellensem urbem properasset : et instar solis radiis orbem totum illustrans inibi perhennem pacis concordiam reliquisset . festinans ad sedem propriam remeare : Cumque uesperascente iam die nouariensem præteriret urbem : et festinans ad locum propositum properaret : distulit uidere beatum uirum : dicens comitibus suis : Debueramus uidere reuerendum Gaudentium : sed iam declinat dies ad uesperum : His dictis carpebat iter : quod ceperat : Nec multo post | inde progressus subito stetit equus beatissimi Ambrosii : nec ultra illum mouere potuit : cœpit itaque equum flagello cædere : et calcaribus cruentare . equus uero immobilis permanens cœptum iter quasi mortale præcipuum pertimescebat . Cumque diu cedendo tantus uir fatigaretur : protinus diuino radiatus spiritu iuxta morem ad semetipsum reuersus dixit : Non nobis permittitur cœptum iter peragere : nisi uiderimus beatum Gaudentium : Hæc cum dixisset . statim retrorquens uestigium : ad urbem regressus : quo uoluit iuit : sed uolens . beatus Gaudentius ubi per spiritumm† tantum uirum ad se uenientem agnouit : illico obuiam ei temptauit occurrere : At ille intuens eum alacri animo amplexus et osculatus est : et quasi increpando mysterium annuncians dixit ei : episcopus eris : ut uideo . Ille uero qui meritis idemque futura præuidens placabili facie : ut erat : non subiurgando sed quasi uicisitudinem reddendo respondens dixit ei : utique : sed ero sacrandus ab altero . Id actum

est : ut causam paris miraculi uno locuti spiritu : ille in re : iste in tempore uterque futura uaticinatus est . Dehinc uicisim sibi uale facientes : sanctus Ambrosius metropolim suam repetiuit . At non longum post tempus secundum beati Gaudentii uaticinium glorioso excessu migrauit ad dominum : dignum sibi beatissimum Simplicianum ipse post funus prædicendo successorem relinquens . Sed iam appropinquabat desyderatum tempus uotis omnium optatum ut plebs diutius expectata pontificem sibi fore beatissimum Gaudentium terreno principi orando expeteret : quem nouerat omnino cælesti principi bene complacuisse . Nihilominus tenuem cum paucis uerbis legationis formulam mittunt : optatam patefacientes causam : orantesque ut precum suarum dignetur fieri clæmens auditor : Ita ut deo dignus beatus Gaudentius ad sacrum culmen euectus sedem tandem regiminis susciperet . Repente cælesti dono princeps usus subtilitate consilii : omniumque repressa cupiditate iussit sine dillatione impleri : quod diuina prouidentia fuerat prædesti || natum : Et ita domino procurante : episcopales apices meruit primus et nouariensem sedem . Decus igitur pontificale a beatissimo Simpliciano archiepiscopo nactus magis oneri fuit . factus est denique omnia omnibus non quærens quæ sibi utilia essent sed quæ multis : ut salui fierent . Et subito uelut lampadem quandam sacerdotem suum dominus accendere dignatus est augens quottidie per ipsum prædicationem uerbi : et salutaria semina regni cælorum . Mox usque adeo in emendatione populi uetustis infectum uenenis perfecit : ut impii mausolei cultores : qui dudum beatum Laurentium martyrem fecerant : quasi nouellam lucem ueritatis sibi aspicere uiderentur : ut ita nullum sine mora absque baptismi gratia in urbe sibi cælitus tradita : habitare permisisset . Nam qui meruerat esse confessor : non cunctatus est trucibus populis accedere prædicator : sed cum pro eorum conuersione iugiter dominum deprecaretur : ac doceret eos per baptismum habere remissionem peccatorum : et non aliter posse eos saluari : quasi ueri solis radii in eorum corda resplenderent : obstupentes ac reuelata facie dei intuentes gloriam et antiqui pœni errore fideli confessione uolentes ab ipso pontifice baptizati sunt . Diuino igitur munere bellator egregius prædam inimico abstraxit : auctori restituit . Breue et post tempus tanta in eum uirtutum gratia augebatur : ut non minus per ipsum signa quam dudum per apostolos fierent . Nam ut paulo superius diximus quod in iuuentute positus dæmones uerbo fugaret : et ægros sua oratione sanaret : magnificari uisus est deus quottidie per sanctum suum uirtutes exercendo : Ita ut posthac cæcis uisum : surdis auditum : locutionem redderet mutis : claudis gressum integraret . et quod longum esset enarrare per singula . porro quia dudum in terris positus dominus et saluator discipulis dixerat : si credideritis in me opera que ego facio et uos facietis et maiora horum facietis . adeo enim ad fidei amorem uirum beatum spiritualis flamma succenderat : ut si quispiam aquam distillantem e manibus eius cum dilue | rentur occulte præriperet : et languentis cuiusque corpus attingeret apertissima proinde medela sequebatur : sed et quanta aut quæ per eum dominus postremo egerit signa : non aliis nisi qui oculis tantum suis intuti† sunt : putantur esse credenda : Porro sine intermissione studebat beatissimus uir diuinis epulis omnium reficere corda : agendo : ne prætermitterent mandata prorsus replicans illud saluatoris edictum : Nolite possidere aurum neque argentum : sed secundum apostolum habentes uictum et uestitum : his contenti simus . Ipse uero totis uiribus elaborabat castigans corpus suum : et in seruitutem redigens : ne forte aliis prædicans : ipse reprobus efficeretur . Eatenus ut prædicando et operando duplicatum de negotio lucrum ad dominum reportaret : Et quoniam secundum saluatoris uocem ea quæ docuit ipse prius per omnia fecerat : quis dubitet illum magnum in regno cælorum esse ? fuit enim sacerdos dei pontificalem petasum gestans qui in semetipsum crucifigendo corpus et persequendo uitia mortificatione carnis nouum adeptus est martyrium . sed cum satis abundeque ecclesias : monasteria : cellasque per parochias construxerit : et innumerabilium clericorum pater effecctus† exultaret de summo studio filiorum : tandem fœnus repositum ab eterno patre parat exigere . dominus itaque consolari ac remunerare seruum fidelem non distulit : Nam cum iam quattuor lustra in pontificali gradu complesset : et uicinum suum obitum affuturum cognosceret : utilius esse ratus est : ut dum superstes adhuc esset : successorem sibi futurum presagiis ostendendo nunciaret : ne in posterum aliqua disceptatio ut plærunque fit de pastore futuro : inter gregem sibi cælitus commissum oriretur : Itaque coacto clero

cum plebe : monuit primum : ut uerba dei quæ per semetipsum reserata auribus perceperant mente retinerent : ita ut æterne mortis periculum formidando ad cæleste regnum quottidie properarent : et alia complura hoc etiam addens ut uniuersus ecclesiæ populus futurum sibi pastorem suumque religiosum successorem uirum prudentem || Agapium nomine a deo prædestinatum scirent cunctique in eius electione unanimiter concordando persisterent ne contra diuinam præsentiam plebs inscia rebellare uideretur : Et dum talibus monitis uirtute qua poterat plebem docere beatissimus uir non cessaret : nec multo post plenus dierum meritorum splendore coruscans terrena terris commendat . spiritus uero cælesti angelorum choro interesse desyderans celsa conscendit . Subito innumerabilium populorum undique caterua confluxit . Constipantur mœnia : atria : omnes plateæ . Erat omnium planctus immensus . mæror intolerabilis . Ea tantummodo inter singultuum uerba dolentium gemitus extorquebat : heu grex desolate : quid agis ? en amisso pastore dispergeris : Et quis unquam te a luporum rabidis dentibus quibit liberare ? Per illud uero tempus basilica ubi nunc dei sacerdos miro decore humatus resurectionis tempus expectat : summo nixu dudum ab eo construi coepta : sed nec dum perfecta remanserat : Quam postmodum uir beatus Agapius cum omni honore consummatam perfecit . Interea destituta plebs gemina tristicia : tam pro excessu pastoris quam pro minus perfecta basilica : tantum angorem sustinere non ualens : pauimentum prostrati humanum supra modum mugitum reddebant : ita dumtaxat : ut nec etiam ministris ecclesiæ permitteretur libertas officii persoluenda . Tandem uir sanctissimus plebem quam corpore non affectu reliquerat spiritu uisitare properat . Nec mora cælitus diuina inspiratio sic omnium corda perfudit : ut uenerabile corpus in sanctam dei matrem ecclesiam non humano sepulcro sed reseruandum solo deponi deberet : usque dum prædicta aula tanti pontificis præparata a uiro reuerendo Agapio successore consummata perficeretur . Denique uniuersa populi multitudo diuina illustratone† radiata : præteritisque eius uirtutibus roborata omnem ambiguitatem de corruptione sacri corporis iuxta morem abicientes sanctum ac uenerabile corpus in ligneam secretarii tabulam superponentes omni ueneratione sanctas exequias | inibi constituentes persoluendas iugiter percensuerunt : atque ita sacratum corpus roseo fulgore micans : odorisque fragrantia redolens ab undecimo calendas februarias : usque ad tertium nonas augustas inhumatum fuisse quis ambigat ? quod tamen corpus non paruum miraculum in semetipsum ostendendo quottidie a pluribus uidebatur . enimuero capitis genæque cæsaries unguesque manuum ac pedum ut olim uiuenti : ita multis uidentibus iugiter crescendo germinabant . Ob hoc ergo beatissimus talia in corpore suo meruit ostendere signa : quatenus cunctis uidentibus daretur intelligi : ut quem primum in terra mortuum sine consolatione lugebant : hunc postmodum uiuentem in cælis cum angelis crederent . Post hæc uero signa ita affatim uariis infirmitatibus salutem reddendo se prodidit esse præsentem : ut quasi cælitus ostensum lumen aut radius quidam solis erumpens totum claritate superni luminis illustraret : Ex quo ex non paucis uicis ciuitatibusque non uicinis tantum uerum etiam peregrinis immensa multitudo populi ob tam aperta miracula ad sanctum et uenerabile corpus confluebat . Inter hæc beatus Agapius una cum omni populo ante dictam basilicam ingenti sumptu cultuque eximio consummatam debitis cerimoniis dedicauerunt . senis deinde post defunctum mensbus† : bis senis diebus additis : sanctum corpus incorruptum uelut unius diei post funus summo honore sepulcro tradiderunt : ubi quottidie operante domino nostro Iesu christo : merita illius celebri populorum frequentia clarescunt . quo fit ut experiantur infirmi : quam dei famulum illis conueniat honorare : Vbi recepit cæcitas uisum : debilitas gressum : et obstrictæ aurium ianuæ capessere auditum merentur : Et quam in uniuersos fines eius uirtutum mira clairtas† refulsit uix cuiquam licere puto exprimere : unum tamen de multis celebrandum miraculum ut potero memorabo : puella in urbe Roma nobili stirpe procreata innumerabiles opes immensasque diuitias possidebat dum uero die quodam || secreta pomerii sui lustraret : dæmonum telis improuida repente cessit pectusque fœdatum legionum templum efficitur : Eamque sodales tandem petulcam reperiunt . Non possunt pauci furentem uincere : quæ cunctis debacchata dentibus frendens rabido ore sodalium hostis efficiebatur . Interea undique uallatam cathenis muniunt ad beati Petri principis apostolorum ecclesiam ducunt : ad locum tumulo eius sacro pertrahentes admouent . Tunc demum dæmonum phalanx per obsessum corpus

in modum organi uarias exprimit uoces . Et nunc uibrans uenena serpentis sibilos perflat : nunc mugitus pecudum ballatusque ouium nunc crocitatus auium aut ferarum rugitus imitatur . Tandem beatissimus Petrus apostolorum princeps pietate motus : per quendam sanctissimum uirum mysticam dignatur manifestare uirtutem . Monet sodales longinquam subire uiam : hesperiam cunctam lustrare : propero cursu Nouariæ contendere ciuitatem si modo salutem misere expetunt quam dæmonum uincula tenent : quodque beati confessoris Gaudentii limina adirent : futurum ut eius meritis : pristinam paruo tempore captiua reciperet sospitatem . Illico iussis superni ianitoris parentes arripiunt iter . ac quingentis millibus fere urbem Nouariam perueniunt : Vbi puella mox ut templum ingressa est dæmonum uexatione statim liberata conspicitur . ferreis catenis soluitur illicoque ad beati corporis sedem peruenit . atque profusis gemitibus genisque rorantibus lauit . Tum sanata attollens ad sancta mysteria uultum : grates refert pro tante dono salutis . Mox mirante populo eiusdem sodalibus plebs ualida surgit : dat laudem domino Christo : Et sic demum exultans properat reuisere cognatos incolumis remeando propere ad propria pergit : usquedum ouans perueniret tandem sospes in urbem : Hæc competenter gesta hoc modo illicet rabiose parentes cunctique pro ea afflicti uelut salutem receperunt suam . Interea gratia plebis salusque ueneranda micabat : quam cuncta per ora fulgens deli | tuit fama . ita nt[†] cum profeta plebs uniuersa clamaret : Visitasti domine terram . et inebriasti eam . O quanta tibi gloria Christe per eum . qui ut famulum tuum parem beato ostenderes Petro . per eiusdem superni ianitoris responsa : tanto miraculo illum declarare uoluisti : Quæ res ita ubique inter cætera eius miracula splendore gloriæ respersa coruscat : ut uniuersus populus urbis Nouarie laudem deo canat dicatque . Posuisti domine desertum in stagnum aquæ : et terram sine aqua in exitus aquarum . Vnde et præsens ecclesia clamat . dextera domini fecit uirtutem : dextera domini exaltauit me : Vere tua sunt hæc domine gratuita dona . Tuæ fonte pietatis uiuam aquam ignaris infundis : et inania pectora supples . Nam ut tantarum virtutum miracula et gesta retexam : nec sufficit mens sterilis nec pagina uilis . Hæc pauca ausus propere percurrere uerbis signaui indoctis : populis relegenda fidelibus meritis fultus beati pape Leonis : Qui deo auspice suppremus possedit sedem beati Gaudentii nouariensis ciuitatis . quæ gaudet per eum plebs uniuersa patronum . His gestis beati uiri ut si indignis quibuscunque explicata sunt : dictis nunc tempore congruo terminum dare disponimus . Ori manum imponimus : introrsus ad conscientiam redire festinamus : Et quidem indigni famuli dum imitari non possumus patronum : nobis fieri precibus postulemus : ut eius meritis adiuuemur . cuius natalitia celebramus . Eo opitulante qui cum patre et spiritu sancto uiuit et regnat . per infinita sæcula sæculorum .

PASSIO SANCTORVM GALLICANI HILARININI[†] . ITEM SANCTORVM IOHANNIS ET PAVLI MARTIRVM .

Sub constantino augusto Gallicano duce romani exercitus persarum gens quæ syriam inuaserat uicta est : et utiliter subiugata . Quo cum triumphalibus infulis sublimatus ac || ceptus esset Augusto et carus : filiam eius sacratissimam uirginem Constantiam : constanter sibi poscebat uxorem : Et hoc non mediocri instantia flagitabat tempore quo imminebat gens scythica : quæ et Daciam et Thracias occupauerat . Et quoniam multa auctoritate erat et potentia comes ac præfectus romano assentiente populo id fieri postulabat . Constantinus uero Augustus longe factus est mœstissimus . sciens filiam suam positam in sancto proposito : facilius occidi quam a tali proposito reuocari posse : quæ cum patris sollicitudinem studio conaretur sanctitatis excludere dixit ei : nisi certissimum haberem : me a deo nequaquam derelinqui : recte formidini meæ : et sollicitudini tuæ locus quispiam esset . cum uero certa sim deum mecum fore : pone omnem sollicitudinem et te daturum me illi coniugem repromitte : ita ut cum scytharum superauerit gentem : uictor me simul et consul accipiat . Huius autem sponsionis gratia duas filias uirgines quas ex amissa coniuge habet :

mecum usque ad nuptiarum diem esse permittat : si secum præpositum et primicerium Iohannem et Paulum esse gratanter admittat : ut ille per meos familiares alloqui et cognoscere ualeat : et ego illins† per eius filias uotum mores institutumm† cognoscam . Sicut Christi uirgo disposuit : et uelut sub arrationis locum : dantur duo fratres eunuchi ex latere auguste duæque sorores Gallicani filiæ ipsi Augusto traduntur . quæ ita liberalibus sunt studiis eruditæ : ut uix illis par in uirorum scientia numero sapientium inueniri potuisset : quarum una Attica altera Artemia dicebatur . has ubi Constantia ad se uenire cognouit : expandens manus ad dominum sic orauit : Domine deus omnipotens qui me orationibus tuæ martyris Agne a lepra mundasti et semittam mihi amoris tui propitius ostendisti porro uirginis tuæ matris thalamum reserasti : ubi sponsus tu filius manifestatus es : tu genitus ex Maria tu genitor probatus Mariæ : tu eius lactatus huberibus tu etiam omne sæculum nutriens : simul et illam a qua lactatus es et nutritus | tu infantulus crescens ætate : tu omni mundo incrementa concedens : tu sapientia proficiens : cum sis ipse totus sapientia : tu ita magnus : ut te magnificentius nihil sit : tu uerus homo de matre ex tempore editus . uerus deus ex patre sine matre genitus : deus de deo . fecisti . quæ non erant : ex matre sine patre carnali editus : quæ lapsum incurrerant reparasti : tu fusus in lucem illuminatus es : cum sis : qui illuminas omnem hominem uenientem in hunc mundum : Te deprecor credens ut ipse iussisti : te quæso agens quod ipse promisisti : cum diceres : Amen dico uobis : quod quecunque petieritis a patre in nomine meo dabit uobis : Peto itaque domine : ut has Gallicani filias lucreris : ipsum quoque Gallicanum qui me tibi tollere conatur tuæ fidei applica castitati . Aperi domine os meum auribus earum : et aperi aures cordis earum sermonibus meis : et consensus earum mihi ianuam pande : tantamque uerbis meis uirtutem infunde : ut carnis commercium execrantes tibi consecrari desyderent : Et ex ipso desyderio tantus amor in earum mentibus oriatur : ut feruentes ad thalamum illum tuum cælestem peruenire studeant : quæ plenis oleo lampadibus et tuæ caritatis fulgentes flammis attingant : ut locum sibi inter sapientes uirgines datum cognoscant : et de tua misericordia gloriantes nihil terrenum desyderent et te solum integro affectu suorum uiscerum concupiscaut† Hanc uero orationem fecisse Constantia ipsa narrante didicimus : quam etiam ab ea legimus scriptam : Qualiter autem ad deum Atticam Artemiamque conuerterit : studio prætereo celeriter narrandi martyrium Gallicani . Veniens itaque Gallicanus ouans a Constantino Constantio atque Constante augustis susceptus est : et ab omni comitatu ac senatu : qui non ingressus est Romam : nisi prius ad sacra Petri apostoli limina perrexisset : cui Constantinus ait : cum ad bellum pergeres : capitollium et templa ingressus dæmoniis immolasti . inde uictor rediens Christum et eius apostolum† . adoras quid hoc rerum sit cupienti mihi nosse . || pande per ordinem . Tunc Gallicanus : cum scytharum me gens in Thraciarum philipolim urbem conclusisset : et strages plurimas nostrorum fecisset : metuenti mihi confligere cum eis : quod exigua mihi manus : hostium uero militum esset innumerabilis multitudo : insistebam sacrificiis dei et marti uanas uictimas offerebam . Quid multis immoror? Ad ultimum creuit obsidio et uniuersi tribuni mei ac milites : se hostibus tradiderunt : Cun que cuperem fugiendi aditum reperire : Paulus et Iohannes ex quibus præpositus unus est : primicerius alter : dominæ meæ : pietatis uestre filiæ Constantiæ auguste : dixerunt mihi fac uotum deo cæli : quod si te liberauerit christicola fias : et eris quod non fuisti uictor . Fateor sacratissime imperator : mox ut hoc uotum meo est ore prolatum : apparuit mihi iuuenis statura excelsus ferens in humero crucem : Dicens : sume gladium tuum et :† sequere me : Quem ego dum sequerer : apparuerunt mihi hinc et inde milites armati confirmantes me : et dicentes : Nos tibi præbemus officium : tu ingredere hostium castra : et dextra leuaque gladium tenens euaginatum : respice quousque uenias ad regem ipsorum : nomine Bardan : Quo cum peruenissem cum eis : ueniam sui sanguinis prostratus meis pedibus postulauit . Nullum penitus ex eis occidi gladio nec feci nec iussi . Hunc uero regem eorum Bardan cum duobus filiis uinctum ab illis militibus accepi . et ita uniuersæ sunt Thraciæ liberatæ a gente scytharum : et tributarii facti sunt . Tribuni omnes . qui ad me cum suis reuerti uoluerunt : nisi fierent christiani a me recipi minime potuerunt . consentientes uero gradu sublimiore auxi : non consentientes priuari† militia . Me ipsum factum christianum ita deo deuoui . ut a coniugio etiam mihi promiserim abstinendum . Ecce habes quadruplicatum exercitum : hahes†

et omnem gentem scythicam subiugatam ac tributariam et totas Thracias liberatas : Mihi uero feliciter iubete succedi propitium : quo possim uacare religioni : quam didici : et in ueritate constare perfecte : | quam uoui . Tunc imperator Constantinus misit se in amplexus eius referens uniuersa : quæ gesta sunt circa filias eius et quo modo sunt uirgines Christo utiliter consecrate : uirginesque duas per ipsas ad suam gratiam euocauerit deus : et quo modo eruditionis summam arripiens : a perfectione cœperit : Tunc cum Augusto intrante pallatium Gallicano : occurrit Helena cum filia sua Constantia : et filiabus ipsius Gallicani : fundebantque lachrymas gaudiis plenæ : Non permittitur domum reuerti propriam Gallicanus : sed quasi gener Augustorum in pallatio successit : consyderans filias sic suas in dei laudibus flæntes : Mox cum uellet Priuatus abscedere : rogatus ab Augustis consul processit et in fascibus positus ad quinque millia seruos ciuesque romanos fecit liberos : quibus prædia domosque donauit : cunctasque facultates suas excepto iure filiarum distrahi ac distribui pauperibus iussit . Tum se in hostiensi urbe manenti sancto uiro cuidam Hilarino nomine socium fecit : cuius habitaculum ad peregrinorum susceptionem fecit ampliari : sicut et ipse sæpe faciebat . huic multi ex seruis eius quos liberos dimiserat adhæserunt . Et diuulgata est fama eius per totum orbem : ita ut ab oriente et occidente uenientes uiderent uirum ex patricio et consule qui amicissimus erat Augustorum lauantem pedes : ponentem mensam : aquam manibus effundentem . Languentibus sollicite ministrantem : et exibentem sancte seruitutis officia . Hic primus in hostiensi urbe instruxit ecclesiam : et ditauit officia clericorum . Huic se sanctus leuita Laurentius reuelauit adhortans eum : ut in eius nomine ecclesiam fabricari faceret in porta : quæ nunc usquea[†] Laurentia nuncupatur . Rogatus autem ut leuaretur episcopus : non consensit : sed ex sua uoluntate ipse qui ordinaretnr[†] elegit . Tantamque ei gratiam contulit deus : ut dæmoniis pleni mox ut uisi fuissent ab oculis eius : protinus mundarentur . multaque in eo sanctitatis insignia . Sed cum a Constantio Iulianus Cæsar factus esset : dedit le || gem ut : christiani in hoc sæculo nihil possiderent . Tunc Gallicanus habens in hostiensi pago quatuor casas qnarum[†] pensiones his operibus quæ prædiximus ministrabat : ita deum habere meruit defensorem : ut quicunque ingrediebatur in eas aut poneret titulos fisci : aut exigeret pensiones : statim diabolo rep'ebatur . Et quicumque reddituum eius esset exactor : leprosus fiebat : Tunc interogata dæmonia : dederunt responsum : quod nisi sacrificare coactus fuisset Gallicanus : exactores reddituum eius ista pericula non uitarent : Et quoniam nullus audebat conuenire de hoc scelere Gallicanum : Mandauit ei Iulianus Cæsar dicens : Aut sacrifica diis : aut discede a finibus Italiæ . Statim relictis omnibus Alexandriam petiit : et ibi iunctus est confessoribus Christi per continuum annum . Post etiam recessit in heremum : ibi a Rauciano comite templorum cum cogeretur sacrificare : et contemneret : percussus est gladio in corde : et sic Christi martyr effectus est : Atque ita gaudens perrexit ad dominum cum triumpho : cui statim Basilicam sui nominis construxerunt in qua exhuberant martyris beneficia : Hilarinus autem uir dei qui quondam Gallicanum in hostiensi urbe susceperat : cum cogeretur a persecutoribus fidei christiane sacrificare : et nollet : fustibus cæsus martyrii palmam sumpsit : cuius corpus christiani uenerabiliter sepelierunt in Hostia : Præterea Iulianus cæsar cnpiditate[†] sacrilega auaritiam suam euangelii testimonio colorabat : Nam facultates ac patrimonia auferens christianis : dicebat Christus noster : dicit in euangelio : Qui non renuntiauerit omnibus : quæ possidet : non potest meus esse discipulus : peruenitque ad eum : quod Paulus et Iohannes omni die turbas christianorum pauperum recrearent ex his opibus : quas sacratissima uirgo Christi Constantia reliquerat . Et misit qui eos conuenirent : dicens : debere sibi eos adhærere . Illi uero dixerunt : uiri christianissimi Auguste memoriæ Constantinus et Constans : et eorum nepos Con | stantius : cum Auguste dignitatis apicem ornarent : et seruos se Christi esse gloriarentur : nos famulabamur imperio eorum . Pergentes et enim in ecclesia excusso diademate : se deum ad adorandum pronos in faciem prosternebant in terram : Post uero mundus non dignus fuit habere tales Augustos : et cæli eos inter angelos susceperunt : superfuit nepos Constantini Constantius : qui ex quo tibi solium tradidit regni : reliquisti religionem uirtutum plenam : et sequeris eam : quam optime nosti a deo penitus non possideri . Pro hac iniquitate a tua salutatione destitimus : et a societate imperii uestri nos ipsos omnino subtraximus . sumus enim non falsi christiani sed

ueri : Quibus Iulianus mandauit hoc : Ego etiam clericatum obtinui . Et si uoluissem ad primum gradum ecclesiæ peruenire : potuissem . sed consyderans uanum esse relictis rebus necessariis et utilibus inertiam sectari et otium : bellicis rebus animum tradidi : et diis fautoribus sacrificaui : ita ut ad imperii fastigium peruenirem . tamen consyderare debetis : qui et uos regia aula nutriti non debetis deesse lateri meo : ut habeam uos primos n[†] palatio : Quod si contemptus a uobis fuero : necesse est mihi agere[*]: ut contemni non possim . Tunc Paulus et Iohannes dixerunt Non tibi facimus hanc iniuriam : ut præponamus tibi qualemcumque personam . Dominum tibi præponimus : qui fecit cælum et terram mare et omnia quæ in eis sunt . Non timemus tuas inimicitias temporalis hominis : ne inimicitias incurramus æterni dei . Ideo scire te uolumus : quia nunquam ad salutationem tuam : nunquam ad culturam tuam nunquam ad palatium tuum uenimus : Quibus Iulianus ait : decem diebus dantur a me inducie : ut animum uestrum componentes prudentiori consilio non coacti sed ultro ad me uenire maturetis . sin hoc non feceritis : coacti post hæc facietis : quod facere non sponte curatis . Paulus et Iohannes responderunt : iam induciarum nobis extima præterisse dies : et ideo quæ post decem dies minaris te esse facturum : hodie perfice . Iulianus || dixit : putatis quia martyres uos sibi faciunt christiani . Et cum hæc dixisset iratus surrexit dicens : Decima transacta die sponte ad me uenientes amicos uos habeam : non uenientes uero quasi hostes publicos puniam . Tunc sancti uiri Iohannes et Paulus christianos ad se intrantes : ordinauerunt de omnibus quæ relinquere poterant : ac per totos decem dies incessanter die noctuque eleimosinis insistentes . die uero decima sunt ambo constricti intra domum suam . Missus namque est Terentianus campi doctor ad eos cum militibus cænandi hora : qui ingressus inuenit eos orantes : et dixit eis : dominus noster Iulianus statiunculam auream Iouis ad uos misit ut adoretis illam : et tura incendatis ei : Quod si non feceritis ambo gladio peribitis : non enim decet uos intra aulam nutritos ut publice occidamini . Iohannes et Paulus dixerunt : Iulianus si tuus est dominus : Habeto partem cum domino tuo . Nobis autem dominus alius non est nisi unus deus pater et filius et spiritus sanctus : quem ille negare non timuit . Et quia semel a facie dei proiectus est : uult et alios secum in interitum deuenire : Hæc et his similia multa cum dicerentur : et Terentianus eos ad adorandum Iouem et ad ticia incendenda compelleret : tertia noctis hora transacta est : uolensque placere Iuliano sicut dictum illi fuerat : ut sine strepitu famæ puniret eos : fieri foueam in domo eorum fecit : Et cum decollari eos iussisset : statim inuolui et reponi eos iussit : hanc famam excitans : quod iussu cæsaris missi fuissent in exilium . Nullum enim signum interfectionis eorum inuentum est super terram . Iulianus autem in bello statim persico interfectus est : et Iouiniano facto christianissimo imperatore apertæ sunt ecclesiæ : cœpitque religio christiana gaudere . dæmones autem ex obsessis corporibus intra domum Pauli et Iohannis eiciebantur confitentes sanctam passionem eorum : ita ut unicus filius Terrentiani qui eos decollauerat : noctu ueniret intra domum sanctorum : et clamaret per os eius dæmon : quod Paulus et Iohannes in | cenderent eum . Tunc Terrentianus ueniens prostrauit se in faciem clamans : quod nesciens quid faceret paganissimus homo : iussum cæsaris adimplesset : unde factum est ut dato nomine suo proximo die pascæ perciperet gratiam Christi : quod cum fecisset et post baptismum penituisset assidue orans et flens ad locum illum in quo sanctorum corpora requiescunt : a sanctis dei filius eius mundatus est : et ab ipso Terrentiano descripta est passio ista sanctorum : ad laudem domini nostri Iesu Christi qui cum patre et spiritu sancto uiuit et regnat in sæcula sæculorum .

CONSTANTIVS AD PATIENTEM EPISCOPVM DE VITA SANCTI GERMANI EPISCOPI ANTISIODORENSIS .

Germanus antisiodorensis oppidi indigena fuit parentibus splendidissimis procreatus : et ab ipsis infantiæ rudimentis studiis liberalibus institutus : In quo doctrinæ collatio cum ingenii hubertate consentiens : eruditissimum duplicato bono id est naturæ et industriæ reddiderunt : Vt quæ in eum perfectio litterarum plena conflue-

ret : post adiutoria gallicana intra urbem Romam iuris scientiam plenitudine perfectionis adiecit . Demum tribunalia præfecturæ professione aduocationis ornauit : In quo dum multiplici laude resplenderet sublimi de genere diuitiis moribusque sortitur uxorem : Quem quidem togæ præconiis præheminentem protinus res publica ad honorum præsumpsit insignia . ducatus culmen et regimen per prouincias conferendo . Erudiebatur profecto† oculto diuinitatis iudicio : ne quid perfectionis deesset apostolico pontifici mox futuro . Parabatur eloquentia prædicationibus : uiris† doctrina iustitiæ : uxoris societas ad testimonium castitatis : Cum subito diuina procedit auctoritas : quam consensus uniuersitatis exequitur . Nam cultu diuino omnes dediti cunctaque nobilitas plebs || urbana uel rustica in unam uenere sententiam : Germanum episcopum omnium una uox postulabat . Bellum indicitur potestati : cuius subiectio facilis fuit : cum etiam ab his quos pro se parauerat uinceretur . Suscepit sacerdotium inuitus : coactus : adductus : sed repente mutatus : ex omnibus deseritur mundi militia . cælestis assumitur . Sæculi pompa calcatur . humilitas conuersationis eligitur . uxor in sororem mutatur ex coniuge . substantia dispensatur in pauperes . Paupertas ambitur . Iam uero narrari non potest : qua hostilitate idem ipse sibi consciuerit : quas cruces quæ ue supplicia corporis sui persecutor induerit . breuiter iuxta ueri fidem uniuersa perstringam . Ex ea die qua sacerdotii sumpsit exordium : usque ad terminum uitæ tanti obstinatione tabe corporis animam suam pauit : ut nunquam panem frumenti non uinum non acetum : non oleum non legumen nunquam uel salem ad usum condiendi saporis acceperit . Sane die resurrectionis uel natiuitatis dominice potiones singulæ summebantur : In quibus ita uini sapor aquis nimiis delebatur : ut acceti austeritas solum largis permixtionibus temperari in refectionibus primum cinerem prælibauit . Deinde panem ordeacium sumpsit : quem tamen ipse et coxit et molliuit . Et cum hic cibus grauior ieiuniis iudicetur nunquam nisi uespere : interdum tamen in ebdomade de milio plærumque die septimo ponebatur . Indumentum cuculla et tunica indiscretis fuere temporibus : nam neque hyeme accessit adiectio neque æstate est leuamen amissum : Quod utrunque tandiu usui fuit : nisi forte donatum est pauperi : donec attritione nimia solueretur : cylicio semper interius inhærente . Spacium uero lectuli sui : trabiculæ dolatiles ambiebant : iniectos cineres usque ad summitatem marginum continentes : Qui tum quottidiana impressione densati inconfecti soli duritiam præferebant . Stratum omne subiecto cylicio et super posito lineo sagulo fuit : Caput ab humeris per ceruicis confinium nulla subleuauit adiectio : ita pronus prostata membra in terram damnauerat . Nocti | bus nunquam uestimentum raro cingulum raro calciamenta detraxit . Redimitus loro semper et capsella sanctorum relliquias continente . lugis gemitus : oratio perseuerans : longum enim tempus sonnum capere inter tormenta non poterat . Dicat quisque quod senserit . cæterum absolute definio beatum Germanum inter tot cruces longum traxisse martyrium . o quam præclara dei nostri uirtus et pietas : qui famulum suum in uia ueritatis fideliter gradientem duplici remuneratione ditauit : ut et præteriti : si qui fuerant : dequoquerentur errores : et celeriter defatigato sanctitas præstaretur . Quique peccatis præteritis forsitan tenebatur obnoxius : inciperet patrator esse uirtutum . hospitalitatem peculiari obseruatione seruauit : omnibus enim sine ullius exceptione personæ domum præbuit : et conuiuium ieiunus pastor exhibuit : pedes manibus suis lauit : dominicæ institutionis minister et custos . Itaque uir beatissimus quod est difficilimum inter frequentias populorum solitudinis uitam et heremum in sæculi conuersatione seruauit : Qui duplicem uiam Christo ad profectnm† relligionis instituens : in conspectu oppidi interposito in Canna flumine monasterium collocauit : ut ad fidem catholicam populi et congregationibus monachorum : et ecclesiæ gratia reparentur : præsertim cum tali pontifice uel magistro accedentibus miraculis fides succensa ferueret : Et ut ad temptamenta uirtutum crescentibus meritis ueniretur : non presumptionis sed misericordie initium fuit :

Erat in illo tempore uir bonis moribus Ianuarius nomine : qui cum princeps præsidialis militaret officii : exactos a prouincialibus solidos ad indicem† deferebat : Is cum sedi episcopi causa ex itinere diuertisset : saculum perdidit : quem ferebat : nulloque de circunstantibus intuente casu is reperit : qui uexari inimica infestatione consueuerat . Tandemque in se reuersus damnum uiator agnouit . Implet quæstionibus ciuitatem . et a beatissimo sacerdote non aliter quam si ipsi tradidisset pecuniam

repetebat : Quam || ille in dei nomine reformandam quasi uerus debitor repromisit : Ea tum dies sabbati fuit : qua per totam urbem solicita indagatione percurrit : Et cum nihil inditii fuisset : post tres dies is qui solidos requirebat lachrymis genua sacerdotis amplectitur contestans appetitum se supremæ mortis occasum : nisi pecunia publica fuisset inuenta Indicit ei episcopus patientiam : policetur securitatem : nec multo post priusquam prodiretur ad missam : exhiberi secrete ad se unum ex his qui patiebantur præcepit . fortuito is qui furti auctor fuerat præsentatur : Quem cum districta examinatione discuteret : Dicens fieri non posse : ut admissum facinus lateret inimicum : per quem fieri praua consueuerant . imperat ut ueri fidem celeriter fateatur . sed nequam spiritus crimen ea malitia qua commiserat denegauit . Tum uero pia commotio sacerdotis produci inficiantem in publicum præcepit : nec mora . missam celebraturus egreditur : premissaque in plebe salutatione sollemni in oratione tota corporis strage prosternitur : statimque infelix inimicus et captiuus pariter et minister in sublime suspenditur . ecclesia eius clamore completur . plebs uniuersa turbatur : et quasi flammis circundatus cum uoce maxima nomen sacerdotis inuocat . crimen quod commiserat confitetnr† : Tandemque uir beatissimus ex oratione consurgens accedit ad podium . euocat æstuantem . uniuersa cognoscit . solidi de latebris proferuntur . clamor popularis attolitur : et uno ore Germani meritum : et diuinitatis potentia prædicatur . Eodemque miraculo et deceptus peccuniam et obsessus recepit sospitatem : Plures quidem iam . animo curauerat : sed semper notitiam secreti obumbratione suppressit . hoc uero factum uideo memorabile quia publicum fuit .

Quodam tempore conspiratione terribili beato uiro bellum quoddam dæmones intulerunt : Quem cum multiplicibus insidiis temptatum indutum fidei lorica inexpugnabilem repperissent : contemptam machinam ad plebis excidium contulerunt : Nam primum paruuli deinde maiores natu re | pente tumefactis intrinsecus faucibus interibant : ut irruente morte ægritudinis spacium uix triduo traheretur . Ita furente clade populus delebatur nihilque opis humana prouisio conferebat : et bene trepida plebs ad diuinum præsidium per antistitem decurrit : Qui protinus oleum benedixit : cuius tactu ita intrinsecus tumefacta tabescebat infirmitas : ut statim meatus peruius et anhelitum et cibum deficientibus ministraret : Tantaque celeritate remedium cæleste succurrit : quanta irruerat illata pernicies : quod in iussu malignorum spirituum contigisse unus ex obsessis : dum a sancto uiro purgaretur euomuit : omnesque in fugam uersos eius oratione confessus est .

Erat familiare beatissimo uiro alternis uicibus nunc ecclesiam nunc monasterium quasi dux cælestium militum uisitare : ut certantibus studiis æmulantes ad perfectionis gloriam prouocaret : Multa aliquando occupatione præpeditus cum ad monasterium rogaretur : excusauit aduentum : nec multo post absolutis morarum nexibus insperatam fratribus sui præsentiam deferebat . Contigit ut hora eadem in monasterio unus ex his qui pati consueuerant uexaretur : Qui subito cum summa uoce proclamauit Germanus ad flumen est sine naui non potest transmeare . Diu abbas fidem dictis negauit : dum et nequam spiritum fallere et illum non adesse qui excusauerat indicauit : Cumque in eadem uociferatione persisteret mittitur unus ex fratribus ex quo ueridicum fuisse dæmonem compertum est . Nauigium mittitur . transit sacerdos : et cnm† ea qua solehat† gratulatione excipitur . incumbit sine mora sacerdos . orationi congregatio tota prosternitur : Cum subito per inane aeris inuisibilibus nexibus hostis religatus appenditur : et id tamen morarum fuit : dum de oratione consurgitur . Nihilque aliud precatus est : quam ut cum aliqua corporis debilitate discederet : Quo interdicto : fæda relinquens uestigia : cum eo quo erat dignus fœtore discessit.

Cum iter aliquando hyeme ageret : ac diem || totam in ieiunio et fatigatione duxisset : commonetur : ut cogente uespera quocumque succederet Erat eminus domicilium tectis iam pridem sine habitatore semirutis : quod etiam per incuriam uulgaria arbusta contexerant : ut pene esset melius nocte sub aeris rigore durare quam in illo periculo et onere succedere : præsertim cum duos senes prope habitantes infestatione terribili hanc ipsam domum inhabitabilem prædixissent : Quod ubi uir beatissimus comperit : horrentes ruinas quasi amœnitates expetiit : Ibique inter multiplices quæ quondam fuerant mansiones inuenta uix una est : quæ instar haberet habitaculi . Illic leues sarcinulæ : et paucissimi comites collocantur : quibus breuis cenula esui fuit episcopo

penitus abstinente . Deinde adulta iam nocte cum unus ex clericis legendi suscepisset officium : ille ieiunio et fatigatione confectus sopore superatus est : Cum subito ante ora legentis astitit turba terribilis : et paulatim sub oculis intuentis erigitur . parietes etiam saxorum imbribus colliduntur . Tum uero deterritus lector præsidium sacerdotis implorat : qui statim prosiliens effigiem terribilis imaginis intuetur : et præmissa obsecratione nominis Christi imperat : ut quis esset : quidue illic ageret fateretur : Qui protinus immanitate deposita : uoce humili deprecanti respondit se uel comparem suum auctores criminum fuisse multorum : insepultos iacere : et ob hec inquietare homines : quia ipsi quieti esse non possent . Rogare : ut pro his dominum precaretur : quatenus recepti requiem mererentur . Ad hæc uir sanctus indoluit : imperatque ut locum hostenderet : quo iacerent . Tum uero præcedente umbra progreditur : et inter difficultates maximas ruinarum intempesta nocte : locum in quo proiecti fuerant : indicauit . ubi uero mundo redditus dies est circumiectos incolas inuitat : hortator ipse operisque maturator assistens rudera tumultuarie superiecta per tempus rastris auulsa purgantur . inueniuntur corpora fusa sine ordine : ossa ferreis ad | huc nexibus illigata . ad legem sepultuær† fossa digeritur : membra exurit : aminiculis linteis ambiuntur . Humus superiecta componitur . oratio intercessionis impenditur . obtinetur defunctis requies . uiuentibus quies : ita ut post ipsam diem sine ullo terroris indicio domicilium frequentato habitatore floruerit.

Neque illud omittendum uidetur : quod in eodem itinere post dies aliquos noctis cæcitate compulsus mediocrium personarum successit hospitio : nam id maxime ambitum refugiens requirebat : Cunque in diuino opere sollicito pernoctasset officio : lux orta est nullis gallorum cantibus nunciata : cum earum auium copie in iisdem domibus non dessent† . multum iam esse tempus : quo tristis taciturnitas naturale gallicinium damnauisset . Ab omnibus exhortatus mercedem mansionis coluit . Acceptum est triticum . benedictione condiuit : quo pastu auiculæ conuentus habitantium usque ad molestiam frequentatis cantibus fatigabant . Ita uirtus diuina etiam in rebus minimis maxima præheminebat . Eodem tempore ex britania directa legatio Gallicanis episcopis nuntiauit pellaginam† peruersitatem in locis suis late populos occupasse : Et quamprimum fidei catholicæ succurri debere : Ob quam causam synodus numerosa collesta† est : omniumque iudicio duo præclara religionis lumina uniuersorum precibus ambiuntur . Igitur Manus† ac Lupus apostolici sacerdotes terram corporibus : cælum meritis possidentes : et quanto laboriosius necessitas apparebat : tanto eam promptius serui dei deuotissime susceperunt celeritatem fidei negotii stimulis maturantes . Itaque oceanum mare Christo auctore conscenditur : qui famulos suos inter discrimina et tutos Gallico flabris leuibus nauis in altum prouecta deducitur : donec ad æquor medium perueniret : ubi porrectis in longum uisibilis nihil allud† quam cælum uideretur et mare : Nec multo post occurrit in pelagus religionis inimica uis dæmonum : qui tantos et tales uiros pertendere ad recipiendam po || pulorum salutem liuidis iniquitatibus inuiderent : Opponunt pericula : procellas concitant : cælum diemque nubium noctes subducunt : et tenebrarum caligine maris atque aeris horrorem congeminant . Ventorum furorem uela non sustinent : et oceani moles fragilis cymba uix tolerat . cedebant ministeria uicta nautarum . ferebatur nauigium oratioue† non uiribus : et casu dux ipse uel pontifex fracto corpore lassitudine et sopore resolutus est . Tum uero quasi repugnatore cessante : tempestas excitata conualuit . et iam nauigium superfusis fluctibus mergebatur . Tum beatus Lupus omnesque turbati excitant seniorem elementis furentibus opponendum : qui periculo imminente constantior Christum inuocat . increpat oceanum : et procellis sæuientibus causam religionis opponit : statimque assumpto oleo in nomine trinitatis : leui aspergine fluctus sænientes† oppressit . collegam commonet . hortatur uniuersos . oratio uno ore et clamore profunditur . Adest diuinitas . fugantur inimici . tranquilitas serena subsequitur . uenti e contrario ad itineris mysteria uertuntur . nauigium famulatrix unda prosequitur : decursisque immensis spatiis breui optati littoris quiete potiuntur . Ibi conueniens ex diuersis partibus multitudo excepit sacerdotes : quos uenturos etiam uaticinatio aduersa prædixerat . nunciabant enim sinistri spiritus : quod timebant : qui imperio sacerdotum dum ab obsessis corporibus detruduntur : et tempestatis ordinem et pericula que intulerant fatebantur : uictosque se eorum meritis et imperio negabant.

Interea britanniæ insulam quæ inter omnes est uel prima uel maxima apostolici sacerdotes rapti opinione : prædicatione : uirtutibus impleuerit : Et cum quottidie irruente frequentia stiparentur : diuinus sermo non solum in occultis sed etiam per triuia et rura deuia fundebatur : ut passim et fideles catholici firmarentur : et depra-
5 uati uiam correptionis agnoscerent . erat in illis apostolorum similitudo et gloria . Au | ctoritas per conscientiam : doctrina per litteras : uirtus ex meritis accedebat . Præterea tantis auctoribus assertio ueritatis : atque regionis uniuersitas in eorum sententiam prompta transierat . latebant abditi sinistri persuasione auctorès : et more maligni spiritus gemebant perire sibi populos euadentes : Ad extremum diuturna meditatione
10 concepta præsumunt inire conflictum . Procedunt conspicui diuitiis et ueste fulgente circundati assentatione multorum cognitionisque subire aleam maluerunt : quam in populo quem subuerterant pudorem taciturnitatis incurrere : ne uiderentur seipsos silentio damnauisse . Illic plane immense multitudines : numerositas etiam cum coniugibus ac liberis excitata conuenerat . Aderat populus spectator futurus et iudex .
15 adstabant partes dispari conditione dissimiles Hinc diuina : Inde humana præsumptio : hinc fides : inde perfidia . et Inde Pellagius auctor . hinc Christus . primiori in loco beatissimi sacerdotes præbuerunt aduersariis copiam disputandi : quæ sola nuditate ueborum† diu iam aures occupauit et tempora . Deinde antistites uenerandi torrentes elloquii sui cum apostolicis et euangelicis tonitruis profuderunt . Miscebatur
20 sermo proprius cum diuino et assertiones uiolentissimas lectiones testimonia sequebantur conuincitnr† uanitas . perfidia confutatur : ita ut ad singulas uerborum obiectiones reos se dum respondere nequeunt : faterentur . Populus arbiter uix manus continet iudicium tamen clamore testatur .

Cum subito uir tribunitiæ potestatis cum coniuge procedit in medium : decem
25 annorum filiam cæcam genibus ingerens sacerdotum : quam illi offerri aduersariis præceperunt . Sed conscientia puniente deterriti iungunt cum parentibus preces : et curationem paruulæ precantur a sacerdotibus . Qui expectationem populi et inclinatos aduersarios intuentes : orationem breuiter fundunt : Ac deinde Germanus plenus spiritu sancto inuocat trinitatem : et protinus adhærentem lateri suo capse || sellam† cum
30 sanctorum relliquiis collo auulsam manibus conprehendit : eamque in conspectu omnium puellæ oculis applicuit : Quos statim euacuatos tenebris lumine ueritatis impleuit . Exultant parentes miraculo . populus contremiscit . Post quam diem ita ex animis homnium persuasio iniqua deleta est : ut sacerdotium sitientibus desyderiis sectarentur . Compressa itaque peruersitate damnabili eiusque auctoribus confutatis
35 animisque omnium fidei puritate compositis : sacerdotes beatum Albanum martyrem petierunt acturi deo per ipsum gratias . Vnde dum redeunt : insidiator inimicus fortuitis laqueis præperatis† : Germani pedem lapsus occasione contriuit : ignorans merita illius sicut Iob beatissimi afflictione corporis propaganda : et dum aliquandiu uno in loco infirmitatis necessitate constringitur : in mœnia qua morabatur forte exarsit
40 incendium : Quod consumptis domibus quæ ibi palustri arundine tegebantur ad id habitaculum in quo idem iacebat flabris stimulantibus ferebatur . Concursus fit omnium ad antistitem ut elatus manibus periculum quod imminebat euaderet : Qui omnibus increpatis moneri† se fidei præsumptionœ non passus est . multitudo omnis desperatione perterrita obuiam ocurrit incendio : Sed ut dei potentia manifestior
45 appareret quidquid custodire temptauerat turba comsumitur : quod uero iacens et infirmus defenderat reseruatur . Hospitium sancti uiri expauescens flamma transiliuit : ultroque citroque desæuiens et inter globos flammantis incendii incolumne† tabernaculum quo inhabitator inclusus erat conuenit . exultat turba miraculo . et uictam se diuinis uirtutibus gratulatur . Excubat diebus ac noctibus ante tugurium pauperis
50 turba sine numero . Hi animas curare cupientes : illi corpora : referri nequeunt : quæ Christus in suo famulo operatur : qui uirtutes faciebat infirmus : et cum debilitati sue nihil remedii pateretur adhiberi : Nocte quadam candentem niueis uestibus uidit sibi adesse personam : quæ manu extensa iacentem uidebatur attollere : | Eumque stare firmis uestigiis imperabat . Post horam ita fugatis doloribus recepit pristinam
55 sanitatem : ut die reddito itineris laborem subiret intrepidus .

Interea Saxones pictique bellum aduersum Britones iunctis uiribus suceperunt : quos eadem necessitas in castra constrinxerat : Et cum trepidi partes suas pene impares iudicarent : sanctorum antistitum auxilium petierunt : Qui promissum matu-

rantes aduentum tantum securitatis ac fiduciæ contulerunt : ut accessisse eis maximus crederetur exercitus . Itaque apostolicis ducibus Christus militabat in castris . Aderant etiam quadragessimæ uenerabilis dies : quos religiosiores reddebat præsentia sacerdotum : In tantum ut quottidianis prædicationibus instituti . certatim ad gratiam baptismatis conuolarent . Nam maxima exercitus multitudo undam lauacri salutis expetiit . ecclesia ad diem resurrectionis dominicæ frondibus contexta componitur : et in expeditione campestri instar ciuitatis aptatur : Madidus baptismatis procedit exercitus . fides feruet in populo : et contempto armorum præsidio diuinitatis expectatur auxilium Interea hæc institutio uel forma castrorum hostibus nuntiatur : qui uictoriam quasi de inermi exercitu præsumentes assumpta alacritate festinant : Quorum aduentus tantum exploratione cognoscitur . Cumque emissa solemnitate paschali recens de lauacro pars maior exercitus arma capere et bellum parare temptaret : Germanus se ducem prælii profiteretur . Elegit expeditos : circumiecta percurrit : et e regione qua hostium sperabatur aduentus : ualem circumdatam editis montibus intuetur : quo in loco nouum componit exercitum . Ipse dux agminis : etiam aderat ferox hostium multitudo : quam adpropinqnare† intuebantur in insidiis constituti : Cum subito Germanus signifer uniuersos admonet et præcipit : ut uocis suæ consono clamore respondeant : securis hosttibus† : qui se insperatos adesse crediderant . Aleluia tertio repetitum sacerdotes exclamant . sequitur una uox omnium et elatum clamo || re† repercusso aere montium concaua multiplicant . hostile agmen terrore prosternitur : et ruisse super se non solum rupes circumsitas : uerum etiam cæli machinas contremiscunt Trepidationique iniecte uix sufficere pedum pernicitas credebatur . passim fugiunt . arma proiciunt gaudentes uel nuda corpora eripuisse discrimini . Plures etiam timore præcipites flumen quod sensim uenientes transierant deuorauit . ultionem suam innocens exercitus intuetur : et uictoriæ prestitæ ociosus expectator efficitur . Spolia colligunt exposita : et prædam cælestis uictoriæ miles religiosus adipiscitur . Triumphant pontifices hostibus fusis sine sanguine . triumphat uictoria fide obtenta : non uiribus . composita itaque opulentissima insula securitate multiplici superatisque hostibus uel spiritalibus uel carne conspicuis : quippe qui uicissent pellagianistas et Saxones : cum totius mærore regionis reditum moliuntur . Tranquillam nauigationem merita propria et intercessio albani martyris parauit : quietosque antistites suorum desyderiis felix carina restituit . Itaque reditu uenerabilium sacerdotum exultant galliæ : gaudent ecclesiæ . dæmones contremiscunt . certe expectatio propriæ ciuitatis beatum Germanum uotis duplicibus ambiebat : quem et apud diu nam† maiestatem : et inter mundi procellas seruare consueuerat : Tributaria est functio præter solitum : et necessitates innumeræ ciues suos quasi pupillos orbatos parente depresserant . Recipiunt presidium destituti : agnoscit causas : mæroribus congemescit : et pro quiete uel requie quæsiturus remedia ciuitati : post marina discrimina labores terrenæ expeditionis ingreditur . Gallias itaque illustraturus contentusque admodum comitatu progreditur : qui pro largissimis thesauris Christum ferebat in pectore.

Operæ pretinm† puto etiam iter eius uirtutibus clarum mandare memoriæ : necdum territorium suæ ciuitatis excesserat : uiam leuiter carpit : fluxerat imminente iam uespera dies : plurimus cum subito comitatui illius nudo pede uacuus nimis expeditusque uiator | accrescit : cuius ille nuditati condoluit : Is uero dolose inhærens contubernio iungitur mansione : Et inter innocentes occupatosque custodes : qui deo non animalibus uigilabant iumentum quo senior uehebatur prædo nocturnus eripuit . Die reddito amissio euectionis agnoscitur : et ut sacerdoti animal non deesset : unus e clericis in peditem mutatur ex equite : Dumque iter agitur : circumiecti comites intuentur beatum uirum conceptam præter morem suum læticiam : uultus obumbratione uelantem : Quod cum nouum omnibus uideretur : unus e sociis auctoritate concepta causam læticiæ percunctatur : At ille inquit pauulum† remoremur : quia infelicis illius labor et irridendus est et dolendus : quem mox uidebitis æstuantem : Cunque delapsi animalibus substitissent : paulo post eminus intuentur peditem post se manu captum animal deducentem : qui mox adiungitur : dum ille accelerat . hi morantur : statimque sacerdotis uestigiis prouolutus crimen quod comiserat confitetur . Et ita totius noctis spatium irritum esse retulit : ut longius prodire non posset : nec euadendi aliam uiam reperisse nisi abductum animal reduceret . Ad hæc uir beatissimus : si hesterna die nudo tibi tegimen dedissemus : furandi necessitas non

fuisset : Quod deest accipe : redde quod nostrum est . Itaque confessor criminis pro pœna comissi non solum ueniam : uerum etiam præmium cum benedictione suscepit . Querebat uir deo plenus secretum et abiectionem oculi : cum uirtutibus prodoretur : in qua uere euangelica sententia probatur ciuitatem supra montem positam latere non posse : uitabat suorum solatia : extraneorum declinabat occursus : sed obscurari non poterat maiestatis luce circundatus : Nam uici omnes : municipia : ciuitates sese per itineris eius tramitem in occursum cum coniugibus ac liberis conuolabant . Et continuatum plærunque agmen dum iungebantur : prosequentibus cohærebant .

Præteriri silentio impium puto quantum in || asiliensi loco absens uirtutis operatus est . Erat illic presbter† senator nomine Natalibus nobilis religione :† nobilior coniunx illi Nectariona similis sanctitate : quos præteriens pro studio antiquæ caritatis expetiit : Aduenienti præparat mansionem : et quanto maior persona aderat : tanto minor impeditur apparatus . Matrona furtim stramen in lectulo subdidit sacerdotis : quo ille inscius cubitauit . Deductaque nocte oratione uel psalmis die reddito : iter quod agebat ingreditur . illustrato hospitio familia tota gaudebat . strati reliquias fidelis matrona collegit et condidit . Accidit post dies aliquot : ut Agrestius quidam satis ingenuus habens uxorem filios et parentes : possessio fieret inuadentis inimici : suorumque omnium flætibus : non minus Germani absentia quam infelicis captiuitas lugebatur : Et cum nihil remedii posset adhiberi : confidens de uirtute fidei matrona uenerabilis stramen conditum profert : quo furiosus circundatus colligatur : qui spatio noctis unius quasi apposito uallatus incendio inclamato semper nomine sacerdotis : qui cum abesset præsentia : uirtute non deerat . diuino purgatur auxilio : neque ei unquam postea in omni uitæ suæ spatio periculum temptationis occurrit.

Postea Arelatum petens urbem lugdunum Arare famulante deductus est : ubi certantibus populi studiis indiscreta ætas et sexus uno occurrit officio . omnes benedictionem flagitant . tantum requirunt : et quod superest multitudine : releuat uel uidisse . Diuersæ infirmitates passim benedictione sanantur . benedictionibus ciuitas recreatur : et licet festinus abscesserit : sitientem populum doctrinæ fontibus irigauit . Si itinera eius cuncta percurram . si uniuersa miracula memorem : parabit prolixitas congesta fastidium . Sed dabit deus ueniam : quod sciens plura pretereo . Aduenientem beatissimum uirum ciuitas arclatensis† religiosa gratulatione suscepit : apostolorum instar in sui temporis sacerdotem suscipiens : Illustrabatur ciuitas eo tempore Hilario sacerdote multimoda uir | tute insigni . Erat ei fidei igneus torens cælestis eloquii : et præceptionis diuinæ operarius indefessus : qui uenerabilem sanctum affectu ut patrem : reuerentia ut apostolum sublimabat . Auxiliaris etiam regebat tum per Gallias apicem præfecturæ : qui præsentiam sacerdotis duplicata gratulatione suscepit : quod et insignem uirtutibus uirum desyderabat agnoscere : et uxor eius longo iam tempore† quartana febre tabescebat . Ingredienti longo præter consuetudinem famulatur occursu : simulque admiratione defigitur . Ita ei dignitas uultus : sermonis eruditio : prædicationis auctoritas : stupentis animam compleuerunt : ut merito famam eo minorem fuisse cognosceret . Inuentus enim est rebus maior fuisse nuntiis . offert munera . ingerit beneficia . ambiturque a beatissimo uiro : ut dignaretur accipere : quæ quærebat : incommodum etiam confitetur uxoris : qua uisitata ita uis passionis extincta est : ut tremor præcedens et febris subsequens delerentur . Redditaque itaque pristinæ sanitati fidelis matrona remedium cæleste suscepit : quo et corpus salubritate : et anima credulitate conualuit : ceptis itaque ex uoluntate beneficiis optatum leuamen propriæ detulit ciuitati .

Interea ex britanis nuntiatur Pellagianam peruersitatem iterato paucis auctoribus dillatari : Rursusque ad beatissimum uirum preces sacerdotum omnium deferuntur : ut causam dei quam prius obtinuerat tutaretur : Quorum petitioni festinus occurrit : dum et laboribus delectatur : et Christo se gratanter impendit . cessit tandem inimici inuidia uirtutibus uicta : nec temptare ausus est : quem dei amicum esse iam senserat . Adiuncto itaque Seuero episcopo totius sanctitatis uiro : mare Christo auctore conscenditur . Adituris tranquillitatem elementa consentiunt . nauigium uenti : fluctus aer prosequntur† . Interea sinistri spiritus peruolantes per totam insulam Germanum uenire inuitis uaticinationibus nunciabant . adeo ut Elapsus quidam regionis omnis illius primus in occursum sanctorum sine ulla manifesti nuntii relatione properaue-

rit . || Exhibens secum filium : quem in ipso flore adolescentiæ debilitas damnanda deleuerat . Erat enim arescentibus neruis contracto poplite : Cui per siccitatem suræ usus uestigii negabatur : hunc Elaphum prouincia tota subsequitur . ueniunt secerdotes† . occurrit inscia multitudo . Confestim benedictio et sermonis diuini doctrina profunditur : Recognoscit populum in ea qua reliquerat credulitate durantem intelignnt† culpam esse paucorum . Inquirunt auctores : inuentosque condemnant : Cum subito Elaphus genibus aduoluitur sacerdotum offerens filium : cuius necessitatem ætas et debilitas etiam sine patris precibus alligabant . fit communis omnium dolor præcipue sacerdotum : qui conceptam misericordiam ad diuinam clæmentiam contulerunt : Statimque adolescentem beatus Germanus sedere compulit . attrectat poplitem debilitate curuatum : et per tota debilitatis spacia medicinalis dextra percurrit : salubrem tactum sanitas festina subsequitur . Ariditas succum : nerui officia receperunt : et in conspectu omnium filio incolumitas : patri filius reformatur . Implentur populi stupore miraculi : et in pectoribus omnium fides catholica inculcata firmatur . Prædicatio deinde ad plebem de præuaricationis emendatione conuertitur : omniumque sententia prauitatis auctores expulsi ex insula a sacerdotibus adducuntur ad Mediti-ranea deferendi : ut religio absolutione : et illi emendatione fruerentur : Quod tam salubriter factum est : ut in illis locis et etiam nunc fides recta perduret : Itaque compositis omnibus beatissimi sacerdotes ea qua uenerant prosperitate redierunt .

Vix domum de transmarina expeditione remeauerat : et iam legationem : beati antistitis audiebat : offensus enim superbiæ insolenti regionis uir magnificus Atticus qui tum rem publicam gubernabat Gothari ferocissimo Alanorum regi loca illa inclinanda pro rebellionis præsumptione permiserat : ad quæ ille auiditate barbaricæ cupiditatis inhiauerat . Itaque genti bellicosissimæ : regique idolorum ministro obicitur | senex unus : sed tamen omnibus Christi præsidio maior et fortior : Nec mora festinus egreditur quod immineret bellicus apparatus : Iam progressa gens fuerat : totumque iter eques ferratus impleuerat : et tamen sacerdos noster obuius ferebatur : donec ad regem ipsum qui sequebatur accederet . occurrit in itinere iam progresso : et armato duci inter suorum cateruas opponitur : medioque interprete primum precem suplicem fundit deinde increpat differentem : Ad extremum manu iniecta fræni habenas inuadit : atque in eo uniuersum sistit exercitum . Ad hæc rex ferocissimus admirationem pro iracundia : deo imperante concepit : Stupet constantiam . ueneratur reuerentiam auctoritatis pertinacia commouetur : Apparatus bellicus armorumque commotio : ad concilii ciuilitatem deposito timore descendit . Tractaturque non quod rex uoluerat : sed quod sacerdos petierat compleretur . Ad stationis quietem rex exercitusque sese recepit . pacis securitatem fidelissime pollicetur : ea conditione : ut uenia quam ipse præstiterat ab imperatore uel actio peteretur . Interea per intercessionem et meritum sacerdotis rex compressus est . exercitus reuocatus . prouinciæ a uastationibus absolutæ .

Exinde Italiam petiturus egreditur : Cui id solum sufficeret : ne unquam labore uacuus quiete frueretur : sed ut propheta ait ambulabat de uirtutibus in uirtutes . Nam dum præteriit : ex consuetudine pietatis familiarem suum Senatorem præsbiterum uisitauit iterum : a quo illi annorum circiter uiginti muta offertur puella : Cuius os frontem uultumque totum cum olei attrectatione benedixit . Dictum poculum præcepit afferri : in quo tres particulas panis manibus propriis comminutas infundit : unamque in os puellæ ipse inseruit : imperans : ut priusquam acciperet petitionem benedictionis ediceret : quam statim clara uoce antequam panem sumeret : postulauit .

Ac deinceps usus loquendi natus ex mirabilibus in reliqua eius ætate permansit . Exinde profecturus solito affectuosius in amicum || irruit : os frontem oculosque osculatos stringit amplexibus et huiusmodi uerbis salutatum reliquit : Vale in æternum frater carissime . uale portio animæ meæ . tribuat deus : ut ipsi nos in die iudicii sine confusione uideamus . quandoquidem in hac luce mutuo nunquam fruemur aspectu . Erat enim iter illius comitatu solitarium : sed occurrentibus hominibus constipatum : adeo ut per omnes aggeres quos itinere suo illustratos reliquit : usque in hodiernum diem : ubi aut orauit : aut docuit oratorie cellulæ et signa crucis inclyta prefulgeant .

Territorium sane augustudunense dum præterit aduenienti multitudo indiscretæ

ætatis et sexus occurit . Illic coram prostrati in terram parentes filiam in annis nubilibus obtulerunt : Cui debilitas pœnam sæuissimam temporis accessione generauerat Ab ortu enim natiuitatis suæ ita contractis neruis : in palmam digiti curuabantur : et crescentibus introrsum unguibus : nimiæ cedente carnis teneritudine tot inciperent esse uulnera . quot digiti Et ubi insistenti acumini ossa abiecta aliquatenus restitissent : palmam totam hulcera interius immensa transfoderent . huius dexteram comprehensam dum adtrectat sacerdos tactus salubritate benedixit : Apprehensosque singillatim digitos cedentibus neruis in usum flexibilem reuocauit : Redditurque ministerio manus : quæ inferebat sibi ipsa perniciem . quinetiam hoc pietatis adiungit ut dirrectis iam digitis : excessum unguium ad formam communis consuetudinis resecaret .

Decursis itaque ciuitatibus Galliarum dum Italiam ingressurus alpes exuperat : casu artificibus ex opere mercenario domum redeuntibus : itineris collatione sociatur : Qui dum grauati iniustis fascibus iuga nubibus inserta conscendunt : torrente obuio tenebantur : qui in illis præruptis præcipitiis neque animalium neque hominum uestigia : fideliter hærere patiebatur . Erat ex his uiatoribus unus et claudus : et senior huius fascem uir beatissimus humeris suis inter uastos gurgites deportauit : eumque | exoneratum iterato transitu : subiecta ceruice transposuit : Et cum studiosissime sui agnitionem uelaret : Mediolano urbi quis aut quantus esset celare non potuit .

Erat autem dies sanctorum solemnitate uenerabilis : qui in unum plurimos collegerat sacerdotes : Et dum missa sacris mysteriis celebratur : altare incognitus : et improuisus ingreditur : Statimque unus e populo captiuus inimici : ingenti uoce proclamat : cur nos in Italia Germane prosequeris . sufficiat tibi : quod nos de Galliis exclusisti . sufficiat : quod oceanum mare oratione superasti : qui uniuersa illustras : quiesce ut nos quieti esse possimus : fit admiratio et terror in populo . quis esset Germanus . dum alter ad alterum intuetur : inquiritur : et licet habitu despicabilis uideretur : uultus tamen dignitate cognoscitur . Consultus gaudium aut ordinem non negauit . Episcopi omnes sanctum dei digna humilitate uenerantur . Exorant ut furiosum qui nomen eius confessus fuerat uisitaret : quem non præsumptionis contubernio : sed obedientiæ studio præcepit exhiberi . Remotumque in secretarium celebri absolutione purgatum ad conuentum populi reuocauit . hoc primum uirtutis suæ signum in Italia per famulum suum Christus operatus est . Concurrebat diuersa multitudo ad benedictionem ex parte sanitatis : iunctisque cum prædicatione miraculis : et animas curabat et corpora .

Egressus urbe opulentissima : dum iter sensim : moribus felicibus carpit . occurrerunt pauperes eleimosynam postulantes : Consulit diaconum : quantum esset sumptibus : tres quatuor ue aureos esse respondit : omnesque statim præcepit erogari . Ad hæc diaconus : unde uicturi hodie sumus . Respondens ait : pascet deus pauperes suos tu quod habes indigentibus præsta . Diaconus quasi prouidus duos erogat . reseruat unum . Dumque iter agitur cœptum : intuentur post se tres equites concitos breui adiungi . statim desiliunt : Et obuoluti genibus huiusmodi precem fundunt : dominus noster uir spectabilis Leporius misit || nos : cuius non longe hinc est domicilium qui cum familia sua implicitus diuerso tenetur incommodo : ut et propria : et suorum infirmitate succumbat : eius ad uos lachrymas deportamus . infirmum : si dignum ducitis : uisitate . si uero precem nostram occupationis uestræ necessitas uincit : orationem intercessionis impendite : Mereaturque benedictionem : si non mereatur aspectum . ad hæc uir beatissimus repletur misericordia : et relicto itinere ea uia rectior iudicatur : quæ mercedem boni operis præparabat . Diuertit reclamantibus suis et desyderatum præstat aduentum : dicens : nihil mihi prius est quam domini præcepta complere . tum illi cum exultatione et gaudio ducentorum solidorum munus quod transmissum fuerat obtulerunt . Deinde conuersus ad diaconum ait : Accipe quæ traduntur : et intellige te fraudem fecisse pauperibus . nam si totum : quod dixeram : indigentibus contulisses : remunerator noster hodie reddidisset trecentos .

Contremuit diaconus . secretum reatus sui innotuisse pontifici . Interea gradum accelerant peruenitur : et tanquam manifesta sanitas fuisset ingressa : ita omnium animos sancti releuauit aduentus . Notas profert et exerit medicinas . Christum prostratus exorat : suisque lachrymis gaudia meretur aliorum . uisitantur domini . uisi-

tantur et famuli : ac sine ulla discretione personæ et teguria circuerunt et cubilia uniuersa prolustrant . Et interposito unius diei spatio ita cælestes medicinas obtinuit : ut egrediens die tercio domum totam reliquerit incolumitate gaudentem prosequente cum domino : quem lectulo inuenerat decumbentem . Præcedebat uenerabilem uirum fama laudabilis exigens : ut desyderaretur nunciati agnitio . Ferebatur iam per ora rauenatium populorum : et aduentus sui moras primus accusabat affectus . Tandem diu expectatus excipitur . prouiderat quidem : ut noctu ingressus secreta obscuritate tegeretur . Sed desyderantium excubias uitare non potuit . Illic Petrus tum pontifex Christi ecclesiam apostolicam institutionem retinebat . Regebat etiam | romanum imperium regina Precidia : cum filio Valentiniano iam iuuene : qui ita fidem catholicam diligebant : ut cum omnibus imperarent : dei famulis humilitate sublimi seruirent : qui omnes uenerabilem sacerdotem certantibus studiis pro diuino amore suscipiunt . Ambiunt principes occurunt proceres . ecclesia eum cum exultatione complectitur .

Ad diuersorium sacerdotis regina uenerabilis : uas argenti amplissimum refectum cibis delicatioribus refertum sine ulla carnis admixtione transmisit . Quod susceptum ea ratione distribuit : ut cibos ministris suis traderet : ipse uero uindicaret argentum . Remittens loco muneris : patinulam ligneam panem ordeacium continentem : Quod illa utrumque cum ingenti gratulatione complexa est . quod argentum suum transisset ad pauperes : et illa escam beati uiri cum ministerio abiecti uasculi suscepisset . Nam et lignum postea auro ambiit : et panem multis uirtutibus reseruauit :

Quadam die dum plateam latissimam turbis angustatus ingreditur : carcerem refertum .† uinctis supplicia et mortem expectantibus præteribat . Qui agnito transitu sacerdotis unum clamorem collatis uocibus sustulerunt . causam requirit . agnoscit . custodes euocat . subtrahuntur . Diuersæ enim palatii potestates miserorum turbam in ergastuli illius nocte damnauerant : quos immutare misericordia non habebat . Tandem ad notum recurrit auxilium : et quod difficile erat impetrare ab hominibus : a maiestate deposcit . gressum deuertit ad carcerem . curuus in oratione membra prosternit . Tum uero dominus noster astantibus populis gratiam quam famulo suo tribuerat ostendit . clausura uinculis et sera constricta disoluitur . repagula ferrata disiliunt . Diuina pietas reserat : quod meditatio crudelitatis arctauerat . Procedit ad libertatem turba de uinculis : exhibens uacua onera cathenarum : tenensque nexus : quibus antea tenebatur . Reliquit carcer innocens aliquando : quia uacuus : Et præcedente pietatis triumpho || turba miserorum gremio ecclrsiæ† gaudentis infertur.

Crescebat quottidie admiratio et fama pontificis . occurrebant populi . sanabantur infirmi . Christusque gratiam quam contulerat dilatabat . Assidebant ei iugiter obsequentes uenerabiles sex sacerdotes : qui non minus abstinentiæ suæ cruces sine interpolatione durantes : quam uirtutes assiduas mirabantur . Hii testes operum suorum multis fuere temporibus .

Volusiani cuiusdam filius qui tum patriensis Gisnuldi cancellis præerat : succensus igne febrium uexabatur . atque ita estuantis uaporis accensio adolescentis medulas corpusque consumpserat : ut dissipatio conclamata sequeretur . Medici manus et promissa iam auxilia subtrahunt : luctus solus parentibus reseruatur . Ad beatum uirum spes tarda conuertitur . parentes omnes cum amicis et propinquis sancti genibus implicantur . additur etiam intercessio sacerdotum : cum quibus festinus expetiit ægrotantem . Euntibusque occursor obuius adoloscentem† mortuum nunciauit : nec esse causam : qua se uir uenerabilis fatigaret . Insistunt tamen antistites . supplicat multitudo : ut cœptum misericordiæ impleret officium . Inueniunt corpus exanime uitæ calore depulso mortis rigore iam frigidum : depositaque pro animæ requie oratione remeabant : Cum subito multitudinis luctus attollitur . inhærent seniores sui manibus sacerdotis : ut pro parentum orbitate . et defuncti reditu supplicaret dominum . Diu restitit sancto pudore confusus : cessit tandem misericordiæ et caritatis imperio fidei arma concutiens . Turbas eiicit proque mortuo in oratione prostratis adiungitur : Rigat lachrymis terram : In cælum alti gemitus porriguntur . uocat planctibus Christum : Interea mouetur exanimis : et paulatim membris emortuis uitalia redduntur officia . oculi lucem quærunt : micant digiti lingua iam resonat : uterque consurgunt . Ille de oratione : iste de morte . Germanus manu alleuat dormientem . Residit . respirat reficitur : respicit paulatimque uigore con | cepto : integram recepit

sospitatem : redditur parentibus filius : luctus uertuntur in gaudia : et uno clamore populorum uirtus maiestatis extollitur . continuat Christus uirtutes in famulo : et mox recipiendum in requiem . miraculorum laude sublimat .

Aceoli eunuchi tum præpositi regalis cubiculi alumnus iam iuuenis liberaliter institutus : huiusmodi dæmonio uexabatur quod per menstruum tempus redeuntibus incrementis lunaribus captiuos suos caduca alisione prosternit : Interuentu regine puer sancto uiro præsentatur et traditur quem diu exanimatum : purgare eadem die distulit : cum soleret furiosissimos dæmones prima manus impositione depellere . Ita ei miserandi iuuenis : medullas et interiora penetrauerat : ut quasi uas proprium certis temporibus possideret . Recludi eum secum nocte illa constituit . Tum uero ex interioribus latebris manifestus erupit : et quasi inter tormenta positus tempus indicat : quod ab ineunte ætate ceperat innocentem . Itaque iussus egreditur . purgatusque adolescens post diem pallatio reformatur .

Sed nec illud omittendum uidetur non solum hominum sed etiam animalium famulo suo dominum uiuificationis gratiam contulisse : secundum illud propheticum homines et iumenta saluabis . Igitur cum pro studio religionis Placida mater imperatoris : beatum Germanum ad conuiuium euocasset : non tam ut regiis dapibus uteretur : sed ut ex eius benedictione refectionem hauriret : religiose poscenti suam præsentiam non negauit et cum locus hospitii procul a palatio fuisset senilis artus ieiunio uigiliisque confectus aselo deferente in palatium deportatur . At uero inter epullas unus ex ministris reginæ in aure susurrat : animal quo senior esset adductus : erronei spiritus adpræhensum repentina morte sopitum . Recenseri hæc beato antistiti iussit auxilia tamen ne uisitata euectione priuatus tristis a conuiuio remearet Inuicem tamen mire mansuetudinis : sedendus equus persa producitur : Quem intuens meus mihi inquit onager presentetur : || Quia non alia : me hinc euectio quam exhibuit reportabit . Tum ei et exanimæ atque distensum cadauer ostenditur : Ad quod accedens ait : Surge . muscio : reuertamur ad hospitium : et baculo amonitus contremiscit : et statim prosiliens dorso auribusque concussis : nihil aduersitatis se passum alacri uigore testatur . Ita usque ad obitum sancti antistitis cum omni commoditate euectio suauis impenditur .

Causam sane armoricanæ regionis quæ necessitatem peregrinationis induxerat optata uenia et securitate perpetua ad proprium obtinuisset arbitrium : nisi titubationis perfidiam mobilem : et indisciplinatum populum ad rebellionem pristinam reuocasset : quo facto et intercessio sacerdotis euanuit : et imperialis crudelitas circunscriptione frustata† est : Qui tamen pro calliditate multiplici pœnas perfidiæ et temeritatis luit .

Quadam die matutinali solemnitate perfecta : dum cum episcopis sermo de religione confertur : tristissimam protulit mentionem inquiens : comendo uobis fratres carissimi transitum meum . uidebar enim mihi per nocturnum soporem a domino nostro uiaticum peregrinaturus accipere : Et cum causam profectionis inquirerem : ne inquit : metuas ad patriam non ad peregrinationem dirigo : ubi habebis quietem et requiem sempiternam : deuiabant intellectu reliqui sacerdotes : Ille uero studiosius commendabat extrema dicens : bene noui quam patriam deus suis famulis repromittat . factum est : ut post dies aliquot sequeretur incommodum : quo ingrauescente ciuitas tota turbatur : accellerabat transitum qui uocabat ad gloriam et fessum heroa laboribus dominus inuitat ad præmia . Regina deposito imperii supercilio occurit pauperi . requirit infirmum tribuens quicquid ab ea beneficii postulasset . Peculiariter sane petiit quod illa inuita concessit : ut glebam corporis sui patriæ redderet insitam . tanta uero fuit diebus ac noctibus multitudo quantam aut admisit aditus : aut domus recepit . tempus omne choris psal | lentibus tenebatur : Septimo incommodi die ad cælos fœlix anima et beata transfertur . hereditas deinceps relicta diuiditur . Partem præsumpsit imperium : partem uindicant sacerdotes : et quod fieri de opibus solet : nascitur de exiguitate contentio : dum deest quod capiant solius benedictionis heredes : Capsellam cum sanctis regina suscepit : cuculam cum interiore cylicio Petrus episcopus usurpauit . sex uero antistites aut aliquid monimenti ex successione sanctitatis accipere et disrumpere quod superfuerat maluerunt . unus pallum† alter euangelium accipit . duo tunicam : duo saculum diuiserunt : Deinde ad apparatum defuncti : fuerunt studia conferentum : acusantium : cur parua expensa mortuo deberetur . Acolius corpus aromatum constrictione solidauit . regina uestiuit : Quibus omnibus rite per-

fectis expensis et euectionibus : iter instituit imperator : ministrosque eius copiosa largitione prosequitur : Secerdotes† religionis obsequium præmittunt : unumque agmen informatur ad gallias .

Placentiam corpus dum præterit cæca iam nocte peruenit quod in ecclesia colocatum : dum uigiliis sanctæ deuotionis excolitur : matrona quedam paralyxi ualde . iam soluta : ita ut nullum membrum suo fungeretur officio præcaria deposcit : ut feretro corporis subderetur . ibi usque ad lucem extectam decubuit : Mature corpus attollitur : surgit mulier : et uiuificata per mortuum mirantibus populis propriis pedibus debitum reddit obsequium . Excipiunt galliæ patronum proprium maiore famulatu : quippe : ubi reuerentiæ iungebatur affectus : Omne hominum genus diuerso occurrit officio : Alii uias preruptis depositis moliunt : et pontium innouatione continuant : alii expensas ingerunt : alii psalmis intonant : alii colla supponunt . Refulgebat repercusso solis radio : splendorem sibi per diem uindicans luminum multitudo : tantæque ministerio caritatis propriæ redditur ciuitati . Vbi sepultus corpore quottidianis miraculis fulget et cum superno rege uiuit cui est honor et gloria in secula seculorum . ||

VITA BEATI GERMANI CAPVENSIS EPISCOPI ET CONFESSORIS .

Campaniæ tellus sicut .† ad proferendos multimodi generis fructus opima est : ita singulis quibusque temporibus cælestis uerbi fæcundata sæmine : probabilis uitæ uiros ceu multiplicem segetem produxit : E quorum collegio beatissimus Germanus quasi splendidissimum sydus . terris addictum ad culmen usque sanctitatis enituit : cuius uitam quia nonnulla ad nostram memoriam scriptorum series quibusdam referentibus detulit : eam stilo proprio collectam depinxi . Illa quoque nihilominus suis in locis adiiciens : quæ de hoc egregio uiro beatus papa Gregorius in dialogis retulit . ita ut ab ipso fuerunt digesta interserenda . Beatus igitur Germanus patre Amantio . matre Iuliana . Capuanis ciuibus editus : clarissimis admodum et iuxta sæculi dignitatem potentibus non sine quodam presagio tale sortitus est nomen . quippe mox futurus : qui germana cunctos caritate diligeret : Denique a puero cunctis laudabilis uitæ bonis : in primis tamen caritati quæ bonorum omnium radix est studebat : qua intentione in dei amore admodum flagraret . Nam cum ad omnes mera puritate suæ caritatis ramos ostenderet : summo studio Alendorum cœpit pauperum se curis impendere : eisque tegmina uel quæque essent necessaria prouidere .

Factum est autem : ut eius genitor Amantius de hoc sæculo commigrans in dicione filii . totas derelinqueret suas facultates . Germanus uero cum matre uidua remanens cœpit genitricis animum de mundi contemptu rerumque omnium abiectione pertemptare : Quid plura ? assensum cælestia suadenti filio bona mater accomodans Germani arbitrio quicquid uelit facere committit . se nihilominus ad omnia obsecuturam promittens . At ille qui largiflua effusione opum suarum pios fructus expenderat : ad hoc usque gradatim excrescendo progressus | est : ut cunctarnm† suarum rerum patrimonium uenderet susceptumque pretium pro Christo pauperibus dispensaret : Imo ipsi in pauperibus Christo tribueret . Nec passus est partem solummodo præbere : nisi totum etiam pro æterne uitæ retributione amitteret : reputans illud animo suo pro perdito habere : quod non in cælestis gazophilatii claustro posuisset . tali igitur modo sæculi impedimentis exutus cœpit tanto iam liberius cælestis tramitis uiam currere : quanto nihil ei de mundi ambitione supererat : quo potuisset retardari : Insistere scilicet lectioni . uacare orationibus . dare operam uigiliis . macerare corpus ieiuniis . dicto semper continnæ† compunctionis usu hostiam exhibere : Qui dum talibus exercitiis uitam duceret : defuncto eiusdem capuanæ ecclesie episcopo consensu omnium ad pontificale decus eligitur . Et licet pro humanitate totis obsisteret uiribus : domini tamen uoluntas : qui eum ad hoc ipsum preparauerat : impleta est . episcopatusque honorem cunctis amitentibus lætantibusque suscepit : Tum uero episcopali dignitate sublimatus : talem se subiecto cœpit gregi exhibere : ut excepta paterna : quam summo studio peragebat : pro animabus sibi commissis sollicitudine de cætero se cunctis communem : quasi in nullo disparem conseruum preberet . Illud opus fami-

liare sibi : cui ab ineunte ætate studuerat : pauperum scilicet curam nulla interpositione relinquens .

Eodem tempore cum apud urbem Romam . ac totius Italiæ terminos Theodoricus regnaret : et tam genti proprie hoc est gothis : quam et romanorum populo potestatis præesset : extincto apud Constantinopolim ictu fulminis imperatore Anastasio . quod et multos Illarum regionum populos euthicianæ hæresis maculauit contagio : Iustinus dei omnipotentis nutu catholicæ seruator religionis suscepit imperium . hic cum grandem uniuersalis fidei sollicitudinem gereret : Romam . ad beatum Hormisdam tunc eiusdem urbis episcopum legatos misit : per quos etiam suæ ei incre || dulitatis textum direxit . Summa intentione efflagitans : ut sibi eruditissimos catholicæ assertionis uiros dirigeret : quatenus languentem Græciam hæresi in linnone purgaret . habito itaque per romanum pontificem et Theodorici regis nutu et sacerdotum consilio : quis potissimum ad defendenda orientalibus populis salutis monita mitteretur : hæc sententia omnibus placuit : neminem alium huiuscemodi delegationis posse dignius implere officium : quam Germanum capuanæ ciuitatis episcopum . Euocatur continuo uenerabilis ad urbem antistes . nec mora . acceptis in comitatu duobus romanæ ecclesiæ præsbyteris duobusque diaconibus iter arripuit . Quanta autem in hoc itinere marinorum fluctuum pericula sustinuerit : quibus discriminibus exagitatus sit breuitati studens omnino retexit : Quæ tamen ille cuncta lætanti animo pertulit : dummodo animarum periculo subueniret . Nec ueritus est qualecunque corporale subire dispendium : qui turbatarum mentium hanelabat propulsare suffragium . Tandem cum ad regiam urbem propinquasset : tanto omnium amore ac ueneratione habitus est : ut ei obuiam Iustinus augustus stipatus in misericordia exercitus sui multitudine non solum cum sacerdotali cœtu ac Iohanne eiusdem ecclesiæ præsule : Sed etiam monachorum cæterorumque religiosorum turmis occurreret : atque cum hymnis ac spiritualibus canticis per alia millium spatia in urbem eum usque in exaltationem produxerit . Tanta itaque beatissimo Germano diuinitus gratia collata est : ut licet incassum Accacium cum pluribus qui eiectus episcopatu eiusdem regiæ urbis fuerat retinere temptauerit : omnes pariter ad catholicæ fidei splendorem relictis errorum tenebris remearent . In quibus rebus quantum uel scientiæ uel sanctitatis luce beatus tunc Germanus claruerit : si quis sollicite intendat : euidenter agnoscet . Vtrum sane tantus hic uir aliquorum miraculorum signis effulserit usque ad nostram noticiam uetus minime fama per | duxit : Sed quid exteriorum operum mirabilia quærimus cum de interioribus miraculorum quæ utique præstantiora sunt certitudinem tenemus : quandoquidem longe excelentius sit defunctam peccati morte animam salutari morbo resuscitare : quam extincto corpori uitam restituere . Quot ergo animas uenerandus iste ab æterna morte salutifero dogmate eripuit : tot gloriosis miraculis quasi exteriora signa effecisset apud internum iudicem existit : Quamuis in hac relegatione quæ Pascasio romanæ urbis diacono subiungenda magnum huius uiri miraculum meritumque declaratum sit in eo : quod eiusdem ministri animam uel uidere potuerit : uel per eius remissionem diuinam misericordiam obtineret . Pascasius denique apostolicæ sedis diaconus : cuius apud nos rectissimi . et luculenti de spiritu sancto libri extant : miræ sanctitatis uir fuit . eleimosynarum maxime operibus uacans cultor pauperum et contemptor sui . Sed hic in ea contemptione quæ in ardescente zelo fidelium inter Symmachum atque Laurentium degit : et omnium post unanimitate superatus : in sua tamen sententia usque iuxta diem sui ipsius exitus præstitit : illum amando atque præferendo : qui episcopornm† iudicio præesset sibi ecclesia refutauit .

Hic itaque cum temporibus Symmachi apostolicæ sedis præsulis esset defunctus : eius dalmaticam feretro superpositam dæmoniacus tetigit : statimque saluatus est . Post multum uero temporis beato Germano medici pro corporis salute dictauerunt : ut in angulanis turmis lauari debuisset . ingressus easdem turmas prædictum Pascasium diaconum stantem et obsequentem in caloribus inuenit : Quo uiso uæhementer extimuit : et quid illic tantus uir faceret : inquisiuit : cui ille respondit : Pro nulla alia causa in hoc pœnali loco deputatus sum : nisi quia in parte Laurentii contra Symmachum sensi : atque in hoc cognoscas : quod exauditus sis : si huc rediens : me non inueneris : Qua de re uir domini Germanus se in precibus strinxit : et post paucos dies re || diit . Sed iam prædictum Pascasium in loco eodem minime inuenit . In quo facto patenter datur intelligi : quanti apud dominum uenerabilis Germanus meriti extiterit :

qui etiam solutam corpore animam potentibus precibus a reatu ualuit noxæ emendare . Sed iam uenimus ad eius obitum gloriosum . et auditu mirabili : cui simile unquam inquanrum† recordari dossumus† uetus lectio prodidit : in quo etiam sanctorum animæ mox : ut carne exuuntur : cælum penetrare monstrantur : Et cum quanta illuc gloria ab Angelis deferantur : ostenditur . Tantoque hoc ipsum teste uulgatum sit : unde hoc dubitare quis etiam infidelis nullatenus possit .

Igitur dum beatissimus Germanus ambulans de uirtute in uirtutem succresceret : iamque ad grandæuam plenus : ut scriptura refert : dierum bonorum operum peruenisset ætatem : relictis huius mundi turbinibus : ad cælestis regni gaudia felix migrauit : Cuius admirabilem in cælis ascensionem beatissimus pater Benedictus pene quinquaginta millibus ab eo longe diuisus spirituali spiritu contemplatus est : Quod ut plenius possit agnosci : ipse de eiusmodi patris uita narrationis ordo ponendus est .

Quodam tempore itaque Seruandus diaconus atque abbas eius monasterii : quod in campaniæ partibus et libero quondam patricio fuerat constitutum : ad uenerabilem Benedictum uisitationis gratia ex more conuenerat : eius quippe monasterium frequentabat : ut quia isdem quoque uir doctrina gratiæ cælestis influebat : dulcia sibi inuicem uitæ uerba transfunderent : et suauem cibum cælestis patriæ : qui adhuc perfecte non poterant saltem suspirando gustarent . Cum uero hora iam quietis exigeret : ut membra sopori concedere debuissent : turris erat in medio pesita† : quæ super totius habitaculi tectum imminebat : In cuius turris superioribus se uir domini Benedictus : in eius quoque inferioribus se Seruandus diaconus collocauit : Quo uidelicet loco inferiore a superioribus per | hunc continuabat ascensus : ante eandem iuero† turrem largius erat habitaculum : n† quo utriusque discipuli quiescebant : Cumque uir domini Benedictus adhuc quiescentibus fratribus instans uigiliis nocturnæ orationis tempora præuenisset : ad fenestram stans et omnipotentem dominum deprecans : subito intempesta noctis hora respiciens uidit fuscam lucem desuper cunctas noctis tenebras effugasse : tantoque splendore clarescere : ut diem uinceret lux illa : quæ in tenebris radiasset . Mira autem ualde res in hac speculatione secuta est : quia sicut post ipse narrauit : omnis etiam mundus uelut sub uno solis radio collectus ante oculos eius adductus est : Qui uenerabilis pater dum intentam oculorum aciem in hoc splendore corruscæ lucis infigeret : uidit Germani animam capuani episcopi in sphera ignea ab Angelis in cælum deferri . Tunc tanti sibi testem uolens adhibere miraculi : Seruandum diaconum iterato bis terque eius nomen cum clamoris magnitudine uocauit : cunque ille fuisset insolito tanti uiri clamore turbatus : ascendit . respexit : partemque iam lucis exiguam uidit : Cui tantum obstupescenti miraculum uir dei per ordinem quæ fuerant gesta narrauit : statimque in Cassinum castrum religioso uiro Theoprobo mandauit : ut capuam urbem sub ea nocte transmitteret : Et quid de Germano episcopo ageretur : agnosceret : et indicaret . factumque est : ut reuerendum uirum Germanum episcopum is qui missus fuerat : iam defunctum reperit : et inquirens subtiliter : agnouit eodem momento fuisse illius obitus : quo uir domini eius cognouit ascensum : Quod omnipotens dominus ideo uoluit tam idoneo teste manifestari : ut cunctis patenter innotesceret : quia magnum quoddam bonum uenerandus hic in suis abditis egerit : cuius tam eximium meritum in propatulo prodidisset . Ecce quanta sublimitatis gloria a mundo exiit : quia toto mentis nixu mundi peritura despexit . Ecce quam corruscus et splendidus cælum petiit : qui in terris corpore positus mente continua cælestibus inhæsit . En qui flamæ caritatis in dei semper || et proximi amore flagrauit . quanto luminis fulgore circumfulsus cæli secreta penetrauit . Et qui recens adhuc carnis uinculo supernis ciuibus corde interfuit : quanta eorum ministeriis dignitate ad supernæ gratiæ patria regna subuectus est : Quæ unquam mundana sublimitas . quæ regnantium falax gloria huic ualet ueræ gloriæ comparari : quæ triumphantium pompa tyramnorum huic poterit uel aliquatenus triumpho conferri ? Illi aurati inuecti curribus perituri in perpetuis ignibus inferuntur . Iste deportatus ab Angelis cælo perneniter† fruiturus immittitur . Illi multorum mortibus truculenti ad æterni supplicii tenebras pertrahuntur . Iste pluribus a morte liberatis ad internæ lucis quietem perducitur . Illos post fluxæ uoluptatis læticiam fleturos sine fine inferna deglutiunt . Istum post abstinentiam et lamenta : nunquam finienda gaudia susceperunt : ad quæ nos faciat peruenire dominus noster Iesus Christus : qui cum patre et spiritusancto uiuit et regnat deus per infinita sæcula sæculorum Amen .

PASSIO SANCTI GETHVLII AMANTII CEREALIS ET PRIMITIVI MARTYRVM .

Temporibus illis : iam quasi tempestate remota ab Adriano principe declaratum fuit : ut in omnes ciuitates tam amplas : quam sui senatus uel curiæ ordo uulgaretur scriptus : Et dum fieret præceptio principalis : tanta sæuicia accensus Adrianus est : ut ceiperet† christianos ubicumque inuenirentur statim sibi offerri : Eodem uero tempore erat quidam doctissimus in omni lege diuina nomine Gethulius uir christianissimus territorio sauinensium in Gabiis ciuitate non procul ab urbe Roma . hic quottidie congregans apud se multitudinem christianorum : uictum atque alimenta omnibus eis præbebat : Exponensque eis legem diuinam : tam ex Græciæ quam ex Italiæ regione maximam multitudinem erudierat . hoc dum cerneret uniuersus populus circumquaque et prædicatio et fama beati Gethulii percrebuit : Quod cum audisset Adrianus imperator misso Cereale uicario in prædictum locum sauinensium . ius | sit eum teneri : cumque uenisset Cerealis in Gabios ciuitatem : inuenissetque eum in domo sua sedentem atque docentem christianos : qui ad se confluxerant sicut erat solitus : et ii ob eius prædicationem in dies magis corroborarentur in fide domini nostri Ihesu Christi : Cerealis ad eum dixit : Audisti quid principes iusserunt : atque declaratum est uniuersis ? Cui beatus Gethulius dixit : ergo iussioni principali audire oportet : cui Cerealis dixit : Tuo ore dicito : si iustum non est . Sanctus Getulius dixit : ergo collatio operetur . Cerealis dixit : da manum : et sacrifica diis : cui Getulius : Nos oportet adorare deum dei filium : qui est principium principum et ei audire oportet non homini mortali et uermibus pleno . Cerealis dixit : Et deus habet filium ? sanctus Getulius dixit : habet plane : et fuit : et est : quia ipse est principium . Cerealis respondit : In qua doctrina aut signo agnosco ea : quæ dicis mihi ? fac ut cognoscam eum filium dei deum esse : quod polliceris . Sanctus Getulius dixit : Hoc scias : quia uerbum dei deus qui natus est ex spiritu sancto et Maria uirgine non ex sangunibus† neque ex sæmine uiri sed ex uoluntate dei natus est Iesus Christus : euangelista testante : qui ait nouissimis temporibus dignatus est uenire : ut mortuos suscitaret : cæcos illuminaret : leprosos mundaret : mare pedibus ambularet : uentis et tempestatibus imperaret . Respondit Cerealis uicarius : Id quomodo possum cognoscere ? Hoc factum edicito mihi . Sanctus Getulius uocauit ad se fratrem suum Amantium nomine tribunum qui abconsus erat propter metum Adriani imperatoris : et narrauit ei omnia de Cereale uicario : Quia ante conspectum Adriani Cerealis et Amantius semper accepti fuerant . Tunc sanctus Gethulius declarauit Cereali Amantium germanum suum : Qui cum uidisset eum gauisus est gaudio magno . Tunc sanctus Gethulius dixit ad Cerealem : frater depone artes diabolicas : et induere patientiam domini nostri Iesu christi : quia ego quem uides reliqui uxorem et filios et facultates præsentis sæculi in ciuitate tyburtina : et quæsiui ueram atque æternam facultatem . Cerealis uicarius dixit : Ego uero nec uxorem nec filios habeo : quos relinquam . Nam si est æternum aliquid || nolite abscondere mihi : et proiicio homines mortiferos et ingenio plenos . sanctus Gethulius dixit : Hoc est æternum : ut credas Christum filium dei uiui : et idola manufacta proiicias . Cerealis respondit : quo ordine possum credere : ut nihil fucatum in me resideat ? Dicit ei amicus eius Amantius tribunus : ut baptismum percipias in confessione Christi : et habeas uitam æternam : et si reliqueris omnia quæ temporaliter habere uideris : centuplum accipies : et uitam æternam possidebis . Cerealis uicarius dixit : Et quid impedit : ut pro Christo filio dei sanguinem meum fundam . tamen nolite moras inducere donationi uestræ . sanctus Gethulius dixit : Ergo suscipe quod bonum est : et ieiuna : et penitentiam age sicut et ego . Et indixerunt ei ieiunium triduanum : donec responsum acciperent a deo : et tota nocte in uigiliis et orationibus perstiterunt . Consumata autem tota uigilia noctis audierunt uocem in unum omnes sancti simul qui aderant cum beato Gethulio et Amantius cum Cereale dicentem eis : Vocate ad uos Xistum episcopum urbis Romæ : qui tradat baptismum . Itaque uenerunt ad urbem Romam et accersito beato Xisto episcopo

uenerunt in locum territorii Sauinensium in ciuitatem Gabios in criptam quandam : et fecit secundum ordinem Cristianorum : et cathetizauit eum : et baptizauit in cripta prætacti opidi . Eadem hora uidit Cerealis spiritum sanctum descendentem super se : et confestim clamauit uoce magna dicens : Ecce uideo lumen super splendorem solis descendentem super me . Igitur sacrificauit beatus Xistus : et optulit pro uno quoque sancta libamina : Et participati sunt omnes sacrosancti corporis et sanguinis Iesu Christi domini nostri : et confortati sunt : confirmauitque eos in fide et Constantia gratias agens deo : et recessit ab eis . Eodem uero tempore cœperunt officiales Cerealem quærere in eumque obseruationibus æstuare . Quidam autem Vincentius nomine Numerus arcarius ueniens ad urbem Gabios : ut per exactionem auri publici munimen acciperet . Qui cum peruenisset ad eos intutus† eum Cerealis dixi ei : ut scias quia iam nos causam amisimus temporalem : ut fruamur æterna : quia | temporalia cum suis amatoribus : reges ac imperatores principatus et potestates præsentis sæculi nihil et uanum esse cognouimus . Tunc Vincentius exclamauit uoce ualida dicens : O princeps mundi et rei publicæ gubernator quia seductus est dignitate fultus uicarius et dereliquit deos quærens phantasmata . Et iratus ualde citius cucurrit : et nunciauit hæc Adriano : et qualiter Cerealis uicarius pecunias rei publicæ non curans factum se esse christianum fatetur : Quo audito Adrianus eadem hora misit quendam Licinium consularem : ut sibi Cerealem uicarium præsentaret : Qui cum uenisset in supradictum locum Sauinensium : tenuit Cerealem simul cum beato Gethulio et Amantio seu et Primitiuum . Et mox scripta direxit : quid de eo Adrianus fieri iuberet . His auditis Adrianus : hæc præcepit dicens : ut aut immolarent diis : aut certe incendio cremarentur . Sexto iduum martiarum die qua lecta est iussio epistolæ Adriani imperatoris iussit Licinius in ciuitate tyburtina tribunal sibi præparari : et prædictos sanctos uinctos sibi adduci : cumque præsentati fuissent : talibus eos uerbis aggreditur : Cerealis sic desperasti de uita tua : ut præcepta principum qui dominantur uniuerso mundo contemnere uidearis ? Cerealis respondit : Et thesauros publicos de limatione perfecta tradidi publico : et meo domino Ihesu Christo seruire promitto : et uitam æternam frui credo . Licinius dixit : Si desyderas uiuere an mori . dicito mihi : cui Cerealis respondit : Ego si non desyderarem uiuere : Christum non confiterer : nam sacrificium uestrum nihil est . Tunc iratus Licinius dixit ad beatum Gethulium sacrificate deo Ioui et Marti : alioquin uitam uestram modo exhalare uos præcipiam . Sanctus Gethulius dixit non exhalabo uitam meam : nam si non fecero : magis magisque augeo . Et subridens exultabat in domino . Licinius uero accensus iracundia iussit eos expoliari : et cædi dicens : Præcepta principum contemnere nolite : et diis magnis obedite : Et cum diu cæderetur beatus Gethulius magnificans dominum uoce clara dicèbat : Gratias deo omnipotenti et domino Iesu Christo : quia offero sibi mundum sacrificium . Licinius dixit : Quod || est sacrificium mundum ? Beatus Gethulius respondit : Spiritus contribulatus cor contritum et humiliatum deus non spernit . Licinius dixit leuate eos a terra : et date in custodia publica in opido supra memorato : Fueruntque in carcere diebus uigintiseptem : Veniensque ad urbem Romam nunciauit omnia : quæ facta fuerant : Tunc Adrianus furore plenus missis militibus suis iussit eos incendio tradi : Eductique sunt in fundo capreo in salaria ab urbe Roma plus minus miliario tricesimo supra fluuium Thyberim ad partem Sauinensium atque hos . Ligatis manibus et pedibus ac fustibus suppositis igni tradiderunt : sed nequaquam prævaluit ignis beatum Gethulium concremare : sed magis confortabatur in domino : Et solutis uinculis in medio circumstantium glorificabant Iesum Christum dei filium : Et milites quidem uidentes minime suam prævalere industriam : quod ignis eum minime consumere potuisset : eradicatis fustibus percutientes eum : colliserunt caput eius : qui inuocans dominum : emisit spiritum . eius sanctum corpus collegit uxor ipsius Symphorosa nomine : Et sepeliuit eum cum gloria et honore in prætorio suo Sauinensium in loco nuncupato Capris : in opido supradicto trans fluuium snperiorem† in arenario prædii sui : Reguante saluatore nostro domino Iesu Çhristo : una cum patre et spiritusancto per omnia sæculorum sæcula .

VITA SANCTI GREGORII PAPAE .

Gregorius urbe Roma a patre Gordiano editus non solum de spectabili senatorum prosapia : uerum etiam religiosam originem duxit Nam felix eiusdem apostolicæ sedis gloriæ eius atauus fuit . Sed tamen hanc Gregorius tantæ nobilitatis lineam moribus extulit : probis actibus decorauit . Denique : ut post in propatulo claruit : non sine magno quodam præsagio tale sortitus est nomen : Gregorius namque ex græco eloquio in nostra lingua uigilantius sonat . Re etenim uera uigilauit sibi : dum diuinis inhærendo præceptis laudabiliter uixit uigilauit et fide | lium populis : dum doctrinæ affluentis ingenio : eis quo tramite cælestia scanderent patefecit . Disciplinis uero liberalibus hoc est grammatica : rethorica : dialectica ita a puero est institutus : ut quamuis eo tempore florerent adhuc Romæ studia litterarum : tamen nulli in urbe ipsa secundus esse putaretur . Inerat ei in parua adhuc ætate maturum iam studium : adhærere scilicet maiorum dictis : Et si quid dignum potuisset auditu percipere non segniter obliuioni tradere : sed tenaci potius memoriæ commodare : hauriebatque iam sitibundo doctrinæ fluenta pectore : quæ post congruenti tempore mellito gutture eructaret : hic in annis adolescentiæ : in quibus solet ea ætas uias sæculi ingredi : deo cœpit deuotus existere : et ad supernæ uitæ patriam totis desyderiis anhelare . Sed dum diu longeque conuersionis gratiam differret : et postquam cælesti est afflatus desyderio : sæcularí habitu contegi melius putaret : uelletque præsenti mundo : quasi specietenus deseruire : cœperunt multa etiam cum ex eiusdem mundi cura succrescere : ut in eo non iam specie : sed ut ipse de se asseruit retineretur et mente . Tandem cum et post parentum iam dudum obitum liberam disponendarum rerum suarum haberet facultatem : quod prius mente gestiebat aperuit : Quodque iam in diuinis erat obtutibus : humanis etiam uisibus ostendit . Mox etenim cuncta quæ habere potuit : ad pietatis opus distribuens : ut Christum pro nobis factum egenum : egens ipse sequeretur : effecit . Sex denique in Sicilia monasteria construens : fratres illic Christo seruituros aggregauit : septimum uero intra urbis muros instituit : in quo et ipse postmodum regulari tramite multis sibi sociatis fratribus sub abbatis imperio militauit . Quibus monasteriis tantum de redditibus prædiorum delegauit : quantum posset illic commorantibus ad quottidianum uictum sufficere . Reliqua uero cum omni domo prædia uendidit : ac pauperibus erogauit : Nobilitatemque illam quam ad sæculum uidebatur habere : totam ad nanciscendam supernæ gloriam dignitatis diuina gratia largiente conuertit : Et qui ante serico contextu ac gemmis micantibus trebeatus† solitus erat per urbes procedere : post || uili contectus tegmine : ministrabat pauper ipse pauperibus : Etenim mutato repente sæculi habitu : monasterium petiit : et ex huius mundi naufragio nudus euasit : In quo tanta perfectionis gratia cœpit conuersari : ut iam tunc in ipsis iniciis perfectorum posset numero deputari . Inerat denique ei tanta abstinentia in cibis : uigilantia in orationibus : strenuitas in ieiuniis : ut infirmato stomaco uix consistere posset . Sustinebat præterea assiduas corporis infirmitates : et maxime ea pulsabatur molestia : quam græco eloquio medici symcopin uocant : cuius incommodis ita uitalium cruciabatur : ut crebris interceptus angustiis per singula pene horarum momenta ad exitum propinquaret . Qualis autem in monasterio fuerit quamque laudabili studio uitam duxerit : ex ipsius possumus uerbis colligere : quibus ipse in pontificatu iam positus dum cum Petro suo colloqueretur diacono : flændo usus est dicens : Infelix quippe animus meus occupationis suæ pulsatus uulnere : meminit qualis aliquando in monasterio fuit : quomodo ei labentia cuncta suberant : quantum rebus quæ uoluuntur eminebat : quod nulla nisi cælestia cogitare consueuerat : quod etiam retentus corpore ipsa iam carnis claustra contemplatione transibat . quod mortem quoque quæ pene :unctis† pœna est uidelicet ut ingressum uitæ et laboris sui premium amabat . At nunc ex occasione curæ pastoralis : secularium hominum negocia patitur . Et post tam pulchram quietis suæ speciem terreni actus puluere fædatur . perpendo itaque quod tolero . perpendo quod amisi : cumque intueor illud quod perdidi : fit hoc grauius : quod porto . Ecce et enim nunc magni maris fluctibus quatior : atque in naui mentis tempestatis ualidæ procellis illidor : Et

dum prioris uitæ recolo : quasi post tergum reductis oculis uiso littore : suspiro : Quodque adhuc grauius est : dum immensis fluctibus turbatus feror uix iam portum ualeo uidere : quem reliqui . Hæc autem ipse de se non profectum iactando uirtutum : sed deflændo potius defectum referre consueuerat : quem semper se per pastoralem curam incurrisse metuebat . Sed quamuis talia de se ex magnæ humilitatis intentione dixerit : nos tamen credere decet : nihil eum monasticæ | perfectionis perdidisse occasione curæ pastoralis . Immo potiorem tunc sumpsisse profectum de labore conuersionis multorum : quam de proprie quondam quiete conuersationis habuerit . Sed qualiter hic sanctus uir ad diaconatus officium : et post ad pontificatus culmen ascenderit : subsequens sermo declarat . Denique cernens romanus pontifex : qui tunc ecclesiæ præerat : uirtutum gradibus Gregorium ad alta conscendere : eum a monasterio abstractum ecclesiastici ordinis officio sublimauit : Leuitamque septimum ad suum adiutorium assumpsit : nec multo post pro responsis ecclesiasticis ad urbem Constantinopolim Apogrisarium direxit : Nec tamen ille quamuis in terreno conuersaretur palatio : uitæ cælestis intermisit propositum . Secuti sunt namque eum multi ex monasterio fratres germana deuincti caritate : Quod diuina factum dispensatione conspicitur : ut eorum uidelicet exemplo ad orationis placidum littus : quasi anchora fune restringeretur : et dum causarum sæcularium incessabili pulsu fluctuaret : ad illorum consortium uelut ad tutissimum portus sinum post terreni actus uolumina fluctusque refugeret : Et licet illud comministerium ex monasterio a pristinæ quietis uita mucrone suæ occupationis extinxerit : Inter eos tamen per studiosæ lectionis alloquium quottidianæ aspiratio compunctionis animabat . Horum ergo consortio non solum a terrenis monitus incursibus : uerum etiam ad cælestis uitæ exercitia magis magisque succensus est .

Tunc ab eisdem fratribus enixe rogatus : maximeque a Leandro uenerabili uiro hyspalensi episcopo : qui per causas Vulsi regis Gothorum legatus : eo tempore Constantinopolim aduenerat : conpulsus est : ut librum beati Iob multis inuolutum mysteriis enodaret : Nec ille negare potuit opus : quod sibi caritate interueniente amor fraternus multis utile imponebat futurum . Sed eundem librum : quomodo iuxta litteram intelligendus : qualiter ad Christi ecclesiæque sacramenta referendus : quo sensu unicuique fidelium sit aptandus : per trigintaquinque librorum seriem miranda ratione perdocuit : In quibus libris ita de uirtutibus uitiisque disseruit : ut non || solum uideatur uerbis exponere : sed formis aliquomodo uisibilibus demonrstare† : unde non est dubium eum perfectionem ipsarum assecutum esse uirtutum : quarum tam efficaciter intimare ualuit effectus : Qui cum adhuc esset in eadem regia urbe positus nascente noua hæresi de statu resurrectionis : cum in ipso quo exorta est unctio : iuuante gratia catholicæ ueritatis attriuit . Siquidem Euticius eiusdem urbis episcopus corpus nostrum docebat in illa resurrectionis gloria impalpabile uentis aereque subtilius esse futurum : Quod ille audiens : et ratione ueritatis et exemplo dominicæ resurrectionis probauit hoc dogma orthodoxæ fidei omnimodis esse contrarium . catholica et enim fides habet : quod ipsum corpus nostrum in illa immortalitatis gloria sublimatum : subtile quidem sit per effectum spiritualis potentiæ : sed palpabile per ueritatem naturæ . iuxta exemplum dominici corporis : quo a mortuis suscitato dixit ipse discipulis : palpate : et uidete : quia spiritus carnem et ossa non habet : sicuti me uidetis habere : In cuius assertione fidei uenerabilis pater Gregorius adeo contra nascentem hæresim laborare contendit : tantaque hanc instantia iuuante piissimo Thyberio imperatore Constantino comminuit : ut nullus exinde sit inuentus : qui eius resuscitator existeret . Igitur postquam Romam uenerandus Leuita regressus est : aliquanto interiecto tempore tanta inundatione Thyberis fluuius alueum suum egressus est : atque adeo inualuit . ut eius unda super muros urbis influeret : atque in ea maximas regiones occuparet : ita ut plurima antiquarum ædium monumenta deiiceret : Qua etiam aquarum uiolentia : horrea ecclesiæ subuersa sunt : in quibus non nulla modiorum tritici milia perierunt . Tunc siquidem multitudo serpentium cum magno dracone in modum turris ualidæ : per huius fluminis alueum in mare descendit : Sed et suffocate bestiæ inter salsos maris turbidi fluctus : nec mora : in littore eiecte sunt . Subsecuta est e uestigio clades : quam inguinariam uocant . Nam medio mense undecimo aduenientе : primum omnium iuxta illud quod in Ezechiele legitur : a sanctuario meo incipite : Pelagium | papam perculit : et sine mora extinxit :

Quo defuncto tanta strages populi facta est : ut passim subtractis habitatoribus domus in urbe plurimæ uacuæ remanerent . Sed quia ecclesia dei sine rectore esse non poterat : beatum Gregorium licet totis uiribus renitentem : plebs tamen omnis elegit : Quem ille apicem attentius fugere temptans : sese omnino indignum tali honore clamitabat : metuens certe ut mundi gloria quam prius eiecerat : ei sub ecclesiastici colore regiminis aliquo modo surripere posset . unde factum est : ut epistolam ad imperatorem Mauricium dirigeret : cuius filium ex lauacro sancto susceperat : adiurans : et multa prece deposcens : ne unquam assensum populo præberet : ut se huius honoris gloria sublimaret . Sed præfectus urbis Germanus nomine : eius nuncios anticipauit : comprehensosque ac dirruptis epistolis consensum quem populus fecerat imperatori direxit . At ille gratias deo agens pro amicicia diaconi : eo quod locum ei deferendi honoris ut cupierat reperisset data illico præceptione ipsum institui præcepit .

Cumque in hoc instaret : ut benediceretur : et clades populum deuastaret : uerbum ad plebem pro agenda pœnitentia hoc modo exorsus est . Oportet fratres dilectissimi : ut flagella dei quæ metuere uentura debuimus : saltem præsentia experti timeamus . conuersionis nobis aditum dolor aperiat : et cordis nostri duriciam ipsa quam patimur pœna dissoluat . ut enim propheta teste prædictum est : peruenit gladius usque ad animam . Ecce etenim cuncta plebs cælestis iræ mucrone percutitur : et repentina singuli cæde uastantur : Nec langor mortem præuenit sed langoris moram : ut cernitis : mors ipsa præcurrit . Percussus quisque ante rapitur : quam ad lamenta pœnitentiæ conuertatur . pensate ergo fratres : qualis ad conspectum districti iudicis peruenit : cui non uacat flære : quod fecit . Habitatores quippe non ex parte subtrahuntur : sed pariter corruunt . domus uacuæ relinquuntur . filiorum funera parentes aspiciunt : et sui eos ad interitum hæredes præcedunt . unusquisque ergo nostrum ad pœnitentiæ lamenta confugiat : dum flære ante percussionem uacat . Reuocemus ante oculos mentis : quidquid errando || commisimus : et quod nequiter egimus : flændo puniamus . Præueniamus faciem eius in confessione : et sicut propheta ammonet : leuemus corda nostra cum manibus ad dominum : quippe corda cum manibus leuare est : orationis nostræ studium cum merito bonæ operationis erigere . Dat profecto dat tremori nostro fiduciam : qui per prophetam clamat : Nolo mortem peccatoris : sed ut conuertatur et uiuat . Nullus autem de iniquitatum suarum immanitate desperet . Veternosas Niniuitarum namque culpas triduana pœnitentia abstersit . et conuersus latro uitæ præmia etiam in ipsa sententia suæ mortis emeruit . Mutemus igitur corda : et præsumamus nos iam percepisse quod petimus : citius ad precem iudex flectitur : si a prauitate sua animus corrigatur . Imminente ergo tantæ animaduersionis gladio nos importunis flætibus insistamus . Ea namque quæ ingrata esse hominibus importunitas solet : iudicio ueritatis placet : Quia pius ac misericors dominus uult a se precibus exigi : qui quantum meremur non uult irasci . hinc etenim per spalmistam† dicit : Inuoca me in die tribulationis tuæ . eripiam te : et magnificabis me . Ipse ergo sibi testis est : quia inuocantibus misereri desyderat : qui ammonet ut inuocetur : Proinde fratres carissimi contrito corde : et corectis operibus ab ipso feriæ quartæ diluculo septiformis letaniæ deuota ad lachrymas mente ueniamus : ut districtus iudex cum culpas nostras nos punire consyderat : ipsam sententiam damnationis temperando parcat . Hanc autem exhortationem beari† Gregorii ideo huic opusculo inserendam putauimus : ut a quanta perfectione prædicationis initium sumpserit monstraremus . Igitur dum magna multitudo sacerdotum monachorum diuersique sexus clericatus iuxta præceptionem beati Gregorii die constituta dominum rogatura uenisset : usque adeo lues ipsa desæuit : ut intra unius horæ spatium dum uoces plebs ad dominum supplicationis emitteret : octoginta homines ad terram corruentes spiritum exhalarent . Sed non destitit sacerdos tantus populo prædicare : ne ab operatione diuini præcepti plebs ipsa quiesceret : Cumque adhuc futurus antistes fuge latibulum præpararet : urbis sollicitudo et portis uigiliæ depu | tantur : donec opportune et gloriose : ut ordo sacer exposcit : in eo diuina munia complerentur . obtinet is a negotiatoribus ut in cratere occultatus educeretur ab urbe : atque ita latebris triduo se occultauit : donec illum ieiuniis et orationibus populus romanus columna lucis tertia super eum nocte cælitus emissa obtinuit : quæ non paruo noctis spatio a summo cæli usque ad eundem ipsum linea recta effulgens quærentibus

uotum optabile demonstrauit . Sed et cuidam anachoritæ urbi contiguo angeli ascendentes et descendentes per præfatam columnam super illo uisi sunt : qui mox felix sacrumque suscipiens auspicium de ea : quam uidit in somnis sanctus Iacob scala : ibidemque domum domini dixit fore rectorem domus dei : quæ est ecclesia : imo ipsum dei templum ibi est absconditum exclamauit : tandemque electus domini inuenitur : capitur : trahitur : et ad beati Petri apostoli basilicam ducitur : ibique ad pontificalis gratiæ officium consecratus : papa urbis efficitur : Quo in tempore cum a Iohanne Rauennatis urbis episcopo reprehensus fuisset : cur a pastorali officio delitescendo se subducere uir tam idoneus uoluisset : hac de occasione compulsus uolumen egregium quod pastoralis appellatur composuit : quo manifesta luce patefecit : quales ad ecclesiæ regimen assumi : qualiter ipsi rectores uiuere : quanta consyderatione propriam quottidie debeant fragilitatem pensare : Sed et homelias euangeliorum numero quadraginta composuit : quas in duobus codicibus æqua sorte distinxit . Libros etiam dialogorum quattuor edidit : in quibus rogatu Petri diaconi sui uirtutes sanctorum quos in Italia clariores nosse uel audire potuisset ad exemplum uiuentium posteris collegit : ut sicut in libris dispositionum suarum quibus sit uirtutibus insudandum edocuit : ita etiam de scripturis sanctorum miraculisque uirtutum : eorumdem claritas quanta sit ostenderet . Primam quoque et ultimam Ezechielis prophetæ partes quæ uidebantur obscuriores : per homelias uiginti duas quantum lucis intus habeant demonstrauit . Scripsit præterea et alia non nulla : epistolas complures : quæ singillatim cuncta edicere : breuitatis studio omisi : Quod eo magis miror : tot eum ac tanta condere uolumina potuis || se : qui omnni† fere iuuentutis suæ tempore : ut uerbis ipsius loquar crebris uiscerum cruciabatur doloribus : horis momentisque omnibus fracta stomachi uirtute fatiscebat . lentis quidem sed tamen continuis febribus anhelabat : et dolor eum uæhemens affligebat . uerum inter hæc dum sollicitus pensaret : quia scriptura teste : omnis filius qui recipitur flagellatur : quo malis præsentibus durius deprimebatur : eo de æterna certius præsumptione respirabat . Fatigabat eum præterea de ordinandis urbis uigiliis : ne ab hostibus caperetur : sollicitudo continua . urebatur quoque eius animus propter filiorum hinc inde discrimina nunciata . Sed tamen ille inter tot et talia deprehensus incomoda : nunquam otio indulgebat : quin aut aliquid dignum ecclesiæ scriberet : aut per contemplationis gratiam cæli secretis interesset . Denique cum de tota pene Italia longobardorum gladios metuentes plurimi undique ad urbem Romam confluerent : sollertissime pro omnibus curam gerebat . uniuersis cum uerbi pabulo corporis subsidia ministrabat : adeo enim eius animum misericordiæ amor deuicerat : ut non solum horum quos præsentes habebat necessitatibus occurreret : sed insuper longe positis opem suæ largitatis mpenderet† : Ita ut etiam in monte Synai dei famulis constitutis : queque oportuna transmitteret . Nam alii quidem pontifices construendis ordinandisque auro uel argento ecclesiis operam dabant . hic autem totus erga animarum lucra uacabat : et quidquid pecuniæ habere poterat sedule dispergere et dare pauperibus curabat : ut iustitia eius maneret in sæculum sæculi : et cornu eius exaltaretur in gloria . Ita ut illud beati Iob ueraciter dicere posset : Benedictio perituri super me ueniebat : et cor uiduæ consolatus sum . Iusticia indutus sum : et uestiui me sicut uestimento : diademate iudicio meo . Oculus fui ceæco† : et pes claudo : Pater eram pauperum : et causam quam nesciebam : diligentissime inuestigabam . Et paulo post : Si comedi bucellam meam solus : et non comedit pupillus ex ea : quia ab infantia mea creuit mecum miseratio : et de utero matris egressa est mecum .

Ad cuius pietatis Iustitiæ opus pertinet : quod | Anglorum gentem per prædicatores quos illuc direxit de dentibus antiqui hostis eripiens : æternæ libertatis fecit esse participes : Et enim qui deo nostro fideliter adhæret : semper ex eius largifluo munere ad altiora conscendit . Dum hic ergo sanctus ardenti studio pro colligendis particulatim fidelium animabus satageret : donauit illi pius dominus : ut totam pariter Anglorum gentem conuerteret : cuius conuersio : ut putatur : facta diuinitus ex hac occasione fuit . Dum die quadam aduenientibus nuper mercatoribus multa uænalia in forum Romæ collata fuissent : multique ad emendum hinc inde confluerent : contigit ut Gregorius antea quam pontificale decus nactus fuisset cum cæteris aduenisset : ac uidisset inter alia pueros uænales positos lactei corporis ac uenusti uultus : capillos quoque præcipui candoris habentes : Quos cum aspiceret : interogauit : ut aiunt : de

qua regione uel terra essent allati . Dictumque est : quia de Brittania insula : cuius incolæ tali omnes decore niterent . Rursus interrogauit utrum in eadem insula Christiani essent : an paganorum erroribus implicati . Dictumque est paganos esse . At ille intimo ex corde longa trahens suspiria : proh dolor inquit : quod tam lucidi uultus homines tenebrarum auctor possidet : tantaque frontispicii gratia mentem ab internis gaudiis uacuam gestat . Rursus ergo interrogauit : quod esset uocabulum gentis illius : Responsum est : quod Angli uocarentur . At ille : Bene inquit : Nam et angelicam habent faciem : Et tales angelorum in cælis decet esse cohæredes : Quod habet inquit nomen illa prouincia : de qua isti sunt allati ? Responsum est : quia deri uocarentur : id est prouinciales . At ille : bene inquit deri : quia de ira eruti et ad misericordiam Christi uocandi . Rex ait prouinciæ illius quomodo uocatur ? Responsum est : quod Adelle uocaretur . At ille alludens ad nomen ait : ad laudem dei creatoris alleluia illis in partibus oportet cantari . Accedensque ad romanæ et apostalicæ† sedis antistitem : rogauit : ut genti Anglorum in Britaniam aliquos uerbi ministros per quos ad Christum conuerterentur mitteret : asserens et se ipsum in hoc opus domino cooperante proficisci paratum || esse : si tamen eidem apostolico papæ hoc ut fieret placeret : quod cum pontifex minime annueret : uictus tandem infatigabilibus eius precibus assensit ciuibus profectionis eius celans negotium : quandoquidem si id nouissent nullo pacto acquieuissent : quanto itaque celeriter potuit iter cum apostolica benedictione arripuit : hæc interea ad eorum ueniunt noticiam . unanimes itaque tam urbici quam suburbani proficiscenti ad ecclesiam beati Petri pelagio occurrunt : terribili conclamantes uoce quid enim uir apostolicæ egisti ? sanctum Petrum offendisti : quibus pontifex motus : populum enim metuebat : Gregorium a profectione reuocauit . uerum priusquam nuncii eum conuenissent : trium dierum iter iam confecerat : Interea ut iter agentibus moris est circa sextam horam prato quodam resideret et legeret : uenit ad eum locusta : quæ prosiliens paginæ quam percurrebat insedit : quam cernens Gregorius mansuete ibi quiescere ad sodales uersus : locusta inquam hæc dici potest quasi loco ista : subdens Scitis inquit non iter cœptum nos licere protendere : uerumtamen surgite et iumenta sternite : ut quandiu licuerit : quo tendimus properemus . dum autem hæc mutuo confabularentur : apostolici nuntii equis sudantibus superuenerunt . epistolam tradunt : qua perlecta : Ita est inquit sotii : ut prædixeram : Romam celeriter redibimus : quod et factum est . Mox ut ipse pontificatus officio functus est : opus diu desyderatum perfecit . Alios quidem prædicatores mittens : sed ipse prædicationem ut fructificaret suis exhortationibus ac precibus fulciens . denique direxit ad eamdem insulam seruos dei Mellitum Augustinum et Iohannem cum aliis multis deum timentibus monachis : Qui paucis diebus : regem illum qui in capite morabatur insulæ : cum suo populo conuerterunt : Quibus deus faciendorum tantam miraculorum gratiam contulit : ut uerbum fidei quod ore prædicabant signorum efficacia confirmarent : ex quo factum est : ut paucis prædicantibus annis cæteræ etiam insulæ et ipsarum reges : cum his qui eis subiecti erant ad Christi domini fidem accederent : de cuius gentis euersione simul et miraculorum prodigiis quæ ibidem fiebant : ita beatus Gregorius in libris moralibus perhibet | dicens : Ecce lingua Brittaniæ quæ nihil aliud nouerat quam barbarum frendere : iam dudum in diuinis laudibus hebrea cœpit uerba resonare . Ecce quondam tumidus iam substratus sanctorum pedibus seruit oceanus : eiusque barbaros motus quos terreni principes edomare ferro nequiuerunt : hos per diuinam formidinem sacerdotum ora simplicibus uerbis ligant : Et qui cateruas pugnantium infideles nequaquam metuerant : iam nunc fideles humilium linguas timent : Quia enim perceptis cælestibus uerbis : clarescentibus quoque miraculis uirtus ei diuinæ cognitionis infunditur : eiusdem diuinitatis terrore refrænatur : ut praue agere metuant : ac totis desyderiis ad æternitatis gratiam peruenire concupiscant : Quod totum ut fieret ita eidem beato Gregorio gratia diuina concessit : ut merito ab Anglorum populis debeat apostolus appellari : Quia et si aliis non est apostolus : sed tamen illis est . Nam signaculum apostolatus eius ipsi sunt in domino . Si uero utrum aliquibus uir iste tanti meriti miraculis claruerit : superfluo quæritur : cum luce clarius constet : quod is qui uirtutum signa suis meritis ualuit aliis quoque Christo largiente acquirere e :† si exegisset oportunitas facilius poterat hæc etiam ipse promereri . Sed ut nobis qui cum iudeis signa uisibilia ad ostendendam sanctitatem expetunt satisfactio non desit : et illis qui sanctorum exem-

plis ad meliora accendi et prouehi quærunt ædificatio prosit : quædam quæ per eum dominus ad excitandum et corroborandum nostræ mentis torporem et forte infidelitatem potius quam ignorantiam manifestare decreuit . Materfamilias nobis erat in hac ciuitate Romana quæ religionis et deuotionis studio oblationes facere et die dominica ad ecclesiam deferre : summoque pontifici ecclesiasticæ consuetudinis et familiaritatis eiusdem gratia offerre solebat . hæc ubi quadam die ex more ad communicandum de manu apostolici in ordine suo accederet : Illique pontifex partem dominici corporis porrexisset dicens : corpus domini nostri Iesu Christi prosit tibi in remissionem peccatorum et uitam æternam : illa surrisit : quod uir domini cernens illi communionem sacram retraxit : et seperatim super altare reposuit : eamque diacono || seruandam usquedum cuncti commuuicarent† fideles tradidit . Expletis uero sacris mysteriis interrogauit eam beatus Gregorius : Dic ergo dic quid cordi tuo emerserit : cum comunicatura risisti : Ait illa : Recognoui inquit portiunculam illam ex eadem oblatione fuisse : quam ego meis manibus feci et tibi obtuli . Et cum eam te intellexeram corpus appellasse : surrisi . Tunc sanctus domini pontifex sermonem exinde fecit ad populum hortatusque est eum : ut suppliciter dominum exoraret : quatenus ad multorum fidem corroborandam carnis oculis ostenderet : quod infidelitas huius mulieris mentis oculis uidere : et fidei lumine conspicere debuisset . Quod cum fuisset oratum : una cum populo eademque muliere ab oratione surrexit : et altare cunctis cernentibus : et sese ad cernendum cæleste spectaculum comprimentibus corporalem palam reuelat : et uniuerso populo atque ipsa muliere contuente partem digiti auricularis sanguine cruentatam inuenit : ac mulieri dixit : Disce inquam et ueritati uel modo etiam dicenti credere : panis quem ego do caro mea est : et sanguis meus uere est potus . Sed præscius conditor nostre infirmitatis ea potestate qua cuncta fecit ex nihilo et corpus sibi ex carne semper uirginis operante sancto spiritu fabricauit . Panem et uinum aqua mixtum manente propria specie in carnem et sanguinem suum ad catholicam pacem ob reparationem nostram spiritus sui sanctificatione conuertit : Indeque uniuersos iussit diuinam precari potentiam : ut in formam pristinam sacrosanctum reformaret mysterium : quatenus mulieri assumendum fuisset possibile : quod et factum est : Vnde mulier post in sancta religione ac fide proficiens participatione dominici sacramenti consecrata est . Et omnes qui uiderant in diuino amore et orthodoxa credulitate feruentius excreuerunt . Quidam nobilissimus secundum carnis prosapiam potentissimus iuxta regiam in suo modo magnificentiam cum per internuncios familiaritatem apostolicæ sedis adeptus esset et frequenti ammonitione epistolarum etiam a beato Gregorio transmissarum instructione erga dei et sanctorum cultum sufficienter fuisset imbutus : per strenuos uiros mu | nera summo pontifici misit petens sanctorum apostolorum ac martyrum sibi transmitti reliquias : cuius legatos uir ipse apostolicus honorabiliter suscipiens aliquamdiu eos secum habuit . atque indesinenter sanctorum apostolorum memorias ac mysteria martyrum circuiens et more prisco pro huiusmodi negotio missas celebrans : cum expleuisset eorum celebrationes : quorum reliquiæ petebantur : particulatim eosdem pannos consecratos super quibus sancta celebrauerat diuisit : et singulis singillatim buxetis imposuit : Munitisque eis sigillo suæ sanctæ auctoritatis petitoribus usui ecclesiastico tradidit : Qui debita cum ueneratione benedictionem petitam suscipientes læto animo in uiam suam profecti sunt . sed dum per aliquot dies regressionis suæ iter carperent : qui primus eorum habebatur sodalibus curiose stulte se tanti itineris subisse laborem ait : cum nescirent quid pretiosi domino suo retroferrent . quare confractis apostolicæ dignitatis sigillis uascula aperta sunt : et in singulis panni reperte sunt portiunculæ : Mox cum indignatione Romam regressi archidiaconem adeunt : Vt quid inquiunt dominus apostolicus adeo dominum nostrum uilipendit : qui tantam gratiam apud eum obtinuisse sperauerat : ut ei illudere et nos dehonorationi et offensioni suæ addicere uoluerit . Existimauimus si quidem nos ossa apostolorum uel martyrum hinc ferre : sicut decreuerat dominus noster . est autem tanta nihilhominus longa quæsita uia et difficillimo satis-itinere : et date sunt nobis panni modicæ partiunculæ† : ac si huiusmodi panniculi genus apud nos nequiuisset inueniri . Nisi enim cauta sollicitudo subuenisset ut quod gerebamus cognosceremus : stolide ad dominum nostrum nec sine periculo honoris et gratiæ eius redissemus : quos archidiaconus modesta increpatione redarguit . cur in tanto opere præsumpserint : ut apostolica sigilla corrupe-

rint : hortans eos : redire : et quæ acceperant domino suo cum honore deferre . Sed hii nullatenus monitis eius acquiescentes usque ad domini Gregorii uenere præsentiam : reque comperta patientissime eorum tulit stultitiam : eosque sacrosanctis missarum præcepit solemniis interesse . deinde cum ad locum sui sermo || monis† est uentum : suadet populo dei et sanctorum gratiam orare : quatenus in hac re dignetur sic suam potentiam patefacere : ut quid mereatur fides euidentius minus creduli et ignorantes possint cognoscere : Et data oratione accepit ab eo cultellum qui temerauerat signa et super altare corporis sancti Petri acceptam unam panni portionem per medium pungens secauit : ex qua statim sanguis decucurrit : et omnem eandem particulam cruentauit . Videntes autem legati omnesque populi stupendum et arcanum sacræ fidei miraculum ceciderunt proni in terram adorantes dominum et dicentes : Mirabilis deus in sanctis suis . deus israel ipse dabit uirtutem et fortitudinem plebi suæ . benedictus deus . Et facto silentio inter alia fidei documenta dixit ad eos beatus Gregorius : qui antea uenerandas reliquias parui duxerant : scitote fratres : quia in consecratione corporis et sanguinis domini nostri Iesu Christi : cum ob sanctificationem reliquiarum in honore apostolorum uel martyrum ipsius quibus spetialiter assignabatur : super sacrosanctum altare libamina offerebantur : semper illorum sanguis hos pannos intrauit : qui effusus est pro nomine domini nostri Iesu Christi : et ædificatis in fide cunctis qui uiderant : munitisque iterum uasculis signo suo incomparabilia uoti sui eis tradidit : qui cum gaudio reuersi hæc per ordinem domino suo nunciarunt : et sui desyderii compotem reddiderunt : Ille uero pretiosa sanctorum patrocinia reuerenter suscepit : et honorabiliter in loco uenerabili condidit : quo deus frequentiora quam in sancti Petri ecclesia miracula operari dignatur . Pater quoque familias in urbe Roma ditissimus sed religione egenus erat . hic non minus uiciis quam rebus abundabat . nam cum eius uxor ei displicuisset : contra præceptum saluatoris nostri diuortium fecit . Res uero beatum Gregorium non latuit quia et mali et personarum magnitudo facile se prodidit . hunc itaque beatus Gregorius suauissimis monitis suadere contendit : ut uxorem in gratiam reciperet : a qua quoquo modo diuelli nisi morte aut amborum consensu intercedente nequiret . Sed is diabolica præuentus pertinacia monita eius spreuit : Quem beatus | Gregorius apostolica auctoritate ab ecclesia sub anathemate nisi resipisceret sequestrauit : quam excommunicationem paruipendens duos magos pecuniis conducit ut in uirum apostolicum ad uindictam eius apodixem artis suæ exercerent : qui cum faciem ignorarent : et quadam die ad processionem ex more pergeret beatus Gregorius : illi eminus secus transitum stantes sibi eum rogant insinuari : quibus responsum est : qui solus pontificali dignitate equitans præcedentem et subsequentem cuneum ecclesiasticorum habet uirorum . Intuentes eum repente equum maleficiis uexare cœperunt . statimque beatus Gregorius inuocato nomine domini nostri Iesu Christi et edito signo crucis perturbauit dæmonia : mox ut magos est contemplatus : illi cæcati et ab eisdem dæmonibus peruasi ceciderunt retrorsum : Vnde intellexit eorum id perpetratum nequitia : et cum iussisset eos adduci : interroganti rei ordinem prodiderunt : quibus respondit beatissimus pontifex : Perpetuo cæci esse debetis : ne uidentes ad consuetam peruersitatem redire temptetis : In nomine autem domini nostri operante beato Petro liberi a uexatione dæmonum sitis : Qui confestim a dæmonibus emundati : et credentes fonte salutari perfusi sunt : ac permanente cæcitate damnati iubente beato Gregorio de cætero stipe sunt ecclesiastica aliti . Sed et tyrannus quidam Romanæ ecclesiæ possessiones et mancipia crudelissime deuastabat : quam ob rem beati pontificis per internuncios ammonitione correptus maiori exarsit insania : adeo ut urbem depopulandam adiret : Cui aduenienti beatus Gregorius ut eum alloqueretur occurrit : Tantamque uim nutu diuino eius uerbis inesse expertus est : ut humiliter uiro apostolico satisfaceret : et se deinceps sibi subditum et sanctæ Romanæ ecclesiæ deuotum famulum spopondisset . Is denique postea usque ad exitum ægrotus uenerandi papæ orationem poposcit : responsumque accepit : quod ei dominus adhuc spacium pœnitentiæ largiretur : et cum plenius conualesceret illis quibus nutritus fuerat cibis indulgere studeret : Qui iussis obtemperans conualuit de cæteroque fideliter uixit . Idem etiam || perfectissimus et acceptabilis deo sacerdos cum forte per forum Traiani : quod opere mirifico constat esse extructum : procederet : in quo memorabile illud comperit : quod cum isdem orbis princeps in expeditionem circumualatus militum

cuneis præiret : ibidem obuiam habuit uiduam senio simulque dolore ac paupertate confectam : cuius lachrymis atque uocibus sic compellatur : Princeps piissime Traiane ecce hic sunt homines qui mihi modo unicum filium senectutis scilicet meæ baculum et omne solatium occiderunt : meque una cum eo uolentes occidere : dedignantur etiam mihi pro eo rationem. aliquam reddere : cui ille festinanter : ut res exigebat : pertransiens : cum rediero inquit : dicito mihi : et faciam tibi omnem iusticiam . Tum illa domine inquit : et si tu non redieris : ego quid faciam ? ad quam uocem substitit : et reos coram se adduci fecit : Nam cum suggereretur a cunctis accelerare negotium oportere : gressum a loco non mouit : quousque uiduæ a fisco : quod iuridicis sanctionibus decretum est : persolui fecerit . demumque supplicantium precibus et flætibus super facti sui pœnitentiam uiscerali clæmentia flexus non tantum potestate quam precatu et lenitate uinctos prætorialibus cathenis absoluit . Huius rei gratia compunctus uenerabilis pontifex cœpit lachrymosis gemitibus secum inter uerba precantia hæc si quidem prophetica et euangelica reuoluere oracula : Tu domiue† dixisti iudicate pupillo . defendite uiduam : et uenite et arguite me . dimittite et dimittetur uobis : ne immemor sis quæso : peccator et ego indignus sum : propter nomen gloriæ tuæ fidelissimæ promissionis tuæ in huius deuotissimi uiri facto . Peruenienque ad sepulcrum beati Petri diutius orauit et flæuit atque ueluti somno correptus in extesim raptus est : quo per reuelationem se exauditum dicit : et ne ulterius iam talia de quoquam sine baptismate sacro defuncto præsumeret petere : promeruit uestigari : qua de re a minus perfecte fidei et curiosis quædam ualeant quæri et plura ab is† qui credunt ueritati fideliter dicenti : quæ apud homines impossibilia sunt uel uidentur : facilia sunt apud deum et salubria explanare . Tutius tamen uidetur in hoc actu diuinæ pietatis et potestatis iudicium ue | nerari et neminem discuti . Denique a fideli et religioso uiro ac huic nostro patri sanctissimo pro suæ religionis et utilitatis merito ualde familiarissimo fideliter post obitum eius nobis narratum didicimus : Quod cum idem uas electionis et habitaculum sancti spiritus uisionem ultimam prophetæ Ezechielis interprætaretur ob pansum uelum inter ipsum et eundem exceptorem tractatus sui : illo per interualla prolyxius reticente : idem minister eius stilo perforauerit : et euentum per foramen conspiciens : uidit columbam candidiorem super eius capite sedentem : rostrum que ipsius ori diu tenere appositum : quæ cum ab eiusdem ore ammoueretur : incipiebat sanctus pontifex loqui : et a notario graphum ceris imprimi . Cum uero reticeret sanctispiritus organum minister eius oculum foramini iterum applicabat : eumque ac si in oratione leuatis ad eælum† manibus simul et oculis columbæ rostrum more solito conspicabatur ore suscipere : quod tandem eodem spiritu reuelante pontifex sanctus cognouit : et uehæmentissime tristis effectus interminatus est apostolica auctoritate miraculi diuini in se perpetratum conscium : ne in uita sua id alicui quoquomodo patefaceret : Quod si interim secretum custodiens post obitum sanctissimi sacerdotis compulsus quorundam inuidia : qui obiectabant uirum beatissimum præsumptionis tumore tanta ac talia de cælestium arcanorum mysteriis fuisse locutum . Hæc ita se per omnia uidisse fideliter reuelauit . Migrato namque ad dominum pontifice cum fames ualidissima non modo in præfata ciuitate Romana uerum et in omnibus circum regionibus satis superque crassaretur : et is qui ei in sede pontificali successerat horrea ecclesiæ ementibus frumenta aperiret : et illis quos beatus Gregorius per monasteria et xenodochia seu diaconias uel hospitalia stipendiis alendos ecclesiasticis ordinauerat clauderet : Cœperunt omnes famis compellente inopia apostolicas aures inquietare dicentes : Domine apostolice quos pater noster decessor tuus sanctus Gregorius hactenus studuit pascere : tua sanctitas fame non sinat perire : quorum uociferationem morose id est moleste ferens respondit : Si Gregorius ad || famam suæ laudis cunctos populos curauit suscipere : nos omnes pascere non possumus : atque ita uacuos sinit abire : que uerba responsionis cum sæpius ad se clamantibus iterans redderet : apparuit ei per uisum sanctus Gregorius tertio : illumque tertio blande increpans super sua detractione et ipsius tenacia seu miserorum indigentia ammonuit atque corripuit : qui nec cor ad iussa flexit : nec ori ab obtrectatione adhibere custodiam uoluit : nec etiam manum ad largitatem extendit : Vnde illi quarto apparens beatus Gregorius horribiliter eum redarguit : et comminans eum in capite percussit : cuius dolore uexatus paulo post defunctus est . Hæc breuiter de uita uel actibus beati Gregorii dicta sunt . Cæterum quamdiu mundi hnius† orbita uoluitur : eius laudabile meritum semper accipit incre-

mentum . Quia ipsius sine dubio gloriæ ascribitur : uel quia Anglorum ecclesia noua semper sobole fæcundatur : uel quod illius doctrinis multi a peccatis† elongati ad Christi clæmentiam conuertuntur : uel quod boni quique eius suasionibus inflammati cælestem patriam desyderanter inquirunt : Qui beatissimus pontifex postquam sedem Romanæ et apostolicæ ecclesiæ annis tresdecim mensibus sex et diebus decem gloriosissime rexit : ex hac luce subtractus ad æternamque regni cælestis sedem translatus est . Sepultus uero est in ecclesia beati Petri apostoli ante secretarium quarto Iduum marciarum : aliquando in ipso cum cæteris sancte ecclesiæ pastoribus resurecturus in gloria . Scriptumque est in tumba ipsius epytaphium huiusmodi .

Suscipe terra tuo corpus de corpore sumptum :
Reddere quod ualeas uiuificante deo .
Spiritus astra petit lœti nil iura nocebunt :
Cui uitæ alterius : mors magis ipsa uia est .
Pontificis summi hoc clauduntur membra seplucro†
Qui innumeris uixit semper ubique bonis .
Esuriem dapibus superauit frigora ueste :
Atque animas monitis texit ab hoste sacris .
Implebatque actu quidquid sermone docebat :
Esset ut exemplum mystica uerba loquens
Anglos ad Christum uertit pietate magistra
Acquirens fideique agmina gente noua :
Hic labor hoc studium hæc tibi cura hic pastor agebas : |
Vt domino offerres plurima lucra gregis .
Hisque dei consul factus lætare triumphis .
Nam mercedem operum iam sine fine tenes .

DE SANCTO GREGORIO LINGVONENSI EPISCOPO EX GESTIS EIVS .

Sanctus autem Gregorius ex senatoribus augustudunensibus ortus est : Et regionem illam per . XL . annos rexit ita seuere et districte : ut eum rei et obnoxii sustinere non possent . habuit coniugem nomine Armentanam : de qua filios suscepit : post cuius mortem electus est in episcopum linguonensem . Sub panibus triticeis tenues ordeaceos sibi faciebat apponi : et triticeos frangens et erogans : ordeacos† nullo sciente comedebat . similiter et de uino faciebat : cum ei pincerna aquam porrigeret desuper uinum infundi iubebat . tale uitrum eligens quod claritatem aquæ obtegeret . Multi de uirga quam ille ferre solebat : signatos energuminos curabant : et de strato eius si quis ægrotus aliquid abtulisset curabatur . Hic ignoranter prohibebat sepulcrum sancti Begnini† frequentari : quem sanctus Benignus ei aliquando apparens corripuit et monuit : ut oratorium ædificaret super sepulcrum suum : lætusque effectus pro inuentione martyris flæbat amarissime : quod prius prohibuerat : et criptam antiquitate collapsam decenter reparauit : Ibique habebat oratorium pro amore martyris : in quo multorum sanctorum reliquiæ habebantur : ad quod nocte de domo sua baptisterio adhærente pergebat : et hostium clausum sola manu pulsans aperiebat : ingrediensque diutissime orabat in silentio . Postea uoces sanctorum cum eo psallentium per tres horas et amplius audiebantur : quo expleto reuertens ad lectulum : ita caute se super stratum deponebat : ut nemo sentiret . Obseruatores autem baptisterii claue sua hostium reserabant : ac si nemo illud apperuisset : et commoto signo : sanctus Gregorius sicut et relliqui ad diuinum demum officium consurgebat . In die sepulturæ illius || quidam religiosus uidit cælos apertos . Defunctus faciem habebat roseam : et cæterum corpus candens ut lilium . fecit se sepeliri iuxta sanctum Benignum . cum deferretur corpns† eius ad sepulturam uincti clamabant : ut sui misereretur : et ita aggrauatum est corpus eius : ut sustineri non posset . Quo deposito trabs in qua pedes uinctorum inclusi erant et coacti : repulsis obicibus scissa est media : et liberati

sunt a iudice . post multa tempora cum transferretur corpus eius in aliam asidam a sancto Tetrico successore et filio eius : facies eius integra et illæsa inuenta est : et nihil de uestimento eius immutatum . Quædam puella die dominico pectens caput suum : sensit dentes pectinis ita affigi digitis suis et palmis : ut ualde cruciaretur . Hæc ad sepulchrum sancti Gregorii curata est : pectine decidente quem diu adhærentem portauerat .

PASSIO SANCTI GENESII MARTIRIS .

Imperante Dioclitiano cum cessassent per annos quattuor ecclesiæ apud omnes episcopos et sacerdotes : fuit quidam in ciuitate Arelato mimus temeleæ artis nomine Genesius : ignorans dominum : propterea christianos irridens qui dum uult imperatori per artis suæ placere peritiam : scrutari per singula cœpit secretam et uenerabilem dei legem : Et dum curiosissime attonitus singula perquirit : peruenit ad baptismum et perceptionem gratiæ dei : ita ut omnia quæ didicerat : in libello conscriberet : Quæ cum omni animo retineret : pergit ad theatrum : unde male saginari consueuerat introiuitque sub ornatorium suum : ubi cum salutatus a suis minoribus consedisset : ait ad eos : Scitis quoniam imperatores nostri odio habeant christianos ? Qui responderunt dicentes : Ita hoc omnibus notum est : ut qui hæc ignoret inueniri non possit . Dicit eis Genesius : Si uultis ergo ut placeamus imperatori inuictissimo : uenite : et de eorum ministeriis scire properemus : cui cum grato animo consensissent secretis diuinis : et | quid uel qualiter saperent spectante imperatore nimium : In hæc uerba prorupit : proposuit ut quasi ægrotum se simulans gratiam baptismatis postularet . proposito itaque mimo factum est : ut iaceret in grabato : et ait ad suos : Eia nostri grauem me sentio . Leuem me fieri uollo : Et illi responderunt : Et quomodo te leuem facimus : si grauis es ? Nunquid nos fabri sumus : et te in Rimeinam misuri sumus : his dictis : populo incredulo risum exhibuerunt . Genesius compulsus dixit eis : uesani christianus mori desydero . Sui dixerunt : Quare Genesius ait : ut in illa die ueluti fugitiuus in deo inueniar .

Hæc risionis uerba Dioclitianus tenere non potuit : cui ut maius placerent : faciunt exorcistam et præsbyterum intrare sicut die altera fecerant milete : qui quasi ingressi ad ægrotum sedere cœperunt iuxta lectulum : et dicit ei Quid ad nos misisti filiole ? Quibus Genesius iam non simulatus et fictus : sed ex corde puro respondens ait : Quia accipere cupio gratiam Christi : per quam renasci cupiens liberer a ruina iniquitatum mearum . fit clamor populi . currunt cursores ferentes ei munera ab imperatore misi : Et cum omnia sacramentorum secreta complessent : indutus est uestibus albis : et cœpit sedens erogare inritam et dulciam . Ecce repente dum erogat ueniunt quasi ab imperatore misi qui eum tenerent : Quique cum fuisset ad passionem adductus : ueram ponit confessionem . Tunc in albis uestibus uadit ad locum ipsum : ubi spectabat imperatorem . Et ascendit in locum : ubi fuerat statua Veneris quæ fuerat de loco in locum traiecta : ac de eminentiori loco ita concionatus est : Audi imperator et audite omnis exercitus eius : sapientes et omnes populi huius urbis qui sani estis : Ego quotiescumque mihi cristianum uel nominatum audiui exhorrui : et inter pœnas in eadem confessione permanentibus insultaui . Ego etiam parentes meos et affines causa christiani nominis execratus sum : Et in tanta derisione habui christianos : ut ego in uniuersa mysteria eorum diligenti examinatione perquirerem : et risum mihi et uobis ludum ex eorum sanctificatione exhiberem . At ubi me aqua nudum tetigit : et interrogatur† utrum crederem remissionem || peccatorum meorum respondi . uidi super me manum a cælo uenientem : et angelnm† dei flameo radiantem aspectu iuxta me stantem et omnia peccata mea quæ feci ab infantia recitantem de libro : quem in ipsa aqua lauerat : in qua ego in conspectu uestro perfusus sum . Quid ergo faciam ? Dum studeo placere regi terrestri : cælesti regi complacui . cum hominibus risum facere cupio : angelis gaudium feci . Nunc igitur inclyte imperator : et uos omnes populi qui domino nostro Dioclitiano arrisistis de his mysteriis : mecum credite uerum deum esse Christum . et hunc esse lumen . hunc esse ueritatem . hunc esse pietatem . et per ipsum uos credite ad indulgentiam posse pertingere .

Tunc in furore prolapsus imperator iussit ad se adduci omnes : qui cum eo ministri illustrauerant : et in conspctu[t] suo uirgis cædi extimans eos similiter credere . Tunc illi cœperunt blasphemare nomen sanctum Christi : et dicere : Nos aliter meditati sumus . Iste autem insanus factus est : ut dimitteret læticiam et pietatis uestræ et totius populi : et planctum sibi christianorum assumpsit . Ac per hoc quod solus fecit : solus experiatur . Tunc imperator ita furere ac sæuire in Genesium cœpit : ut si errore non prohiberetur : sanguinem eius biberet . Tunc in conspectu populi fecit eum fustibus cædi : et quasi indignationi suæ satisfaceret . Altero uero die iussit eum Plutiano præfecto suo tandiu tormentis agi : quousque ad sacrificandum idolis consentiret : Qui cum impositus esset in eculeo : et Plutianus ei diceret : insane et miserrime sacrifica diis : ut animum nostrum possis iterum reuocare et dominorum . Genesius respondit : Redeant animi regum istorum : qui non timent illum regem : qui est dominator regum istorum : Nec est enim alter rex præter illum : quem uidi : et adoraui : et adoro : et collo : ut pro eius cultura occidar . me uero ut cœpi plane ualde penitet : quod ante uobiscum nomen sanctum in hominibus sanctis exhorrui : et satis tardius ad adorandum uerum regem miles superbus accessi . dicit ei Plutianus : quis est rex præter regem nostrum ? Genesius respondit : Rex iste homo est . rex autem quem ego adoro deus est . Iste rex super certam partem | terræ imperat . Christus autem in toto cælo et in tota terra imperat . Rex iste intra certos annos finem inueniet. Christus autem uiuit et regnat in omnia æterna sæcula sæculorum . Igitur cum diu in eculeo positus acrius actus esset : et flamis lampadum latera eius aperirent : semper in uoce Christum . Christum in clamore . Christum usque in finem quæstionis confessus est : cuius gesta Dioclitiano Plutianus præfectus inter palatium cum recitasset : iussit eum capite cædi : Quam sententiam cum omni gaudio suscepit sanctus Genesius octauo calendas Septembris . Eodem Dioclitiano quarto consule : Regnante domino nostro Iesu Christo : cui est honor et gloria in sæcula sæculorum . Amen .

VITA SANCTI GEMINIANI EPISCOPI ET CONFESSORIS .

Post gloriosos apostolorum et martyrum insuperabiles triumphos . præcelsa refulgent confessorum merita : Inter quos inclitus confessor Christi Geminianus : sacris intonuit oraculis : et diuinis effloruit miraculis . Is uero mutinensis territorii extitit oriundus : secundum sæculi dignitatem clarissimis natalibus exortus : a quibus etiam elegantissime nutritus : liberaliumque peritia litterarum non mediocriter edoctus : Templum corporis sui adhuc in infantia positus : Christi omnimodis subdidit famulatibus . post ab illo sublimandus pontificali solatio : Nam clericale adeptus officium : adeo totum se dei subegit seruitio : ut pene omni relicto patrimonio eligeret abiectus esse in dei domo : magis quam habitare in peccatorum consortio . Ecclesiasticis sane institutionibus imbutus : et Christi gratia educatus : cum iam maturioris ætatis iter arriperet : zona fidei cinctus : et spiritualis parsimoniæ dono ditatus . omnium cordibus gratus . cunctorum mentibus lætissimus eius erat affectus . Ac per hoc omnes incolas cunctosque suburbanos : caritatis sibi honore deuinxerat : ut eum paternali amplecterentur amore : eius præsentia lætarentur : eius absentia non modice turbarentur . Certe pater erat pauperum : et || consolator orphanorum nudis uestimenta præbens . peregrinis hospitia largiens . omnibusque deo placitis operibus assidue inseruiens . Quas denique cruces : supplicia corporis sui pro Christi amore libens susceperit : non est nostræ facultatis euoluere . His ut prædiximus uirtutibus illustratus gradatim usque in diaconatus officium perlatus : mense Christi participationem recipiens : gloriosissimo Antonino tunc temporis mutinensi episcopo : quasi unicus patri filius adhærens : tanquam alteri Xisto spiritualem eucharistiam alter subministrabat Laurentius . O quam dilecta tabernacula tua domine uirtutum : in quibus sanctus Geminianus de uirtute in uirtutem progressus : te deum deorum iugiter contemplari promeruit .

Igitur instante tempore quo dominus sæculi uinculis absolutum uenerabilem iam dictum Antoninum præsulem cælis hæredem fecit : inito consilio gloriosum leuitam

Geminianum præsulem affore decreuit : attestans omnibus modis nullum penitus reperiri adeo dignum : qui eo omisso destitutæ ecclesiæ recipere ualeret principatum . Illo itaque pro uiribus reluctante et ad huiusmodi officium se per omnia indignum acclamante humilitatis gratia noctis tenebras captans aufugit : Hreemique† uasta solus aliquantulum circuit : nequaquam inibi diutius conuersaturus : Repertus namque a quodam compulsus est inuitus et gemens urbem repetere : ad quam regressus ciues omnes aduentus sui gratia reddidit lætiores : Cumque eum unanimiter peterent : ut sacerdotalia insignia non abdicaret : ipsumque omnium reum acclamarent : si se superstite quemlibet mercenarium ouiumque Christi deuoratorem subintroire permitteret : Tandem annuit : non sacerdotii præsumens petasum : sed de re uera ciuium præcauens damnum : si dominio subderentur extraneorum : cuius consensu comperto : ciues statim legationem dirigunt ad summum pontificem : postulantes Geminianum sibi omnino dari episcopum : Quorum petitioni libentissime præbens assensum epistolas suo signatas annulo dirigit reuennati† archiepiscopo : quibus monuit Geminianum uirum deo dignum a populo mutinensi petitum eidem ecclesiæ concedi episcopum . Istius | modi itaque relatione comperta . præcellentissimus primas rauennatium Geminianum populo acclamante dignum tali honore mutinensi ecclesiæ præfecit episcopum : Ammonens sollicitius gregem sibi a deo commissum cura pastorali disponere atque ab inuisibilium luporum incursibus sollerti custodia protegere . Omnibus itaque rite perfectis ac negotiis ecclesiasticis ei iuxta morem commissis ciues mutinenses redeunt suam in urbem cum dato præsule maxima læticia exultantes : Quo cum uenitur : omnis ciuitas gaudio coronatur : cuncti in uocibus et laudibus prorumpunt : Iuuenes et uirgines senes cum iunioribus laudant nomen domini : cuius munere eum quem diu optauerant : stola gloriæ indutum recipiunt . Cumque sedens in pontificali cathedra fulgeret conuersatione angelica : agebat deo gratias plebs deuota : quod talem sacerdotem recepisset mutinensis ecclesia : que paulo ante fuerat morte sui antistis† destituta . Pernoctans denique in orationibus et assiduis uigiliis sanctorum locorum oratoria circuibat : malens silentio noctis secretis deprecationibus incumbere : quam inspicientibus cunctis in agendis sacris populorum stipari cateruis . Ecclesiam siquidem beati Petri apostolorum principis : quæ nunc usque monstratur frequentius inuisebat : Vbi dum nocte quadam more solito psalmodiæ uaticinium singulariter exprimeret : necessitate corporis compulsus foras egreditur : Quem statim diabolus temptationis suæ iaculo appetere nixus est . Vir autem domini spiritu sancto edoctus salutaria ei arma opposuit : muniens se signo crucis ac dicens : Discede a seruis Christi diabole : et ne molliaris infligere tuæ temptamenta uesaniæ : Quo dicto dæmon territus et confusus abcessit : nihil in eum suum reperiens : Ascendensque in sublimioribus : dicebat beato uiro : Cur me confundis Geminiane ? Equidem inueniam unde tibi molestiam ingeram : Cui respondit fretus ope diuina : Dominus mecum est . non timeo minas tuas : quoniam dominus noster dedit seruis suis potestatem calcandi supra omnem uirtutem inimici : Tibi autem cum satellitibus tuis cathena paratur æterna atque inextinguibilis flamma : Per idem etiam tempus monarchiam Romani || orbis Iouinianus regebat Augustus . Vt ergo ueridica dæmonis monstraretur assertio qua se promiserat sanctum uirum aliquo modo molestare non uerba non præsentiam tanti ferens præsulis a mutinensi fugit territorio et transmarina appetens tandem se contulit in præfati principis palatium . Erat autem Augusto unica filia puella admodum pulcherrima patri et matri supra modum carissima omnibusque proceribus gloriosissima : quam dæmon arripiens grauissime uexare cœpit : omnibus eam uesanam et horridam manifestans : Ex cuius miserrimo cruciatu imperator non modice contristatus : reginam quoque cum omnibus optimatibus cunctisque palatii proceribus secum admodum turbari cernebat : cumque ab omnibus ardentissimo studio :*si fieri posset : aliquod remedium requireretur : dæmon per os puellæ clamare cœpit : Quamcumque artem mihi opponitis : casso opere laboratis . Non enim a corpore isto egrediar nisi præsente dei episcopo Geminiano . Istiusmodi uocem crebro repetendo pene hoc omnibus innotescebat . Fit ammiratio et terror in populo : quis esset Geminianus inquiritur : Vnde factum est : ut Imperator comperta per dæmonem uiri dei fama : facta indagatione in omnibus regni sui partibus mitteret ad perquirendum præfatum dei famulum : Cumque quorundum militum caterua mare hadriacum† istiusmodi negocio transnauigasset : sollicite antistitem requirens : haud procul a

littore a quibusdam de sancti uiri uirtutibus didicit : et quod non longe abesset agnouit : Mutinense inquiunt quod uocatur oppidum est : quo incolæ uenerantur sanctum Geminianum . si hunc inquiritis : illic eum reperietis . uirum sanctitate præditum angelici uultus hominem . cælesti sapientia insignem . uirtutibus corruscantem . Tali noticia milites comperta adeo exhylarantur : ac si iam in eius præsentiam apparerent : sperantes uere alterum nullum tanti meriti fore quam Geminianum istum tam deuote sibi ab incolis prædicatum . Milites itaque ut diximus de significato sibi sacerdote gaudentes cœpto itinere in partes urbis Mutinæ proficiscuntur : Cumque sibi obuiantes de præsentia uiri dei percontarentur : audiunt haud longe ab urbe eum secrete | orationis gratia delitescere : Quo e uestigio dum ueniunt : reperiunt diu quæsitum pastorem et episcopum : propiusque accedentes humiliter requirunt : si nosset dei episcopum Geminianum . At ipse blando sermone respondit dicens : Plnres^{t} sunt a deo consecrati : qui hoc nomine censentur : et dicuntur episcopi . Ego omnium seruorum dei extremus Geminianus uocor . Si placet : a quo missi estis narrate . Tunc milites gaudio exhylarati : pedibusque eius prouolui cupientes diutissime ab eo erecti : dicunt ad alterutrum : Indicemus uiro dei legationis nostræ officium . Ex officio dictum est . Rogat te dominus sacratissimus imperator Augustus : ut ad eum quantocyus uenias ad transmarinas partes : quia unica eius filia grauissime a dæmonio uexatur : profiteturque se nullatenus exire : nisi tua præsentia imperante . Huiuscemodi legatione reuelata : uir dei intellexit ipsum eundem fore hostem uirulentum qui sui infligere notauerat damnum : totumque se Christi signo muniens militibus ita respondit : Ob longi difficultatem itineris aliquantulum fratres requiescite : et postea uolente deo quocunque dominus uocat eamus intrepidi . Sane nuncii nullatenus moras agentes sanctum dei cohortantur ad eundum . Sacerdos autem dicit militibus : Quoniam ita necessitas incumbit : ite : et præcedite me : et in nomine domini ego concite quoque subsequar uos . Accepta itaque benedictione pastoris alacres reuertuntur : statuto in loco episcopum præstolantes . Veniens denique ad urbem Mutinam : ut oues sibi commissas spiritualis pastor exhortaretur : ne eius absentia turbarentur : promittenteque se dei auxilio reuersurum : Omnis tunc populus in flætus prosilit . omnis ætas per plateas eiulando discurrit : timentes nutritorem suum marinis in fluctibus submergi : aut certe difficultate itineris periclitari : Quibus omnibus beatissimus pater Geminianus affectuosissime consolatis et spiritualium exhortationum pabulo recreatis omnibus ecclesiis compositis et stabilitis : post orationem dans omnibus pacem assumptisque secum quibusdam religiosis clericis et laicis cœpit usque ad mare proficisci . Igitur repertis supra mare militibus uenerabilem dei famulum præstolantibus Chri || sti inuocata potentia nauem conscendunt : altoque pelago remigia committunt : Et ecce iam longe a littore in medio mari apparuit uis dæmonum nauim euertere cupientium : ualidaque tempestas turbidum mare procelosis exagitabat undis . At pater sanctus graui depressus sopore dormiebat . Concurrunt milites excitantes præsulem . Si quidem ferebatur nauigium oratione non uiribus . Sed præsul insignis periculi immanitate motus : statim inuocat Christum . increpat pelagus . Adest diuinitas . fugantur inimici . tranquillitas serena subsequitur . optati littoris portus iubente Christo contingitur . Egresso autem de naui sacerdote breui institutione peruenitur ad palatium : in quo imperatoris filia a dæmonio uexabatur : Quem Imperator honorifice suscipiens benigne salutatum cum uxore et proceribus humiliter postulantes : ut dignaretur furenti filiæ manum imponere . Ingresso autem eo palatii interiorem aditum ubi efferata decubabat puella : cœpit dæmon clamare et dicere cur nos in remotis terræ partibus Geminiane persequeris : Sufficiat tibi : quod de Italia nos exclusisti . Quiesce : ut nos quieti esse possimus . Itaque solo procumbens inuocata trinitate puellæ manum tenuit . rigat lachrymis solum . inuocat planctibus Christum . Quid multa ? Christi auxilio dæmonum repulit cateruam : et celebri miraculo sanam et incolumem filiam patri Imperatori restituit . Clamor interea popularis attollitur . luctus in gaudium conuertitur . Imperator cum augusta de filia erepta exultant . tota aula lætitia coronatur . Sacerdote dei in oratione cum dæmone reluctante clamabat denique miserabili uoce : quia hinc me confusum expulisti : ueniam iterum ad tuam urbem Mutinam : quoniam ibi uasa mea reliqui in quæ iterum ingrediar ut sine metu permaneam . Frequentabant itaque populi sanctum uirum multo concursu : quos diuersa incommoda laniabant : qui inuocato auctore cunctis

manus imponens diuinæ recreationis huberrimam obtinebat largitatem . Imperator uero accedens ad præsulem humiliter inquit . Pastor sanctissime cælestis medice pro incolumitate unicæ filia nihil dignum ualeo compensare : sed si libet parua quæ offero ne despi | cias . Defertur ergo ante præsulem euangeliorum textus : nobiliter exornatus : Calix quoque cum cathena aurea gemmis multiplicibus adornatus : Pallium quoque pergrande et optimum : reliqua etiam munera ecclesiastico cultui apta . Priuilegium et enim contulit sacerdoti ipsi de regalibus fiscis : cum omnibus sibi pertinentiis atque adiacentiis : quorum alter gauellum alter nuncupatur solaria : lato cespite fructiferis uineisque repletis . Multi autem qui adhuc gentili implicabantur errore ad eius prædicationem crediderunt Christo : respuentes uanam ydolorum culturam . Post hæc sanctissimus præsul ueniam redeundi petit ab Imperatore . Ille autem de eius abcessione contristatus reginam cum filia liberata et quibusdam proceribus ad eum dirigit : ut si fieri : aliquantulum moraretur : qui humiliter renuit : asserens pro filiis sibi creditis magnum sibi discrimen fore : si se absente aliquam hostium paterentur fraudem . Huiusmodi apollogetico Imperator accepto tandem annuit . nauem communi omnibus necessariis parari præcipiens eum percepta salubri benedictione in pace dimittens : Quo nauim ingresso annuente Christo prosperis uentis uenit ad littus : ac postmodum intra breue spacium Mutinam attingitur . Ocurit autem ei fidelium turba populorum : super reddito pastore ineffabiliter gratulantium : Ingressus autem cum illis prefatam urbem : uerbum domini omnibus propinabat : fidelibus et infidelibus monita pandens salutaria . Fana si qua adhuc inueniebantur : de et Christi nomine ecclesiam construens : Interea permittente diuino iudicio execrabilis iuniorum gens quæ quondam ut in annalibus reuoluitur gestis ab Alexandro macedone magno inter caucasos montes fuerat inclusa : erupit a pannonia cum rege suo impiissimo Attila : Et uastata pene omni Gallia et Germania : tandem peruenit in Italiam : Cumque omnia : ut ei a domino pro peccatis populorum erat permissum : uastasset : suæque tyramnidi subiugasset : omnesque urbes cunctaque oppida euerteret destrueret et captiuaret : post necem multorum inauditas cædes miserorum : tandem ad urbem deuenit mutinensium : ubi ciues ut diximus uenerabantur præsulem Ge || minianum : Cumque solita pefidiæ† suæ atrocitate omnia argumenta ad urbem perdendam præpararet : beatus confessor Christi sollicitus cura pastorali muros obambulans : ut pius pater filios hortari cœpit : ac de Christi defensione fiducialiter confortare . Impius autem Attila eminus ut accessit reuerendæ senectutis hominem intuens percontari cœpit : quis esset : quod ue officium gereret . Pater sanctus seruum dei se esse professus est : Cui fortis Attila respondens : Si tu es inquit seruus dei : ego sum Attila flagellum dei . serui autem inobedientes et sui domini iussa contemnentes merito uerberantur et flagellantur . Hoc audito dei famulus humiliter regi respondit : omnis potestas in manu dei est : Et ideo quia te dei flagellum commemoras : non resisto nec contradico ipsius flagello : cuius me seruum esse cognosco . Securus itaque de Christi martyrio iterum regi dixit : Pandantur tibi portæ ciuitatis . Ingredere : et quodcumque tibi dominus in nostram perniciem permiserit agere : humiliter parati sumus recipere . Non immemor illius spalmographi† dicentis : Si exurgat aduersum me prælium : in hoc ego sperabo . Miro itaque modo dei prouidentia actum est : ut portis apertis exercitus cum suo rege per mediam ciuitatem transiret huc illucque sæuientes : et quasi cæci palpitantes sine alicuius læsione : uacui et confusi urbe egressi sunt . Hæc illius sunt opera : qui inimicos Helisei prophetæ potenti strauit uirtute : ipsos quoque tanta perculit cæcitate : ut nequaquam eius parietem domus ualerent attingere . Pluimis† interea signis miraculorum effulgens : iam candidatus et sænior mirabili uirtute pollebat . Quare eius cellulam innumera populorum caterua assidua beati uiri ammonitione recreata alii animas curare cupientes alii corpora : Omnes enim benedictionem flagitantes tactum requirunt : cunctique singulari antidoto delibati spirituali collirio illustrati pestifera uirulenti serpentis uenena proiiciunt : et salutifera Christi uexilla suscipiunt . Quadam nocte dum dictus uir beatissimus operam daret excubiis : et inter sacrosancta orationum mysteria dominum precaretur : ut eius a corpore animam eriperet : et ad | suæ quietis misericordiam perduceret : Cumque hoc crebro repetens itidem precaretur : dicente Christo audire meruit : ueni ad me serue bone et fidelis : quia hactenus laborasti et oneratus fuisti : et ego te faciam intrare in gaudium domini tui . Nec post multos dies beata illa anima carne soluta inter choros angelicos cæles-

tia peruenit ad regna obtinens cum sanctis æternæ gloriæ palmam : in cuius transitu tristantur populi . lætantur archangeli . ciuitas turbatur . cælum exhilaratur . In eius sancti obsequio funeris non solummodo mutinensium turba : sed et uicinarum urbium tota simul irruit caterua : atque hymnis et cantibus usque ad locum sepulchri : lamentabilis populorum frequentia lectica circumsepta defertur : Inter quos etiam uisus est beatissimus Seuerus undecimus sancte rauennatis ecclisiæ† episcopus : Cuius sacerdotium ab omnipotente deo ita prædestinatum fuit : ut in illius electione spiritus sanctus mitteretur in speciem columbæ : quem omnis populus corporalibus oculis uidit : et super caput eius requieuit : unde de eo prouerbium usque hodie dicitur a singulis gentibus : Beata terra illa : ubi in electione pontificis spiritus sanctus descendit in columbæ similitudinem : et ordinatur : super cuius caput requiescit . Sed uæ tibi Rauenna misera uicina destructæ classis : quia nunc cum nimia altercatione et controuersia pontifex in te ordinatur . In saucensi concilio cum legatis sanctæ romanæ ecclisiæ† uir sanctus interfuit hic Seuerus . Beatus iste nominatus Seuerus dum missa celebraretur cum ipsius diaconus in pulpitum ascendisset : et beati Pauli apostoli epistolam legeret : ut populorum conuentus spiritualibus uerbis reficeret : subito uir sanctus in extesi factus est : ueluti sopore detineretur : nec plene dormiens aut uigilans . Extimantes enim sui quod a somno arreptus fuisset : cœperunt latera eius pulsare . Ille autem quasi de graui somno erigit se sursum : et tristi animo dixit illis : quid fecistis ? Quare inquietastis me ? Quamuis a uobis hic uiderer : in alio loco eram . At illi perseuerabant interrogantes eum : Dic nobis : ubi fuisti pater : Quibus ille ait : indulgeat uobis omnipotens deus dilectissimi pro eo quod : || expergefactum fecistis me : et ibidem confratris et coepiscopi uiri Geminiani ipsius antistitis ecclesiæ omnipotenti domino animam commendaui : et ibidem steti : quousque prædictum sanctum corpus in sepulchro poneretur . Propter hanc igitur causam ut ueritas probaretur : ciues rauennates et ciues classenses equites miserunt ad superius iam dictam urbem Mutinam : ut sancti uiri eloquia comprobarent : a quibus dum requisitus fuisset dies uel hora qua anima sancta beati Geminiani migrasset ad dominum : dixerunt Nonne dominus Seuerus pontifex uester eius animam commendauit : et tamdiu hic stetit : quamdiu corpus eius in sepulchro clauderetur ? Quo clauso ab oculis nostris repente euanuit . Illi autem reuersi nunciauerunt per ordinem ciuibus suis : ut eis narratum fuerat . Ex illo iam die cœperunt sanctitatem eius amplius uenerari . In loco ergo ubi beatus Geminianus sepultus est : corpus eius quottidianis uirtutibus fauente Christo ueneratur et excolitur : atque a fidelibus assidue frequentatur . Siquidem ab eius mansoleo† liquor exundat olei : Sanantur ibi languidi a quocumque discrimine . uota præstantur congrua . reorum cadunt uincula . effugantur dæmonia . declarantur iudicia . Eius orationibus protege nos in omnibus : qui es excelsus dominus æterni patris filius : Ad cuius sancti patris nostri preciosissimum corpus innumera ut diximus patrantur miraculorum signa : Ex quibus aliqua in laudem tanti præsulis et ad futurorum memoriam huic opusculo inserere dignum duximus . Nam legimus dominum fidelibus discipulis promittentem et dicentem : Qui crediderit in me : opera quæ ego facio et ipse faciet . Quod non est ita intelligendum : ut aliquod signum uirtutis sancti sine eius uoluntate patrare ualeant : cum idem dominus dicat : sine me nihil potestis facere . Sed quæcumque uirtutum opera per sanctos dei aguntur : in laudem creatoris assignari debentur . Quidquid enim in præsenti uita pro Christo laborauerunt : bonorum laborum fructum deo detulerunt : a quo æterna beatitudinis commercia ineffabiliter protulerunt . Cæterum ne prolyxa audientes tardet oratio : quæ promisimus opitulante Christo monstrabimus . Post sancti | et sæpe nominati pastoris Geminiani uenerabilem transitum . Beatus Theodorus Mutinensis ecclesiæ domino uolente sedem obtinuit . Hic sanctissimi et pene scientiæ singularis Ambrosii mediolanensis urbis episcopi discipulus extitit : a quo etiam totius bonitatis munere ditatus effulsit . Denique in mutinensi ut diximus suscepta cathedra super sacrosanctum nominandi patris Geminiani tumulum fauentibus ciuibus honorificam a fundamentis construxit basilicam : cuius consecratio ex more celebrata omni deuotione ad eius sepulchrum plebs urbana et rustica quottidianis miraculis oblectata ardentissime confluebat . Interea reuoluente anni orbita die sancti eius funeris annuuersaria† : infinita populorum ad ecclesiam conuenit caterua : Quo dum a clero nocturni officii concentus euoluitur : languentium grex expertus est sanitatem : Cumque populi in laudibus prosi-

lientes missarum diurna solemnia ab ore præfati præsulis præstolarentur : fluuius haud procul defluens adeo excreuit insolite : ut etiam usque ad iam dictæ ecclesiæ fenestras porrectus : atque in ipsis foribus in modum parietis erectus : exeundi omnibus negaret facultatem : miroque modo et pene inaudito in circuitu basilicæ aqua usque ad superiora protensa sancto corpori ita famulabatur : ut nec aliquantula interius gutta decurreret. Tanti miraculi nouitate ciues cum suo præsule stupefacti inuocant lugubri uoce dominum : sanctumque eius deposcunt famulum Geminianum . Haud mora . intercessio sancti confesoris affuit : atque aqua recedens ab ecclesia leuiter in proprium alueum defluxit : aridumque iter populo præbuit : et quis quantus ue esset Geminianus apparuit facile . Hoc ille sui famuli precibus contulit : qui israeliticam turbam in sicco transitu rubrum mare transuexit . Celebratur autem eius uenerabilis et memoranda festiuitas pridie calendas februanarias[†] : In honorem eius cui est honor et gloria Per infinita sæculorum sæcula .

PASSIO SANCTORVM GORDIANI ET EPIMACHI MARTYRUM . ‖

Tempore Iuliani imperatoris diuulgati sunt multi christiani : Cumque audisset hæc impiissimus Iulianus iracundia plenus : iussit eos teneri : et in custodiam mitti . Erat autem inter eos quidam christianus nomine Ianuarius prsæbyter[†] senex . Postea uero tertia die impiissimus Iulianus misit et uocauit Gordianum uicarium suum : cui præcepit : ut Ianuarium præsbyterum suæ audientiæ præsentaret : cui ita dixit : Quis uocaris aut ex qua natioue[†] te esse ostendis felicissime orator : edicito nobis . Respondit sanctus Ianuarius et dixit : Siquidem ciuem dicere uis : Antiochenus sum . Si uero nationem meam : a parentibus christianis christianus sum : cui Gordianus uicarius dixit : Quid nos multis uerbositatibus fallere compellis . Nunc ergo audi me : et elige tibi unum de duobus : aut sacrifica diis immortalibus : et esto amicus inuictissimi principis nostri Iuliani : aut certe suscipe criminum sententiam nefandorum . Respondit autem sanctus Ianuarius præsbyter : Si mihi consenseris : ego quidem me ipsum opto deo meo : et offero sacrificium placationis : Queniam quidquid aduersum me egeris : pro peccatis meis dignus sum recipere : uerum tamen ut dico pro peccato meo non pro iustitia . et Gordianus ad illum : Si pro peccato tuo omnia supplicia mereris : funde diis libamina : et sic merearis a nobis expiatione saluari . Respondit itaque sanctus Ianuarius præsbyter et dixit : Ego quidem in nomine domini mei Iesu Christi semper saluus fui : et saluus ero : insuper et alios saluos feci per baptismi eius perceptionem : qui desyderant fieri . Tu enim si haberes sapientiam : toto corde quæreres utique eum : et concupisceres : ut inuenires requiem animæ tuæ post tantam tempestatem : et haberes permanentem uitam æternam.

Tunc Gordianus uicarius iussit eum in domum suam sub custodia mancipatum teneri : Quem conuocans noctu asserebat : quod eum uellet uerbis suis oblectare : Cui sanctus Ianuarius dixit : noli perdere tempus tuum : sed magis age pœnitentiam pro corporibus sanctorum : quos interfecisti : et bap | tizare : ut possis inuenire requiem sempiternam : et in igne æterno cremari . Gordianus uicarius dixit : Et quomodo securus sum : quia si hoc fecero : euado tormenta . Respondit sanctus Ianuarius : Ego tibi promitto in nomine domini mei Iesu Christi : quod si toto corde credideris : et baptizatus fueris omnium criminum tuorum deleueris sordes : ita ut te immaculatum domino Iesu Christo offeras . cui Gordianus dixit : Da mihi mensuram credendi . Sanctus Ianuarius dixit : Vt confitearis in nomine patris et filii et spiritussancti unam deitatem : pœnitentiam agens ostendas te peccasse . Tunc Gordianus cum lachrymis introiuit ad uxorem suam nomine Marinam : et enarrauit ei omnes monitus Ianuarii præsbyteri : Tunc uxor eius in ipsa hora noctis tenens manum uiri sui una uenerunt ad sanctum Ianuarium præsbyterum : Et cadentes in terram miserunt se ad pedes eius rogantes eum : ut baptizarentur ab eo : et clamantes se peccasse dixerunt ad eum : Redime nos a peccatis nostris : Ad hæc respondens sanctus Ianuarius præsbyter dixit ad eos : Videte si ex toto corde creditis : aut ne quod uelamen in abscon-

ditis teneatis : quia scio uos ab Imperatore honorari . Respondit Marina : et dixit : Vnam similitudinem Iouis datam ab Imperatore habemus repositam : per quam sancti martyres cruciabantur . Sed quid faciemus de ea : tamen diuulgabo dominum meum : per quem et nos mereamur adipisci coronam uitæ : dum conflata a nobis fuerit . eadem autem hora introduxit Marina beatum Ianuarium præsbyterum in cubiculum suum : et ostendit ei simulacrum Iouis æreum deauratum et tripodam æreum quod simulacrum cum ara appræhendens beatus Ianuarius accenso igne conflauit : et proiecit in cloacam : et sic cum magno gaudio catetizauit Gordianum uicarium cum Marina uxore eius et familia eorum promiscui sexus numero quinquaginta tribus : quos etiam cum dominis suis baptizauit .

Eodem uero tempore post quattuordecim dies misit ad Gordianum uicarium Iulianus impiissimus cæsar tribunum suum nomine Clæmentianum et dixit ei : Vade : et uide . si declinauerit homo ad sacrificandum magno|| Ioui Ianuarius præsbyter : aut si non : persuade ei : Et nunc sub uoce præconia in foro Traiani fustibus cæde : Et factum est : quod Imperator præceperat ad Clæmentianum . Respondit autem Gordianus : et dixit ad Clæmentianum : o Clæmentiane si cognoscas esse dominum Iesum Christum : minas et terrores hominis mortalis non timebis : sed magis uidebis uitam æternam : sicut et ego uidi iam paratam mihi . Nam sacerdotem sanctum ego honorabo : non mirabor : quem ego uidens merear pedes eius osculari : per quem et saluatus sum . Tunc Clæmentianus pergens uociferando dicebat ad imperatorem Iulianum : Ianuarium quem pietas tua per ingentium tuarum litterarum cursum laudabat : hunc cognouimus magum : qui etiam et subuertit uicarium tuum Gordianum : cum omni domo sua et uxore : quos etiam baptizauit : et deos rei publicæ conflatos in igne in massam abscondit . Tunc Iulianus iracundia plenus iussit inscriptionibus damnari sanctum Ianuarium præsbyterum : et Gordianum : cui etiam et successorem dedit Clæmentianum : in loco eius esse uicarium . Ipsum uero Gordianum præcepit custodiæ publicæ mancipari . Vxorem autem eius Marinam in quadam uilla quæ uocatur ad aquas salinas in seruitio rusticorum opprimi : Et iussit ut Gordianus sub iudicio Clæmentiani esset audiendus : Eodem uero tempore præcepit Clæmentianus in Tellude templo tribunal sibi parari : et uinctum cathenis beatum Gordianum ante se præsentari iussit : quem Clæmentianus interrogauit dicens : Gordiane sic despexisti præcepta principis nostri sèmper Augusti : qui te honorauit : et dignitatis ornauit officio : ut et tu magicis artibus contra rempublicam et salutem inuictissimi principis nostri deos conflares : et absconderes ? Respondit beatus Gordianus : et dixit ei : Ego magis pro salute rei publicæ feci . Nam si haberem omnia idola manufacta confringerem et conflarem . Tune quem dicis adorandum qui factus est : an qui fecit? Ego uero ipsum adoro : qui fecit omnia . Clæmentianus uicarius dixit : Et quis est : qui fecit omnia . Beatus Gordianus dixit : Christus filius dei uiui . Clæmentianus dixit : Si ipse fecit omnia : quare a principe | reipublicæ domino ipso Augusto semper Iuliano proiectus est ? Beatus Gordianus dixit ad eum : magis Iulianus a deo proiectus est : qui deum renunciauit et adorat idola dæmonum : cum quibus periturus est : Tunc Clæmentianus uicarius dixit ad Gordianum : Sacrifica diis immortalibus : Nam faciam te capite cædi . beatus Gordianus dixit : Nunquam tibi bene sit miser : nec principi tuo Iuliano : qui tenebris damnatus est . Tunc ira commotus Clæmentianus iussit eum plumbatis cædi : Et cum diu cæderetur beatus Gordianus : dixit : Gratias tibi ago domine Iesu Criste . Hæc audiens impius Clementianus iussit eum capite truncari : ibi ante templum in Tellude : Cuius corpus iussit iterum ante templum palatii iactari in loco supradicto : ut non sepeliretur : sed canibus relinqueretur . At ubi ueniebant cauos mugitus emittebant : et non audebant contingere : sed magis eum custodiebant . Tunc unus ex familia eius cum aliis Christianis nocturno silentio uenerunt : et rapuerunt uenerandum corpus sancti martyris Gordiani : Et uenientes in uia : quæ latina nuncupatur non longe ab urbe Roma miliario plus minus uno : illic posuerunt eum in cripta : sexto idus maii : Vbi iam pridem sanctum Epimachum sepelierant : In quo etiam loco beneficia eorum ac uirtutes florent usque in hodiernum diem . Ad laudem domini nostri Iesu Cristi cui est honor et gloria simul cum deo patre in unitate spiritus sancti in sæcula sæculorum Amen .

PASSIO SANCTORVM MARTYRVM PROTASII ET GERVASII .

Ambrosius seruus Christi fratribus per omnem Italiam in domino æternam salutem . In diuinis uoluminibus reus ascribitur qui non studuerit dare gratis quod gratis accepit : Quidquid enim ecclesiæ profuturum erat subtraxisse arguitur : cum noluerit tradere omnibus quod ipse non celando acceperit . Vnde et psalmigraphus uates canit iustitiam tuam non abscondi in || corde meo ueritatem tuam et salutare tuum dixi . Non celaui misericordiam tuam et ueritatem tuam in concilio multorum . Et pro hoc opere quasi uicisitudinem a deo postulans adiecit : Tu autem domine ne elonges misericordiam tuam a me : quasi qui diceret sicut ego feci alios misericordiam inuenire : ita et ipse non patiaris longe fieri misericordias tuas a me . Aperiamus ergo cur ista præmisimus et uestros animos : qui de deo sentitis et creditis : de inuentione sanctorum corporum ad læticiam inuitemus. In diebus transactæ nuper quadragesimæ cum dominus mihi donasset : ut ieiunantium et orantium me faceret esse participem : in oratione posito ita mihi somnus obrepsit : ut nec uigilans aperte nec dormiens integre uiderem apertis oculis mecum duos iuuenes ephœbos uestibus candidissimis idest colobio et pallio indutos calligulis calciatos manibus extensis orantes : nullam quidem grauitudinem patiens loqui cum eis non poteram . Sed quia ut dixi pars in me somni incumbebat : quæ me ad eorum interrogationem uerbum proferre non sineret . Plene autem euigilanti uisio eorum ab oculis meis elapsa est . Vnde factum est ut rogarem domini mei misericordiam : ut si ludificatio dæmonum esset : abscederet Si uero ueritas esset : plenius appareret . Ad impetrandum uero quæ poscebam a domino : augumentaui ieiunium . Similique modo canente gallo orantes mecum iuuenes paruerunt. Tertia uero nocte defecto ieiuniis corpore non dormienti sed stupenti cum quadam mihi tertia apparuere persona : quæ similis esset beato Paulo apostolo cuius uultum me pictura docuerat . In tantum ut ipse mecum illis astantibus loqueretur dicens : isti sunt qui monita mea secuti sunt : respuentes prædia et diuitias secuti sunt domini nostri Iesu Christi uestigia : nihil terrenum nihilque carnale concupiscentes . In media hac Mediolanensi urbe per decem annos in dei seruitio perdurantes ad hoc pertingere meruerunt ut Christi martyres fierent : Quorum corpora in eo loco inuenies in quo stas et oras . Duodecim pedum altitudine terræ cohopertam arcam inuenies : Quam arcam superius exaltabis et in nomine eorum ecclesiam fabricabis . | Cumque ab eo nomina requirerem dixit mihi Ad caput eorum libellum scriptum inuenies in quo et ortus eorum et finis scriptus est . Conuocans itaque omnes per circuitum fratres et coepiscopos urbium uicinarum : referens uniuersa quæ uiderim quæque audierim ipsis coram positis primus ego terræ fossor accessi : Cæteri episcopi prosequuti sunt : fodientes peruenimus ad arcam quam sanctus promiserat : quam aperientes inuenimus quasi ipsa hora positos sanctos miro odore fragrantes : Ad quorum caput libellum inuenimus in quo erant hæc per ordinem uniuersa conscripta : Ego seruus Christi philippus intra domum meam sanctorum corpora quæ cum filio meo rapui et sepeliui : Quorum mater Valeria pater Vitalis dicti sunt : quos uno ortu geminos genuerunt : et unum Protasium alterum Geruasium uocauerunt . cumque post transitum parentum ab intestato Protasius et Geruasius domum propriam in qua nati fuerant et res parentum casellulasque uenumdantes dederunt precium omne pauperibus et familiolæ suæ quam ingenuam fecerant : Ipsi se in uno cœnaculo concluserunt Per decem annos lectioni et orationi uacantes . hoc ordine in anno conuersionis suæ undecimo ad palmam martyrii peruenerunt . Superueniente commite Astasio qui proficiscebatur ad bellum quod a marchomamnis fuerat excitatum occurrerunt ei templorum cultores cum sacerdotibus suis dicentes : Si uis letus ad augustos nostros reuerti et uictor : Protasium et Geruasium sacrificare compelle : Vehementer enim dii nostri de eorum contemptu commoti nobis edicere responsa contemnunt . Audiens hæc Astasius comes iussit eos teneri et ad se adduci : quibus et dixit hortor uos ut a deorum nostrorum iniuriis temperantes ad immolandum eis deuoti studeatis insistere : ut expeditio mea nauiter celebretur . Geruasius dixit uictoriam de cælo debes a deo omnipotente requirere non de simulacris mutis

et uanis : quæ oculos habent sine lumine aures sine auditu nares sine odoratu os sine sermone manus sine tactu pedes sine grssu[†] : et uentrem absque interioribus probantur habere et sine flatu esse noscuntur . Indignatus comes Astasius iussit eum tam diu plumbatis tundi quandiu exhalaret spiritum quo amoto iussit sibi astare || Protasium cui et dixit : miser uel tu uiuere stude et noli biotha natus fieri sicut et fratrer[†] tuus : cui Protasius respondens ait : quis est miser ego qui te non timeo an tu qui me timere probaris ? Astasius comes dixit ego te quomodo timeo ? Protasius respondit : In eo quod te times ledi a me si non sacrificauero : Si enim non timebas te ledi a me : me ad sacrificium non compellebas . ego autem te non timens contemno minas tuas et omnia idola tua stercora computans : deum solum qui regnat in cælis adoro . audiens hæc Astasius comes iussit eum fustibus cædi : postea uero erecto dixit : miser ut quid tam superbus et tam rebellis existis : uis perire sicut tuum probasti perisse Germanum ? Protasius dixit non tibi irascor nec ego nec ipsa iustitia : quoniam cæcos oculos tui cordis attendo : incredulitas enim quæ in tuis sensibus regnat non te permittit uidere quod dei est : Nam et dominus meus Iesus Christus crucifigentibus se non maledixit : sed potius ut eis indulgeretur orauit : addens hoc quia nescirent quid facerent : unde et ego tui misereor quia nescis quid facias . age ergo quod cœpisti ut mihi possit cum meo fratre hodie benignitas nostri saluatoris occurrere . Astasius comes iussit eum capite cædi : Quod cum factum esset : ego Philippus abstuli cum filio meo furtim nocte sancta ista corpora et in domo mea deo solo teste in ista arca saxea sepeliui : credens me orationibus eorum consequi misericordiam domini nostri Iesu Christi Qui cum patre et spiritusancto uiuit et regnat in sæcula sæculorum . Amen .

PASSIO BEATI GVINIFORTI MARTYRIS .

Cum humanas laudes uidemus et mortalium infulas aut ære inciso conscriptas aut auro radiantibus litteris ad posteritatis memoriam commendatas attendimus : miror quare non erubescimus militum Christi uictorias silentio tegere . Infinita enim bona inde proueniunt : quando uita illorum honesta hominibus explicatur . Nam ipsi sunt speculum in populo modus et | exemplar digne deo uiuendi : multique ad exempla illorum in prosperis efficiuntur humiliores et in aduersis fortiores porro laus dei est : cum ista leguntur : memoria sanctorum extollitur : ædificatio mentibus traditur : honor martyribus exhibetur .

Vitam igitur beatissimi Guiniforti martyris ad laudem et gloriam inuictissimi Imperatoris domini nostri Iesu Christi et totius curiæ cælestis scribere exordiar : Et quamuis ad omnia illius nequaquam potuerimus peruenire : pauca tamen de millibus declarabimus . Iste namque martyr Guinifortus cum fratre suo Guiniboldo statura quidem grandiores : genere scoti : nobilissimi prosapia fuere : ubi cum grauis infidelium hereticorum oriretur persecutio : quæ non modicum populum ibi fidem christianam colentem terreret : hii gloriosissimi fratres genere non fide cum duabus sororibus innumerabilia tormenta pro nomine saluatoris nostri Iesu Christi passi sunt : non tantum persequentibus inimicis : uerum etiam parentibus et propinquis . Sicut per magistrum ueritatis prædictum est . Trademini autem gentibus a parentibus et cognatis et amicis et morte afficient ex uobis : et eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum : Et ut uerba ueritatis adimpleantur : Fideles namque sancte ecclesiæ contemnuntur et ubique terrarum uexantur habenturque contemptui : et quia oportet ut qui boni sunt probentur . Et hoc nulli debet uideri mirabile si psalmographi uerba bene attendāt[†] quæ dicunt : Non relinquet dominus uirgam peccatorum super sortem iustorum et cætera . Sequitur autem consolatio dicens : Non patietur suos temptari supra id quod possunt . Benedictus deus in omnibus et per omnia sæcula : qui non patitur gentem expertem sue fore fidei . secundum quod legitur : Non est qui se abscondat a calore eius : et cum iste gloriosissimus martyr Guinifortus de quo nunc mentionem facimus : cuius hodie festum celebramus cum fratre suo Guiniboldo duabusque Sororibus disposuissent propter deum parentibus et patriæ renuntiare et crucem Cristi nudam portare ad memoriam reducentes euangelii sermonem sicut boni disci-

puli : Si quis uult uenire post me : abneget semetipsum : et tollat crucem suam : || et sequatur me . A fide uero catholica parentes eorum sine intermissione delitiis multis et mollibus uerbis eos reuocare uidebantur suadebantque eis in cymbalis et cytharis et organis ut placerent eis : ancillas suas ante eos saltare facientes : ex quo gloriosissimi martyres memores diuinæ legis dixerunt : Nos deo seruire et omnia prospera mundi despicere propter amorem suum disposuimus : ut digni efficiamur promissionibus Christi iuxta illud uerbum euangelii : Qui non dimiserit patrem et matrem agros et uineas et cuncta quæ possidet : non est me dignus . parentes itaque eorum uoce magna exclamare et amicos rogare cœperunt : dicentes plangite nobis : quia uidemus filios nostros uolentes sponte perire : Ad hoc sanctus Guinifortus respondit : Nos non perimus si in congregatione iustorum poterimus introire . cum autem uidissent eos deliciis precibusque flecti non posse : iniuriis multisque afflictionibus affligere eos apposuerunt : ut fidem Christi despicerent et idolis sacrificia immolarent . Tunc accesserunt et ita eos alloquuntur : Vnde uobis tam durum tamque ferreum pectus : ut caniciem abiicere patiamini : et matri iam decrepitæ nouos partus aufferre curetis . Tunc inclyti martyres cum se et suas sorores sponsas Christi in cœpti certaminis pondere fatigari uidissent : ad eas dixerunt : O dulcissimæ sorores o summi regis sponsæ nobiscum in pugna perseuerate : et in tribulationibus nolite deficere : quia passiones huius temporis non sunt condignæ ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis . Persecutio autem in eos in dies magis augebatur : Et cum diu in regno Scotiæ pro Christi nomine tormenta paterentur : timentes ne parentum pietas : ut assolet : bonum eorum sanctorum propositum impediret : a Scotia quasi quattuor candelabra totam patriam sacris operibus illustrantia recesserunt : Attendentes dominicum illud præceptum : Si uos persecuti fuerint in una ciuitate : fugite in aliam . Possent namque diutius suis persecutoribus resistere tanquam nobiles et amicis potentes : Et non solum : ut diximus : genere clarissimi sed et facultatibus ornati : uoluerunt tamen seruare quod dicitur : Non uos metipsos defendentes ca | rissimi : sed date locum iræ . Multis tamen itineribus fatigati atque passi labores tandem ad nequissimos theotonicos deo gubernante peruenerunt : Apud quos non modicus in sanctos dei furor agitabatur sanctos enim uirgis ferreis : aliisque diuersis pœnis affligebant . Beatissimi si quidem martyres : Guinifortus et Guiniboldus : ac inclyte sorores corpore non mente mulieres pulchræ facie : sed longe pulchriores corde contra ferocem theotonicorum sæuitiam insuperabiles contendebant dicentes : fugiendo flagella inuenimus scorpiones . fugiendo minas inuenimus uerbera . Heu heu nostre gens regionis in ipsius fidei et christianæ religionis professos insurgit : Theotonicus autem populus in nos sitiendo eorum sanguinem insanit . crudelis Scotia . Sed crudelior Theotonica . Illa mater nos pro Christo quem colimus in exilium fugauit : Ista nouerca per eosdem nos quærit interficere . Talia dicentes flagellis multis cæsi sunt : Inter hæc maiora quippe tormenta in regionibus theotonicorum sorores illorum propter fidem Iesu Christi passæ sunt martyrium : per quod uenerunt ad amplexus Christi : cui se annulo fidei deuinxerunt : Sic quoque martyres orbati dulcibus sororibus magis cupientes pro deo uiuere abortis lachrymis aiunt : quare nos uiros o sorores qui fortiores esse deberemus in holocaustum deo præcesistis ? Non dedignando loquimur de uestra prosperitate sed condolendo de nostra miseria . O beate sorores quanta felicitate reperte hac in terra fuistis . uenistis enim pro illo mori : qui pro uobis effundere sanguinem suum dignatus est : Potestis enim dicere mortuus pro nobis es : collætetur itaque Scotia quod eas genuit . Tristetur quod eas ammisit . Tristetur theotonica : quod eas interfecit : Letetur quod earum habet corpora gloriosa . Scotia mater fuit . Teotonica nouerca . Nouerca possidet . Priuatur mater . Quemadmodum dulcissimæ sorores fratres fuimus genere : ita debuissemus esse et morte . Reseruauit nos forsitan Iesus Christus pro quo certauimus ad maiora sustinenda certamina . Parcunt namque nobis Theotonici : quia credunt nos : quod deus non permitat : ad errorem suum posse reuocari : fru || stra tamen laborant . Nos enim uolumus pro christiana fide tormenta quantacunque usque ad amissionem capitum tolerare . Igitur crudelissima gens noli nobis parcere : Non enim mutabimus propositum : melius namque est mori corporaliter : quam æternis incendiis comburi . cum nocere nequissima gens nobis cupias noli parcere . Parcendo quippe magis noces quam si nos citius interficeres . Talia persecutores audientes mirabantur de tanta eorum constantia . Et cum

tantam eorum uoluntatem moriendi perciperent dicebant : uere isti minas et tormenta contemnunt et respuunt : Et quanto ardentius mortem desyderant : tanto magis eis parcatur . Interea faciebant eos ante se adduci : quibus dicebant Guiniforte ac Guinibolde perseueratis adhuc in errore solito ? quibus nihil respondentes quasi indignati tacebant . cupiebant iam dudum disolui : et esse cum Christo . Illi autem magis interrogantes dixerunt : Respondere uos opportet stultissimi uiri : si adhuc perseuerare cupitis . Tunc beatissimi martyres ad eos dixerunt : O gens peruersa quare gratis animas uestras diabolo traditis : uocantes errorem christianam fidem : quæ se colentes æterna uita remunerat ? Respicite ne cum Sathana pereatis : minas et tormenta incutitis : quas pro nihilo cum dei auxilio reputamus . maior quoque cruciatus pœne uidetur esse qui non finitur tempore : quam qui momento transit . Non ignoramus quin corpus occidere possitis : animas autem lædere minime potestis . Qua propter agite citius quod agere uultis : quia nos christiani sumus et Christi fidem licet indigne colimus . Hoc audientes Theotonici cœperunt magis eos de fide sua et quem deum colerent interrogare . At illi Iesum Christum dei et hominis filium nostræ redemptionis exordium : per quem et in quo facta sunt omnia : quæ cælo terra et mari continentur : et per quem reseratæ sunt portæ paradisi : quæ humano generi propter primi parentis peccatum clausæ manebant . hic Iesus quem colimus : et cuius fræti solatio tormenta uestra non formidamus : sanguine suo portas has suis fidelibus apperuit : Et qui per istum introibunt saluabuntur : ueluti ipse testatur in euange | lio dicens : Ego sum hostium . per me si quis introierit saluabitur : et pascua inueniet : Et alibi : Qui sequitur me non ambulat in tenebris : sed habebit lumen uitæ dicit dominus . Hunc itaque colimus : quia languores nostros ipse tulit : et peccata nostra ipse portauit : huic nos immolare desyderamus sacrificio laudis . Rupit enim uincula : quibus ad inferna trahebamur . Igitur ei sacrificare nos ipsos concupiscimus : ut posimus dicere cum psalmista : Dirrupisti uincula mea . tibi sacrificabimus hostiam laudis . Miratur Theotonicus furor hoc audiens : et a sæuitia sua non desistens hos sacrificare dæmonibus compellere nititur dicens : Aut sacrificare diis nostris uos oportet : aut diuersis mori tormentis : Quibus illi : Mori dudum deo teste desyderamus : sacrificare ydolis mutis et surdis omnino respuimus : Intrepidi minas et tormenta uestra contemnimus et magis de damnatione animarum uestrarum quam de nostra morte : quæ proprie uita æterna uocanda est : dolemus . Sed quid præstolamini nos quasi pacificas hostias ad uictimam ducere ? putatis quod uerum deum creatorem cæli et terræ propter minas uestras quæ sunt quasi pluuiæ guttæ dimitamus ? Sine effectu sunt uestræ prauæ cogitationes . miramur siquidem quod sic a diabolo seducti pertinaces estis in nequitia . His auditis cognouerunt eos bonos esse uiros : et propterea interficere noluerunt : Vnde Christi martyres maxime turbati dicebant : Serui Christi sumus : qui natus est de uirgine : et pio† eo mortem subire cupimus : deinde his uerbis se uicissim alloquuntur : Nos infeliciores mulieribus sumus sorores namque nostre coronam martyrii a deo sibi promissam accipere meruerunt . cum autem hæc inter se dicerent : inierunt consilium : ut in Italiam : ubi maxime cristianorum persecutio tunc temporis erat : transirent : Itinere uero prospero uenerunt in Italiam in ciuitatem comi : ubi quottidie cristianum nomen se habere confitenres† iugulabantur : quod cum audirent Guinifortus et Guiniboldus lætitia maxima repleti sunt cupientes subire martyrium . Peruenientes autem illuc : ubi christiani decollabantur : dixerunt lictoribus : Quid nequissimi sanctos dei tam cru || deliter trucidatis . Nos etiam cristiani sumus . cumani uero hoc audientes stupebant dicentes : Etiam isti christiano errore seducti sunt quare ad potestatem ciuitatis uenientes narrabant ei : uenerunt hodie duo homines ad nos : ubi christianitatis nomine decolabamus nos crudeliter increpantes : quod in dei seruos tam acriter sæuiremus : se ipsos sponte uocantes christianos : unde nos uæhementi stupore perterriti sumus : quoniam ante ubicunque christiani erant : se sollicite occultare inuenimus : præses uero hæc ubi audisset : graui dolore ingemuit dicens : ite et adducite eos omni postposita dillatione ad me : Qui exeuntes a conspectu eius inuenerunt eos in platea mortem saluatoris apperte prædicantes : et cum eis innumerabilem populum : qui eorum bona uerba libenter audiebat : Et dixerunt eis : christiani : princeps ciuitatis uos uocat . uenite ad eum : quibus ipse princeps supernæ ciuitatis Iesus Christus est mediator dei et hominum : et sponsus eius : ut legitur : uidi ciuitatem sanctam Ierusalem nouam descendentem

de cælo a deo paratam quasi sponsam ornatam et cætera : Iste autem princeps noster est . Vester uero qui nos uocat minister est antichristi : quem dominus Iesus interficiet spiritu oris sui cum magistro suo impio : quare temptatis cum nihil cum eo commune habeamus : Quid autem ministri Christi cum diabolo ? Ite renunciate : quod intereas† eius minas nullatenus expauescimus . Illi autem uenerunt ad principem ita referentes : Princeps noster lumen patriæ audi : quid christiani dicunt : ad quos paulo ante ut uenirent ad te misisti . prædicant namque nomen fidei suæ publice in platea : dicentes in præsentia populi : quod neque te neque minas tuas pertimescunt . Iube igitur capi : antequam totus seducatur populus tuus ab eis : quia iam fere omnes sequuntur eos : Tunc indignatus cumanorum princeps surrexit : et aduocata contione militum consilium inierunt : qualiter istos dei martyres crudeliter perderent . Veniens autem ad eos cum multis armatis his aggressus est eos uerbis : unde estis : aut quare populum meum seducitis ? Qui dixerunt : Scotii sumus genere : sed christiani professione . populum tuum non seducimus : sed filios dei ad | æternam beatitudinis patriam inuitamus . Tunc princeps : Quos inquit uocatis dei filios ? Et illi dixerunt : Quos ipse suo sanguine redemit . hic sæuus tyramnus infremuit : iussitque eos per omnem ciuitatem duci et decollari . Recordatus tamen post paulo putauit timore mortis unius : alterum ad errorem suum posse deducere . mandauit ergo ut alter non decollaretur . Venientes autem ad uictoriam gratulabantur : et quasi ad epulas inuitati : sed cum hoc dubium esset : quis libentius caput pœne traderet : iugulatus est Guiuiboldus† . In nocte corpus eius a fidelibus cristianis furtim tamen in ciuitate Comi sepelitur : ubi requiescit usque in hodiernum diem . Guinifortus solus recedens uenit Mediolanum : ubi domini sine intermissione Christi nomen prædicauit : multorumque errores sustulit : credebat namque quod suis peccatis exigentibus deus ei spem et uitam augeret : cum Sorores et fratremque† suum coronasset . Quapropter sæuiens sic apud se loquebatur : deus omnium rerum creator cum Sorores et fratrem meum iam diu æterna corona donaueris : me miserum seruum tuum peccatorem quare non suscipis ? cum talia oraret : mediolanensium furor in eum surrexit dicens : Guiniforte sacrifica : cui respondit : sacrificare deo uiuo me ipsum in odorem suauitatis concupisco . Quem nominas : dixit pesecutor† deum uiuum ? et ille : Iesum Christum deum uiuum et hominem : qui me fecit et suo sanguine me redemit . Tunc tyramnus et persecutor sæuissimus iratus et maximo furore repletus : eum duci extra ciuitatem et decollari præcepit . Sed antequam peruenirent ad locum : ubi beatus uir ducebatur : iussit sæuissimus tyramnus ministris : ut sine intermissione eum ferirent lapidibus et sagitis usquedum ad prædictum locum peruenirent : Insuper uirgis ferreis flagellarent eum . Tunc ministri impiissimi uix putantes uisuros horam in qua uirum sanctissimum occidere possent præcipitauerunt eum extra ciuitatem mediolanensem : et se carnifices crudelissimi sanguinem innocentis effundere et eius gloriosa membra dilaniare cupientes sagitis et lapidibus corpus suum sanctissimum percusserunt : Et hinc atque inde sanctissimum || martyrem sagittis repleuerunt ut quasi eritius uideretur . inclytus autem martyr Guinifortus sic innumerabilibus martyrii pœnis afflictus : et multis affectus iniuriis nequaquam ab amore Christi diuelli potuit . cum uero impiissimi ministri antequam percussissent gloriosum martyrem Guinifortum et eum perduxissent ad locum : ubi decollandus erat : is præ nimia afflictione affectus cecidit quasi mortuus in terram : et genu flexo coiaudabat† dominum dicens : domine rex æternæ gloriæ pie pater suscipe corpus meum et animam meam : quam tibi offero in ara sacrificii . crudelissimi autem ministri iam mortuum existimantes abierunt relicto eo in terra latente . Post pusillum uero temporis deo uolente gloriosissimum corpus pio eius amore sic afflictum sic uulneratum uenit in nobilissimam Italiæ ciuitatem Papiam uenit : in qua totus percussus sagittisque adhuc corpori suo fixis quas ipse extrahere non potuerat susceptus est cum magna reuerentia et caritate a quadam muliere christianissima et deo deuota quæ iuxta ecclesiam sancti Romani morabatur . cum uero in eius domo gloriosissimus martyr per tres dies stetisset uir deo dilectissimus Guinifortus carnis exutus sarcina ad paradisi atria commigrauit : ubi martyrii palmam possidet : qui corona gloriæ meruit decorari . Porro cum sanctitas huius gloriosi martyris Guiniforti hominibus esset incognita : omnipotens deus quanti meriti esset et sanctitatis uenerandus martyr ultra latere homines noluit : nam posteaquam animam Christo beatus Guinifortus reddidit : ecce circa corpus eius Angeli dei

cum magna claritate astiterunt : totam domum in qua erat illuminantes : eamque fragrantissimo odore replentes : quibus rebus tam magni quam parui clara uoce et summa læticia magnificabant deum dicentes : Benedictus deus : qui semper in sanctis suis gloriosus est : magna itaque dei omnipotentis gloria : et fidelium ingenti gaudio : undecimo calendas Septembres sepultus est in ecclesia sanctæ Mariæ iuxta ecclesiam sancti Romani maioris : ubi eius multa miracula per eius merita gloriosus deus in sancto suo operatus est : Cæci quidem multi ad sepulchrum eius nenientes† lumen op | tatum recipere meruerunt . Infirmi quoque et leprosi innumerabiles ibidem precibus beatissimi Guiniforti martyris sanati sunt . Vere fidelissima urbium Papia non immerito congaudere debet quæ inclyti martyris Guiniforti sacratissimum corpus meruit possidere .

DE SANCTIS GORGONIO ET DOROTHEO .

Gorgonius et Dorotheus apud Nichomediam primi in palatio Dioclitiani antiquæ militiæ renunciant ut liberius regem suum sequantur : et christianos se uoce libera confiteantur : Quod Cæsar audiens plurimum ægre ferret tales uiros ammittere : quos intra palatium nutritos morum et generis nobilitas decorabat . Igitur posteaquam nec minis blandiciis mouerentur : in eculeo distenduntur : flagellisque et uirgulis toto corpore laniati essent aceto et sale nudatis pene eorum uisceribus perfunduntur . Et cum hæc alacriter tollerarent in craticula assantur : Vbi quasi in lecto florum uidebantur iacere : nihilque læsionis sentire deinde iussu Cæsaris laqueo suspenduntur : et corpora lupis et canibus exponuntur . sed tamen intacti a fidelibus colliguntur . Passi sunt autem circa annum domini . CCLxxx . Post multos annos corpus sancti Gorgonii Romam translatum est . anno autem domini . d . cc . Lx . episcopus metensis nepos Pipini regis ipsum ad Galias transtulit : et in gortiensi monasterio collocauit .

PASSIO SANCTI GENCIANI MARTYRIS ET VICTORICI .

Sancti dei Fuscianus et Victoricus cum fraterna caritate succensi . sanctum Quintinum comparem suum uidere cuperent : ut affatu mutuo de conuersa gentilitate gauderent Gencianus autem quidam grandeua ætate procuruus adhuc gentilis Ambianensi ciuitati contiguus : die quadam eis uersus paralisius iter carpen || tibus obuius factus est : et ait : domini qui estis : et quid quæritis : et quo itis ? Qui responderunt : Rome nati sumus : ibique christianæ regulis fidei eruditi : a qua progressi fines uestros penetrauimus : ut uobis æternæ salutis uias demonstremus : qui diabolica fraude seducti idola colitis : et deum creatorem negligitis . quærimus etiam comitem nostrum sanctum Quintinum eiusdem rei gratia a paterna urbe egressum . Tunc senex suspirans imoque a pectore uocem trahens ait : ante tres dies admonitione diuina promotus sum : ut deum quem creditis credam : et ad eum tota deuotione me conuertam : sed is dei famulus quem quæritis Quintinus dum urbis nostræ populo ueritatis oracula diuulgaret : a præfecto tentus est : et diuersis suppliciis maceratus : ab urbe reductus in quodam municipio uermandorum sententiam decollationis accepit . De vobis etiam militibus indictum est : ut ubicumque uos inuenerint : arcta mancipatione comprehendant ut diis contrarios et reipublice inimicos . Sed quæso declinate in tugurium serui uestri : ut cibo reficiamini : et paululum quiescatis : cumque eis in domo sua preberet obsequium : rictionarus repente superuenit : et famulos dei comprehendi præcepit . Tunc Gentianus zelo commotus euaginato gladio exiliens rictionarum percutere nixus est : ut quantocyus pro Ihesu nomine posset occumbere : Ad quem ille ait : unde tibi o Gentiane tam dira cupido : uel quæ te temeritas impulit : ut me gladio percutere conareris ? At ille digne inquit et pro meritis : quia Cristi famulos iniuste persequi te uideo : pro quibus corpus meum tradere non dubito : quia me seruum illius esse salubriter recognosco : qua felici confessione commotus præses caput præcepit ei coram sanctis auferri .

DE SANCTO GREGORIO . NAZANZENO

Rufinus XI . LI .

Gregorium Capadocia nobis cum Basilio germinauit . Ambo nobiles ambo Athenis eruditi : am | bo collegæ : ambo de auditorio digressi ad proficiendam rhetoricam rogabantur : quod opus magnifice quidem implebat Basilius . Gregorius uero magnificentius contemnebat : quippe cum se totum dei seruitio mancipasset : tantum de collegæ amore præsumpsit : ut sedentem Basilium de doctoris cathedra deponeret : et secum ad monasterium manu iniecta perduceret : Ibique per annos : ut aiunt : XIII omnibus grecorum sæcularium libris remotis solum diuinæ scripturæ uoluminibus operam dabant : Earumque† intelligentiam non ex propria præsumptione : sed ex maiorum scriptis et auctoritate sequebantur : quos et ipsos ex apostolica successione intelligendi regulam suscepisse constabat : quorum præcipue in prophetas commentarios discutientes . thesauros sapientiæ et scientiæ reconditos in uasis fictilibus perquirebantur . uerum cum iam ipsi sufficienter instructi diuina dispensatione ad imbuendos populos uocarentur : et alius alio itinere ad idem tamen opus uterque traheretur : Basilius ponti urbes et rura circuiens desides gentis illius animos et parum de spe futura sollicitos stimulare uerbis et prædicatione succendere cœpit . Gregorius uero bonam terram cordis sui iugiter excolebat : et multo amplius hic in semetipso quam ille in cæteris proficiebat : suscipere ille qui renunciantes sæculo deferebant ad pedes suos : et diuidere ut quisque eguisset curam gerebat . Iste nihil habendi et omnia possidendi contentus sacramento : erga solas sapientiæ diuitias auarus et multum cupidus inhyabat : et exemplo sui libertatem a sollicitudinibus sæculi prædicabat .

De pontificatu et doctrina eius ubi supra .

Igitur Basilius non multo post cæsareæ Capadociæ episcopus fuit . Gregorius uero apud Nazanzoii oppidum in locum patris episcopus surrogatus hæreticorum turbinem fideliter tulit . Reddita uero pace Constantinopolim ad ecclesiam docendam uenire exoratus non abnuit : Vbi breui tempore tantum ad emendandum populum uetustis hæreticorum infectum uenenis profecit : ut tunc primum Cristiani sibi fieri uiderentur : et nouellam lucem ueritatis aspicere . cum religionis doctor mu ta quidem uerbis plura tamen doceret exemplis : nec uiderent ab eo discipulis || aliquid imperari : quod non prius ipse fecisset . sed ubi gloriam consecuta est inuidia : obniti quidam et proscriptionibus minus sanis uti cœpere : ut ipso ad propria remeante alius ordinaretur episcopus : quod ille susurari tantum et sub dente sentiens ruminari : ipse proferre quod nullus ei dicere audebat : absit inquit ut mei causa aliqua simultas in dei sacerdotibus oriatur . Si propter me est ista tempestas : tollite me et immittite me in mare : et desinet a uobis quassatio . Tunc regressus in ecclesiam suam quod superfuit uitæ tempus exegit . Et quoniam fessa iam ætate et corpore inualidus erat : successorem sibi ipse delegit : quo ecclesiam gubernante debilitatis et senectutis ocio frueretur .

De libris eiusdem et fuga curæ pastoralis Hieronymus de illustribus uiris .

Gregorius nazanzenus episcopus uir eloquentissimus præceptor meus : et quo scripturas explanante didici : ad XXX . millia uersuum omnia opera sua composuit : e quibus ista sunt . de morte fratris Cæsarii . laudes machabeorum . laudes Cypriani . laudes Athanasii . laudes Maximi phylosophi post exilium reuersi : quem falso nomine quidam herona superscripserunt : quia est alius liber uituperationem eiusdem Maximi continens : quasi non licuerit eundem et laudare et uituperare pro tempore . Et liber exametro uersu uirginitatis et nuptiarum contra se disserentium . aduersum Eunomium libri duo . De spiritu sancto libri quattuor . contra Iulianum imperatorem liber unus . secutus est autem Polemium dicendi caractere . uiuoque se ipsum ordinans

